E XV. k

18

ARW
25/2/54

T
1114.
D.2.

NOSOLOGIA METHODICA
SISTENS
MORBORUM CLASSES
Juxtà Sydenhami mentem & Botanicorum ordinem.

AUCTORE

FRANCISCO BOISSIER DE SAUVAGES
Regis Conſiliario ac Medico, in Monſpelienſi Univerſitate Medicinæ, olimque Botanices, Profeſſore Regio; Academiæ Scientiarum Monſpelienſis, Londinenſis, Upſalienſis, Berolinenſis; Florentinæ, Phyſico-Botanicæ, Suecicæ, Naturæ curioſorum, & Inſtituti Bononienſis Socio.

Editio ultima, auctior, & emendatior.

TOMUS SECUNDUS.

Si morbi cujuslibet hiſtoriam diligenter perſpectam haberem, par malo remedium numquam non ſcirem adferre. *Sydenham.*

AMSTELODAMI,
Sumptibus FRATRUM DE TOURNES.

MDCCLXVIII.

BIBLIOTHEQUE IMPERIALE
KONINKL. BIBLIOTHEEK TE'S HAGE.
K. B.

WELLCOME
HISTORICAL
MEDICAL
LIBRARY

CLASSIS SEPTIMÆ SYNOPSIS.

DOLORES.

ORDO I. DOLORES & moleſtiæ vagæ ſæpiùs univerſales aut cutaneæ ad phlegmaſias non referendæ.

I. ARTHRITIS, *goutte*, articulorum dolor ſpontaneus periodicus.
II. OSTOCOPUS, *douleur des os*, oſſium dolor non erraticus & internus in artubus.
III. RHEUMATISMUS, *rheumatiſme*, dolor diuturnus in parte carnoſâ artuum.
IV. CATARRHUS, *catarrhe*, collo vicinarum partium dolor à frigore ſuſcepto, cum tuſſi, coryzâ, &c.
V. ANXIETAS, *anxieté*, moleſtia quæ ad continuam loci mutationem cogit.
VI. LASSITUDO, *laſſitude*, moleſtia cum debilitate quæ ad quietem invitat.
VII. STUPOR, *ſtupeur*, moleſtia quæ ſenſum tactûs obſcurat.
VIII. PRURITUS, *prurit*, moleſtia quæ ad ſcalpendum nos cogit.
IX. ALGOR, *froideur*, moleſtia qualis à ſummo aëris frigore excitatur.
X. ARDOR, *chaleur*, moleſtia qualis à ſummo aëris calore producitur.

ORDO II. DOLORES CAPITIS, ſcilicet vel capillitii vel faciei.

XI. CEPHALALGIA, *mal de tête*, gravativus capitis dolor;

XII. Cephalea, *cephalée*, periodicus diuturnus tenſivus capitis dolor.
XIII. Hemicrania, *migraine*, dolor alterutrius lateris frontis.
XIV. Ophthalmia, *ophthalmie*, dolor oculi cum rubore, lucis intolerantia, &c.
XV. Otalgia, *douleur l'oreille*, dolor aurium.
XVI. Odontalgia, *mal de dents*, dolor maxillarum dentiumve.

ORDO III. Dolores pectoris, jugulive anhelationis expertes, anhelationibus non accenſendi.

XVII. Dysphagia, *difficulté d'avaler*, moleſtia deglutitionem impediens.
XVIII. Pyrosis, *cremaſon*, ardor œſophagi ad ſtomachum extenſus.
XIX. Cardiogmus, *douleur du cœur*, dolor cordis cum ejus pulſatione.

ORDO IV. Dolores abdominales interni.

XX. Cardialgia, *cardialgie*, moleſtia in ſtomacho ſyncopem minitans.
XXI. Gastrodynia, *douleur d'eſtomach*, dolor vehemens epigaſtrii ſtomachive.
XXII. Colica, *colique*, dolor inteſtinorum.
XXIII. Hepatalgia, *douleur hépatique*, dolor hypochondrii dextri hepatiſve.
XXIV. Splenalgia, *mal de râte*, dolor aut moleſtia in regione lienis.
XXV. Nephralgia, *douleur néphrétique*, dolor lumbi alterutrius ureteris ductum ſequens, cum nauſeâ, teſtis retractione in viris, cruris ſtupore in fœminis, &c.
XXVI. Dystocia, *difficulté d'accoucher*, dolor uterinus in gravidis cum conatibus parturitionis.
XXVII. Hysteralgia, *mal de mére*, dolor uteri ſine niſu parturitionis.

ORDO V. Dolores partium externarum locales, artuumque.

XXVIII. Mastodynia, *douleur du ſein*, dolor mammarum.
XXIX. Rachialgia, *colique de Poitou*, dolor abdominis & ſpinæ dorſi in brachiorum paralyſim aut convulſiones deſinens.

XXX.

XXX. Lumbago, *Ereintement*, dolor lumborum corporis erectionem impediens.

XXXI. Ischias, *Sciatique*, pelvis & coxendicis dolor claudicationem ſæpiùs inducens.

XXXII. Proctalgia, *Mal du fondement*, dolor podicis citra teneſmum.

XXXIII. Pudendagra, *douleur des parties honteuſes*, dolor genitalium citra dyſuriam.

CLASSIS SEPTIMA.

MORBI DOLORIFICI,

SEU

DOLORES.

ALGEMATA Græcis, quo nomine etiam *Hippocrates* noſemata, ſeu morbos in genere intellexit; Gallis *Douleurs*, *maladies de douleur*; Anglis *Pein*, *Aſch*; Hiſpanis *Laſtimas*; Italis *Dolori.*

2. *Character.* Morbi quorum præcipuum ſymptoma eſt ingrata & moleſta ſenſatio, aut imaginatio, qualis ex nervearum partium laceratione, roſione, uſtione, preſſione, aut diſtractione oritur.

3. Non omnis moleſta ſenſatio dolorificos morbos determinat, cùm vix ullus ſit morbus qui moleſtam ſenſationem non inferat; unde *Hippocrates* morbum per moleſtiam definivit; requiritur dolor conſtans, vel notabilis, qui cætera ſymptomata ſuperet; ſi enim morbum febrilem, inflammatorium, convulſivum, veſanum, evacuatorium comitetur dolor, tunc ægritudo ad illas claſſes pertinet.

Theoria Doloris Mechanica.

4. Dolor eſt moleſta & confuſa perceptio, qualis à fibrarum nervearum diſtractione, roſione, punctione, ſimilive læſione oritur.

5. Perceptio moleſta à ſenſatione, ſeu actione corporis cujuſvis in fibras ner-

nerveas oriunda, dolor eſt *ſenſitivus;* quæ verò ab actione ſimili in fibras cerebri medullares, aut ſine ullâ actione in corpus, ab animæ affectione dependet, dolor *imaginarius* eſt, qualem experiuntur ſomniantes, hyſtericæ, artubus truncati, pathematis agitati, ſine ullo vitio corporeo.

6. Dolor vulgaris à ſenſatione oriundus pendet materialiter ab eâ nervis illatâ violentiâ, ex quâ rupturæ, vel diſſolutionis periculum imminet; formaliter verò à perceptione & metu hujus periculi proximè imminentis.

7. Cauſæ hujus actio eſt proportionalis vi fibras impetenti, & attentioni animæ periculum ruptionis ſentienti.

8. Fibræ nerveæ quæ magis exiles, nudæ, ſolitariæ, tenſæ, illæ cæteris paribus ab eadem vi faciliùs rumpuntur.

9. Corpora majorem vim habent ratione molis, & ea plures ſimul fibras lacerant, & ratione velocitatis, & ea eodem tempore altiùs penetrando fibras attingunt.

10. Si vis corporum in nos agentium imminuatur à partium reſiſtentia, quò major eſt moles ſimul partibus applicata, eò dolor eſt magis extenſus, ſed minùs intenſus, quia corporis impetus à pluribus fibris ſuſtinetur.

11. Si vis corporum in nos agentium partium noſtrarum reſiſtentiâ longè major ſit, dolor quidem ab ejus actione velociori exſurgens acutior eſt, ſed tanto fugacior, quia ſectis fibris nerveis earum ſenſus perit, & dolor evaneſcit.

12. Hinc patet cur ab eodem pondere capillorum faſciculum trahente, nullus dolor, vel levis; ſi verò unicum pilum trahas, dolor acutus exſurgat? Si pluma labii fibras leviter vellicet, ſenſatio moleſtior eſt, quàm ſi carnes abdominis manu diſtrahantur; quia fibrillæ nerveæ, ſolitariæ, nudæ, magis tenſæ, magis à tractatione periclitantur, quàm trunci nervei carnibus immerſi, laxi.

13. Si globus in manum impingat, actio globi eſt, ut ejus vis totalis, dum manus reſiſtit immobilis; ipſius globi vi minor, quò magis cedens recedit manus; nulla, ſi manus pari velocitate recedat, quâ globus eam premit; omnium maxima, ſi in globum impetentem manus ipſa moveatur. Hinc gradus colliſionis, & doloris à contundentis inſtrumenti actione & reactione quiſque repetat.

14. Hinc ſequitur ſævos fore dolores, ſive corpus humanum in parietem impingat, ſive paries in corpus humanum irruat, ſive calculus, dum homo curru vehitur, in renes impetat, ſive ren, vel veſica ſpaſmodicè ſe conſtringens calculum fortiùs comprimat.

15. Actio ſtimulantis in corpus noſtrum, ſi par fuerit reſiſtentia, eſt ut ejus vis, ſeu ut moles & velocitas quadrata conjunctim, quæcumque fuerit ejus figura. Sic globus plumbeus obtuſiſſimus, & minimus, modò ſummâ velocitate moveatur, duriores corporis noſtri partes poteſt diffringere.

16. Si minimæ fluidi cujuſdam moleculæ valeant ſolidas noſtras partes rodere, diſſolvere, certum eſt eas tantò majori velocitate pollere, quò minores ſunt, aut indigere tantò majori temporis ſpatio, ut datum effectum præſtent, quò ſunt pauciores.

17. Errant itaque illi, qui vim corroſivam, ſtimulantem, diſſolventem ex ſola molecularum minimarum ſtimulantis, vel ſolventis figurâ acutâ, & rigiditate deducunt: cùm figura acuta nullam viam habeat ad agendum, & tantùm agat commodiùs, ſi vis ſufficiens ipſi applicetur.

18. Ut aqua pura rodit duriſſimum metallorum, & oleum blandum diſſolvit cuprum, ita moleculæ fluidi ſalibus, partibuſque acutis ac rigidis deſtituti, valent nervos lacerare, rodere; ex eo quod fluidum rodat & ſtimulet, non ſequitur illud gaudere rigidis & acutis particulis.

19. Vi adhæſionis moleculæ fluidorum agunt eò fortiùs in ſolida, quò major eſt mutuus eorum contactus; ſed mutuus contactus eſt major, quò major eſt affinitas gravitatis ſpecificæ, & ſimul molecularum & pororum eas recipientium: adeoque vi adhæſionis moleculæ fluidorum poſſunt agere plus vel minus in fibras nerveas corporis humani, licet ſphæricæ & obtuſæ ſint, ac omnis duritiei expertes.

20. Corpora molliſſima, ut aqua, ſi velociter impetantur, ut à manu, non minùs repercutiunt quàm ſi forent dura; ita non minùs feriunt, ſi corporis ſolidi & reſiſtentis partes impetant illa fluida; utrobique enim æqualis eſt colliſio; ergo à vehementi actione corporis in nervos ad ejus duritiem non valet conſequentia.

21. Sic explodi poſſunt errores, quos in Scholas induxit Carteſiana, in mechanicis ſæpiùs erronea, philoſophia; qui tamen errores, ſi longis præjudiciis confirmati, vix avelli poſſunt.

22. Principia morborum dolorificorum ſunt, vel 1° *Inſtrumenta* mechanicè pungentia, oſſa acuminata fracta, calculi aſperi renibus impacti; vel prementia, ut calculi ſphærici, politi; vel trahentia, ut quæ os luxant, ſubluxant; vel vulnerantia, aut contundentia, ut vis corporum in nos impingentium, aut corpus noſtrum in dura obvia lapſu, impetu, impactum.

23. Vel 2° *Infarctus* vaſorum, ſeu obſtructio à copioſo, vel ſpiſſo fluido, maximè ſi retroſequens fluidum urgeat infarctum; unde vaſa infarcta aggravantur, diſtenduntur, hinc dolor gravativus; vel etiam diſtrahuntur fortiùs, unde dolor diſtenſivus; vel inflammata pars in acumine ferè laceratur, hinc dolor punctorius, perterebrans, pulſans, cùm infarciuntur arteriæ, antequam in reticula, vel in venas abeant.

24. Hujus *infarctus* quantitas eſt eò major, quò emiſſaria fluidi magis ejus effluxui reſiſtunt, vel culpâ ſolidi conſtricti, compreſſi, vel culpâ fluidi viſcoſi, craſſi; & quò immiſſaria fortiùs immiſſum recipiunt ſimul fluidum, ut à corde vehementer contracto, ab ipſo immiſſario fortiùs pulſante, vel ſpaſmodicè ſe contrahente; utraque enim de cauſa pars infarcta fortiùs diſtenditur, premitur, concutitur, ut accidit in phlegmone; hinc dolor vehemens.

25. Vel 3° vitia ſolidorum dolori anſam præbent, quia majori *erethiſmo* pollent, aut ob præviam tenſionem, aut ob influxum fluidi nervei majorem quo tenduntur, aut ob phlogoſim, aut ob ſenſibilitatem adauctam à metu, debilitate, pathemate, ſubitaneâ & inaſſuetâ actione, partis teneritudine. Sic metus titillationem reddit dolorificam, & intolerabilem; aſſuetudo tegendi caput facit ut à levi aurâ, ſi detectum fuerit, frigeat; oculi ophthalmici diù clauſi, cùm ſanati ſunt, à luce etiam læduntur; pars nimis diù calidè fota, & remollita dein à minima cauſa dolet; ægri debilitati delicatiores fiunt, & moleſtiùs afficiuntur à levibus incommodis; nerveæ fibræ aëri expoſitæ nudæ ab aëris attactu dolent acerrimè; tendines tormentis diſtracti levi preſſione dolent; oculi phlogoſi affecti lucem non tolerant; convulſa inteſtina colicam, ileum inducunt.

26. Vel 4° *Acrimonia* humorum, ut bilis, urinæ, ichoris, puris, tabi, virus ſyphilitici, ſcabioſi, cancroſi, & ſimilium, dolores excitat maximè pruriginoſos, rodentes, acres, calidos, urentes, vi adhæſionis; & quoniam diverſa corporis ſolida, viſcera, ac colatoria, gaudent diverſa gravitate ſpecifica, ut docent ſtatica *Hambergeri* experimenta, idem fluidum acre illi potiùs adhæret parti quàm alteri, eadem ratione quâ bilis potiùs ſecernitur in hepate, quocum gravitate ſpecifica affinis eſt, & urina in rene, & ſaliva in parotide, non verò è converſo. Hinc intelligitur cur materies arthritica articulos, rheumatica muſculos, ſyphilitica vetus perioſteum, ſcabioſa cutim, &c, aggrediatur, ibique dolores excitet.

27. Vel 5° Conatus naturæ ad expellendam, aut corrigendam materiem quamvis morbificam, ſive acrem, ſive blandam, ſed copia vel ſitu incommodam, ſive conatus ſit rationalis, ſive erroneus, ſive voluntati congruus, ſive illi repugnans; atque hi conatus ſunt frequentiſſimum dolorum principium. Dolores capitis non raró ſunt à conatu naturæ ad excitandam narium hæmorrhagiam; dolores pectoris à conatu naturæ ad expectorandam materiem morbificam; unde tot dolores pertinaces capitis, pectoris, uteri, obortis hæmorrhagiâ, hæmoptyſi, catameniis evaneſcunt. Dolores partûs non certè à pondere fœtûs; quippe quidni pridie doleret uterus? Cur illico noni menſis fine tantùm illi dolores excitantur, & per intervalla deinceps continuò breviora revertuntur eodem dato pondere? Dolores illos excitant conſtrictiones naturales uteri, quæ ligamenta lata diſtrahunt; revertuntur illa iterùm tormina, cùm excluſo fœtu ſequenti die excludendi ſunt grumi cruoris in utero concreti, orificium adhuc dolens deduci debet per violentiam quâ conſtringitur uterus, unde dolores atroces. Quis ignorat autem in partu, voluntatem quandoque naturæ ſuppetias ferre in eliminando fœtu?

28. Indicatio rationalis eſt cognitio utilitatis, vel opportunitatis cujuſdam auxilii in dato morbo adhibendi, ex qua determinatur voluntas ad illud agendum, vel præſcribendnm, quod profuturum eſſe cognoſcimus.

29. Indicatio empirica eſt memoria utilitatis, quâ quoddam auxilium in ſimili.

ſimili caſu fuit adhibitum, etiamſi modus agendi, & morbi conditio; ſeu cauſa ignoretur. Hæc valet in uſu remediorum ſpecificorum, & arcanorum, quorum utilitas ſolâ experientiâ, vel hiſtoriâ comperta eſt.

30. Indicantur in omni dolore ſenſitivo, 1° laxantia, quæ fibræ nerveæ diſtractæ tenſionem minuunt: 2° anodyna, quæ animæ ſenſibilitatem tollunt, vel minuunt. Nam cùm laxantia & anodyna neceſſariò deſtruant ſenſibilitatem & diſtractionem, quæ ſimul junctæ dolorem conſtituunt, ex illorum uſu cognoſcimus ægrum meliùs habiturum; ergo ea auxilia utpote profutura indicantur.

31. Verùm cùm partium laxitas earum officiis noceat, animæque ſomnus, & ſtupor ejus actiones liberas impediat, ille ſtatus diù ſine ſanitatis detrimento perſtare non poteſt, nec narcotica poſſunt continuò deglutiri. Neceſſum eſt ut principia doloris, ſeu cauſas etiam hujus diſtractionis tollamus; principia verò ſunt vel inſtrumenta mechanicè lædentia, vel infarctus, vel acrimonia, vel erethiſmus, vel demùm naturæ conatus, iiſque ſublatis tollitur diſtractio, quæ doloris cauſa eſt materialis; ergò ea auxilia indicantur, quibus ea tolluntur principia.

32. Irritantia mechanica ſunt vel externa, ut chlamydes pectus conſtringentes, calcei pedem prementes, collaria, vincula arctiora, quæ removenda ſunt; vel interna, ut calculus veſicæ qui lithotomiâ educendus, fœtus mortuus cujus partus provocandus, ſcybala dura clyſmatis educenda, ſaburra emetico catharticove ejicienda, fragmentum cranii trepano attollendum, pus in abſceſſu, cui via paranda; quibus omnibus chirurgica auxilia ſæpiùs competunt.

33. Infarctus fit vel per fluxionem, ut phlegmo, eryſipelas, cujus remedia in claſſi inflammationum quærantur; vel per congeſtionem ab humorum ſpiſſitudine & craſſitie, vel ſiccitate, quæ indicant medicamenta reſolventia, ſeu ea quæ phyſicè agendo fluidis inſpiſſatis fluiditatem conciliant: Illa verò agunt imminuendo mutuos contactus humoris concreti; ſive interponendo moleculas aqueas ſphæricas, ut diluentia, emollientia; ſive interjiciendo particulas igneas, quæ moleculas cohærentes ſeparent, ut calida; ſive intermiſcendo particulas fluidi ſpecificè levioris, ut reſinoſa, oleoſa, unguenta; ſive impediendo perſpirationem, eamque colligendo, unde veluti in balneo vaporis retinetur pars infarcta, quod præſtant emplaſtica, unguinoſa.

34. Sed quoniam infarctus dolorificus ſimul ſtipatur tenſione nervorum, eaque tenſio laxantibus ſimul & anodynis minuitur; ea præ cæteris eligenda reſolventia, quæ ſimul emollientia ſunt & anodyna, quæque cutim ſatis altè penetrant, ut ad partem affectam devenire poſſint.

35. Talia ſunt flores chamæmeli & meliloti, folia cicutæ & hyoſcyami, ex quibus in aquâ, vel lacte coctis parantur cataplaſmata, vel intinctis linteis fomenta partibus calidè admovenda; farinæ etiam quatuor reſolventes dictæ, orobi, lupini, fœnigræci, in paſtam redactæ, addito croco, oleo lini, & ſimilibus; ovorum vitelli, ſperma ceti; catelli, colum-

columbæ, pulli juniores vivi ſecti & lateri, capitive dolenti, vel contuſo, vel bubonoceli applicati optimè reſolvunt, & ſedant: Idem præſtant axungiæ, adipes, olea, butyrum lactis, cacao, quæ etiamſi à cauſâ frigidâ dolentibus calidè illiniuntur, ſuperpoſitâ chartâ emporeticâ; huic ſcopo etiam conducit vinum rubrum, quo cum micâ panis paratur cataplaſma reſolvens; aſt ex ſpiritu vini & camphora, cujus uncia libram ſpiritus vini ingrediatur, fit reſolvens penetrans & antiphlogiſticum; etiam ſapones in aqua vitæ ſoluti, & partibus dolentibus applicati, necnon irrigationes, ſemicupia ex aquis thermalibus ſulphureis, quæ dolores rheumaticos reſolvendos fugant.

36. Interna reſolventia doloribus accommodata ſunt chinæ radix, ſalſa parilla, dulcamara, & potiſſimùm electriſatio. Chinæ radix conſciſſa bulliat in aqua, vel juſculo à drachma ſemiſſe ad drachmam pro quovis juſculo; ſalſæ parillæ ſemi-uncia pro quavis aquæ libra potum præſtat optimum; dulcamaræ ſtipites in lacte cocti vim reſolventem & anodynam lacti conciliant, modò magnâ copiâ lac ſingulis diebus bibatur. Sed in doloribus rheumaticis à lymphâ ſpiſſâ factis, in iſchiade, nihil eſt utilius iteratâ quotidie electriſatione, ſcintillis è collo extricatis, & additâ ſub finem levi fulminatione, quo ſolo auxilio innumeros ſanatos vidimus; conducunt & laconica, ſtuphæ, ſeu fomenta calida ex foliis ebuli, vel hederæ in aqua, vel ſub cineribus coctis, & parti dolenti, ac œdematoſæ admotis.

37. Ubi acrimonia datur, conducunt edulcorantia, in calidis doloribus à ſanguine exſucco, lymphâve aridâ productis; in hunc finem parantur ex pullo juniore, ranis, vitulinâ carne decocta, quæ formâ ptiſanæ, juſculive potantur ubertim, præmiſſis generalibus; præmiſſis juſculis, interpoſito leni cathartico, lacticinia feliciùs adhibentur, ut lac aſininum, vaccinum, caprillum, ea pro omni cibo arthriticis, rheumaticis feliciter uſurpantur. Flores malvæ, violæ, radices althææ, ſemina lini infuſa in ſufficienti aquæ copiâ ſuppeditant potum calculoſis, dyſentericis optimum. Extùs edulcorant cataplaſma de mica panis cum lacte & croco, de oryzâ coctâ, pulpa radicis althææ, & axungiæ recentes, butyrum inſulſum, unguentum de althæâ modò recens ſit; oleum olivarum, amygdalarum.

38. Ad erethiſmum & naturæ conatus compeſcendos conducunt laxantia demulcentia, ut balneum in oleo, in decocto foliorum malvæ, violæ; clyſmata ex iiſdem; litus; potus diluens & demulcens, maximè oleum amygdalarum dulcium intùs & extùs uſurpatum; præſtant in doloribus acutis, vel febrilibus phlebotomiæ, hirudines; ſed demùm ubi dolor non eſt gravativus, nec æger interno capite laborat, hos erethiſmos & quoſvis naturæ ferociores conatus moderantur, & ſedant anodyna & narcotica, maximè in doloribus ſpaſmodicis ſine ſoporis metu, in hyſtericis motibus, in atrocibus quibuſvis membranarum divulſionibus, in colica, ileo, nephritide.

39. Mitiſſima ſunt ſyrupus de papavere albo, qui puerulis ad drachmam, adul-

adultis à ſemi-unciâ ad unciam datur; diacodium, quod opii partem recipit, minori copiâ præſcribitur; caput unum aut alterum papaveris albi, quod in paucâ aquæ copiâ coquitur, & decoctum hauritur; laudanum adhibetur, ubi doſis ſyrupi papaverini non ſufficit, atque laudanum liquidum intus guttatim uſurpatur, ut à guttâ unâ ad ſex pueris, ad viginti & multò plures adultis minorem doſim expertis: Solidum laudanum à ſemi-grano præſcribitur, ſenſim augendo, vel quartâ quavis horâ repetendo, vel majori doſi initium ducitur, ſi dolor urgeat. Theriaca recens etiam uſurpatur, cujus una drachma continet opii granum; vel diaſcordium, cujus una drachma vix dimidium opii granum continet; vel pilulæ de cynogloſſo, cujus grana octo continent opii, & ſeminum hyoſcyami ex ſingulis granum unum, vel ſapo Starkei hîc vix uſitatus.

40. Ex laudano ſolido, ad grana tria cuique unciæ unguenti de althæa mixto, fiunt litus anodyni; ex granis aliquot laudani & tacamahacâ, vel galbano fiunt emplaſtra temporibus applicanda.

41. Verùm & narcotica, quandoque intus non adhibenda, poſſunt extùs admoveri, ut folia hyoſcyami, cynogloſſi, ſtramonii, lacti vel aquæ incocta, & in cataplaſma ſeu pulpam redacta; ſic ſuccus ſolani hortenſis, phytolaccæ cum oleo leniſſimo tritus in marmoreo mortario abit in unguentum quod ulceribus cancroſis applicatur; ſic balſamum tranquillum calidum partibus admovetur.

42. Ubi vires ſunt refocillandæ, ſtomachus roborandus, humores torpidi diſſolvendi, anima exhilaranda, doloreſque ſpaſmodici compeſcendi, guttæ minerales anodynæ fruſtulo ſacchari affuſæ intùs ſumantur; nitrum in doloribus nephriticis, & calore, ſiti ſtipatis, uſurpatur; hujus grana decem vel viginti in ſingulis ptiſanæ libris ſufficiunt; id fervorem temperat, & ſanguinem diſſolvit.

43. Sal ſedativum Hombergii in doloribus hyſtericis ad grana duo, vel forma ptiſanæ ad grana decem uſurpatur in animi anxietatibus, agrypniâ. Nullus ſopor ab æthereo liquore Hoffmanni, nitro, nec à ſedativo ſale Hombergii pertimeſcendus eſt.

44. Si primæ viæ ante opiatorum uſum internum non ſint expurgatæ, metuendæ ſunt cardialgiæ, nauſeæ; ſi ſanguis non ſit edulcoratus, & ſolida laxata, metuendum eſt ab horum uſu delirium; aut ſopor turbulentus, anxius, agrypniâ pejor, exſpectandus.

45. Narcotica evacuationes ſupprimunt, naturæ conatus ſuſpendunt; ab his itaque abſtinendum, cùm evacuationes, & naturæ conatus neceſſarii ſunt, ut in aſthmaticis; vires fractas ab evacuationibus immodicis, ut dyſenteriâ, cholerâ, reficiunt; ſuppreſſa ob dolorem, & ſpaſmum catamenia non retinent. Aſt facile eorum uſus in conſuetudinem difficilè deponendam abit, niſi edulcorantia in narcoticorum locum ſenſim ſubrepant.

46. Nunquam feliciùs naturæ conatus ſedantur, quàm ſublato eorum principio, ſeu 1° ſublatâ materie morbificâ, ut avulſo dente carioſo in odontalgiâ; evacuatis ſinubus frontalibus in hemicraniâ inde oriundâ; rejectis vomitu

mitu ſaburris, quæ cardialgiam excitant; miſſo ſanguine in rheumatiſmo calido, & inflammatoriis morbis; extracto calculo in dyſuria calculoſâ; 2° vel correcta materie morbificâ, ut viru ſyphilitico per hydrargyroſim; ſcorbutico per lacticinia; ſcabioſo per ſulphur, &c: hæc ſunt omnium mitiſſima, quæ dolores ſedant, auxilia; 3° vel revellendo ſeu conatus naturæ aliorsùm determinando per ſtimulantia, quæ tamen methodus Empiricis ut plurimum relinquenda: Sic colicam cauterio actuali pedibus admoto curant Javanenſes: Sic Sinenſes moxâ accensâ urunt dorſum ut ſopiant dolorem lateris, pollicis abductorem ad curandam odontalgiam, quam noſtrates infuſo in aurem allii ſucco ſanant. Cephalæam accenſis capillis ſanatam vidit *Hombergius*; iſchiadem combuſto femore ſanabat *Hippocrates*, & quod ferrum non ſanat, igne ſanari pronuntiabat; vide *Hertælii diſſert. de ſtimulantium effectu ſedativo*. Hinc liquet quare emetica cephalalgiæ ſpeciem ſæpè tollant duplici titulo.

47. Ad ſedantia referri debet nervorum parti dolenti proſpicientium mechanica preſſio, ut maxillaris inferioris juxta auriculam decurrentis vel arteriæ temporalis in cephalæa, nec non vinctura capitis in eodem morbo, quibus frenatur naturæ impetus dolorem efficiens.

Theoria Doloris Pſychologica.

48. Pſychologia eſt ſcientia eorum quæ per animam poſſibilia ſunt: *Wolf Pſychologia rational. prælim.*

49. Animam in morbis dolorificis non merè paſſivè ſe habere, ſed pro doloris averſatione, & agendi potentia, qua pollet, ad ejus principia tùm avertenda, tùm auferenda, diverſos conatus edere, tum rationi, tùm experientiæ conſentaneum eſt.

50. Motiva itaque animam in his morbis ad agendum ſollicitantia, fines quos ejus conatus intendunt, media quibus utitur, ad theoriam doloris pſychologicam attinent.

51. Nulla propoſitio certior eſt in Geometria quam hæc pſychologica; hominem ſcilicet felicitatis, ſeu non interruptæ voluptatis eſſe adeò cupidum, ut quidquid meditetur aut exſequatur, illud hujus finis gratiâ directè vel indirectè faciat: ita ut philautia, ſeu amor proprius, ſit omnium hominis actionum auctor, & ſuaſor.

52. Non verò ſolas actiones liberas philautiæ famulari certum eſt, ſed etiam naturales in eum finem dirigi docent qui pathematum theoriam certiorem ſcripſere, ut *Archiater la Chambre*; & qui conatus irâ, metu, libidine percitorum pro inconcinnis, & fortuitis machinæ, & fluidi nervei motibus habent, non minùs errant, quàm qui motus oculorum, palpebrarum, pupillæ, ex eo quod eorum non ſimus conſcii, pro inanibus, & fortuitis habent, licet in eximios fines, ut viſûs perfectionem dirigantur.

53. Philautia exigit ut quantùm de machinæ ſuæ integritate, robore, pulchritudine, & ſanitate lætatur anima, tantùm de ejus deſtructione, debilitate,

bilitate, deformitate, ægritudine mœreat. Mœror enim eſt intuitiva imperfectionis ſuæ cognitio; cùm autem perfecta non ſit machina niſi integra, robuſta, pulchra, ſana tendat ad hominis longævam felicitatem, omneſque ejus partes ad eumdem finem conſpirent, ſi quavis de cauſa ſaucietur, vulneretur, corrumpatur ejus machinæ ſtructura, ea imperfectior evadit, & ejus imperfectionis intuitu mœret, quæ ipſi unitur, & ejus conſervationi invigilat, anima.

54. Nervorum diſciſſionem, ruptionem, lacerationem inferunt quæcumque vulnera corpori extùs inflicta; nervi enim cuſtodiam fidelem referunt, quæ ſenſum moneat de periculo imminente; horum itaque læſio, diſtractio, non poteſt eſſe non moleſta, atque moleſtia percepta tactu ob imminentem partium ruptionem *Dolor* dicitur.

55. Omnis perceptio dividitur in ſenſitivam, & imaginariam: illa ſenſitiva eſt, quæ refertur ad objectum reſpectu cerebri externum, & ejus actioni tribuendum; ſic viſio ſenſitiva eſt ſcintillæ, ſi reapsè ſcintilla exterior agit in organa viſûs.

56. Perceptio verò imaginaria vel phantaſtica dicitur, quæ etiamſi referatur ad objectum externum, fit tamen à ſola mutatione intra cerebrum, nulloque objecto ſimili præſente ſeu agente in organa; ſic etiamſi nulla reapsè ſcintilla ſit præ oculis in diverſis morbis cerebri, aut etiam percuſſo in tenebris oculo, ſcintillæ nobis repræſentantur, & viſio illa imaginaria eſt.

57. Ita & errores in tactu admittuntur, quippe aliæ tactûs operationes ſunt ſenſitivæ, & reſpondent objecto tactûs præſenti, ut dolor ab aciculâ manum actu pungente; aliæ verò ſunt imaginariæ, ut dolor quaſi ab aciculis pungentibus manum, quæ tamen ab aliquot annis fuit amputata: hujus verò doloris imaginarii exemplum vidimus aliquot abhinc annis in mendico, cujus humerus in noſocomio Sancti Eloei fuerat amputatus.

58. Cùm anima non poſſit contriſtari, quin huic attenta cætera objecta, & negotia negligat, ut homo curæ intentus cæteris muniis minùs aptus eſt, à gravi dolore languent cæteræ functiones, quæ ab animæ actione tanquam principio movente dependent: hinc actiones liberæ, ut loquela, deambulatio, labores minùs ad vitam neceſſarii, actiones omnes artuum voluntati ſubditorum languent, intermittuntur, differuntur, ſegniter fiunt.

59. Actiones naturales ab animâ pendent, licet intellectus eas minimè determinet, nec voluntas præcipiat, ut motus cordis, reſpiratio, excretiones, quæ appetitu quodam jucundo ſollicitantur, ut ſalivæ ad juſculi ſuavis aſpectum, languent admodùm, intermittuntque quantùm neceſſitas permittit; ſic in dolore diriſſimo pulſus exilior, debilior, rarior; reſpiratio ſimiles pulſui patitur mutationes; iſta quandoque ſuſpirioſa, interrupta, querula, turbata; pulſus etiam quandoque intermittens, turbatus.

60. Actiones verò quæ vitæ actuali non ſunt neceſſariæ, ut excretiones memoratæ, ut manducatio horis aſſuetis, ambulatio, omninò per horas, dieſque etiam aliquot dimittuntur. Nulla voluptas odoratum, viſum recreat, omnia diſplicent, & faſtidiuntur, appetitus ciborum, potulentorum, vene-

ris a

ris, tabaci, caffé, &c. etiamſi in deliciis priùs habeantur, jam evaneſcit, ut apud eos qui magno mœrore à principio morali conficiuntur; deglutitio etiam difficilis quandoque evadit, & ſi cibi conſueti ſolitâ doſi ingerantur, indigeſti diù gravant ſtomachum.

61. Omnes partes conſentiunt, ſeu ſe mutuò adjuvant, ſic pedibus inſiſtere ſtando non poſſumus quin ad hanc ſtationem concurrant muſculi pedum, tibiarum, crurum, lumborum, pectoris, colli, &c; nec in hoc ſitu pedem loco movere, quin omnes prædicti muſculi ſimul agant, nobis inſciis, etiam invitis; aſt ſi alter muſculus, v. g. in collo, dolorifico morbo laboret, is dùm contrahitur dolet acriùs, atque cùm pedem ſtando loco movemus, is contrahitur nobis invitis, & inſciis, ergo in hoc caſu dolet acriùs à motu pedis. Idem dictum eſto de aliis partibus remotiſſimis, dùm pes luxatus eſt, dùm mariſcæ podicis dolent, vel leviſſimus brachiorum, vel trunci motus dolorem redintegrat, tuſſis, excreatus eum exacerbat.

62. Hinc ſedula arthriticorum, rheumaticorum, fractorum, luxatorum attentio, viriumque intenſio, eo fine, ut motus conſpirantes, etiam remotarum partium, caveantur vel leniſſimè fiant; hinc poſituræ delectus ſcrupuloſus, hinc etiam partim virium impenſa, & debilitas in his morbis.

63. Ex ſumma doloris averſatione, ſumma hujus principii tollendi enaſcitur cupiditas, tanta ut qui patientiſſimo aliàs animo ſunt, in hiſce tormentis impatientiſſimè moram tolerent, remedia exſpectent, & contra obvios dolori ſedando inutiles facilè iraſcantur; ut in atroci dolore novam poſituram, à qua levatum iri ſe ſperant, continuò quærant, ſeu irrequieti ſint, licet ex poſituræ mutatione ſæpe magis doleant, vires exhauriant, perſpirationem inhibeant, hinc majora mala ſibi accerſant. Ea enim eſt hominis indoles, ut præſente dolore nihil ipſi videatur acerbius; inde omnia experiri mavult licet dubia, quàm certò pati ſtatum præſentem.

64. Pathematum nexu Deus optimus omnes homines invicem uniri voluit: quod tibi fieri vis, alteri facias, eſt principium divinæ ſapientiæ, humanæ philautiæ conſentaneum; ſi vis me flere, dolendum eſt primùm ipſi tibi: etenim pathemata, velut ſi contagioſa forent, ſive grata ſint, ſive ingrata, cum adſtantibus, licet peregrinis & idioma non intelligentibus, communicantur. Si quem videamus vel meritò, vel immeritò pœnis mulctatum, inviti vel volentes condolemus, & ad ipſi auxiliandum proni ſumus; inquirant ſagaciores quo mechaniſmo homo dolori ferendo impar, ut infantulus diro cruciatu excarnificatus, lachrymetur voce querula, ſingultibus interpolatâ, viciniam excitet, aliàs ridiculis, ſeu humanâ ratione vix explicandis, faciei diſtorſionibus dolorem ſuum invitus exprimat. Rideat quantumvis ſtoïcus hos inconcinnos, &, ut putat, inutiles, vel dolori exacerbando aptos naturæ motus: Nos in his miramur ſtatim divinam bonitatem, quæ ſancivit, his ſignis adſtantes humanæ aut non ferinæ indolis condolere, & inde ad auxilium miſeris ferendum excitari.

citari. Indè intelligimus quàm ſapienter hi motus, hæ diſtorſiones faciei quæ aliis ridiculæ videntur, quia harum finem non percipiunt, à naturâ inſtituantur, ut auxilium aliunde petat, & imploret, ope vocis quæ à diverſarum gentium hominibus, confuſè quidem, ſed clarè, cognoſcitur: quod à loquela diſtincta vix obtineri poſſet.

65. Indè intelligitur cur magnus dolor mutus ſit, cùm eo affectus nullum auxilium ſperet; cur dolor ab inimicâ manu voluntariè nobis excitatus, lachrymas non extorqueat tunc inutiles; aſt ſi quem videat ſibi faciliùs compaſſurum, nec ipſi vires ſuppetant ad vindictam, illico ad gemitus, fletumque confugiat miſer.

66. Nec quis objiciat idem in brutis fieri, adeoque hos fines naturam ad agendum non determinare, ſed cœco mechaniſmo ea omnia deberi. Is verò ſupponit bruta non ſentire, nec doloris remedia phyſica vel moralia quærere, cùm contrarium doceat experientia. Intellectus ad hos fines pervidendos neceſſarius non eſt, & inſtinctus ſufficit, nec poteſt ſentiri dolor quin ejus mali fugiendi nos, & bruta inceſſat cupiditas, quin ſimul & naturales, & liberos, ad eum removendum conatus inſtituamus.

67. Conatus liberi maximè inſtituuntur, quoties principium materiale doloris in ſenſus incurrit. Sic ſi os in faucibus impactum dolorem procreet, ipſamet quadrupedia muſculos omnes vicinos contrahunt, ut os ejiciatur, ſi deglutiri nequeat; ſimul collum, capite demiſſo, vicinis corporibus apprimit animal in eumdem ſcopum; jam digitos pedum anticorum intra fauces adigit, ut obicem extrahat; aërem tuſſiendo velociter emittit, ut hac vi etiam ſi fieri poſſit, avellat; nec non vomitu nauſeâque iteratis illud foras eliminare tentat, non ceſſaturum à conatibus, donec vires deficiant, aut ſeſe ab hoc malo liberet. Scintilla ignis in felis palmam advolet, illicò ignem fugit velociſſimè, & currendo palmam exagitat, ut ſcintillam excutiat. Spina ſit tendini infixa, ſubito dentibus extrahere, motu brachii excutere ſpinam nititur; illi verò conatus qui in brutis merè naturales ſunt, in hominibus ſæpè ſunt liberi.

68. Verùm ſi ſpinula altè adacta extùs non incurrat in ſenſus, tunc quid ſupereſt agendum, quod natura non exſequatur in homine, & in bruto? Spinula illa vel deſtruenda eſt, vel foras educenda; tutum non eſt auxilium, ſed parùm refert, ait *Celſus*, utrum tutum non ſit, modò unicum remedium: facto abſceſſu ſpinula quandoque corrumpitur, vel ſi ſit metallica tandem puri innatans innoxia evadit, & cùm extrorſum vergant ferè omnes abſceſſus, corpus nocuum feliciter demum eliminatur. Ad hunc finem aſſequendum neceſſaria eſt inflammatio, unde quidem dolor augetur, & rariſſimè corpus noxium vaſorum, & tendinum ſubſultibus frangitur, vel deſtruitur; aſt cùm inſtinctus non dignoſcat quænam ſit materiæ morbificæ durities, & ſæpius in ſimili caſu à fluido ſtagnante, cruore coagulato ſimiles dolores fiant, in quo caſu ſubſultus, & con-

contractiones ſpaſmodicæ vaſorumque impetus acuti ad malum tollendum ſufficiunt, ſimiles conatus edit natura.

69. Aſt in his circumſtantiis magnum præſidium eſt Medici intellectus, & ſcientia medica, quæ cauſas morbi diſtinguit, & remedia aptiora, magiſque rationi conſona partibus dolentibus applicat; inutilia tamen, ut plurimùm, niſi natura ſimul ſuam in curatione ſymbolam conferat.

70. Hactenùs potiſſima dolorum ſymptomata, ut anxietatem, gemitus, lachrymas, debilitatem ex principiis pſychologicis deduximus; plura ſupereſſent explicanda, ut pervigilium; verùm quiſque ex prægreſſis illa deducere poteſt: ſic ex lege ſenſationis non poteſt una vivida idea excitari, quin aliæ ipſis alligari ſolitæ exſuſcitentur; verùm ſi plures ſimul ideæ ſenſitivæ claræ excitantur, homo dicitur vigilare: ergo intelligitur quare vigilia dolores notabiles comitetur.

CLASSIS SEPTIMA.

DOLORES,

PONOI & *Algemata Hippocrati*, quo etiam nomine morbos in genere indigitavit, cùm dixit *quamvis moleſtiam morbum eſſe*. *Paſſiones* Arabum, ut paſſio colica, iliaca &c; *Odynes Galeno* & *Copoi* multis, unde dolor oſſium *oſtocopus* dictus eſt. *Algeia* etiam idem ſonat, unde *cardialgia*, *otalgia*, ſeu cordis dolor, auris dolor; nec non *agra* ſeu captura, inde *podagra*, *gonagra* &c.

Si dolor ſimpliciſſimus & in abſtracto conſideretur, tunc certè *Symptoma* eſt, ut Pathologi veteres volunt; ſed cùm dolor ſecum gerat alia ſimul accidentia, horum concurſus morbum conſtituit, ſicque dolores notabiles, qui obſervantur, morbos conſtituunt, quoties ſcilicet dolor eſt ægritudinis præcipuum ſymptoma; ſi verò moleſta ſenſatio comitetur graviorem morbum, ut febrem, phlegmaſiam, convulſionem, fluxum, &c, tunc pro horum morborum accidente dolor reputandus eſt. *Dolores* claſſi morborum adſtrictorum annumeravere Methodici: *Vide Proſper. Alpinum Medic. Method. lib.* 9. *Felix Platerus libr.* 3 *de doloribus* hanc claſſem primus inſtituit, quam ordine anatomico diviſit, verùm immeritò Febres doloribus accenſuit.

Congeſtionum nomine hos indigitarunt eximii *Junckerus* & *Nenterus*, cauſam loco morbi obtrudentes.

Dolores dividebantur ab Antiquis in *graves*, *infixos*, *mordaces*, *punctorios*, *acutos*, *pulſatorios*, *tenſivos*, *frigidos*, alioſque plures quoad magnam partem ab *Archigene* excogitatos; ſed multò ſatius eſt morbos dolorificos à ſede quàm ab ideâ doloris diſtinguere, cùm confuſiſſima ſit doloris idea, nec ullis definitionibus diſtinctè tradi queat, licet ſentienti clara ſit; adde quod in eâdem ægritudine, ut colicâ, odontalgiâ, dolor ſæpè à priori diverſus percipiatur, nec morbus genere diverſus ſit, licet gradu variet, ut omnibus eſt in conſeſſo.

Accidentia dolores ſaltem notabiles comitantia ex intellectâ dolorum theoriâ facilè cognoſcuntur, ſcilicet cur in atroci dolore vigilia, anorexia,

ſexia, anaphrodiſia, aſthenia, deinde macies, pallor, ſyncope, &c, ſuperveniant.

Cùm enim anima conſervationi corporis invigilet, ea debet ad partem dolentem continuò attendere, & nimis urgentes neceſſitates conſiderare, ſed ex acri attentione, vigilia acris exſurgit, omnis ſomnus arceri & phænomena ex pervigilio derivanda accidere debent.

Per ſomnum fit uberior fluidi nervei ſecretio, adeoque facultas motrix reſarcitur; deficiente itaque ſomno, deficit reparatio virium, unde languor & aſthenia omnium organorum & artuum.

Fluidum nerveum ex nervis extremis debet admiſceri ſuccis digeſtivis, eo verò deficiente ſucci digeſtivi ſunt vappidi, inertes, adeoque minùs apti ad digeſtionem & famem, inde anorexia. Uber eſt proventus fluidi nervei in organis generationis, eo itaque deficiente, viribuſque languentibus, nulla libido, ſeu datur anaphrodiſia; ut datur neglectus omnium voluptatum aſſuetarum, tabaci, caffé, indifferentia erga deambulationes, negotia, ludos; cordis viribus imminutis, ſanguis debiliùs fertur in vaſa, adeoque ultima & anguſtiſſima non penetrat per majuſcula tantùm provolutus, hinc pallor; denique cur macies ſuccedat ex defectu digeſtionis, ex virium penuriâ, ex fluidi nervei diſſipatione aſſiduâ, cuique evidens eſt.

Doloris nomine non intelligo tantùm eam vividam ſenſationem quæ à nervearum fibrarum diſtractione procedit, ut vulgò in Scholis intelligitur; ſed quidquid animam moleſtè afficit, angit, vexat, ex corporis diſpoſitione oriundum, unde à pathematis moralibus differt; ſic pruritum, anxietatem, frigus, ardorem doloribus accenſeo; ſic pro doloribus hepatis, lienis, habeo moleſtiam, gravitatis ſenſationem, quæ ex horum viſcerum infarctu ſæpè procedit; unde differt à mœrore, triſtitiâ merè patheticâ, veſaniarum comite, quæ à determinatæ partis vitio non pendet, ſed ab errore ſeu hallucinatione animæ, ut in melancholiâ, producitur.

Dura meninx, pleura coſtalis, perioſteum & aponeuroſes acutè ſentiunt; acutè etiam ſentiunt lingua, cutis, villoſa inteſtinorum tunica, nec non tracheæ bronchiorum: obſcurè verò ſentiunt pleura pulmonaris, mediaſtinum, pericardium, peritonæum quod viſcera abdominis obvolvit, muſculi, exceptis illis qui, ut in collo, nervis ſcatent; nullus ſenſus in textu cellulari, in peritonæo quod abdomen ſuccingit; ex his quænam ſint dolorum acutiorum ſedes in morbis intelligitur.

ORDO PRIMUS.

Dolores vagi.

SUNT ea morborum dolorificorum genera quæ artus diverſos affligunt; nec à determinatâ individuâ ſede, vel dextrâ vel ſiniſtrâ corporis parte characterem ſuum mutuantur.

Artûs nomine intelligimus brachia & crura, quæ ſunt organa præcipua motûs localis, adeoque ille ordo motûs hujuſce difficultatem vel impoſſibilitatem ſecum ſæpius importat, ſaltem in parte affectâ; atque cùm pedum, tibiarum & crurum ope corpus indigeat ut huc illucve transferatur, his artubus dolore tentatis, ille corporis totius motus vel difficilis vel impoſſibilis evadit, quod de artubus ſuperioribus non valet.

Morbi illi quatenus vel totius corporis motum localem impediunt, ut Arthritis, Rheumatiſmus, Iſchias, vel quatenus plurimas partes afficiunt aut ſimul aut ſucceſſivè, univerſalibus annumerantur, dùm cæterorum ordinum morbi peculiaribus accenſentur, ut colica, cephalalgia; verùm tamen particulares, ſi atroces ſint, ita vires labefactant ut totum corpus inde debilitetur, & ſæpè lecto addicatur.

Dolores vehementes vagi ſæpiùs initio pyrexiam accerſunt, ſed fugacem; unde differunt à phlegmaſiis membranoſis, ut Phrenitide, Pleuritide, Hepatitide; illi etiam qui cum pyrexiâ incipiunt, non à frigore & horrore ordiuntur, ſi catarrhum excipias; unde à febribus diſtingui poſſunt. Dolores quâ tales ſunt morbi, adeoque ſenſationis moleſtæ conſtantiâ, aut ejus intenſitate, vel extenſione ſe demonſtrant, nec ad hanc claſſem ideo referendi ſunt morbi aliarum claſſium, qui fugaci & ſymptomaticâ moleſtiâ quadam ſunt ſtipati; ſic in diarrhœâ, dyſenteriâ, teneſmo, eſt moleſtia dolorifica, ſed ob majorem evidentiam & conſtantiam fluxûs alvini, ea genera ad fluxus potiùs quàm ad dolores referuntur; ut pleuritis, peripneumonia ad phlegmaſias potiùs quàm ad dolores attinent. Ne tamen Philiatri in praxi hæreant, dum morbos obſervant qui ex utraque Claſſe, v. g. fluxûs & doloris aut etiam phlegmaſiæ participes videntur, ſpecies ambiguas ad utramque Claſſem referre malui, adeoque dicta repetere, quàm Philiatri inquiſitioni aut dubitationi opem ſæpè utilem recuſare.

I. ARTHRITIS; *La Goutte.*

Cognoſcitur ex ſpontaneo, vago, & periodico articulorum dolore.

Spontaneus eſt quatenus ſine principio evidenti ut plurimum accedit; ſi enim

ideò

ideò quis artubus doleat quia verberatus aut vulneratus eſt, non arthriticus dici poteſt.

Gutta dicitur ex abſurdâ veterum hypotheſi quâ ab humoris cujuſdam ſtillicidio in articulos facto eum dolorem oriri putabant.

Si genus confundatur cum arthritidis ſpecie vulgari quæ podagra dicitur, ut vulgò fit, periculoſi inde errores pronaſcentur, quod tamen fiet quamdiù vigebunt innata Medicorum mentibus præjudicia, quamdiu genera ab ſpeciebus non diſtinguent.

1. *Arthritis podagra ; Podalgia* Dioſcoridis ; *Podagra* Boerhaave Aph. 1244 ; *Goutte ordinaire ou régulière :* L. P. *Ægri Podagrici.* Chirac Conſult. 1.

Eſt Arthritis regularis ſimplex, ſive hæreditaria ſive adventitia, quæ adultos & ſenes ſæpius, rarò mulieres, eaſque ſeneſcentes tantùm, nunquam infantes aggreditur, atque pedis pollicem, mox talum cum rubore, tenſione diſcruciat ; ſub galli cantum dolor ſedatur, ſequenti die alterum pedem aggreſſurus, alias reverſurus, vere & autumno ſæpiùs recurrens.

Hujus hiſtoriam graphicè tradidit *Sydenham*, eam ad ſuæ vitæ terminum paſſus, qui notat plures ſapientes quàm fatuos, divites quàm pauperes, eâ affici, maximè verò eos qui maturè Baccho & Veneri litarunt, qui ex vitæ genere ſummè exercitato, pathematis vexato, in ſedentarium & tranquillum ſubitò tranſivere, qui voraces ſunt, nec ſatis cibos maſticant.

Notum eſt Arthritidis podagræ ſeminium eſſe materiam calcaream, eamdem quæ oſſium compoſitionem ingreditur, quæque è lympha cui ineſt ſecernitur intra cavum articuli, ibique tophos gypſeos inducit ; eadem etiam calculos in renibus podagricorum efformat : veroſimillimum eſt ex hiſtoria Diabetis 6ⁱ, Aſtheniæ 10æ, & Rachialgiæ 8æ, ab acido quodam diſſolvi calcaream baſim oſſium, unde filula in urinis natantia Arthritidem juxta *Doverum* deſignantia, eaque exalbida illa materies cretacea, in ſanguine diſſoluta, quandoque ad alias partes defertur : D. Baro du Bouchet, Velaunus, hydropota, venator & tamen podager, liberari conſuevit à paroxyſmis largâ exſpuitione pulveris arenuloſi granulati, duri, ad inſtar tartari ſub digitis crepitantis, qui etiam ex naribus multus emungitur ; unicus paxoxyſmus diutius ſolito eum divexabat, uſquequò D. Fontfrede Medicus ejus ſialagogis, & vaporibus ori naſoque appoſitis hanc retardatam arenarum excretionem revocavit, unde convaluit : vivit adhuc verò Nobilis ille vir nephralgiæ calculoſæ obnoxius.

Communis opinio *Sydenham* & *Boerhaave* eſt ab ſtomachi debilitate hunc morbum primitùs oriri ; indigeſtionis certè ſigna per ſeptimanas aliquot paroxyſmum antecedunt, licet ipſo pridie fames intenſior ſit ; dein per totum tempus quo paroxyſmuli concatenantur, fames languet cum alvo adſtrictâ, urinâ paucâ, coloratiore, aliquali rigore corporis juxta veſperam. Ille verò paroxyſmus initio, cùm nondum eſt inveterata podagra,

eſt brevior, magis inconſtans in periodo, deinde verò ſeneſcente podagrico dirior evadit, & typum certiorem affectat.

Diſcuſſo paroxyſmo pedis affecti pruritus, furfuraceaque deſquamatio ſuccedit, fames & bonus habitus redeunt; paroxyſmi eò remotiores ſunt, quò atrociores & è contra, atque in regulari hac ſpecie non ultra duos treſve menſes extenduntur, imò incipiente morbo multò breviores ſunt.

Ex hac ſpecie regulari licet dolores atroces oriantur, quos vel levis pavimenti motus exacerbat, quos ira continua ægri comitatur, cum febriculâ initio, interea nullum vitæ periculum infertur & vitalitatis longioris potiùs præſagium eſt quàm mortis principium, imò inter paroxyſmos ægri ſunt floridi, corpulenti, alacres, ad venerem & voluptates omnes proni: ſed ſi demum conſenuerit morbus aut imperitè tractatus fuerit, tum anomalus evadit & periculum involvit.

Curatio exigit non phlebotomiam ſaltem repetitam, quæ non niſi in paroxyſmi vigore apud adoleſcentes, ad ſedandum dolorem, poteſt adhiberi, non verò impunè pluries repeti; nec exigit iteratam catharſim, aſt tantummodò extra paroxyſmum leniſſimam catharſim ex mannâ & ſero lactis; nec demùm ſudorificis eſt utendum, licet in temperamentis frigidis ſæpiùs profecerint; ea omnia efficiunt ut ſequentes paroxyſmi ſint atrociores aut pertinaciores; imò quod pejus eſt, ut anomala evadat podagra. Scopus itaque Medici eò potiſſimùm ſpectet, ut vires ſtomachi roborentur, & ut humorum acrimonia & fervor temperetur, de quibus conſulatur *Sydenham*: Arthriticus præter offam, carnem aſſam & elixatam, abſtineat ab omnibus cibis; pro potu utatur aquâ fontanâ cum quintâ, &, ſi ſenex ſit, quartâ circiter parte vini veteris, potiſſimùm Hiſpanici; ab albis Gallicis & potiſſimùm immaturis abſtinens. Quotidie ſe exerceat vel ambulando vel equitando, vel ſaltem rhedâ utens; frigus, vigilias, animi contentiones, ſtudia à paſtu, veneremque fugiat, aut illâ moderatè utatur; ſtomachum theriacæ bolo, cùm opus eſt, roboret; frigus pedum, manuumque vitet; lectum maturè petat. Qui ſenes ſunt, ſi potu merè aqueo utantur, ſtomachi debilitatem incurrent, & pejus habebunt; juvenes bilioſi aquæ addicti pluries ſe ab arthritide liberarunt.

Qui juvenes ſunt & acrimoniâ humorum multâ laborant, diætâ lacteâ conſtantiſſimè adhibitâ ſæpè ſe ab Arthritide liberant.

Udones telâ ceratâ pedibus geſtati Arthritidem in pedes revocare apti ſunt; ſed ſi ſudor accedat, ab his eum reprimi periculum eſt.

Ptiſana ſudorifica cum diætâ tenuiſſimâ per triduum multos ab ingruente paroxyſmo liberat; *Vide* Ptiſanam apud *Helvetium.*

In paroxyſmo juvant victus tenuis, potus diluens leviter diaphoreticus, cataplaſma è micâ panis cum lacte & crocò; ſi dolor acrior ſit, laudanum horis nocturnis. Podagricum, quem negotia urgentia aliò advocabant, è paroxyſmo liberavit *D. Lazerme* tusâ venâ pedis affecti.

Ar-

Arthritidis varietates.

2. *Arthritis hiemalis.* L. P.

Ea eſt podagra quæ ferè per totum annum recurrit, exceptis tribus menſibus æſtivis, qualem deſcribit *Sydenham* eâ fortè affectus. Ea pituitoſis ſenibuſque frequentiùs inhæret, minori calore in paroxyſmo & pruritu extra paroxyſmum ſtipatur; in illâ conveniunt magis ſudorifica, ut ptiſana ex radice chinæ, ſalſæparillæ, ligno guaiaco, ſaſſafras; electuaria ſtomachica & antiſcorbutica ex calamo aromatico, angelicâ, kinkinâ, enulâ campanâ, extracto juniperi; nux moſchata, theriaca. Hæc eſt omnium frequentiſſima; dicitur *calida* cùm tumor partis dolentis eſt ruber, calidus, tenſus atque febriculâ ſtipatus, cruſtâ inflammatoriâ cruorem in patella tegente; *frigida*, ſi hæc abſint; ſed hæ ſunt meræ varietates, atque ſecundùm magis vel minùs differunt.

3. *Arthritis Rheumatica. Arthritis Rheumatiſmo ſuperveniens* Muſgrave cap. 2. *Goutte Rhumatiſmale* De Mezerey n. 396. P. L.

Ea ſpecies arthritidi frigidæ ferè ſimilis eſt; aſt non eſt primaria, ſed ſecundaria, id eſt, rheumatiſmo ſuccedit, qui rheumatiſmus tumores in muſculoſis partibus exerere conſuevit oviformes, nucis magnitudine ut plurimùm. Hæc ſpecies nunquam tophos in articulis generat, ut podagra, nec per periodos regulares revertitur, ſed ferè continuò leves paroxyſmulos identidem procreans, non ſolùm pedes, ſed nunc manus, nunc genua moleſtat. Epidemica fuit Moguntiæ anno 1757, *Strack Journ. de Med. Avril 1765.* pag. 350: tumentibus articulis hirudines admovendas ſuadet *Pringle.*

Cenſetur oriri à lentore & viſciditate lymphæ ex quâ ſimilis gelatinæ ſynovia in articulos amandatur. Paroxyſmi frequentiores ſunt autumno, & hieme à leviſſimo frigore redivivi, cum tumore partis dolentis ferè œdematoſo; manûs digiti ab hac ſpecie magis affecti torquentur, manus ipſa retroagitur. Ad vitæ terminum ſæpius affligit hic morbus; nullo cardiacorum abuſu, ut in calidâ arthritide, paroxyſmus ejus excitatur, & ſanguis in paroxyſmo extractus molli gelatinâ tegitur, ut in rheumatiſmo: tumores in ſuppurationem non vergunt.

Curatio exigit medicamina ſanguinem reſolventia; ſanguis autem & lympha, ſi fides eſt *Muſgravii* experimentis, ad alkalinum ita vergunt, ut ſyrupo violaceo virorem in hoc morbo concilient. In hunc finem tamen ſuadet Auctor non ſolum antiſcorbutica, ut armoraciam, cæpam, arum, cochleariam, ſyſimbrium, in quibus eſt alkalinum volatile, ſed etiam ſpiritum cornu cervi, urinæ, fuliginis, ſalis ammoniaci, qui fortiora ſunt ejuſdem ordinis alkalina. Advertit etiam repetitis emeticis quoſdam robuſtiores ſanatos fuiſſe, liquatâ per concuſſionem vomitionis lymphâ, ſed violenta hæc methodus paucis convenit. Oleum terebinthinæ intus ad guttas quatuor horâ ſomni deglutiendum, balſamum ſulphuris terebinthinatum artubus motu privatis bis in die ſuperillinendum præſcribit. Camphoram etiam intus, ex-

tuſve adhibendam cenſet; quæ juncturis ineſt gelatina per tenuem fiſtulam orificio facto immiſſam exſugi debet, ut in arthritide podagrâ vulgare jam & pervagatum eſſe putat; articulos dein vino uſtulato fovere & emplaſtro magiſtrali tegere oportet.

Mulier quadragenaria, ritè menſtruata, boni habitûs, initio hiemis per duos menſes laborabat arthritide rheumatica, ſeu dolore omnium articulationum extremarum, cum manuum, pedum, genuum tumore: nullum levamen ſenſerat à juſculis diluentibus, at ſumpto extracto hyoſcyami albi melius habuit intra ſeptimanam, doſis à grano uno ſenſim adaucta ad grana decem; ipſi tunc accidit pro ſolito more ſuffuſio *danaes* dicta; hoc ſolo remedio intra menſem convaluit.

4. *Arthritis æſtiva*, *Goutte chaude*. L. P.

Eam quam ipſe à decem annis experior deſcribam, quæ cùm per totam æſtatem me defatiget, & hieme omninò me liberum faciat, meritò æſtiva vel calida dicitur. Differt à regulari, quòd nullam periodum conſtantem ſervet, quodque ita mitis ſit, ut nunquam me domi detineat, & ſolummodò levem in progrediendo moram mihi injiciat; prima quidem ejus invaſio fuit acerbiſſima, ac autumno me per menſem lecto affixit; aſt deinde dolorem pedis, manûſque ſiniſtri lateris, raró cubiti, ferè continuum, inducit cum aliquali extra paroxyſmos debilitate & teneritudine, ſine tumore aut coloris mutatione: cùm primùm verna tempeſtas calorem revocat, doleo pedibus, manibuſve; dolor refrigerato aëre miteſcit, rurſùs ex calefactâ atmoſphærâ revertitur, calore æſtatis intenditur, hieme verò rigente nullus omninò eſt. Ille morbus partim hæreditarius eſt, partim ab acriori ſtudio excitatus. Pruritus acer in dorſo paroxyſmos fortiores ſequitur; qui priùs frigidulus eram potiſſimùm toto latere ſiniſtro, jam à novem annis multò minùs à frigore hiberno patior, ſeu frigus minus experior. Ut ut acris ſit materia hujus morbi quem calor aëris in motum agit, & à balneis domeſticis benè habeam, tamen lac & juſcula refrigerantia frequenter adhibere non ſinit vel ſtomachi debilitas, vel ætas ingraveſcens, nec à vino abſtinere mihi fas eſt, ne diarrhœa accedat; imò ſtomachica calida in uſum quandoque vocanda cenſeo: nihil juvit electriſatio.

5. *Arthricis Chlorotica* Muſgrave de Arthrit. ex Chloroſi, vel *arthritis alba* ejuſdem. L. P.

Ea eſt ſpecies quæ mulieribus, quarum parentes arthritici fuerunt, quæque catameniorum retentione aut chloroſi laborant, in ipſa juventute ſupervenit, nec non adultis ſterilibus raró aut parùm catamenia patientibus, corpulentis, ſedentariis, viraginibus voce gravi ſæpè etiam barbâ præditis, accidit.

Ea ſpecies ad frigidam ſeu hiemalem accedit, & in hoc altero caſu ætate provectas adoritur; atque licet moleſtam, tamen longiſſimam vitam ſpondet.

Curatio apud juvenes obtinetur per medicamina quæ catamenia revocant, ſcilicet martialia, boracem & ſimilia, multò verò melius ope matrimonii & partûs: ſi verò ſteriles ſunt, tunc emmenagoga tentanda ſunt; quæ ſi non ſuccedant, locum faciant catharticis quandiu catameniorum revocandorum ſpes eſt,

eſt, ea verò cathartica ſemel in menſe tantùm adhibenda : hac ætate prætergreſsâ in fonticulo, & decoctis amaris ſolamen inquirendum.

Idem dictum eſto de Arthritide aſcitem excipiente, in quâ catharſis ſæpius iterata convenit.

6. *Arthritis melancholica* Muſgravii Cap. 5. L. P.

Ea eſt quæ longo mœrore, ſtudio, ærumnis debilitatos, hypochondriaſi, hyſteriâ etiam vexatos, demum aggreditur, ita ut cum hac animi dejectione alternet, ea recedente accedat dolor, accedente verò recedat. Melancholiæ nomen hîc ab Auctore uſurpatur in plebeio ſignificatu pro triſtitiâ, non pro delirio, licet verè melancholici ab hac Arthritide non ſint immunes. Ea ſpecies eſt mitiſſima qualem meam deſcripſi. In paroxyſmo nil diverſum ab aliis exigit; ſed in prophylaxi operæ pretium eſt 1° alvum laxam ſervare; 2° coctionem inſtaurare : in hunc finem aquæ acidulæ ferrugineæ æſtate cum mannâ uſurpentur, infuſum theæ cum præparatis martialibus, ut limaturâ martis intra offæ cochlear; kinkina etiam parca doſi diù continuatum prodeſt, & pro potu decoctum ex radice chinæ, ſalſæparillæ, &c. Cavendum autem eſt ne nimia doſis limaturæ ferri paroxyſmos concitet, adeoque ea ad grana pauca uſurpetur.

7. *Arthritis Scorbutica* Muſgravii Cap. VI. Willis de Scorbuto C. 5. *Goutte volante.* L. P.

Eſt illa quæ ſcorbuto calido jam affectos aggreditur, podagræ genuinæ & calidæ ſimilis, ſed multò mitior, diuturniorque in paroxyſmis, ut plurimùm cum ſcabie, maculis lividis, gingivarum vitiis, pruritu acri, oſſium crepitu.

Ejus ſignum pathognomonicum ſunt filamenta viſcida, albicantia, urinæ innatantia, extus pellucida; Optimum hujus ſpeciei remedium eſt ſapo ſumptus à ſemiuncia ad drachmas ſex per plures ſeptimanas : *Clerk.*

In paroxyſmo, applicentur lenia attrahentia, ut ceratum viride, ex quo fiunt petaſothecæ : an tela cerata, vel folium braſſicæ ?

Extra paroxyſmum acrimonia ſanguinis emendetur, cui ſcopo hydrargyrum, ut calomelas, antiſcorbutica, cathartica, martialia, &c, ſuadet Auctor; cavendo tamen ne fluxus humoris ad pedes interpellatur.

Duo ægri ſexagenarii ſunt in Noſocomio generali, qui conqueruntur à ſex menſibus de dolore aſſiduo urente in interiori pedum, qui dolor nullo tumore ſtipatur, & noctu potiſſimùm eos diſcruciat, ita ut neuter ſomno indulgere valeat, nec leviſſima ſtragula præ calore ibi loci tolerare; ambo ſunt macilenti, luridi, cute obſcurâ, ferè flaveſcente, oculis tamen minimè flavis; alter edentulus eſt ferè, dentibus cæteris carioſis; alter verò gingivas habet molles, ſanguinolentas; uterque à ſex menſibus anorexiâ laborat, & ſimul diarrhœa. Solo laudano hactenus ſublevantur. Tibiæ alteri liveſcere cœperunt, & metatarſus rigeſcere, dein nigreſcere, cum ſummâ ſiccitate; nigredo & ſiccitas dein totum pedem & partem tibiæ utriuſque occupant.

Hic morbus à nemine ritè deſcriptus eſt, non tamen rarus; ejus ſymptomata

ptomata eſſentialia ſunt dolor calidus noctu exacerbans, adducens contracturam ſcorbuticam, pedumque nigredinem minimè gangrænoſam & ſtomacacen. *Vide Catochum ſcorbuticum.*

Conveniunt poſt levia cathartica ex rheo, opiatæ abſorbentes, juſcula ex millefolio, enulâ campanâ, dein lac; & ſi diarrhœa abſit, plantæ antiſcorbuticæ formâ juſculi, nec non amaræ, ſtomachicæ; in junioribus pediluvia emollientia, reſolventiaque quondam profuerunt.

8. *Arthritis ſyphilitica.* Muſgrave Cap. VII, *Arthritis paturſæ ſuccedens* ejuſdem; *venerea* Locheri; L. P.

Bis nuper eam obſervavi, & quidquid dicat *Muſgrave*, eruptionibus ſyphiliticis, ſcilicet rubedine, puſtuliſque, ſtipatam eam vidi, nunc in pedibus, nunc in manibus, cum doloribus verè arthriticis, noctu quidem magis excruciantibus: Illa ſpecies à gonorrhœa ſuppreſſâ ſæpiùs oritur, & hydrargyroſi ſolito more curatur; poſt longas tamen præparationes non ſolùm ſymptomata ſyphilitica, ut puſtulæ, rubores evaneſcunt, ſed etiam aliquando dolores arthritici omninò recedunt, quod factum vidi tamen non niſi pluribus poſt hydrargyroſim menſibus; ſi tamen ſyphilis acceſſerit arthritidi primariæ, dubito utrum dolorum arthriticorum ſanatio ſuccedat. Salivationem, quam laudat *Muſgrave*, nec mercurium dulcem adhibui. Suffitus in Italiâ priùs adhibiti morbum in altero ægro per aliquod tempus ſuppreſſerant. Si hæc arthritis negligatur, ea in apoplexiam ducit ſæpiùs quàm aliæ docente *Muſgrave.* Senes tantùm hoc morbo affectos vidi.

Magna doſis mercurii dulcis data veſpere pridie catharſeos eſt remedium à *Riverio* & *Pringle* laudatum in hac ſpecie; aſt litus mercurialis præſtat cæteris remediis. Vidi hanc ſpeciem cum magno genuum tumore ac dolore, quem preſſio non intendit. Spiritus antivenereus in quibuſdam ſub initio hos dolores intendit, dein verò mitigat.

In doloribus arthriticis Americani radices napi raſpatas ad digiti craſſitiem parti dolenti applicant; nos utimur pediluvio ex decocto chamæpityos, aut florum ſambuci in lacte: ſunt qui folia braſſicæ tepida admovent. In arthritide rheumatica laudant quidam pulverem ex anaticis partibus radicum ariſtolochiæ rotundæ, gentianæ, foliorum chamædryos, chamæpityos & centaurii minoris, doſis drachma una in infuſo theiformi per tres menſes, dein ſucceſſivè minuenda. *Journ. de Med. Juill. 1757.*

9. *Arthritis aſthmatica* Muſgrave Cap. VIII. L. P.

Ea eſt quæ adjungitur aſthmati pituitoſo, circa quinquageſimum ætatis annum non prius: ea ſat mitis eſt ſine nodis, hieme ſilet, ſeu eſt æſtiva, à catharticis draſticis exaſperatur, aut revertitur.

Illa arthritis ſublevat aſthma, & aſthmaticis utilis eſt; adeoque ſi deficiat, recedatve, eſt revocanda per ceratum viride, vel aliud leve epiſpaſticum. Extra paroxyſmum leves catharſes præmittantur, dein decocta amara, martialia & bechica uſurpentur.

10. *Arthritis febriſequa. Arthritis febri vel continuæ, vel eryſipelatoſa, inter mittenti quartanæ ſuccedens* Muſgrave Cap. IX. L. P.

De

De hac utpote rariori conſulatur Auctor.

Febriſequam voco, quia febrem ſequitur, ut pediſequa.

a. *Arthritis febricoſa* Werlhof. Obſ. de Febrib. pag. 55. Cockburn de Morbis Navigantium, Obſ. 19. A: P.

Eſt arthritis vaga ſeu rheumatiſmus arthriticus, cum febre remittente, tetartophya duplici in caſu Auctoris, à viru febrili dependens.

Præmiſſis generalibus, obſervato per tres hebdomadas typo, *D. Werlhof* in remiſſione præſcribit kinkinam cum pulvere lumbricorum terreſtrium, & jubet continuari poſt profligatam febrem, additâ ari radice in infuſo vinoſo. Evanuit inde perpetuò & febris & arthritis; catamenia huic ægræ redierunt cum fame; ceſſavit vomitus, debilitas, &c.

11. *Arthritis rachialgica. Arthritis à colica* Muſgravii Cap. X. Journal de Med. Avr. 1765 p. 328. C. L. P.

Eſt illa ſpecies quæ ſupervenit rachialgiæ apud Damnonios familiari ob uſum pomacei immitis, & acidi, ut *Muſgravius* & nuper *Huxhamius* oculati teſtes fidem faciunt; ea arthritidi podagræ omninò ſimilis eſt, & eamdem in paroxyſmo curam expoſtulat; in prophylaxi ſtomachica & cardiaca, aquæ thermales ſulphureæ, lenia identidem eccoprotica ſuadentur.

12. *Arthritis exanthematica; Arthritis morbis cuticularibus ſubjecta.* Muſgrave Cap. XI. L. P.

Ea eſt quæ cutaneis morbis exanthematicis tum acutis, ut miliari, eryſipelati; tum chronicis, ut cruſtis herpeticis, ulceroſis, hæmorrhoidalibus, mariſcis, ſupervenit, de quâ conſulatur Auctor.

Arthritidis omnis ſignum ſtatuit *Doverus* fibrillas quaſdam in urinâ natantes, quas in urinâ aliquot arthriticorum quæſivi, videre non potui.

13. *Arthritis rachitica.* Vide Duverney, Malad. des os, tom. 2 du Rachitis, Obſerv. 1 pag. 296. ex D. Saviard. C. P.

Eſt ſpecies in quâ dolent omnia ferè oſſa & facillimè ex attactu franguntur, ſine febre, cum ſymptomatis Rachitidis.

Mulier triginta annos nata, à quatuor menſibus dolores in toto corpore atroces patiebatur ſine febre; ingreſſa Noſocomium gradi & aliquot motus ſatis liberè exercere poterat; ad minimum corporis attactum dolor recrudeſcebat, dein lecto addicta poſt tres menſes omnium oſſium fracturas experta eſt, unde dolores intendebantur; poſtquam decem menſes ſic undique fracturas paſſa vixiſſet, demum obiit. Inventa ſunt oſſa femorum tenerrima fracta & ita fragilia, ut digitis preſſa fatiſcerent, uti cortex arboris putridus, in minima fragmenta, plena erant medulla rubeſcente; oſſa cranii ſub digito deprimebantur; carnes erant albidæ, molles; cartilagines & articuli, viſceraque omnia benè ſe habebant.

14. *Arthritis Americana. Le Pian.* C. P.

Eſt morbus doloribus arthriticis chronicis primùm divexans, quibus deinde ſuperveniunt tumores avellanæ magnitudine, cruſtoſi, ulcera phage-

gedænica, caries oſſium, & tandem pedum, manuumque rhagades, ex quibus fungoſæ excreſcentiæ progerminant, *frambeſia* dictæ. Huic morbo fruſtrà opponuntur medicamenta ex hydrargyro deſumpta; ſola conveniunt ſudorifica ex decocto ſalſæparillæ, chinæ, &c. *De Frambeſia vide Claſſ. X.*

15. *Arthritis Bahamenſis*, Philoſ. Tranſ. N. 114 Art. V. *B.*

Piſces ſunt in *Inſulæ Bahamæ* circuitu, quorum uſus excitat atroces articulorum dolores, qui poſt aliquod tempus terminantur pruritu triduano.

II. Ostocopus, Gorræi Definit. *Dolor oſſium. Douleur des os.*

Eſt dolor conſtans & notabilis oſſium à perioſteo interno potiſſimum affecto, preſſione non exacerbans.

Differt ab arthritide quòd non per periodos recurrat, & quòd preſſione non augeatur, prætereaque non ſolis epiphyſibus inſideat. Dictus fuit ab *oſteon* os, & *copos* dolor.

1. *Oſtocopus ab arthrocace; Teredon* Græcis; *Spina ventoſa* Rhaſes; Freind hiſtor. medic. anno 900. pag. 102, Petit malad. des os, de l'exoſtôſe, Chap. 16; *Epine venteuſe.* C.

Dolor eſt profundus in oſſibus tubuloſis, ut tibiâ, peronæo, femore, à medullæ & perioſtei interni roſione oriundus, cum oſſis ipſius intumeſcentiâ ſeu exoſtoſi. *Vide* diverſas ſpecies *exoſtoſeos claſſ. 1. ord. 5.* Inter eas cancroſa & ſyphilitica dolores atrociores excitant, oſſis medullam corrumpunt, & carie laminas internas afficiunt, ſimulque vel deinceps intumeſcit perioſteum externum, atque dolet quandiu intumeſcit; cùm exoſtoſis externa non ampliùs creſcit, illa quidem extus non dolet & os poteſt contrectari ſine dolore; verùm oſtocopus remanet cum dolore interno. Indicatio eſt ut terebretur os, quod primus *Argillata* executus eſt circa medium decimi quinti ſæculi: variis in locis, potiſſimùm in parte imâ, perterebratur ope malleoli plumbei & ſcalpri. Cavitas detegenda, ut caries detergi poſſit, ope ferri candentis & aliorum in carie uſitatorum.

Si ſpina ventoſa ſit ſyphilitica, & hydrargyroſis decenter adminiſtrata fuerit, ſupereſt operatio jam indicata. *Vide Petit de l'exoſtoſe. Heiſter. diſſert. de tumoribus oſſium.*

2. *Oſtocopus à pædarthrocace. Pædarthrocace* Severini de abſcondita abſceſſuum naturâ. C.

Differt pædarthrocace ab ſpinâ ventoſâ quòd dolor & tumor in ſpinâ ventoſâ à medio oſſe initium ducat, in pædarthrocace apophyſes afficiat, dolorque in iſto ſit initio mitior vel nullus, dein creſcat, vel accedat; adde quod pædarthrocace pueris ſit familiaris, adeoque ad rachitidem accedat, aut ad exoſtoſim, tum ſcrophuloſam, tum varioloſam. *Petit de l'exoſtoſe.*

Quid per oſtocopum vel oſteocopum ſibi velint Græci, non evidens eſt,

eſt, niſi tantum laſſitudinis gradum intelligant, ut docet *Gorræus.* Qui ſic laborant ne minimum quidem motum ſuſtinent, ſed omnem formidant; ſentiunt autem in tendinibus circa oſſa manifeſtum calorem unà cum morſu & tenſione, vitioſo humore in totam corporis molem largè effuſo.

3. *Oſtocopus Cancroſus* : *Clavus.* C.

Mulier quæ in mamma dextra gerebat carcinoma capitis magnitudine, quæque ab hydrargyroſi, ſine ſyphilidis ſuſpicione, adhibitâ ſublevata fuerat, ita ut carcinoma ad pugni magnitudinem rediiſſet, in decurſu morbi horrendo in medio dextri humeri dolore diſcruciata eſt, à preſſione non mutabili, pertinaciſſimo, in uno fere puncto perterebrante; poſt aliquot menſes utroque morbo conſumpta periit: diſſecto brachio inventum eſt in puncto doloris perioſteum ab oſſe humeri pauliſper ſemotum, cum aquæ guttula, nil ultra. Num ichor cancroſus huc delatus partem eroſit? Num medulla oſſis laborabat? Hoc verò exemplum, licet rarum, non eſt unicum. Videtur hic affectus analogus paronychiæ perioſtei, & ratione doloris etiam malidi furiali, hemicraniæ clavo, & crampo, niſi iſte ultimus fugax eſſet. In hiſce caſibus ſcalpellus foret ad os uſque adigendus, ut in triſmo dolorifico fieri diximus.

4. *Oſtocopus à gummatis* Heiſter. Diſſert. de Oſſium tumoribus, 1740. C.

Gummata ſunt tumores tuberoſi, inæquales, oſſibus faciei & capitis potiſſimum ſupervenientes in ſyphilide veteri, qui conſiſtentiam tophaceam friabilem obtinent: *Tophi* etiam vocantur, aliis etiam *nodi*, qui quidem initio nullum dolorem creant, ſed in tertio gradu oſſa ſubjecta afficiunt, & dolores quandoque acerbos excitant.

Cura exigit 1°. remedia generalia, ut phlebotomiam apud adultos, catharſim ex jalappa & mercurio dulci apud pueros. 2°. Sanguis corrigitur decoctis ſudorificis ex bardanæ, chinæ, ſalſæparillæ, pimpinellæ albæ radicibus; ex lignis ſaſſafras, guaiaco, junipero; ex uſu mercurii dulcis, panaceæ, æthiopis mineralis exiguâ doſi ſæpè repetitis. 3°. Cùm hæc gummata ſuppurata ſunt, citiſſimè ea aperienda ſunt uſque ad os, quod ferè ſemper invenitur corroſum uſque ad meninges. 4°. Pure ejecto, linamentis carptis tegitur vulnus, & finitur puris effluxus per aliquot dies. 5°. Dein oſſa expurgantur ope eſſentiæ ſuccini & myrrhæ, quæ cum tincturâ euphorbii, & pauxillo unguenti digeſtivi admiſcentur, ſemota per volſellam parte oſſis teredinoſa; & ſic quotidiè ſemel, imò æſtate bis deligando ulcus, intra aliquot menſes novus callus, nova caro ſuccreſcit, ſed cicatrix concava ſemper remanet. Æger interea lacte, balneis, & veſpere narcoticis utitur.

5. *Oſtocopus ſyphiliticus* Aſtrucii, lib. 4. cap. 11. de Morbis venereis; ubi vide hiſtoriam & curam. C. P.

Hic dolor juxta illuſtriſſimum Profeſſorem pendet à medullâ oſſis ſuppuraſcente, putreſcente, unde evidens eſt nullam exſpectari poſſe medelam, niſi oſſe perterebrato, ulcus illud expurgetur, quod rarò perfici

 poteſt.

poteſt. Oſteocopus autem ille non ſolùm eludit hydrargyroſim, ſed etiam ſæpiùs illam ſequitur, cum partis dolentis, ut tibiæ, humeri exoſtoſibus.

6. *Oſtocopus ſcorbuticus* Lind. de Scorbuto. C.

Eſt dolor oſſium ipſorum atrox, cum crepitu, carie, eroſione; coſtæ inter reſpirandum quandoque crepitant, & poſt mortem pars oſſea à cartilagineâ ſeparata eſt, ut in articulis apophyſes ab oſſium corpore diſtinguantur; coſtæ expreſſæ fundunt cruorem atrum; loco ſynoviæ in articulis adeſt humor virideſcens. Hæc obſervavit *Lind* in veteri ſcorbuto. *Vide Arthritidem ſcorbuticam.*

Lind omnibus Medicis in eo refragatur quòd contendat dolores ſcorbuticos non eſſe noctu diriores quàm interdiù.

7. *Oſtocopus ab oſteocoſarcoſi* Tranſ. Philoſ. N. 470 à Sylvano Bevan.

Dolores ſunt atroces, qui cum diabete incipiunt & perſeverant, in ſcapulis, dorſo, artubus, comitantibus hecticâ & anorexiâ. Oſſa dorſi omnia, potiſſimùm ubi duriora fuerant, remolleſcunt; medulla rubella, plena, membranacea, in apophyſibus adhuc firma: hic morbus ab acido calcaream oſſium materiem diſſolvente pendere videtur, & uſum aquæ calcis, huic acido infringendo aptæ, ſuadere videtur, quæ aqua in diabete Anglico plurimùm valet.

III. Rheumatismus; *Rhumatiſme, fourbure, courbature.*

Eſt diuturnus muſculorum, in artubus potiſſimum, dolor, ſine coryzâ, raucedine ac rheumate.

Differt ab *Arthritide* & *oſteocopo* ratione ſitûs doloris in partibus carnoſis, non in articulis & oſſibus ipſis. A *catarrho* & *laſſitudine* febrili, ratione diuturnitatis quæ ad plures menſes & annos extenditur, (ſolo acuto excepto) nec non quia catarrhus incipit à coryzâ, raucedine, &c. A *cephalalgiâ*, *pleurodyne*, *iſchiade*, *lumbagine*, &c. quod rheumatiſmus brachia, crura, nunc illa nunc iſta vagè afficiat, non verò determinatis locis inhæreat, aut ſimul huc illucve excurrat, unde etiam differt à phlegmaſiis dolorificis, ut pleuritide, phrenitide, &c. A *rachialgiâ*, *hepatalgiâ*, *nephralgiâ* diſcriminatur ſignis horum generum propriis.

Hoc genus militat quandoque inter phlegmaſias, ratione febris acutæ, cruſtæ inflammatoriæ ſanguinis, & fortè in duo genera rectiùs divideretur, unum acutum, alterum chronicum.

Genus rheumatiſmi eſt modernum; hoc nomine *Cælius Aurelianus* diarrhœam, *Riverius* arthritidem vagam intellexere; ægri vocantur *rheumatici*, aut rectiùs *rheumatiſmales*, metu confuſionis rheumatiſmi cum rheumate.

Frederic. Hoffmannus rheumatiſmi nomine complectitur plura genera, ut odontalgiam & otalgiam; quidni colicam & omnes dolores, quod ab uſu & rectâ logicâ recedere eſt.

1. *Rheumatiſmus acutus; Rheumatiſmus* Sydenhami cap. 5 ſect. 6; *Arthritis vaga* quorumdam; *Rhumatiſme chaud.* A.

Eſt

Eſt illa ſpecies quæ febre continuâ acutâ, ſcilicet ſynocho, ſtipatur, deinde apyreta evadit.

Differt à febricoſo, qui intermittenti febri, ejuſque veneno debetur, ac ope kinkinæ curatur.

Incipit à frigore & horrore, dein calor & pyrexia ſuccedunt cum doloribus noctu, diuque diſcruciantibus, in diverſis muſculis artuum & trunci, motum impedientibus; accedit ſudor, qui quandoque uberrimus & conſtans eſt; à levi artuum denudatione dolor recrudeſcit. Febris tamen eſt immunis à putredine, lingua eſt nitida, nullus ructus, nulla cardialgia, ſanguis in patellâ eſt tectus gelatinâ albâ, ſubpellucidâ, craſſâ, molli, unde à pleuriticâ differt, quæ denſa, firmaque eſt. Poſt duas circiter hebdomades, iteratis pluries phlebotomiis & potu diluente, febris evaneſcit, tunc lenia adhibentur cathartica, juſcula refrigerantia, cremores uſurpantur, & reſidui dolores ope lactis tandem evaneſcunt.

Hic morbus ſub finem autumni adoleſcentes lautè viventes, exercitatos, bilioſos, plethoricós adoritur.

Prognoſis ſatis tuta eſt, niſi quod malè tractatus hic morbus in rheumatiſmum apyretum chronicum degenerat.

Hæc ſpecies eſt verè inflammatoria; ſudores, ſi parci ſint, ptiſanâ calidâ de cichorio, capillis veneris promovendi ſunt; ſi uberiores, ptiſanâ refrigerante ut aquâ, & cremoribus oryzæ temperandi; quotidie, ſi ſudor ceſſet, è lecto ſurgendum, aut in eo ſedendum, ut ardor ventiletur; parcè utendum narcoticis, quæ materiam morbificam figunt ſeu ſanationem retardant; phlebotomiæ ſæpiùs quinque aut plures in noſtrâ regione deſiderantur, intra ſeptem primos dies inſtituendæ. Hæc ſunt præcipua hujus ſpeciei remedia.

Ante *Sydenham* hujus ſpeciei hiſtoria diſtincta nulla erat.

2. *Rheumatiſmus vulgaris; Dolores rheumatiſmales* vulgò; *Rhumatiſme ſimple chronique.* L.

Illa eſt ſpecies quæ per intervalla recurrit ſine febre, ſine ſudore, & valdè affinis eſt doloribus catarrhalibus, niſi quod ſigna catarrhi cætera deſint. Illa ſpecies à ſanguinis & lymphæ viſcoſitate aut ſpiſſitudine pendere creditur, & quoniam hieme magis vexat, atque diaphoreticis curatur, ideò dicitur vulgo rheumatiſmus frigidus, ſeu à cauſa frigidâ. In hac ſpecie quandoque tumores molles cuti concolores, vel parum rubri in diverſis partibus ſoboleſcunt, extantes, hæmiſphærici, nucis magnitudine, potiſſimum apud plethoricos, & mulieres non menſtruatas; nulla febris adeſt, aut levis & fugax, cruor tamen gelatinâ pellucidâ albeſcente in patellâ tegitur.

Curatur in paroxyſmis repetitâ phlebotomiâ, parciùs tamen quàm in acuto, niſi methodum ab *illuſtr. Medico Settenſi D. Uffroy* adhibere placeat. Potus diaphoreticus, ex decocto ſcabioſæ, infuſo capillorum veneris, uſurpandus ad ſudores movendos: frigus omnino vitandum; narcorica veſpere adhibenda.

In prophylaxi ſeu dolorum intervallis, induſium laneum (flanelle) cuti immediatè applicatum geſtetur, aqua calida ſit potus ordinarius ſaltem hieme, juſcula viperina & ex cancris fluviatilibus; dein inſtitutâ catharſi, lac vaccinum aut caprillum, decocto lignorum ſudoriferorum, ut buxi, guaiaci, chinæ alteratum, per menſem uſurpetur: in temperamentis frigidis ammochaſia menſibus calidiſſimis, thermæ Balerucanæ menſe Maio aut Octobri ſub formâ potûs, balnei, ſtuphæ, luti in uſum advocentur; & quod ſæpe miros effectus præſtat, electriſatio quotidiè per horæ quadrantem repetatur per dies quindecim, ſi tempeſtas frigida, & ſicca fuerit, additis ſcintillarum extractionibus ex collo & partibus affectis, nec non aliquot fulminationibus. *Vide Acta Acad. Suecicæ.*

3. *Rheumatiſmus arthriticus*; *Rheumatiſmus* Riverii; *Rheumatiſme goutteux; Goutte vague.* L.

Ille eſt qui & articulos & paſſim partes carneas afficit ita conſtanter ut ad rheumatiſmum ſimul & arthritidem ferè æqualiter inclinet, qui proinde utriusque morbi curam exigit. Is morbus accedit quandoque poſt arthritidem vagam, & hoc præludium more morbi acuti ægrum lecto per menſem affigit cum pyrexiâ, dolore articulos & pedes, genua, nec non caput, thoracem, lumbos & artus ſimul vel ſeorſim infeſtante; aliàs ille morbus eſt chronicus, vagus, apyretus, nunc has, nunc illas partes aggrediens, perſpiratione potiſſimum ſuppreſſâ; maciem inducit, digitos immobiles facit, & ſubrigidos; ſublevatur ptiſanis leviter diaphoreticis ex guaiaco, chinâ, necnon lacticiniis & thermis ſulphureis, ut Baregianis, Lamalou, de Rennes juxta Aleth, de Bagnaul juxta Mimatem, de St. Laurent apud Helvios, &c.

4. *Rheumatiſmus ſcorbuticus* Frider. Hoffmanni de Rheum.; Lind de ſcorbuto 1 vol. pag. 375. *Rheumatiſmus cruralis* Ettmulleri pag. 446. Willis de ſcorb. cap. 5. L.

Eſt vel *comes* vel *pediſequus* ſcorbuti.

In *comite* dolores non magis noctu quam interdiu ſæviunt; ſæpe mutant locum, in lumbis, articulis, tibiis, potiſſimùm cùm intumuere tibiæ pectus lancinant, cum dyſpnœâ à levi exercitio creſcente; adeſt laſſitudo univerſalis, abdominis tenſio & tumor, facies pallida & œdematoſa, pigrities, torpor, odontalgia, maxillarum dolor.

Pediſequus eſt, qui ſanato ſcorbuto accedit; eſt etiam arthriticus, chronicus, cum dolore & ſtupore articulorum; creſcit uterque à motu locali, abit uterque in contracturam, uterque maculis tibiarum eſt inſignitus, præter oris vitia.

In utraque ſpecie præter generalia remedia, ut juſcula antiſcorbutica, lacticinia, conveniunt equitatio & epithemata ex ſpiritu vini, aceto, & camphoræ pauxillo, quæ partibus dolentibus & maculoſis applicanda: item decoctum ex ſedo acri extus admovetur, & ſi duplo cereviſiæ miſceatur intùs ſumi debet ad uncias tres quovis mane. Hoc remedium quandoque emeticum evadit & tunc citius juvat.

In

In hoc morbo phlebotomia eſt pernicioſa.

Si dolor unam vel alteram partem afficiat, juvant fotus ex lixivio cinerum vulgarium, incoctis ſimul chamæmeli, ſambuci floribus, abſinthii, rutæ foliis & corticibus limonum.

Veſicatoria pernicioſa ſunt & gangrænam accerſunt. Cochlear ſeminum ſinapis ſemel in die deglutiendum. Sudores promovendi, & juxta *Lind* hydrargyroſis ſubeunda, quod ego nunquam ſuaſerim.

Vide lumbaginem & pleurodynem ſcorbuticam.

5. *Rheumatiſmus calidus*; L. *A lymphâ ſpiſſâ & acri* Jac. Lazerme curat. de morbis cutaneis; inter quos rheumatiſmum malè collocat vir aliunde meritiſſimus.

Hæc ſpecies à ſcorbuticâ differt defectu vitiorum oris & macularum cutis, cum eâ convenit ratione acrimoniæ ſanguinis: differt ab acuto ex eo quòd chronicus ſit & ſine febre; ſiccitate, caliditate, macie, temperamento bilioſo, calido & ſicco ægrorum cognoſcitur; juvatur lacticiniis, juſculis diureticis ex cichorio, ſyſimbrio, veronica, beccabungâ, aquis acidulis calidè aſſumptis, balneis domeſticis, necnon ſulphureis ut *Lamalou*, *Bagnaul*; irritatur ſalinis, ut Balerucanis; in contracturam facilè vergit & ad arthriticum accedit. In hoc ſtuphæ domeſticæ ex aquâ vulgari hieme proſunt. Itali in ſimili morbo partes affectas æſtate glacie ipſa confricant ſæpe cum ſucceſſu.

Cyrillus in conſultatione medicâ 21. Centur. 3 hanc ſpeciem à ſcabie repreſſâ ortam curat juſculis *Septalii* cum lignis ſudorificis, viperis, plantis diureticis, addito marte intra nodulum ſuſpenſo, ſuadet etiam catharſes præmittendas & aëris mutationem. *Vide* etiam ejuſd. *centur. obſ. 51:* In utroque morbo dyſpnœa comes erat.

6. *Rheumatiſmus equinus* Bourgelat Encycloped. *la Fourbure.* Equi affecti dicuntur *Fourbus.*

Signa & curam vide loco citato & apud *Soleyſel.*

7. *Rheumatiſmus hyſtericus. Dolores hyſterici* Sydenhami differt. de paſſione hyſterica.

Eſt dolor diverſarum partium ut capitis, ſcrobiculi cordis, dorſi, coxendicum, extremorum, cui obnoxiæ hyſtericæ; dolor ille, ait *Sydenham*, internas, & nonnunquam etiam exteriores partes occupat, carneſque muſculoſas, ut maxillas, humeros, manus, crura, tibias, nunc cum tumore, nunc ſine tumore, in quo genere is qui tibias diſtendit tumor præ reliquis conſpicuus eſt. Inter omnia hujus morbi tormenta nullum ſe tam crebro ingerit quàm dolor in dorſo, quod certò certiùs perſentiſcunt quotquot vel leviſſimè hoc affectu tanguntur; quin imò id habent commune dolores prædicti, quod illa cui inhæſerant regio, etiam poſt eorum diſceſſum, tenera ſit, & quaſi fuſtibus probè dedolata tactum refugiat, quæ quidem teneritudo ſenſim evaneſcit: Curatur lacticiniis.

Morbus, apud Suecos raro obvius, quem *Dievaren*, necnon *Lauſendovaren* *Schenckius* nominaſſe videtur, quem *Bartholinus Act. Haffn. T. II n. 118*,

Illuſtris

Illuſtris etiam *Linnæus volaticam* appellant. Dolor ille atrox diverſas idem tidem partes, veſpere potiſſimùm diſcruciat, ſemi-horâ ad ſummum in eodem loco permanens, è tibiis ad ulnas, ad femur, ad brachium, relictâ priori ſede, momento citiùs ſe transferens, ſine ullo ſigno externo, ſi aſcaridum exitum è parte affectâ, à *Schenckio* memoratum, excipias: æger præ dolore clamitat, mortem aut Dei opem implorat, ac intra aliquot horas ſanus eſt, niſi tamen dolor ad abdomen deveniat, tunc enim pertinacior eſt, abdomen tenditur, palpitatio, anxietas, aphonia accedunt, obſervante *Ill. Linnæo*. Affinem morbum vide apud *Freind Hiſtor. Med.* in vita Albucaſis.

8. *Rheumatiſmus ſaltatorius* Cardani lib. 3 de Venenis; *Flatuoſus* qui *nakir* Albucaſis; *Spaſmus flatulentus* Plateri pag. 277; *Rheumatiſmus verminoſus*. Vide D. Tiſſot Avis au Peuple, du Rheumatiſme Chap. XI.

Apud Helvetios infantes obnoxii ſunt doloribus adeò violentis & univerſalibus, ut, ubivis tangantur, clamores edant vehementes; cave ne decipiaris hunc morbum pro vulgari rheumatiſmo curans; pendet aliquando à vermibus ſeu lumbricis, quibus rejectis, ægri convaleſcunt. Hæc *illuſtr. Tiſſot.*

a *Rheumatiſmus verminoſus*, D. Marteau de Grandvilliers Journ. de Med. Juill. 1765 pag. 37 Obſ. 5. Tiſſot Avis au Peuple: Du Rhumatiſme Chap. XI n. 165. A.

Puella, vermibus obnoxia, laborabat febricula, cephalalgia, ſtupore dolorifico omnium artuum; alternans rubedo alterutrius genæ vermes arguebat; indicabantur cathartica, ſed dolor abdominis ejuſque tenſio, ſine tumore tamen, tanta erat, ut ne ſummis digitis tangi pateretur; fruſtrà phlebotomiæ, oleoſa, clyſmata, emollientia adhibebantur; ſenſibilitas abdominis evaſit univerſalis, maximè verò affecit totum abdomen, pedes, verticem; nulla pars ſine dolore tangi poterat, omnes dolores ad tumorem cuti concolorem in regione iliaca dextra, tanquam ad centrum, vergebant: à motu vel tactu corporis tantùm dolebat ægrotans: adhibitis in caſſum remediis, etiam anthelminticis, poſt decem dies carotica evaſit, pupilla immobili ut & palpebris; artus flexibiles, reſpiratio pacata, color, pulſus, facies ut in ſtatu ſano, ſed ſomnus profundiſſimus; hic carus fugax, fumo tabaci in nares immiſſo diſcuſſus, iterum per aliquot dies revertebatur; demùm clyſmata è lacte & vermifuga ſucceſſivè quadraginta quatuor lumbricos, quorum tres rubri erant, foras ejecerunt: horum fortè glomus in regione iliaca tumorem memoratum excitaverat: & ſic ægra convaluit.

9. *Rheumatiſmus febricoſus* Mortoni, cap. 9. hiſtor. 22; *Febris intermittens rheumatiſmum ſimulans*, ſeu *Febris rheumatica* ejuſdem hiſtor. 12. pag. 84. hiſtor. 10. ad 14. Ill. S... de recondita febrium natura. A. P.

Cognoſcitur hæc ſpecies 1° quòd urinæ ſint lateritiæ: 2° quòd per intervalla cum frigore accedant dolores ſingulis alterniſve diebus, & remittantur: 3° ex pulſu etiam, niſi doloris intenſitas eum deprimat: 4° ex prægreſſis acceſſibus.

Cura *Mortoni* in vehementi paroxyſmo, ubi deliquium animi imminebat, fuit

fuit 1° phlebotomia larga: 2° poſt ſex horas vomitorium: 3° kinkina cum laudano. Ab emetico dolores rheumatiſmi ſedari pluries expertus eſt *Mortonus.*

Quartanæ chronicæ non rarò ſuccedit rheumatiſmus, ut obſervavit *Ballonius Lib. de Rheumatiſmo*, & dein *Frid. Hoffmannus.* Sed ea ſpecies ad rheumatiſmum ſcorbuticum accedit.

10. *Rheumatiſmus metallicus* D. Doazan, Doct. Med. Monſpel. L.

Eſt illa ſpecies quæ pictoribus, figulis, deauratoribus, colorum trituratoribus, calceorum femineorum fabris, talos ſcilicet colorantibus, plumbi laminatoribus, fuſoribus, vini lithargyrio edulcorati potatoribus, &c, accidit, ſine prævia abdominis rachialgiâ. Incipit illa ſpecies à manuum & brachiorum ſtupore, formicatione, digitorum contractione, linguâ albidâ, mucoſâ, ſine pulſûs frequentia: Exacerbatur phlebotomiis iteratis, emollientibus, intùs vel extùs uſurpatis; miteſcit ab emeticis, draſticis; aſt ſequenti die abit in dolores lancinantes, rodentes, contundentes, crurum, genuum, tibiarum, pedum, quibus miserè torquentur & ejulant ægrotantes; ſed alternis diebus purgati, interpoſitis clyſmatis ex vino & oleo, nec non veſpere narcoticis ex laudano & bolo theriacæ, intra decem aut duodecim dies convaleſcunt omnes ferè. Hæc ſpecies rarior eſt rachialgiâ inteſtinali.

Hæc obſervavit in Noſocomio Charitatis Pariſinæ egregius Burdigalenſis Medicus ſupra laudatus, atque aſſerit dolores lancinantes, atroces artuum inferiorum, niſi adhibeantur mochlica, certiùs adventuros, cum ſuperiorum paralyſi, & difficiliùs expugnatum iri, ſi methodus edulcorans adhibita fuerit.

Curatio Lobbiana rheumatiſmi acuti, ſeu *Febris rheumaticæ Theoph. Lobb Tract. Pract. cap. 9. T. 2.*

D. Witham 55 annos nata 1° Junii querebatur de magnis doloribus in toto corpore, oculi velut inflammati, identidem delirium, reſpiratio prompta & brevis, ſitis urgens, tuſſis importuna, pulſus velox, ſatis fortis, cutis fervida: Die 2ª acceſitus *Lobbius* nullam phlebotomiam præſcripſit, hujus verò loco bolum attenuantem, ſextâ quavis horâ repetendum, ſuperbibendo infuſum meliſſæ; in bolo erant nitri, florum ſulphuris, lapidis contrayervæ, ana, gr. ſeptem; ſalis ſuccini, ſalis volatilis coccinillæ, croci, myrrhæ, ana, gr. duo. Tertiâ quavis horâ ſumenda erant tria cochlearia julapii attenuantis, ex ſalis abſinthitis, ſcrupul. duob. aquæ lactis alexiteriæ unc. ſex, aquæ cinnamomi, unc. una & ſemiſſe, ſpiritus nitri dulcis, gutt. quadraginta, ſyrupi limon. & balſam. ana, drach. duabus. Ægra ſubinde capiebat mixturæ ſequentis guttas viginti quinque, ſpiritûs vitrioli dulcis & tincturæ croci ana drachmas duas ſuperbibendo hauſtum decocti cornu cervi & vini albi. In languoribus verò capiebat julapium ex aquâ lactis alexiteriâ, aquâ brioniæ compoſitâ, ſpiritu lavendulæ, & tincturâ myrrhæ. Febris remiſit quintâ die, evanuit ſeptimâ; dolor verò octavâ. Ad accelerandam curationem quartâ die præſcripſit *Lobbius* julapium ex antimonio diaphoretico, lapide contrayervæ, diaſcordio, coccinellâ, ſale ab-

abſinthite, aquâ lactis alexiteriâ, aquâ bryoniæ compoſita, ſyrupo de althæâ, & tincturâ caſtorei, & ſic deinceps.

Monſpelii phlebotomia primis diebus ter in die circiter fuiſſet repetita, potus fuiſſet largus calidus ex decocto cichorii, vel infuſo capillorum veneris; noctu narcoticum; ſedatâ febre, cathartica mitia, &c, eodem modo quo *Sydenham* hunc morbum curabat Londini.

Lobbius verò pleuritidem veram in adulto viginti duos annos nato ſimiliter abſque phlebotomiâ curabat ſudorificis, cardiacis, emplaſtris, veſicatoriis ulnæ applicitis. Videatur ejus *obſervatio 49. & 50. Tom. 2*, & maximè in aphoriſmis quibus terminatur opus, quibus aſſerit morbos omnes febriles, inflammatorios, ardentes, putridos, malignoſve acutiſſimos, ſine catharſi, ſine emetico & phlebotomiâ curari poſſe, & pluries à ſe ipſo curatos eſſe.

Hinc concludo naturam eſſe optimam morborum medicatricem, cùm, invitis quæ à Medico objiciuntur impedimentis, ægrum tamen à morbo liberat.

11. *Rheumatiſmus dorſalis* Lommii de tabe dorſali. C.

Eſt ille qui nimium Veneris uſum ſequitur. *Vide Lumbaginem à ſatyriaſi; Tabem dorſalem.*

12. *Rheumatiſmus miliaris* Cl. Bonté Journ. de Med. Janv. 1757.

Puerperis familiaris eſt, cùm eruptio miliaris abit in ſquammas; dolores enim vagi, qui priùs viſcera affecerant, ad artus excurrunt; in articulis fit intumeſcentia, qualis in arthritide rheumaticâ; cutis colorem lucidum ibi adipiſcitur, ſine œdemate; hæc intumeſcentia lucens, pallida, ab uno articulo ſeu geniculo ad alterum migrat, & pertinax eſt; dolores acuti ſunt, ægræ ex his immobiles fiunt; doloris enim acerbitas à leviſſimo tactu adaugetur: criſis in hoc morbo utilis eſt urinæ turbidæ copioſæ proventus; juvant ideo diuretica levibus diaphoreticis juncta, ut ſerum lactis cum incocta radice chinæ.

13. *Rheumatiſmus fugax*; vulgò dolores rheumatici; *courbature.* B.

Ille eſt qui febribus acutis & phlegmaſiis initio ſupervenit, dolor ſcilicet in omnibus artubus & muſculorum aponeuroſibus, cum ſenſatione laſſitudinis, qui phlebotomiis, aliiſque horum morborum remediis evaneſcit; ægri dicunt ſe ſentire quaſi fractos & ubique contuſos aut fuſtibus dedolatos.

14. *Rheumatiſmus necroſeos.* Vide Necroſim uſtilagineam.

Dolores incipiunt à ſtupore pedum, qui ſenſim tibias, crura, manus, brachia invadunt: illi dolores atroces ſunt, urentes ſæpius, aëre frigido ſublevantur, partes contabeſcunt & nigreſcunt, unde necroſis.

15. *Rheumatiſmus convulſivus.* C.

Eſt dolor artuum, dorſi, lumborum, vehemens cum artuum retractione ſpaſmodica, vel in ſtuporem & extremorum necroſim deſinens, ut in necroſi uſtilaginea & epidemica Flandriæ, vel ſine necroſi perſeverans, ut in convulſione raphania.

IV. CA-

IV. CATARRHUS; aliis *fluxio*, *defluxio*, *deſtillatio*; Italis *Infreddatura*; Hiſpanis *Romadizo*; *Caterre*, *Catarrhe.*

Character. Eſt partium, præſertim collo vicinarum, dolor frigidus cum tuſſi, aut coryzâ & levi partis intumeſcentiâ ab aëris viciſſitudine ortum ducens: Pyrexia veſpere datur exigua, ſi ulla; ſymptomata plura, ut tuſſis, coryza, ptyaliſmus, otalgia, odontalgia, tumor colli, frigus vagum præcedunt.

Difficilis eſt hujus morbi character, ſed certè qui deducitur à cauſâ latente, eo pejor eſt, quòd falſus ſit; abſurdè ſcilicet eum definiunt Veteres per *humorum decubitum*; alii per fluxum materiæ ſeroſæ à capite ad partes; nec enim ille decubitus, nec ille fluxus in ſenſus incurrit.

1. *Catarrhus benignus.* D.

Dolot catarrhalis eſt ſæpiùs ſenſu frigoris ſtipatus, & à ſuſcepto ſæpiùs frigore ortum ducit, unde frigidus dicitur; attamen rubedine & phlogoſi lymphaticâ non raro ſtipatur, ſic rubet cutis capillata in cephalalgiâ catarrhali; utcumque eum morbum à perſpirationis repreſſione oriri ſæpius putem, non minùs notum eſt omnibus eum non ſolum ab aëris ſubito refrigerio, vento frigido ſuſcepto, ſed etiam à ſubita poſt frigus aëris incaleſcentiâ ortum ducere, ut & ab inſolatione; ita plures catarrho affliguntur vere quàm hyeme ob tempeſtatum viciſſitudines. Certum eſt à minori gradu frigoris homines affici magis, ſi majori aſſueti ſint calori, quàm afficiuntur à frigore intenſiori, ſed continuo & uniformi; ſi calentem hominem leve frigus occupet, cutis magis conſtringitur quàm ſi idem frigus antea non calentem afficiat. Perſpiratio totius corporis eſt æqualis dimidio aſſumptorum, ſeu quantitati urinæ, circiter quadraginta ſex unciis; ea verò materies urinoſa eſt & acris, quâ proinde retentâ irritantur partes, turgeſcit textus cellularis; hinc tumor, dolor, non raro febricula accedit, quæ veſpertinis horis augeſcit cum horrore & frigore. *Vide Amphimerinam catarrhalem.* Ille ſtatus eſt valdè affinis ratione frigoris & febris cum amphimerinâ hyſtericâ, eo diſcrimine quòd catarrhalem ferè ſemper præcedat coryza, tuſſis, raucedo, odontalgia, otalgia, &c, dolores catarrhales ſæpe ad humeros, brachia, pectus ſe diffundunt & pleurodynem ac pleuritidem catarrhalem efficiunt, utplurimùm verò genas inflant, maxillas impediùnt, obſtipitatem inducunt. Is itaque affectuum concurſus catarrhus dicitur à rheumate diverſiſſimus, licet ab eodem principio ortus, ſede nec non dyſpnœâ & tuſſi diſcrepans.

Dolores catarrhales perſpiratione reſtitutâ, victu tenui, potu calido, aëris temperaturâ calidiori, exercitio ſenſim tolluntur; ſi acriores ſint, phlebotomiâ, & quod minimè negligendum, catharſi identidem repetitâ, demùm theriacâ recenti ad ſcrupulum veſpere ſumptâ, ſanantur: ſi diuturniores evaſerint, ſignum eſt rheumatiſmum calidum his accreviſſe, lacticiniis ac thermarum ſulphurearum balneis impugnandum. Sunt multi qui confundunt catar-

tarrhum cum rheumate, & calidum dicunt catarrhum illud rheuma quod phthiſi viam ſternit.

De catarrho maligno qui agunt intelligunt febrem catarrhalem malignam Germanorum, quæ eſt Hemitritæi ſpecies nihil cum catarrho commune habens, ut notat *illuſtr. Brendelius*, vel ſaltem catarrhum ferinum aut epidemicum volunt.

2. *Catarrhus Ferinus. Quinte. Coqueluche.*

De hoc videatur tuſſis ferina; tuſſis enim eſt tunc præcipuum ſymptoma, licet vividis doloribus dorſi, pectoriſque ſtipetur.

3. *Catarrhus epidemicus*, *Febris catarrhalis epidemica* Huxham Febr. 1733 & Nov. 1737; *Grippe*; *Folette*. A.

Maximè diſtinguendus eſt à *febre catarrhali malignâ Junckeri*, *Nenteri*, aliorumque Germanorum, quæ cum catarrho nil habet commune præter nomen.

Catarrhus epidemicus à ferino non diſcrepat niſi ex eo quod popularis ſit & graſſetur è loco in locum. Catarrhus iſte pendet à generali aëris vitio, & cum zephyrus tepidus in mediâ brumâ vento aquilonari frigido ſuccedit, ſæpius ſuboritur quàm ſi frigus perſeveret: ſæpiùs eſt cum febre veſpertinâ. *Vide Amphimerinam catarrhalem:* Secus non minùs moleſtus eſt ob horripilationes fere continuas per biduum triduumve, quas æger poteſt aliquatenus ſiſtere per aliquod tempus, conſtrictione quadam cutis & intenſo conatu corporis; adeſt frigoris ſenſus in diverſis partibus, tuſſis, coryza, capitis gravitas; ſuccedit deſtillatio ex naribus, ore; dein matureſcente catarrho, exſpuitio viſcoſa, muci narium copioſi rejectio, antea verò noctes inquietæ, anorexia, aſthenia, tuſſis defatigans. Curationem repete ex *Riverio*, *Hoffmanno*, aliiſque.

Catarrhum ſuffocativum etiam memorant Auctores, quem non ſatis intelligo, niſi tuſſim ſuffocantem velint: aſt plurimi hoc nomine inſigniunt aſphyxias ſeu mortes ſubitaneas, quarum multæ à rupto anevryſmate interno, aliæ à vomicâ ruptâ dependent, aliæ ſunt apoplecticæ &c.

De catarrho, *vide Amphimerinam*, *Tuſſim*, *Rheuma*, *Coryzam*, *Cephalalgiam*, aliaque genera.

4. *Catarrhus Bellinſulanus*, Journ. de Med. Novemb. 1757. D. Rochard Chirurgi. *Maladie particuliére des glandes, endemique à Belle-Iſle en mer. B.*

Œdematoſè intumeſcunt glandulæ colli, maxillares, parotides cutaneæ; ad angulum maxillæ primò viget hic tumor, ac tantus ut deformis evadat æger; tumor quidem mollis eſt, & tamen dolorificus. Incipit morbus abſque febre, cum inappetentiâ, & laſſitudine, & poſt paucos dies, ſi à phlebotomiâ inceperit curatio, teſtis ejuſdem lateris, ambo etiam, ſi utrumque colli latus affectum ſit, dolent leviter ac tument. Hic affectus milites cuſtodiam ſub dio agentes aggreditur.

Curatur potu leviter emetico, dein diluentibus calidis, quibus præmiſſis ad phlebotomiam tutò confugere poſſunt; vitatur, ſi ab aëre nebuloſo & frigido

gido caveant. Hæc ergo ſpecies teſticulorum tumore adventitio diſtinguitur ab aliis.

5. *Catharrus rubeoloſus.*

Eſt præludium *rubeolæ*, ut crampus, *Granf* dictus, *miliaris*; ſcilicet ante eruptionem rubeolæ æger ſæpè tuſſit, ſternutat, lacrymatur, coryzâ laborat, verbo catarrhoſum eum diceres, licet erumpentibus rubeolæ puſtulis hæc ſymptomata evaneſcant, exceptâ tamen tuſſi ſiccâ, quæ multum quandoque negotium ægris & Medicis faceſſit; his adde anginam catarrhalem, dolores capitis, aliaque catarrhi accidentia. Ille verò catarrhus ab epidemico vulgari diverſiſſimus eſt.

6. *Catharrus pectoreus.* L.

Puella, quæ hiemali tempore ſericeo velo tantùm pectus texerat, chlamidi denſiori aſſueta, per plures menſes in parte pectoris antica dolorem ſenſit, qui tactu paululùm exaſperabatur; mœror à longitudine morbi metuſque phthiſeos acceſſit ob tuſſiculam accedentem; interea dolor erat merè catarrhalis ab adiapneuſtia ortus; fruſtrà adhibitis juſculis edulcorantibus & lacticiniis, craſſum & calidum muccinium, & pectori impoſitum, & aliquandiu geſtatum, calorem & ſuppreſſam hujus partis perſpirationem revocavit ac morbum ſuſtulit.

Dolores etiam à collo & facie diffiti pro catarrhis habendi ſunt, licet tuſſis, coryza, nec ſternutatio præceſſerint, quoties evidens eſt eos ab adiapneuſtia ortum duxiſſe, unde à rheumatiſmo diſcrepant, quod ulteriùs confirmatur, ſi pannorum villoſorum aut denſiorum calidorumque tegumentorum applicatione & diluentium diaphoreticorum uſu tollantur: aſt ea diagnoſis non raró difficilis & obſcura eſt.

7. *Catarrhus caninus*, Journ. de Med. Fev. 1765.

Eſt illa epidemica ſpecies, quæ nuper genus caninum Monſpelii, Lugduni, per totam ferè Galliam, impetivit, plurimoſque abſtulit. Incipit à frigore & horrore, ſequitur tuſſis, coryza, ptyaliſmus, inappetentia, tanta aſthenia ut paraplegici videantur, & cruribus poſticis quaſi reſolutis inſiſtere nequeant. *Vide P. Fournier D. M. Divionenſis de hoc morbo Schedulam ann.* 1764. Epidemia redivit hac hyeme 1765 nec non *D. Deſmars* qui eundem morbum anno 1763 obſervaverat ſymptomatis ſupra recenſitis addit tuſſim, dyſpnœam, oculorum lippitudinem viſcoſam; alii canes intra breve tempus vertiginoſi moriebantur, alii intra menſem, & tunc macie conſumebantur. In cadaveribus cerebrum depreſſum, pulmo vitiatus, ſtomachus ſaburra putri fœtidiſſima farctus.

V. ANXIETAS; *Dyſphoria*, *Aſſe*, *Aporia*, *Riptaſmos*, *Adaimonia*, *Bleſtriſmos* & *Alyſmon* Hippocratis & aliorum; *Inquietudo* Sennerti; *Reſtleneſs* Anglorum; *Deſaſſoſiego* Hiſpan.; *Inquiétude*, *Angoiſſe*, *Anxieté*.

Eſt moleſta ſenſatio quæ ad jectigationem cogit, ſed quomodo ab affinibus morbis diſcrepet, dicant qui experti ſunt.

1. *Anxietas febrilis.* Boerhaave Aphor. 631. A.

Tres hujus varietates meritò diſtinguit ſagax & peritiſſimus ejus commentator, ſcilicet 1° anxietatem quæ in morbis acutis febrilibus oritur ab immeabilitate ſanguinis per cor ſiniſtrum & majores arteriæ aortæ ramos; ea pulsûs inæqualitate, debilitate potiſſimùm ſtipatur, cum angore cordis & præcordiorum intolerabili, eaque eſt ſæviſſima, periculoſiſſima: 2° anxietatem quæ oritur ob immeabilitatem ſanguinis per cor dextrum & arteriæ pulmonaris ramos, ab infarctis ſanguiductibus tum arterioſis tum venoſis, in morbo acuto pulmonum, ut peripneumoniâ, cynanche, orthopnœâ, & illa ſtipatur ſuſpiriis frequentioribus, profundioribus, præcordiorum gravamine, moleſtiâ intolerabili, dyſpnœâ ſuffocativâ, quo quidem ſymptomate nullum eſt pejus præter primam ſpeciem quæ ſæpè huic adjungitur: 3° anxietatem quæ oritur ab impedito transfluxu in morbo acuto febrili per venam portarum, quæ ſtipatur incredibili cardialgiâ, ægritudine vehementi circa orificium ſuperius ſtomachi, cum ſenſu ponderis moleſtiſſimi, quod etiam quidam ægri præ intolerantiâ pugnis contundunt; huic ſuccedit quandoque ſalubris aurigo, ex quâ mortis periculum removetur.

Has varietates, ſcilicet *præcordialem*, *pulmonarem*, *epigaſtricam*, doctè enarratas, earumque ſigna & indicationes *vide* apud *illuſtriſſimum archiatrum Van-Swieten* Boerhaavianæ doctrinæ & famæ hæredem.

2. *Anxietas ſpaſmodica* Boerhaave aphor. 633.

Eſt illa præcordiorum & ſtomachi vehemens anxietas quæ hyſtericas potiſſimùm, hypochondriacas, ſimileque genus hominum delicatiori & molliori genere nervoſo præditorum, maximè ſi per cathartica acria exagitentur, ſæpiùs diſcruciat; hæc ſtipatur angore animi, ſuſpiriis, oppreſſione, nauſeis, doloribus, & irrequietâ miſerandâque corporis agitatione, quibus mortis imago præſens animis & in facie depicta terrorem ſummum adjungit.

Hæc verò ſpecies utcumque majorem cæteris terrorem ægris incutiat, cæteris multo minùs periculoſa eſt, cùm urinæ limpidæ & uberrimæ mictione, flatibus ano vel cato erumpentibus, ſpirituoſorum odoratu, aliiſque ſimilibus auxiliis citò diſcutiatur, & ſine febre, pulſu interea depreſſo, conſtricto, ſed non frequentiori exiſtat.

3. *Anxietas agoniſtica. Angoiſſes de la mort.* A.

Eſt illa quæ mortem imminentem concomitari & præſagire conſuevit, in quovis morbo acuto vel chronico, à præcedentibus ideò diverſa; quæ viſûs obtenebratione, pulſûs inæqualitate, parvitate, inconſtantiâ, faciei pallore, delirio, oppreſſione pectoris, palpitatione cordis, virium muſcularium proſtratione ſtipatur.

Pendet à ſenſu confuſo periculi propter reſiſtentias circulationi oppoſitas & debilitatem naturæ quæ his ſuperandis jam impar evaſit.

4. *Anxietas cardiaca.* D.

Ea eſt quæ citra morbum inflammatorium aut febrilem pendet ab obice circula-

culationi oppoſito, intra aut prope cor collocato, ut à polypo, anevryſmate, coagulo ſanguinis, veneno v. g. viperæ & ſimilibus.

5. *Anxietas tibiarum.* Aſtruc de Morb. venereis. L.

Hoc affectu nihil eſt in praxi frequentius & non altius de quovis morbo quàm de illo apud Auctores eſt ſilentium. Quotidie videmus mulieres & viros, potiſſimum arthriticos, rheumaticos, qui accedente veſpere tibias ne per minutum in eodem ſitu & loco retinere queunt, ob importunam quamdam ſenſationem, quæ motu illo pauliſper ſedatur, quæque vulgò decubitu in lecto evaneſcit.

6. *Anxietas à morſu; à morſu felis iratæ* Morgagni Epiſt. LXI. 14. L.

Felis irata tibiam heri ſui dentibus unguibuſque ſauciaverat; quartâ à morſu die magna præcordiorum anxietas acceſſit; nullus erat hydrophobiæ metus. Adhibitis in caſſum cucurbitulis & ſcarificationibus loci affecti, nec non phlebotomiis, æger ſolo balneo pluries repetito ſublevabatur; demùm obortâ ephemerâ & ſudore ubertim fluente, ſanus evaſit. Verùm quolibet plenilunio in demorſo loco, eoque adhuc livido, irritationes per duos annos perſeverabant, indeque ad præcordia adſcendebant, ubi anxietas magna, non niſi per phlebotomiam ſuperanda, redibat; & per alios duos annos hic affectus quarto tantùm quovis plenilunio revertebatur.

Cæteræ anxietates partium diſtinctarum videantur in ſingulis morbis ad quos attinent. De cætero multi morbi ab anxietate declarantur apud infantes lactentes, maximè intra cunas vinctos.

VI. LASSITUDO; Græcis *Copos;* Anglis *Wearineſſ*; Italis *Stracchezza;* Hiſpanis *Canſancio; Laſſitude, Courbature.*

Eſt ingrata ſenſatio cum debilitate juncta, quæ ad quieſcendum cogit virium reparandarum gratiâ. Procedere videtur ab infarctu muſculorum, ob ſanguinem in eorum vaſis minimis impactum eaque vaſa diſtendentem, interea dùm ob defatigationem prægreſſam fluidum nerveum penuriâ laborat, aut ob aliam cauſam in artubus deficit, ut initio morborum accidit.

Hujus ſeptem ſpecies accenſet *Galenus* diviſione potiùs logicâ quàm medico-practicâ. Huc attinet *Copos tonodes*, laſſitudo tenſiva, *Copos elcodes*, ſeu ulceroſa, in quâ infixarum ſpinarum horroriſque ſenſus adeſt; *copos phlegmonodes* ſeu æſtuoſa, quæ ſenſum caloris ſecum infert; *copos iſchnotes*, quæ cum aridurâ corporis eſt, &c.

1. *Laſſitudo à labore* Hippocratis de diæta lib. 2; Herellii diſſert. de laſſitudine, Altdorfiæ, 1706. B.

Ea eſt quæ à motu producitur ſive in toto ſive in parte, quæque, obſervante *Hippocrate*, ſequitur rationem compoſitam motûs & debilitatis præviæ, ita ut quò motus vehementior & robur minus, eò major laſſitudo, & è contra. Verùm non ſolum à vehementia motûs illa laſſitudo menſuranda eſt, ſed etiam ex eo quod motus ſit minùs aſſuetus, magiſque conſtans;

ſic

ſic qui laborem inaſſuetum, utcumque levem, ineunt, citiùs defatigantur; quàm qui certos muſculos conſtanter contractos retinent, ut de ſtantibus oſtendit *Alphonſus Borellus*, qui reapsè citiùs defatigantur quàm ambulantes. Cur laſſitudo vehementes convulſiones, ut paroxyſmum epilepticum ſequatur quiſque intelligit.

2. *Laſſitudo à pathemate.* B.

Ea procedit vel ab irâ quæ fluidum nerveum ſubitò in omnes artus diffundit & diſſipat, vel à terrore & gaudio effræni, quæ alio modo non ſatis cognito vires infringunt; verùm infractis ſubitò viribus corpus gravius ſolito perſentitur, unde laſſitudo. Huc pertinet quæ magnos dolores, quæ vigilias immodicas ſequitur.

3. *Laſſitudo à fluxu.* L.

Ea eſt quam *alvi fluxus*, maximè torminibus juncti, ut diarrhœa torminoſa, teneſmus, dyſenteria, cholera, vel *ſanguifluxus*, necnon phlebotomia, menorrhagia, vel demum *ſerifluxus* copioſi, necnon gonorrhæa ſeminalis & ſimiles fluxus excitant; huc pertinent puris effluxus ſubiti è magnis apoſtematibus.

4. *Laſſitudo à calore.* B.

Ea eſt quam atmoſphæra incaleſcens tempore verno, necnon calor hypocauſti, ſicut & calor à balneo ſimiliaque excitant, dùm fibras omnes motrices ſubitò relaxant, inde enim debiliores ſunt, & cùm pondus corporis non pari paſſu decreſcat ac debilitas, corpus ponderoſius ſentitur.

5. *Laſſitudo à plethorâ.* B.

Talis eſt ea quam crapula ſeu exceſſus in potu & cibo excitant, quam catameniorum, effluxuumque aſſuetorum ſuppreſſio inducit; huc pertinet laſſitudo à ſomno nimio.

6. *Laſſitudo febrilis* Pr. Alpini de præſag. vit. lib. 2 cap. 21. B.

Duplex eſt, vel enim initium morborum præſertim acutorum eſt, de quâ dixit *Hippocrates*, *laſſitudines automaticæ* ſeu ſpontaneæ *morbos prænunciant*, & ea pendet tùm à plethorâ, tùm maximè à debilitate univerſali, quam inducit infarctus vaſorum, reſiſtentia cordi à ſanguine oppoſita; tum quam metus obſcurus mali imminentis cauſatur; plethoram ferè ſemper antecedere ſuadent perſpirationis retentio, quæ multis morbis anſam præbet, neceſſitas phlebotomiæ in omnibus ferè morbis acutis.

Vel laſſitudo febrem jam ortam comitatur cum dolore diverſarum partium, & eſt major in typho, peſte, aliiſque morbis malignis. *Vide aſtheniam febrilem.* De hujus ſpeciei prognoſi *vide Proſp. Alpinum l. c.* Laſſitudo localis in febribus declinantibus apoſtemata ſeu abſceſſus prænunciat ex *Hippocr. Aphor.* 31. 32. *ſect.* 4.

7. *Laſſitudo ſcorbutica* Lind. de ſcorbuto; *Laſſitudo oſtocopos* Græcorum; *ulceroſa* Veterum. L.

In prima periodo ſcorbuti adeſt pigritia inſolita, quæ abit in laſſitudinem, cum genuum ſtupore & debilitate à levi exercitio, atque dyſpnœâ, quæ duo ultima ſymptomata, laſſitudo ſcilicet & dyſpnœa, ad finem uſque perſeverant,

verant, eo diſcrimine quod in ſecunda & tertia periodo accedit aſthenia ſeu debilitas creſcit admodum.

8. *Laſſitudo cachectica* Helvetii de laſſitudine. L.

Eſt illa quæ morbos chronicos cachecticos comitatur, inter quos potiſſimi ſunt aurigo, œdematia, aliaque genera; quæ à tænia in primis viis latente inducitur laſſitudo, ſingularem attentionem meretur, cùm ejus principium in ſenſus non incurrat, ut principium laſſitudinis quæ aſciticos, œdematoſos, corpulentos & convaleſcentes omnes afficit.

VII. STUPOR; Græcis *Narke*; Latinis etiam *Obdormitio*; *Engourdiſſement*; *Stupeur.*

Eſt moleſta ſenſatio cum obſcuritate tactûs. Differt maximè à torpore in eo quod torpor meram tactûs & motûs imminutionem deſignet; ſtupor verò illud ſingulare, quod quiſque experitur cùm olecranii aut nervi fortis preſſio facta eſt, aut cùm diutiùs horis pomeridianis brachio incubuimus. Differt à crampo, quocum tamen quandoque jungitur ex eo quod non ſit in ſtupidis muſculis rigiditas ut in multis crampis.

1. *Stupor à preſſione.* L.

Eſt ille quem experiuntur artus diu compreſſi vel proprio vel alieno pondere & ſitu non mutato. *Vide Gangrænam à contuſione.*

Ille etiam quem excitat contuſio olecranii, aliarumve partium per quas nervi majuſculi ſub cute tranſeunt; ſi univerſalis ſit & conſtans, hemiplegiam, apoplexiamve denunciat; ſi fugax & partialis vix medelâ indiget.

2. *Stupor formicans; Formicatio* Latinis; *Fourmillement.*

Hæc ſpecies id habet ſingulare quod dolor ſit qualis à millenis formicis ſeu ſpiculis partem ſtupidam pungentibus, quodque ſimul motus artûs affecti ſit torpidus, ſine tamen rigiditate, qualis eſt in crampis.

Curatur ſpontè ſtupor frictione, calidis admotis, maximè ſpiritu vini calido, ut aquâ lavendulæ, thymi, roris marini: ſi perſeveret, curatio paralyſeos adhibenda eſt.

Hujus morbi theoria adhucdum eſt obſcuriſſima. Videtur fluidum nerveum in partibus affectis hærere, congeri, unde pars appenſa obſcurè ſentit, difficulter movetur, & pars ipſa affecta dolet.

Stupor eſt ſæpius accidens morborum ſoporoſorum imminentium, necnon dyſcineſiarum, ut paralyſeos; differt ab anaiſteſiâ aliiſque morbis *dyſæſtheſiis* dictis, ratione doloris ſeu moleſtiæ ſingularis.

Formicationem in fronte & facie centies expertus ſum quoties caput deorſum inclinarem, in quo certè caſu ex rubore faciei & legibus hydraulices patet ſanguinem ſolito fortiùs ſubire ultima ſua vaſa, eaque vellicare, forte lymphaticorum oſcula diducere; non ergò leviter in omni formicatione acrimonia humorum eſt incuſanda.

3. *Stupor à gelu*, vernaculè *Grepi*, Gallicè *l'onglée*. B.

Illa eſt ſpecies quæ extrema tantùm, ut digitos manuum pedumve, in-

ten-

tenſiſſimo frigori expoſita, ſenſim non ſubitò corripit, rigiditate & aliquali partis ſtupore ſtipata, cum dolore acuto & ſenſu frigoris congelantis: Differt à crampo.

4. *Stupor à torpedine. Coup de la Torpille.* B.

Eſt ille quem Torpedo tangentibus incutit, maximè ſi immediatè contingant, debilius verò, ſi baculi interventu duo muſculi dorſum illius raiæ tegentes, ſummâ vi excuſſi, hunc effectum inducunt, quem docente *Kæmpfero* & experientiâ prævertunt qui ſummo niſu, dum torpedinem tangunt, anhelitum cohibent. Stipatur ille dolor aliquali ſtupore, & à manu ad humerum & ultra extenditur. Duplex autem eſt Torpedo, altera Europæa, quæ *Raia tota glabra Linnæi*, vulgò *Miraillet*, in Mediterraneo vulgaris: altera Americana, quæ eſt *Gymnotus tremulus*, *Act. Helvetic. Tom.* 4: utraque tangentibus vel mediatè vel immediatè artubus crampum vehementem imprimit. Illud tamen attentionem meretur, quod ſi interventu cujuſdam metallici corporis tangatur Gymnotus, ſuccuſſio multò intenſior eſt; aſt ſi interventu ceræ Hiſpanicæ, ſuccuſſio ferè nulla ſit; quæ ſi vera ſint, ut teſtantur autoptæ, veroſimile eſt vim electricam horum piſcium eſſe hujus commotionis principium.

5. *Stupor miliaris. Granſ* Taurinenſium Allione de miliari. A.

Eſt ſymptoma miliaris, ſeu ſtupor pungitivus in digitis manuum vel pedum, aliiſve partibus, ante diem ſextum ſeu eruptionem frequens, cum pulſu exili, frequenti, contracto, tremore, anxietate.

6. *Stupor rachialgicus.* C.

Vide *Rachialgiam* cujus eſt ſymptoma, pareſeos prodromus.

7. *Stupor à necroſi*, Clar. Salerne de morbo Solonienſi; Mem. de l'Acad. R. des Sc. des Académiciens étrangers 1755: Vide Necroſim uſtilagineam. A.

Stupor eſt pedis vel manûs cum mentis hebetudine, qui ſemper præcedit dolores atroces ſine rubore necroſim uſtilagineam antecedentes; pars citò nigreſcit, indureſcit, & ſiccata ſponte à ſana ſeparatur ſine hæmorrhagia; præceſſere pallor, phiſconia, macies, dein rheumatiſmus accedit. Confer *Tiſſot Avis au Peuple* §. *670. 671.* Vide Claſſ. X. Ord. VII.

8. *Stupor ſaburralis.*

Monialis quinquagenaria à menſe conquerebatur de dolore formicante manuum & pedum, cum ſtupore harum partium, tandem ſupervenit atrox cephalalgia cum nauſea ſine febre; præſcripto poſt phlebotomiam emetico copioſam bilem evomuit & omnia ſymptomata evanuere: ſequenti die revertebatur morbus, levior tamen; purgata iterùm uberrimam bilem dejecit & omninò ſanata eſt. Moniales ſunt ſæpius atrabilariæ ob mœrorem, zelotypiam, ſimiliaque pathemata, quibus vitæ genus anſam præbet, cùm deeſt ſincera vocatio.

VIII. Pruritus; *Prurit; Démangeaiſon.*

Eſt moleſta cutis ſenſatio quæ ad ſcalpendum cogit. Ille dolor ſingularis, qui

qui quadam voluptate temperatur cùm pruriginoſa pars ſtrenuè ſcalpitur, eſt ita quandoque ferinus ut vix cruentata cutis deraſione ſublevetur.

Pendere cenſetur ab acrimoniâ humoris mucoſi, qui in glandulis ſebaceis ſecernitur, verùm & excitatur à cauſis etiam externis.

1. *Pruritus exanthematicus.* L.

Eſt ille qui accidit in multis morbis exanthematicis tum acutis, ut variolâ, rubeolâ, dum puſtulæ exſiccatæ ſunt, in ſcarlatinâ, dum ſævit, vel etiam in ſcabie, tineâ, aliiſque impetiginoſis ultimæ claſſis morbis; demùm & in vitiis primæ claſſeos, *efflorescentiis* dictis, ut herpete, pſydraciâ, &c. Horum generum curam videſis.

2. *Pruritus pedicularis.*

Eſt ille qui à phthiriaſi, ſeu à pediculis vulgaribus, necnon à pediculis inguinalibus aliiſque dependet, quique facilè curatur aſperſo pulvere vel ſeminum ſtaphiſagriæ, vel hordei cauſtici *Civadille* dicti, ni malint ægri ad litum vel cingulum mercurialem confugere.

3. *Pruritus ictericus.* L.

Eſt ille qui auriginoſos infeſtat, cum aliis auriginis ſymptomatis, & bilis ſanguini mixtæ præſentiam arguere videtur: curatur ut aurigo. An Melaſictero etiam ſuperveniat ignoro, licet Melaſicteros viderim.

4. *Pruritus arthriticus.* B. P.

Eſt ille qui poſt paroxyſmos arthriticos, pedes, manus, dorſum, aliasque partes pertinaciter moleſtat, aſt accedente paroxyſmo doloris, imò ſæpiùs antea, evaneſcit.

5. *Pruritus infantum* Ettmulleri.

Eſt illa ſpecies quæ recens natos mirè anxios reddit & inſomnes; quique non niſi oculatis obſervatoribus innoteſcit; pendet ſiquidem à crinonibus capillo vulgari longè tenuioribus, qui per cutem dorſi potiſſimùm erumpunt, quique frictione iteratâ cum panno laneo excutiuntur; *vide Malidem in 10ª Claſſe.*

6. *Pruritus fugax.* B.

Eſt ille quem excitant cauſæ externæ facilè amovibiles, quæ tamen varietas attentionem meretur ne cum aliis confundatur.

Si quis manibus tangat phaſeoli pruriginoſi (pois pouilleux) legumen, eum pruritus per ſemihoram, & ampliùs defatigabit: *Vide Dolichum Ill. Linnæi.*

In luxationibus poſt diuturnas partis vincturas non raró pruritus eſt moleſtus, ſed qui aquâ calidâ diſſipatur.

Pruritus non raró infeſtat tibias & dorſum eorum qui veſtibus tibialibusve laneis immediatè cuti applicatis utuntur, quod non accidit in uſu linteorum.

Pruritus ſpecialiùs aggreditur præputium ob ſebaceæ materiei albæ inibi collectæ acrimoniam, verùm ea facilè urinæ ope eluitur, ſi ſcilicet præputium digitis inter mingendum obturetur.

Scrotum etiam pruritui eſt obnoxium ob linimen quoddam quo tegitur,

tur, quodque exſiccatum in lamellulas albas abit, quo calidâ eloto, pruritus ceſſat.

Si pruritus oculos, maximè carunculam lachrymalem invadat, hoc vitium pertinet ad ophthalmiam puſtuloſam. Si podicem afficiat, videndum num aſcarides adſint in excrementis. *Vide Teneſmum.* Si vulvam moleſtet, inquirendum an ex ſorditie pendeat, an à puſtulis ſyphiliticis, an à nymphomaniâ, &c.

7. *Pruritus gravidarum* Puzos Traité des Accouchemens pag. 82. C.

Circa graviditatis tempus medium ſeriùs ociùs à perſpiratione retentâ & acriori non rarò ſupervenit pruritus ferinus, tum ubique paſſim, tum in genitalibus; ſive phlyctænæ accedant in cute, ſive immerſæ lateant in cute puſtulæ; mulieres unguibus noctu & interdiu ſe ſcalpendo cruentant, aut ſcopulâ affrictâ pruritum acri dolore commutant, pervigiles evadunt, febreque excitatâ, ferè abortiunt.

Curatio obtinetur phlebotomiis repetitis, potu ex emulſionibus, lacte, ſero lactis, aquâ pulli, apozematis lenientibus, clyſmatis, cremoribus ex oryzâ, avenâ, phaſeolis, imò balneis, ſi pruritus acer ſit, vapore aquæ tepidæ, fomentis emollientibus, levibus catharticis, demùm & narcotitis; ſi verò his invitis perſeveret morbus, is puerperio demum cedere ſolet.

8. *Pruritus ex opio.*

Eſt ille qui ab uſu opii vel faciem vel totum corpus infeſtat, quod in bene multis ſubjectis conſtanter vel ex minimâ opii, laudani, theriacæ doſi accidere vidi; uſu lactis ſuppletur opii ſumendi neceſſitas in chronicis, & ſanatur ille pruritus, qui aliunde non viget niſi quandiu opium agit vi ſuâ narcoticâ.

9. *Pruritus à meduſa.* B.

Meduſa eſt zoophytum gelatinoſum aquæ marinæ innatans, rubellum, quod intenſam oculis & manibus tangentibus uredinem & pruriginem excitat: non ſecus ac urtica: unde vulgò *urtica marina* vocatur, vernacule *pote.*

10. *Pruritus ſyphiliticus*, Amati Luſ. Cent. VI cur. 99.

Inguina ut plurimùm afficit. Curatur venæ ſectione, hirudinibus & unguento camphoram & ſaccharum ſaturni recipiente, dein antiſyphiliticis.

IX. Algor; Græcis *Kryos*, *Pſychos*; Latinis *Frigus morboſum*, *refrigeratio*; Anglis *Coldneſſ*; *Froideur*, *froid exceſſif.*

Hæc moleſta ſenſatio cuique cognita eſt, ferè ſemper ſymptoma aliorum morborum, potiſſimùm rigoris ſeu phricaſmi qui intermittentium acceſſum comitatur, unde inter morbos non accenſetur vulgò, & tanquam merum ſymptoma prætermittitur. Interea tamen hoc ſymptoma quandoque graviſſimum eſt & primarium, ſeu alterius morbi non eſt pediſſequum, & pro diverſis gradibus nunc frigus, nunc algor vocatur, nec ſemper cutis tremula agitatione ſeu horrore, nec muſculorum concuſſione ſeu rigore exagitatur.

1. *Algor externus ; Froid de cauſe extérieure.* B.

Eſt

Eſt ille quem patiuntur, qui frigido aëri, aquæ frigidæ, nivi diutiùs expoſiti ſunt, & ea ſenſatio eò moleſtior eſt, 1° quò magis inaſſuetus eſt homo, ſeu quò priùs calidior, mutatio promptior, conſtitutio ſenſibilior, educatio mollior: 2° quo frigus intenſius, ut quod à decimo gradu Thermometri Reaumuriani verſus punctum congelationis accedit, & quò infra illud congelationis punctum ulterius deſcendit: 3° quò diutiùs frigori exponitur homo eò intenſior dolor evadit, uſquequò vel typhomania ſingularis vel ſphacelus partis ſenſum auferant.

Calore vitali fluiditas ſanguinis, & muſculorum, fibrarumque nervearum flexibilitas, permeabilitas conſervantur: frigore verò, id eſt, particularum ignearum receſſu fluida noſtra coagulantur, fibræ omnes denſatæ rigeſcunt, unde nervorum immeabilitas, muſculorum inflexibilitas: hinc ſtaſis circulationis in extremis partibus, quæ ut pote à corde remotiores citiùs frigore congelantur; hæc fibrarum condenſatio, vaſorumque anguſtatio fit à proprio elatere quem non ampliùs ſuſtinent aut cohibent fluida in minus ſpatium redacta, hinc verò fibrillarum nervearum rugæ, diſtractioneſque inaſſuetæ, dolorificæ, punctoriæ, ſenſatioque intolerabilis. Si frigus illud intenſum etiam ad interiora ſerpat ſanguinemque in majuſculis vaſis figat, mors accedit; ſecus verò, febris accenditur, calor interiorum partium augetur, vicinia partis congelatæ inflammatur, pars congelata liveſcit, regelaſcit, putreſcit, ſphacelo corripitur, à ſanâ ſeparatur. Si eouſque non proceſſerit frigus & auxilia debita adhibita fuerint, ſaltem pars œdematoſa remanet, tendines flexilitatem aut mobilitatem ſuam vix recuperant, & nervi ſenſu ſuo ferè orbantur.

Notum eſt à regelatione promptiori maximum ſphaceli periculum imminere, quod ut avertatur, per gradus illa debet excitari frictione partis cum ipſa nive vel aqua frigidula, deinde cum tepidâ, immerſione intra fimum equinum, & ſic ſucceſſivè. *Vide Sphacelum à gelu.*

Millena incommoda patiuntur milites à frigore, ut catarrhos, rheumata, rheumatiſmos, perniones, ſphacelum, ſurditatem, febres varias, de quorum prophylaxi legi meretur *medicina militaris D. de Meyſerey, tom. 1, art. 14 ad 20.*

2. *Algor internus; froid intérieur.* A.

Eſt ille qui à principio interno procedit, ut ab acceſſu febrili potiſſimum quartanæ, à paroxyſmo tritæophyæ algidæ, catarrhalis; à catarrho ipſomet, ab auriginis præludio, ab iſchuriâ, cùm urina ſanguini remiſcetur, quod facile fit per refluxum ejus à pelvi in venulas emulgentes ut vidi lac & atramentum in eas tranſeuntia, &c. à paroxyſmo amphimerinæ hecticæ, phthiſeos, aliorumque morborum quos ſuppuratio fovet.

In illis verò ſummis frigoribus non deeſt periculum, quippe qui intermittenti ſuccumbunt v. g. durante frigore moriuntur, pulſus evadit contractus, intermittens, facies albet, pallet, labia liveſcunt, tremor occupat artus, ita ut quandoque præ dyſpnoeâ & maxillarum triſmo vix quidquam ægri deglutire valeant; hinc ſumma anguſtia, urgens periculum, niſi citò ſuccurrant adſtantes, quæ auxilia ut omnibus notiſſima, ita & certiſſima,

ſcilicet æger in lectulo apprimè calefacto reponatur, ſufficienter tegatur linteis ſiccis calidiſſimis; vaſa excalefactoria pedibus apponantur, intus vinum calidum, theriaca, confectio de hyacintho, aqua cinnamomi ſimiliaque uſurpentur; ſimilibus auxiliis qui ex aquâ frigidâ extracti pro mortuis habebantur, excitati ſunt. Vide *Aſphyxiam immerſorum.* His etiam plurimi homines frigore interno penè extincti reviviſcunt.

3. *Algor febricoſus*, Journ. de Medec. Janv. 1761 p. 36.

Eſt frigus glaciale totius corporis à viru febris intermittentis dependens; differt rigor ab algore motu tremulo cum frigore conjuncto. Algor etiam comitatur Aſphyxiam immerſorum, hyſtericam &c.

X. Ardor; Græcis *Diacauſis* & *Cauma*; Anglis *Heat*; *Chaleur exceſſive*, *Echauſement.*

Eſt moleſta illa ſenſatio omnibus cognita quæ à partium ignearum majori actione in nobis excitatur.

Calor hominis ſani eſt hieme 27 grad. in thermometro Reaumurii, æſtate ad 30um gradum aſcendit; ardor itaque eò major eſt, quò calor altiùs progreditur, ut ad 35um, 38um; ultra verò partes comburuntur, deſtruuntur organa, fit eſchara ſeu ſphacelus ſiccus, fluida exſiccantur, vaſa coarctantur, fibræ corrugantur, ſenſus, motuſque partis amittitur: infra verò 35um gradum fluida rareſcunt unâ circiter ducenteſimâ nativi voluminis parte, vaſa pari paſſu diducuntur, pars rubet, dolet, intolerabili roſionis, punctionis, uſtionis ſenſatione divexatur.

1. *Ardor externus*, *chaleur externe.* B.

Ea eſt ſpecies quæ à corpore calido extus admoto dependet, ut ab aëre fervido, inſolatione, hypocauſto, igne aperto, aquâ, lixivio, oleo, ardentibus. Ille verò ardor vel toti corpori vel parti tantùm applicatur; ex aëre calidiori rubet cutis, turgidulæ evadunt venæ, cephalalgia, aſthenia, anorexia, laſſitudo, agrypnia, ſitis, hæmorrhagia narium, urinæ rubræ, paucæ; ſudor copioſus, dyſpnœa, orthopnœa, cardialgiæ, ſyncopes, aliique morbi oriuntur. Ex calore nimio parti applicato erythema, phlyctænæ, ambuſtio; ea verò phænomena ut pro gradu caloris diverſa ſunt, ita diverſam medelam exigunt.

In genere quamdiu nulla labes organica parti fuit inuſta, & ardor tantum eſt curandus, remotis, ſi fieri poſſit, cauſis externis, frigida actualia ſunt uſurpanda, potu, lotu, fotu aqueo, item potentialia intus adhibenda, ut acida, nitroſa, diluentia. Huc pertinent ptiſanæ de ſucco limonum, aurantiorum, ſyrupi granatorum, berberidis, ribeſii, nymphææ; emulſiones ex hordeo, ſeminibus peponis, cucurbitæ, ptiſanæ, aquæ acidulatæ cum acido ſulphuris, ſalis marini & ſimilibus, adde balnea, acidulas &c.

Si pars laboret erythemate, ambuſtione, videantur horum vitiorum curæ.

2. *Ardor internus*; *ardeur de cauſe interne*, *échauſement.* A.

Ea

Ea eſt ſpecies quæ tertianas bilioſas, tritæophyam, cauſum, phlegmaſiaſque bene multas comitatur, ut eryſipelas, pleuritidem, phrenitidem; cujus theoriam & praxim hiſce in claſſibus inquiras. Hinc pendent agrypnia, anxietas, dyſpnœa, laſſitudo, polydipſia, cacurema rubra, ſeu urinæ rubræ, paucæ.

Gradus autem caloris maximi thermometro teſte in corpore etiam febriente vix ad 34um aſſurgit: aquæ Balerucanæ cùm calent ad 42um cito eryſipelas partibus immerſis conciliant, nec ultra pauca minuta tolerari queunt. Maximus calor atmoſphæræ apud nos anno 1746 & 1762 aſſurrexit menſe Julio pomeridianis horis ad gradum 30um: hic eſt gradus caloris ſanguinis in vulgari æſtate; quidam aſſerunt ad 38um gradum eum aſcendiſſe apud Guineenſes; verùm meritò id in dubium revocat *Du Creſt* in thermometricis verſatiſſimus; calor autem ſanguinis hieme ad 28um circiter gradum aſcendit.

a *Ardor volaticus*, vulgò *æſtus volaticus; Kæringbad* Suecis; *flammes du viſage paſſagéres;* Occitanis *flamboiſes*.

Eſt ſubitaneus faciei, colli &c calor & rubor, per quadrantem horæ ad ſummum perſeverans, quandoque in ſudorem prorumpens, qui mulieribus, dum menſtrua deficiunt, imo hyſtericis, cum anxietate & dyſpnœa ſæpius accidit & pluries recurrit; ſimilis eſt huic æſtus volaticus à pudore faciem ſuffundens: hoc ſymptoma videtur pendere ab impetu ſanguinis adaucto cum ſtrictura carotidis internæ, unde uberius ad externam amandatur.

ORDO SECUNDUS.

Dolores Capitis.

SUNT illi qui potiſſimum capitis hanc vel illam partem afficiunt, ut calvariam, oculos, aures, dentes, ſeu maxillas, citra febrem, convulſionemve, niſi dolores pro horum morborum accidentibus, non verò morbis, ut aiunt, eſſentialibus habeantur.

Hi morbi apud nos generico nomine *mala* vocantur, ut *mal à la tête*, *mal aux yeux*, *mal aux dents*, &c. *Rheumatiſmi* vocantur à *Frider. Hoffmanno*.

Raró illi morbi ægrum in lecto detinent, quia pars tantùm, non verò totum corpus, afficitur, niſi dolor ſit vehemens, & aſtheniam inducat; in paroxyſmis eſt adipſia, anorexia, anaphrodiſia, aliaque ſymptomata ejuſdem ordinis, quod de omnibus doloribus dictum puta; accedit etiam agrypnia, mœror, anxietas, moroſitas, ſi pertinaciùs ſæviant hi dolores; ſi verò leviores ſint, non raró ſuperveniente gravi negotio vel pathemate animi inſolito, dolor evaneſcit vel feriatur. Omnes dolores partium internarum ſæ-

pius ad partes externas referuntur, & horum idea, ut ut vivida, eſt ſatis confuſa quoad locum, ut ſæpe hæreant ægri in determinandâ præcisè ſede doloris.

Principium horumce morborum frequentiſſimum eſt infarctus vaſorum aut congeſtio ſanguinis, vel lymphæ in parte affectâ; ille infarctus eſt vel ſimplex vel phlogiſticus; fit à ſanguine puro, vel à ſanguine vitioſo, ut lymphâ acri, rheumatiſmali, arthriticâ, ſyphiliticâ; vel fovetur à carie, ulcere, exoſtoſi, luxatione, fracturâ.

Dolores ſunt vel idiopathici vel ſympathici. *Idiopathici* ſunt illi quorum principium materiale, ſeu materies morbifica cenſetur in eâdem parte ac ea quæ dolet, ut cephalalgia à plethorâ vaſorum cerebri, meningum, &c. Dolores *ſympathici* ſunt illi quorum materies morbifica vel principium evidens eſt, in uno loco, dum dolor eſt in altero, ut cephalalgia quæ tribuitur ſaburræ ventriculi, ſanguini in utero hærenti.

Falſum autem eſt dolores ſympathicos tribuendos eſſe ulli cauſæ, quæ ſit remota à parte dolente, ſeu falſum eſt ullam cauſam agere ubi non eſt: ergo errant qui cauſam cephalalgiæ v. g. ſtomachicæ in ſtomacho reponunt: verum quidem eſt ſæpe fieri ut emetico præſcripto illa cephalalgia evaneſcat; verùm inde non ſequitur ejus cauſam fuiſſe in ſtomacho; dubium eſt num ſanguis inſpiſſans & vaſa meningum vel cerebri infarciens ſit incuſandus; num verò inſpiſſatus fuerit ob plethoram, ob ſaburram, inquirendum reſtat. Eſto fuerit inſpiſſatus à ſaburra è ſtomacho in ſanguinis maſſam transfusâ, illa cephalalgia optimè diſcutietur & præcavebitur uſu emetici, licet principium proximum hujus referatur ad caput, quò dolor etiam refertur. Commotio enim ab emetico facta poteſt ſanguinem in ipſo capite diſcutere, & ſaburrâ eliminatâ futuri dolores ſimul præcaveri poſſunt. Qui itaque morbi juxta quoſdam ſunt ſympathici, juxta alios diversâ theoriâ imbutos idiopathici ſunt; arbitraria eſt itaque illa morborum diviſio, & à theoriâ dependens ſæpiùs erroneâ.

Dolores interni gravativi capitis, aurium, oculorum, non rarò pendent ab infarctu quem narcotica adaugent, nedum minuant: licet enim narcotica ſanguinem reſolvant & fluxiliorem faciant, interea cùm morbi hujus ſolutio pendeat potiſſimum à vi ſyſtalticâ vaſorum & contractione meningum, quæ humores congeſtos exprimat, cùmque narcotica utrumque naturæ conatum ſupprimant, ex uſu narcoticorum infarctus non rarò creſcit & cephalalgiam ſequitur ſopor, delirium, aliudve malum ipſo dolore periculoſius; ergo cautè illis utendum in ſimili caſu, nec non apud epilepticos, vetulos, paralyticos, ſimileſque ægros in ſoporem facilè delapſuros.

Docet etiam experientia narcotica, topica, quæ in aliis partibus à capite diſſitis tuto uſurpantur, non ſine quodam periculo oculis, auribus internis, ſeu origini nervorum propiùs admoveri; ſic folia daturæ oculis admota mydriaſim, & amauroſim excitare valent, adeoque non niſi cum cautelâ illis in ſimili caſu utendum eſt.

XI. Ce-

XI. CEPHALALGIA; *Ecplexis* Hippocratis; *Carebaria*, *Gravedo capitis* Gorræi Definit. Med.; *Dolor capitis* Sennerti; *Capiplenium* Baglivi; *Dolor cephalicus* Frid. Hoffmanni; *Mal à la tête*; *Etourdiſſement.*

Eſt capitis gravitas vel ſenſatio moleſta, quæ refert caput interius diſtenſum, turgidum, & quaſi gravatum.

Veroſimile eſt hujus cauſam eſſe infarctum ipſius corticis cerebri, qui licet reſectus dolorem acutum non inferat, ſenſum tamen obſcurum obtinet, maximè cùm ejus vaſa quocumque modo diſtenduntur & turgent.

Si ſedes morbi foret accuratis ſignis cognita, ex illâ poſſet diſtingui cephalæa & hemicrania à cephalalgiâ; cephalæa etenim utpote dolore tenſivo vivido ſtipata membranas afficeret, tum extra tum intra cranium poſitas: hemicrania verò ſinubus frontalibus magis inſideret vel locis à ſympathico parvo nervos accipientibus.

1. *Cephalalgia plethorica; Ecplexis* Hippocratis; *Capiplenium* Baglivi, Morgagni Epiſt. I. 17 ex Cowpero, Commerc. Litter. Baiero; *à vaſis meningum ſanguine turgidis, varicoſis; étourdiſſement; peſanteur de tête*, Dictionn. de Santé. B.

Dolor capitis à plethora oriundus cognoſcitur ex ſignis generalibus plethoræ, ſtipatur pulſu raro; ſemper enim obſervavi in gravibus capitis doloribus pulſum rareſcere, nec ſemper facies eſt rubicunda, ut dùm plethora alias partes afficit, ſæpiùs in gravi cephalalgia palleſcit, gravitas ad frontem eſt notabilis, cum difficultate cogitandi, diſtinctè ratiocinandi, reminiſcendi. Videtur eſſe conamen naturæ ad hæmorrhagiam narium excitandam, in quem finem, meningibus & vaſis ſanguiferis contractis, ea urget ſanguinem verſus vaſa excretoria narium, & reapſe ſuperveniente ſufficienti hæmorrhagiâ, hic dolor evaneſcit: creſcente infarctu vertiginoſus aut ſomnolentus evadit æger: præceſſere non rarò dapes uberiores, vini potus copioſior, ſomnus pomeridianus, ſimiliaque errata, vel molem directè augentia, vel excretionum conſuetarum ſuppreſſiones eam indirectè augentes. Hujus varietates ſunt

2. *Cephalalgia catamenialis.* L. P.

Ea eſt quæ ob catameniorum ſuppreſſionem vel emanſionem mulieribus periodicè & circiter quolibet menſe ſupervenit; atque catameniorum fluxu ſedatur vel evaneſcit. In curatione habenda eſt hujus principii ratio, ſeu extra paroxyſmum medicamina auxiliaque diætetica & gymnaſtica, quæ hunc fluxum reſtituunt, ſunt adhibenda; in paroxyſmo phlebotomia eſt eximium remedium.

3. *Cephalalgia hæmorrhoïdalis* Hippocr. V Epidem. Valleſ. 491: *à conſtipatione: Echaufement.* L. P.

Altera eſt plethoricæ varietas quæ à conatu hæmorrhoïdali dependet, cùm ſcilicet plethorici evadunt hæmorrhoïdarii, illi ante mariſcarum turgeſcentiam cephalalgiæ gravativæ ſunt ſæpiùs obnoxii. Hoc aliquot dies perſeverat cum

 verti-

vertiginoſis motibus, idearum confuſione, frontis gravitate, corporis torpore, alvi conſtipatione: præmiſſâ phlebotomiâ, clyſmata & deinde juſcula ſanguini diluendo & leviter incidendo apta conveniunt; extra paroxyſmum balnea, ſemicupia, tempeſtate conveniente victus parcior, exercitium moderatum indicantur; ſanguis enim craſſitie, ſeu ſpiſſitudine peccat ſimul & quantitate.

Hujus varietas eſt cephalalgia à conſtipatione alvi, à calore viſcerum, quam comitantur æſtus fugaces faciei, cum torpore & ſtupore capitis, capiplenio, oculorum rubore, visûs obnubilatione, quæ omnia clyſmatis & victu refrigerante debellantur.

4. *Cephalalgia ſtomachica* Riverii Pr. de Dolore capitis; Bonet. Sepulchret. Tom. I. pag. 12. obſ. 11. B.

Ea eſt quæ à ſaburrâ in primis viis hærente fovetur, aut, ut ait *Riverius*, quæ fit per conſenſum capitis cum ſtomacho; à ſaburrâ primarum viarum foveri dolorem capitis cognoſcitur ex prægreſſis & concomitantibus, ex prægreſsâ crapulâ ſeu ciborum & potulentorum nimiâ ingeſtione, potiſſimùm ex liquorum inebriantium abuſu, nec non ex habituali ſtomachi debilitate, ratione cujus malè digeruntur alimenta; ex concomitantium numero ſunt ructus, nauſea, vomitio, ventriculi gravitas, cardialgia, pravus oris ſapor; circa quod obſervandum vomitionem gravi cephalalgiæ & hemicraniæ ſupervenire abſque eo quod origo morbi ſit in ſtomacho, ut patet ex vomitione quæ ſupervenit fracto cranio. In hac ſpecie cephalalgiæ eximius eſt *aphoriſmus Hippocratis 17. ſect. 4. ſi ſit cibi faſtidium, cardialgia, oris amaror & vertiginoſa capitis gravitas, emetico opus eſt.* Quoties enim hæc ſymptomata cephalalgiam comitantur, vomitio præſtantiſſimum eſt remedium: ſi tamen aliunde vetetur uſus emetici, cathartica poſſunt, licet minùs tutò, uſurpari; utrumque genus remedii, præmiſſis præmittendis, ut phlebotomiâ, abſtinentiâ, potu diluente, adhibeatur. Ea ſymptomata deſignant ſaburram inhærentem & latentem in ventriculo; ſaburra enim cruda à recenti crapulâ orta non ſtipatur oris amarore, & vomitione ſpontaneâ ſæpè tollitur, ſecus emeticis aut catharticis abigitur; illa ſpecies ſæpè cephalalgiæ febrili eſt adnexa, ſeu ſtomachica cum febrili ſæpè conjungitur, aſt diverſæ ſunt quoad principium.

5. *Cephalalgia febrilis.* B.

Eſt illa ſpecies quæ à ſanguinis impetu febrili dependet; in quocumque febrium & phlegmaſiarum ordine morbus certè frequentiſſimus, niſi ſymptoma placeat nuncupari; quoties impetus ſanguinis eſt ſolito major, toties preſſio lateralis in vaſa ſanguifera creſcit; ſed cùm ratione aſtheniæ febrilis æger horizontaliter jacet, impetus cruoris in vaſa capitis major eſt quàm cùm ſtamus; ergo hac duplici de cauſâ preſſio lateralis vaſorum capitis major evadit; hinc cephalalgia gravativa quæ vulgò ad frontem refertur.

Ea cephalalgia in febre acutâ cum urinâ tenui, pellucidâ, phrenitidem, id eſt delirium portendit, maximè ſi æruginoſa vomunt ægri, & ſi cum ſur-

ſurditate eſt pervigilium, ut docent *Prorrhetica*; ſi dolor capitis vehemens in hoc caſu ſubitò deliteſcat, ſignum eſt delirium aut ſoporem accedere, quod ſi fiat ſine cauſâ evidenti, ut à criſi, phlebotomiâ, &c, peſſimum eſt.

6. *Cephalalgia pulſatilis. Sphygmocephalus* an genus diverſum?

Eſt ſenſatio moleſtæ pulſationis in capite juxta tempora, quæ licet ſit ſymptoma cephalalgiæ febrilis, quandoque ſine dolore propriè dicto capitis obſervatur cum moleſto perviligio; ita ut ægri de hac pulſatione tantùm conquerantur & de agrypniâ; ea etenim pulſatio tunc maximè moleſta eſt cùm æger jacet, & ad ſomnum ſe componit; accidit autem ea pulſatio poſt magnas animi contentiones, ſtudia nocturna, curas graves, nec non ob pergræcationes, maximè ſpirituoſorum liquorum potationem, & quæcumque ſanguini impetum majorem conciliant; ægri diſtinctas & arteriarum pulſui ſynchronas pulſationes in temporibus percipiunt, quæ perceptio an ad tinnitum bombum, an ad cephalalgiam magis referenda ſit, ambiguum eſt: pendet autem ex pulſatione arteriæ temporalis adverſus canalem oſſeum, quem in cranii ſubingreſſu prætergreditur; cùm enim canalis ille ſit incurvus, & fluida velociter mota fortiùs agant in curvaturas oppoſitas, ibi cruor arteriam ſuam fortiùs impetit, cùm velociùs ſolito movetur; fluida enim quæ velociter moventur ferè ſequuntur ſolidorum leges, juxta quas vis percuſſionis in plana oppoſita eſt, ut quadratum velocitatis; cùm è contra fluida pacatè fluentia quoquo verſum æqualiter premant, & liberè per canales fluentia in parietes eorum minimum agant; hoc ſymptoma fugax eſſe ſolet, ſi nullâ febre ſtipetur.

Eandem pulſationem obſervo cum agrypnia inde adaucta in muliere menorrhagiam uberrimam quovis menſe patiente, quæ inde chlorotica, id eſt pallida, picansque evaſit, cujus ſanguis calidus & acer hyſteralgiam in medio catameniorum ſuorum excitat. Idem ſymptoma in melancholia Anglica, ſeu tædio vitæ, conſtanter adeſſe ab ipſo ægro percipio.

7. *Cephalalgia intermittens.* L.

Quotidiè, vel tertiâ quâque die etiam ſine pulſûs frequentiâ horis præfixis ea ſpecies ſupervenit, & à veneno febris intermittentis fovetur, quod apprimè evincit curatio, quippe paucæ doſes kinkinæ, irritis cæteris omnibus remediis, hanc brevi tollunt, ut aliquoties expertus ſum.

8. *Cephalalgia gravidarum. Maux de tête des femmes enceintes.* L.

Quandoque gravidas vehemens divexat cephalalgia circa frontem & oculos; palpebræ difficulter attolluntur, imò quod pejus ſopor accedit minimè levans; huic gravi malo, ex quo pejora metuenda ſunt, illico phlebotomiâ etiam repetitâ ſuccurrendum eſt. Hic morbus ſub graviditatis finem magis metuendus eſt, aortâ ſcilicet ab utero compreſſâ ſanguis in ſupernis partibus retinetur, inde metuenda apoplexia, eclampſia, &c.

9. *Cephalalgia inflammatoria* Manget. Biblioth. pract. tom. 1. pag. 1021,

 1022,

1022; *Dolor capitis à meningum inflammatione* ab Heers. *Dolor capitis à phlegmone cerebri*, Braſavoli Comm. in Aphor. 51. lib. 7; River. obſ. comm. 21. A.

Huc referantur etiam dolores capitis ab ictu, vulnere, contuſione, fracturâ, ſimilibuſque principiis procatarcticis, quæ cephalitidem, phrenitidem, eclampſiam, alioſque graviſſimos morbos deinde inducere ſolent, adeoque cura in morbis inflammatoriis & tractatibus chirurgicis eſt inquirenda.

10. *Cephalalgia catarrhalis*. L.

Ea duplex eſt; vel enim eſt externa, id eſt, cutem ipſam tantùm afficit, quæ duplici phænomeno patet, ſcilicet cutis capillatæ rubedine & dolore tactum refugiente, quique etiam capillorum pectinatione exaſperatur. Altera eſt altior & capſulam aponevroticam, quâ involvitur cranium, afficit; atque ut prior coryzâ, tuſſi, ſternutatione ſe prodit, & maximè ex eo quod dolor tactu, frictione ſedatur; hic dolor quandoque eſt ſævus & pertinax cum tinnitu, ſtrabiſmo, viſu duplicato, prout in vicina organa ſerpit fluxio, ac catarrhorum more ad quadraginta dies extenditur. Curatur phlebotomiâ unâ vel alterâ, deinde catharſi binâ, dùm interea potus theiformes, diæta mediocris, ſuffitus ex karabe, fumus ſalviæ, ſacchari uſti, ſimiliaque in uſum vocantur; cùm autem ab aëris frigiditate & humiditate procedat morbus, evidens eſt perſpirationem tegumentis calidis, ſiccis, aëre calido, exercitio, potu calido eſſe revocandam; quod raſio capillitii denſioris etiam præſtat.

11. *Cephalalgia anemotropa* Georg. Hannæi, Miſcell. Cur.: *Cephalalgia rara* Mangeti Bibliothec. Pract.

Ea eſt quæ quoties flat ventus meridianus, calidus & humidus, certos homines conſtanter afficit, & accedente vento boreali aut alio quovis evaneſcit; ad eam diſponunt quæcumque cerebri vigorem imminuunt, ut ſtudia immodica, curæ diuturnæ; quoties flat auſter apud nos electrica vis ferè evaneſcit in aëre, ut docent obſervationes electricæ; inde fortè fit ut tonus cerebri laxetur, ſanguis in eo congeratur, & hæc ſpecies perbellè ſanatur illicò per electriſationem, quæ diverſis artificiis excitatur. Datur altera quæ à vento boreali inducitur, qualem refert *Hannæus*.

An cephalalgia, quæ ab inſolatione accidit, habeat ſymptomata ſpecialia, aut curam ſpecialem, ac proinde inter ſpecies ſit recenſenda, nondum mihi notum eſt; ſcio quidem in hoc caſu ſoporem, imo aſphyxiam quandoque accedere; ſcio etiam mulieres huic malo mederi ſolitas eſſe ſingulari artificio quod vocant ſolis à capite extractionem, appoſito ſcilicet fronti cyatho inverſo frigidâ pleno; verùm an hæc ſufficiant dubito.

12. *Cephalalgia hyſterica*. B.

Illa eſt diverſiſſima ab hemicraniâ clavo, quippe partem magnam capitis, ſæpè occiput totum, afficit cum ſenſu frigoris vehementis, quod quidem pro

hyſte-

hyſteriæ criterio haberi voluit *Baglivi;* ſed hæc ſpecies ex ſignis genericis hyſteriæ magis innoteſcit; fugax eſt, tremorem incutit, ſpaſmodicas contractiones diverſorum organorum, catameniorum emanſionem; antihyſtericis tollitur.

13. *Cephalalgia metallica* D. Doazan Doct. Med. Monſpel. L.

Eſt ſpecies quæ potiſſimùm figulis familiaris eſt, ex eo quod ad encauſtum, quod vitreandis vaſis ſuis adhibent, plumbum & diverſa metalla terere, fundere, eorumque tùm pulverem, tùm vapores haurire conſueverunt. Vide apud *Lemery Diction. des drogues* quænam ſint metalla diverſis encauſtis componendis adhibenda. Illos autem inceſſunt 1° dolor colli & occipitis pertinax, preſſione non exacerbans; 2° dolor gravativus totius capitis, frontis potiſſimùm; 3° ſtupor mentis quaſi ſoporoſus.

Ille autem morbus curatur, ut rachialgia metallica, ſcilicet 1a die clyſma cum decocto colocynthidis, ſennæ & ſimilibus injicitur; 2° trihorio poſt noctu bolus ex theriacâ præſcribitur; 3° manè ſequenti ſex grana tartari ſtibiati in duas doſes diviſa intra ſemihoram hauriuntur; veſpere clyſma ex vini & olei ana unciis quatuor injicitur, dein alternis diebus catharticum validum ad tres vices iteratur, & ſic ægri intra duodecim circiter dies ſanantur.

XII. CEPHALÆA; *Crotaphus* Cæl. Aureliani cap. 22. *Douleur de tête, Cephalée.*

Differt juxta *Cælium Aurelianum* à cephalalgiâ, quòd illa chronica ſit, iſta verò acuta ſeu brevi terminetur. Cephalæa ſcilicet morbus eſt diuturnus dolor totius capitis, ſed etiam vehemens, qui à parvâ occaſione vehementes habet exacerbationes, inde ſequitur cephalæam gradu tantùm, non genere, à cephalalgiâ diſcrepare, & fortè ſatiùs eſſet eas ambas unico generi inſerere; utinam ſaltem ſi genus confuſum ſit, ſpecies dentur diſtinctæ. Cephalæam Neoterici, Stahlianique diſtinguunt in eo quod dolore non gravativo ſed tenſivo ſpaſtico ſtipetur, verùm an hoc verum ſit de omni ſpecie non conſtat.

1. *Cephalæa ſyphilitica, Céphalée vérolique*, Mangeti Bibliotheca Pract. de dolore capitis. C.

Ea præterquam quod ſigna ſyphilidis latentis, malè curatæ obtinet, & quòd noctu, dùm æger lectulo incaleſcit, ferociat, nulla criteria propria obtinet: etenim vidi hanc ſpeciem ita catarrhali affinem ut niſi hydrargyroſi ceſſiſſet, & noctu exacerbaſſet, pro catarrhali eam habuiſſem. Vidi aliàs hanc ſpeciem à biennio ſævientem, noctu exacerbantem, quam pro rheumaticâ Medicus ordinarius habuerat, proindeque phlebotomias repetitas præſcripſerat, juſculaque edulcorantia, ſed incaſſum; æger ſcilicet viru venereum celaverat, ſanguis extractus erat ut in rheumatiſmo gelatinâ albâ craſſâ obductus; cùm demùm accerſitus confeſſionem virus venerei extorſiſſem, adhibitâ

hydrargyroſi æger convaluit, hæc ſpecies neglectâ exoſtoſes carieſque cranii inducit.

2. *Cephalæa ab acrimoniâ. Cephalalgia ſcorbutica* Boneti in Sepulchr. *Dolor cephalicus à materiâ ſalina* Frid. Hoffmanni; *à ſcabie, guttâ roſaceâ repulſis* ejuſdem. L.

Ea eſt quæ ab acrimonia humorum dependet.

Cognoſcitur ex victu prægreſſo, ex temperamento calido & ſicco, à juvantibus ſcilicet lacticiniis, aquis acidulis, balneis, & à lædentibus, ut calidis, acribus. Si acrimonia tanta ſit ut oſſa erodat, diploen corrumpat, ad terebrationem aliaque auxilia chirurgica deveniendum eſt.

3. *Cephalæa artrhitica*, Muſgrave cap. 14. hiſt. 7; Frider. Hoffmann. de dolore cephalico; *Podagra capitis*, Act. Acad. N. C. Obſ. 155, 214, &c. L. P.

Vidit hanc ſpeciem quotidiè eadem horâ meridie recrudeſcentem adeò intolerabilem ut nihil magis; capite fortiſſimè vincto levabatur paululum; ea dolore ad pedes redeunte illico evaneſcit; ut autem in pedes divertatur nihil eſt utilius epiſpaſticis, inter quæ lavipedium ex aquâ calidiſſimâ aliquoties miros effectus præſtitit; novi aliquot ægros eâ methodo ſanatos.

4. *Cephalæa febricoſa.* Vide Morton. Pyretolog. pag. 32. *Hemicrania à febre intermittenti latente.* A. P.

Dolorem capitis intolerabilem, certis ſtatiſque periodis quotidiè utplurimum recrudeſcentem, obſervavit Auctor, verùm abſque aliquo ſolemni algore, rigore, calore & ſudore, qui ſeſe alternatim excipiunt in legitimis intermittentibus; urina verò multùm tincta & contentis ſaturata ſpeciem aquæ cum pulvere lateritio mixtæ ſemper præ ſe ferebat.

Morbum ſæpè incaſſum frequenti phlebotomiâ, etiam è jugulari, epiſpaſticis, cephalicis omnigenis, errhinis, maſticatoriis, aggreſſus eſt *Mortonus*, eum verò auxit adhibitis emeticis, catharticis levioribus, chalybeatis, antiſcorbuticis: donec tandem experientiâ didiciſſet uſu copioſo kinkinæ doloris hujus fomitem penitus poſſe ſubigi.

5. *Cephalæa melancholica*, Ramazzini *hypochondriaca* dicta. L. P.

Eſt ea ſpecies quæ ſanguinis viſcoſitati, lentorique tribuitur, quæ ut plurimum mitis, ſed diuturna ferè continua eſt, cum animi mœrore, ſolitudinis amore, & non raró puellis ob latens matrimonii deſiderium, vel aliud pathema, viris ab ærumnâ, curis, ſtudiis immodicis ſupervenit; valdè affinis eſt cum ſpecie quam ſuppreſſio catameniorum & hæmorrhoidum fovet. Aſt peculiariter exigit diluentia, ruſticationem, venationem, quæcumque diverſitatem & hilaritatem idearum valent excitare, æſtate verò balnea, aquas acidulas, &c.

6. *Cephalæa Polonica*, Stabel hiſtor. 5. & 6. plicæ Polonicæ. C.

Eſt ea quæ à plicæ Polonicæ retentione, vel capillitii plicoſi reſectione ortum ducit, quæque atrox eſt ac cariem cranio infert.

7. *Cephalæa ſeroſa*, Mangeti Biblioth. practic. de dolore capitis Tom. 1, Boneti

Boneti Sepulchret. Tom. 1, Fabricii Hildani Centur. 3 obſ. 20. C.

Numeroſæ proſtant obſervationes hujus ſpeciei quam tribuunt ſero in diverſis cerebri partibus collecto; an verò illud principium incuſant quia cadaverum diſſectio hoc ſerum adeſſe docuit? certè non valet conſequentia; an quia hydrotica, diuretica, veſicatoria, ſetacea profuerunt? inde non certò deduci poteſt morbum à ſero profluxiſſe, cùm aliunde ſerum ſtupori, gravitati, ſopori potiùs inducendis par videatur, quàm vividis doloribus excitandis, niſi aliquis ſit infarctus phlogodeus, ut in catarrhali cephalæa. Conſule *Morgagni de Sede Morborum Epiſt.* 1. ubi hujus cephalææ acutæ proſtant caſus à *Valſalva* obſervati.

Cephalalgiæ ſpeciem intolerabilem amentia terminari ſolitam putabat *J. Salzmannus* oriri à pineali glandula calculoſa vel ſcirrhoſa; talem invenere in hoc morbo *Schenckius*, *Drelincurtius*, &c. ſed hujus ſpeciei ſigna deſunt.

Ab hydrocephalo ſinûs cerebri ortam vidit cephalæam diriſſimam *P. Borellus Obſ. 38 Cent. I*; repulſa fuerat ſcabies; aqua puriſſima ad libras duas effluxit cum impetu ex ſinubus cerebri poſt mortem inciſis.

XIII. HEMICRANIA; *Migraine*, *Clou.*

Eſt morbus cujus præcipuum ſymptomata dolor eſt in alterutro capitis latere, potiſſimùm ad tempora, frontem, juxta oculos, iſque vehemens, ſæpè periodicus.

Differt à cephalæâ ex eo quòd ejus ſedes non eſt in encephalo, nec in calvariæ parte quæ immediatè cerebrum tegit, ſed in ſinubus frontalibus, orbitâ oculorum, ita ut vel oculi globus vehementer afficiatur tractione, lachrymatione, vel æger naris obſtructione, coryzâ, ſimilive ſinuum frontalium læſione laboret ut plurimum, aut in loco, quem clavus aut pollex tegeret, terminetur affectus, quod in cephalæa non accidit.

1. *Hemicrania ocularis*. C.

Ea eſt quæ pendet ab oculi ſuppuratione, ſynchyſi, inflammatione internâ. In illâ dolor eſt conſtans, tenſivus in parte ſuperiori orbitæ alterutrius oculi cum viſûs læſione notabili.

Sunt autem plurimi oculorum morbi quos ea comitatur, ſequiturve, & in quibus ille dolor ſæpè eſt præcipuum ſymptoma, & 1° quidem cataractæ purulentæ, & cataractæ à ſynchyſi: 2° amblyopiæ hydrophthalmicæ: 3° amauroſeos à ſynchyſi: 4° ophthalmiæ choroideæ, uveæ; ab elcomate, & ſæpè ſequitur extractionem cataractæ, oculi ipſius evacuationem, atque non raró ad mortem uſque ægrum divexat; ſi verò ægrum orbum uno oculo dimittat, anno ſequenti alterum oculum aggreditur. Si ſit diapyeſis ſeu puris collectio in camerâ poſticâ, puris emiſſio poteſt dolorem ſanare; ſi ſit ſynchyſis, ſuadet *Saint Yves* ipſius oculi extractionem; ſervet nos Deus immunes à morbo & à remedio.

Sola obſervatio poteſt evincere hemicranias immanes pendere à vitio partium remotarum, & quoniam Medici ſpecierum morborum doctrinam parvi faciunt, inde incidunt in errores ægris pernicioſos; ſic pro rheumatiſmo plu-

res Medici curabant hemicranias odontalgicas, quæ demùm illicò dentibus carioſis avulſis à *Fauchartio* evanuere, nec ampliùs rediere.

2. *Hemicrania odontalgica* Fauchart 2, 3, & 4 obſervat. pag. 413. B.

Ea eſt quæ principium ſuum habet in dente carioſo, ac nervis pedem anſerinum conſtituentibus, cujus curationem ex dentis avulſione, vel ex nervi affecti ambuſtione exſpecta, qualem tradidimus inter triſmi ſpecies: mira quidem ſympathiæ ſpecies, quippe utut principium in nervis dentium exiſtat, non raró ſolùm caput juxta oculos dolet, quo dolore ineunte, vel remittente odontalgia apparet. Succus porri in aurem infuſus dolorem ſublevare dicitur; niſi omnes carioſi dentes avellantur, hemicrania permanet, & ad plures menſes ac annos quandoque perſeverat.

3. *Hemicrania ſinûs*. Journ. de Med. Avril 1761, & pag. 371 à calculis. D.

Eſt ea quæ ab alterutro ſinu frontali obſtructo dependet; dolor eſt perſeverans, diuturnus, in imâ parte frontis ſupra orbitam; naris ejuſdem lateris eſt ſicca, oculus vel ruber vel lachrymoſus cùm dolor exacerbatur: hujus verò varietates ſunt 1° à vermibus vel larvis muſcarum intra ſinum latitantibus. *Vide Fernel. 5 Pathol. cap. 7*, *Rolſincium de capitis dolore*, *Boneti Sepulchretum tom. 1. pag. 67*; cognoſcitur ex pruritu & vertiginoſo affectu conjunctis; huic ſpeciei frequenter obnoxiæ ſunt capræ & oves, unde vertiginoſæ evadunt. 2° A ſanguinis impetu critico & errore hæmorrhagiæ narium. Monialis bis hunc morbum cùm febre acutâ paſſa eſt, primâ vice hæmorrhagia narium quam Medicus ex pulſu naſali prædixerat eam liberavit; alterâ vice eadem ſymptomata, idem pulſus, ſed naris ſicca fuit, & nihil ſanguinis ex eâ effluxit: Febre ſanatâ dolor immanis in orbitâ permanſit: Conſultus cum *Ill. D. Chaptal* non dubitavimus quin ſanguis in ſinu clauſo collectus huic anſam præberet, & trepanum ſinui applicandum ſuaſimus. 3° Dantur ſimiles dolores à muco ibi collecto, imò indurato & in calculos converſo; calculi alii per nares anticas rejecti fidem faciunt *Bonet. Sepulchret. appendic. pag. 62. tom. 1*; alii per nares poſticas; *idem ibidem pag. 61*; Acidulæ potatæ in hoc caſu profuere, *Fabric. Hildan. Centur. 5. obſ. 1.*

4. *Hemicrania coryzæ*. B.

Sic dicta quia à coryzâ incipit; & coryzâ ac alterius naris ſiccitate conſtanter ſtipatur; eſt dolor atrox periodicè, ſed raró, ut ſemel vel bis in anno, revertens cum oculorum intra orbitam violentâ retractione, lachrymatione, quandoque viſûs hebetudine, aliiſque diris ſymptomatis, quique pendet ab infarctu ſinuum frontalium: infarctus verò ille eſt à muco viſcido & acri, ſaltem in ſene; hunc morbum vidi ſanatum duciis ex aquâ Bellilucanâ, & inde ſecuto fluxu viſcoſo è naribus.

Verùm quænam ſunt hemicraniæ quæ curantur veſicatoriis, ſetaceis, ſimilibuſque remediis pone caput applicatis? nonne ſunt cephalææ ſeroſæ?

5. *Hemicrania hæmorrhoidalis* Heiſteri; *Clavus hæmorrhoidalis*, diſſertat. ann. 1734 Helmſtadii. A. P.

Character. Dolor capitis fixus quaſi à clavo premente vel terebrante; hæ-

hæmorrhoidibus & catameniis, hæmorrhagiis narium, ſuppreſſis ſuperveniens, his reſtitutis ſanandus.

Adeſt partis intumeſcentia, calor, rubor, ardoris ſenſus, agrypnia, pulſatio temporum, corporis laſſitudo, urina rubra, ſpumans, pulſus durus, plenus.

Cura exigit ſanguinis detractionem & dilutionem, fluxuum ſuppreſſorum reſtitutionem ad principium tollendum: hoc præſtant phlebotomiæ pedis, dein hirudines parti ipſi aut ano etiam applicatæ, diæta diluens & refrigerans, medicamenta reſolventia & temperantia, ut pulvis temperans Stahlii vel Heiſteri ex matre perlarum cum nitri granis tribus, quatuorve, potiones temperantes ex lapide cancrorum, matre perlarum, aquâ roſarum, florum tiliæ, ſambuci, cinnamomi cum ſyrupo violaceo: fomenta ex floribus chamæmeli, ſambuci, millefolii & micâ panis, ſpiritu vini camphorato, &c. Cucurbitulam parti applicatam laudant *Naturæ Curioſi*, hirudines *P. Borellus*; arteriotomiam *Pareus*, aquam frigidam nonnulli.

6. *Hemicrania clavus*; *Clavus hyſtericus* Sydenhami de colica hyſterica, proceſſ. integr. pag. 669: *Le clou hyſterique* Raulin des maladies vaporeuſes pag. 258. A.

Eſt dolor atrox, perterebrans, capitis, in parte quam pollex vel ovum tegeret, clavi infixi ſenſationem referens cum animi deſperatione, proſtratione, ſæpè delirio, hyſtericas, chloroticaſque diſcrucians. Arabibus etiam *ovum* & *teſta* dicitur, ſi paulò majus ſpatium occupet. Hic morbus atrox phlebotomiis incaſſum oppugnatur. Valet hìc tantùm curatio eadem ac in gaſtrodyniâ hyſtericâ, ſcilicet ſerum lactis & laudanum.

7. *Hemicrania purulenta* Nicolai Decas obſervat. pag. 14 Argentorati, 1725. C.

Miles accepto ante triennium vulnere capitis cum fracturâ, ſed dudum conſolidato, ab hoc tempore laborabat cephalæâ immani, quæ omnes Medicorum & ipſius carnificis conatus eluſerat; præſcripto denique pulvere cinnabaris & nitri, emulſione & emplaſtro, facta eſt cum aliquali fragore ſternutatio cum excretione purulentæ materiæ tenacis ſanguine interſperſæ per nares, integrum diem perdurante, & ad quadrantem menſuræ accedente, quam ſubita doloris mitigatio & tandem plenaria ſublatio ſubſecuta eſt; unde infert auctor ſæpè medicamentis tribui effectus quos minimè præſtant & fortunam eſſe Medicorum fabrum.

Eſt itaque ea ſpecies quæ à pure ſinus frontales, maxillareſque replente deducenda eſt.

8. *Hemicrania ab inſectis.* Morgagni de ſedib. Morb. Epiſt. 1.

Eſt ea quæ oritur à quodam inſecto intra ſinus frontales nidulante, v. g. ab ſcolopendrâ, œſtro naſali, vel larvis muſcæ carnariæ, ab erucis, &c.

1°. Catharina Pnaferin quinquagenaria per annum fuit vexata dolore exquiſito frontis verſùs latus dextrum, cujus locum pollex tegere poterat: is dolor à ſomno tranquillo evigilantem, vel radiis ſolaribus expoſitam acriùs

diſcruciabat; aderat pruritus narium earumque ſiccitas & obſtructio ad partem dextram cum frequenti ſternutamento, capitis obnubilatione, vertigine & palpebræ dextræ ſpaſmo; expergefacta tetrum odorem ex ore exhalantem, reliquo tempore ructus acidos experiebatur. Inſpiravit tabaci pulverem, aquam Reginæ Hungariæ: ex his repetitis ſecuta eſt muci copioſa emunctio, & denique viva ſcolopendra bicornis expeditè currens, ſe in circulum convolvens, quindecim ex utraque parte aut plures pedes habens: Videtur ſcolopendra plana pedibus utrinque quindecim Faunæ Suecicæ 1263. Vide *Hiſt. de l'Acad. R. des Sc. Ann. 1733 p. 33, & 1708 pag. 24;* oleo in aurem immiſſo ſcolopendra poſt triennium ejecta fuit & ſyrigmus eam comitans ſanatus. 2°. Ab Eruca piloſâ intra ſinum frontalem latente *Fabricius Hildanus centur. 1. obſerv. 8.* obſervavit puerum hemicrania diſcruciatum: Vide iconem apud auctorem. Similem erucam piloſam medium digitum longam vidit è naribus ejectam *Tulpius lib. 4. obſerv. 12.* Illa hemicrania ovibus eſt familiaris, hominibus non raro tamen accidit, ut conſtat ſex obſervationibus quæ proſtant in *Ephemer. Nat. Cur.* Licet autem plures Authores eam tribuant vermibus intra cerebrum latitantibus, hoc nullius Authoris fide digni obſervatione conſtat, ut monet *Illuſtr. Morgagni Epiſt. 1 p. 6 & 7.*

In ſimili morbo *D. Lindern* Argentinenſis obſervat dolorem ad occiput exporrigi, mucum è naribus extillare, à lacte calido in nares attracto levari, ab errhinis exacerbari, vomitoriis excuſſam eſſe erucam infernè flavam ſupernè fuſcam, punctis nigris notatam.

9. *Hemicrania nephralgica* Baglivi pag. 335. cap. 9 de fibra motrice. A. Obſervavit *Baglivi* hemicraniam in nephralgiâ ex eodem latere quo calculus dolorem creat cum pulſu ejuſdem lateris parvo & depreſſo, quod deducit à doloroſâ oſcillatione & contractione fibrarum communicatâ à renibus ad pericranium.

10. *Hemicrania lunatica* P. Salii cap. 10. ad Altomari praxim. L.

Ea eſt quæ determinatè qualibet octavâ die circiter, ſeu juxta quamlibet lunæ phaſim ægros divexat. Tres vidit Auctor ægros, inter quos Dominicanus per tres annos & ſeptem menſes continuos quâlibet octavâ die lunæ, fermè eâdem horâ, hemicraniam patiebatur cum ingenti & acuto dolore circa temporalem muſculum, triginta circiter horas perſeverante, quo tempore nec lumen aſpicere, nec ſtrepitum audire, nec etiam cibum guſtare poterat ſine manifeſtâ læſione; in intervallis ſaniſſimus erat.

Meritò exiſtimat Auctor à veneno intermittentis febris octavæ pendere hanc hemicraniam.

XIV. OPHTHALMIA; *Pituita* Horatii; *Lippitudo* Celſi; *Oculorum inflammatio*, *Dolor oculorum* Sennerti; *Ophthalmoponia* Heiſteri; Gallicè *Ophthalmie*, *mal aux yeux.*

Ophthalmia Græcis ab *ophthalmos* oculus, quaſi morbus ocularis.

Cognoſ-

Cognoſcitur ex oculi *dolore*, *rubore*, *intolerantiâ lucis* & *lachrymatione*.

Dolor & lucis intolerantia ſunt præcipua ophthalmiæ ſymptomata ; rubedo in ophthalmiis externis tantum adeſt. Dolor in oculis eſt proportionalis hujus organi ſenſibilitati, quæ maxima ; quippe nulla pars ſub pari volumine tot fila nervea recipit, quot oculus. Ille ex ſex paribus nervorum fila mutuatur, & ſenſibilitas eſt nervorum quantitati intra datum ſpatium proportionalis, ſi par ſit filorum nerveorum diſtractio.

Cùm ophthalmia eſt inflammatione ſtipata, quod in plurimis ſpeciebus accidit, dolorem comitantur rubedo, calor, tenſio, tumor, quorum omnium cauſa eſt impetus cruoris in vaſa ſanguifera oculi : *Vide theoriam inflammationis* : Inde etiam nervorum diſtractio : verùm dantur ophthalmiæ internæ quæ etiam in ſuppuratum abeunt, v. g. in cryſtallino, ſine prægreſſo rubore ac tumore conſpicuis, ut cùm cryſtallinus ſuppuratur ; ibique datur inflammatio lymphatica Boerhaave.

Intolerantia lucis retinæ ſenſibilitatem adauctam eſſe probat, ſive detur ejus infarctus phlogiſticus, ſive tenſa ſit nimium choroidea, ejuſque expanſio uvea, ſive ſimul conſentiat ſclerotica ; in his omnibus caſibus datur *myoſis* ſeu pupillæ anguſtia huic lucis intolerantiæ proportionalis.

Illachrymatio uberior accidit propter dolorem oculi, ejuſque ſiccitatem & fervorem ; natura ſiquidem eo fine ſecretionem illam intendit ut lachrymarum fluento, ſi quid eſt peregrinum, everratur, ſiccum humectetur, fervidum & acre temperetur ; nec alio modo intelligitur quare ab irritatione magis augeatur lachrymarum excretio quàm illarum per puncta lachrymalia reſorptio, quod tamen ad epiphoram ſtatuendam omninò neceſſarium eſt.

Differt à caligine, quia obſcuratio viſûs in ophthalmicis eſt libera ; ſi enim palpebras aperiant, clarè vident ; verùm in caliginoſis eſt obſcuratio coacta quæ à voluntate ſuperari non poteſt.

1. *Ophthalmia Taraxis. Taraxis* Aëtii, Pauli lib. 1 cap. 22 ; *Ophthalmia notha* Sennerti : *ophthalmia catarrhalis* Saint Yves ſpec. 3. De Meyſerey art. 383. 382. B.

Ea ſpecies omnium leviſſima eſt, à nullo interno vitio præexiſtente fovetur, & tantùm accidentaliter à principio procatarctico pendet, ut à frigore, rore veſpertino, fumo, vento, lectione immodicâ, oculorum labore in minutis aſpiciendis, ex vapore cæparum, allii, pulvere &c.

Sanatur naturæ vel artis auxilio ; natura ſcilicet pulverem aut miaſma acre everrit, eluit, obortis lachrymis ; dolorem ſedat à luce ortum clauſis interdiù palpebris ; & naturæ imitatrix ars medica umbellam ex ſericea telâ viridi prætendit, tenebras ſuadet, aquâ tepidâ oculum eluendum jubet, nec non abſtinentiam à principiis nocivis, ut lectione potiſſimùm nocturnâ, à vento, ſole. Si quid in oculos ſeu inter palpebram & oculum hæſerit, diductâ palpebrâ interventu plumulæ vel fruſti papyri illud extrahitur.

2. *Ophthalmia trichiaſis*, *Trichiaiſe* de St. Yves p. 98. L.

Trichiaſis eſt directio ciliorum verſus oculi globum. *Diſtœchiaſis* eſt ſeries duplicata pilorum in palpebræ internâ ſuperficie.

Si pili ciliorum prælongi ſub palpebris recondantur, naſcitur ophthalmia, quæ eductis ciliis evaneſcit; verùm cùm cilia ob ulcuſcula marginis palpebrarum intus enaſcuntur, ea acriter pungunt oculum, eumque inflammant, exulcerant, uſquequò exſtirpata ſint. Fruſtrà reſecantur hi pili, qui rigidiores deinde ſuccreſcent; eradicari debent ſigillatim interpoſitis pluribus diebus, & dein, ne novi ſuccedant, ſub debitis cautelis, lapide infernali locus unde exſtirpati ſunt eſt comburendus, imò ſuadent quidam, ubi nullum aliud eſt remedium, palpebræ marginem pilis onuſtam omninò reſecare; de quibus vide *Heiſterum Chirurg. cap.* 47, & *Saint Yves cap. 8* page 98.

3. *Ophthalmia tuberculoſa.* L.

Poſthia Galeni, à *poſte* præputium vel *potos* deſiderium. Tubercula palpebris accreta ſunt *hordeolum*, Gallis *orgeolet*, *envie*, quia creditur accidere illis, qui gravidæ deſideranti quidpiam recuſant. *Grando*, Græcis *Crite*, Gallis *grain de grêle* ob duritiem & pelluciditatem tuberculi, unde etiam *ſclerophthalmia* Aëtio dicitur, nec non aliis *Chalaza*: *Præputiolum* Cornarii.

Naſcuntur ſcilicet in palpebrarum marginibus tumores rubri, duri, indolentes, aut parùm dolentes, qui veluti præputiolum phimoſi affectum referunt.

Illa tubercula ſunt emollienda ut reſolvantur; ſi non reſolvantur, ſunt inflammanda aut adurenda ut ſuppurentur; vel ſunt enucleanda, & demum cicatrix eſt inducenda; ſi ſint verrucæ, atheromata, excreſcentiæ, filo vinciri debent ut cadant, vel comburi, vel forficibus reſecari.

Emolliuntur emplaſtro de mucilagine, de vigo, cum pauxillo ſaponis &c: comburuntur guttâ ſpiritûs ſalis ammoniaci, vel quod promptiùs agit, acumine lapidis infernalis: enucleantur, reſecantur forcipibus; vinciuntur filo ſericeo ſi verrucæ, excreſcentiæ, petiolatæ ſint. Curatur ulcuſculum unguento diapompholygos.

Vide *Boerhaave de Hordeolo*; *Heiſter. Chirurg. cap.* 43. 44.

4. *Ophthalmia Trachoma* P. Æginetæ.

Trachoma eſt aſperitudo palpebræ in parte internâ.

Daſymma vocatur, ſi ſit herpetica; *Tyloſis*, ſi calloſa; *Sycoſis* demùm, ſi puſtulæ craſſiores fuerint.

Differt à pſorophthalmiâ ex eo quod puſtulæ duræ miliares ſeu exiguæ palpebras intùs, non verò globum oculi afficiant.

Epidemica fuit Romæ poſt terræ motum & quadrageſimale jejunium. *Baglivi* & *Teloni de terræ motu.*

Cognoſcitur ex ſenſu gravitatis in palpebris; accedunt dolores vividi, pruritus aſſidui, calor & rubor in canthis & conjunctivâ; ulceroſi videntur tarſi ex quibus lippitudo glutinoſa fluit cum lachrymis rodentibus; noctu palpebræ agglutinantur.

Si inveteraſcit morbus, palpebra potiſſimùm inferior invertitur, & cartilago tarſus dicta prominet inſtar arcus tumidi; excoriantur tarſi, & morbus voca-

vocatur à Boerhaave *inflammatio excoriatoria palpebrarum*, hinc earum ſequitur exulceratio, necnon puſtulæ exiguæ miliares quandoque inſtar arenularum calloſæ interiora palpebrarum obſident. Affectus hic contumax eſt & valdè incommodus : ægri de arenulâ in oculis pungente conqueruntur, nictando excoriationem recentant, &c.

Curatio mali recentis alia eſt quàm inveterati.

In recenti inflammatio ſedanda maximè remediis internis, phlebotomiâ, catharſi, juſculis diureticis, balneis, necnon topicis.

Recipe bulbi liliorum unc. ſemiſſe; florum meliloti vel ſambuci, unc. i; croci, ſcrupul. i; coque in aquâ; adde farinæ ſiligineæ q. ſ. & ſalis ammoniaci gr. vj.

Hoc cataplaſmate linteis involuto, bis in die renovato, foveatur oculus donec palpebræ priùs tenſæ jam laxæ & rugoſæ evadant. Si ultra pergas, ſuccedet epiphora ſebacea, niſi adſtringentibus, ut roſis, malicorio, agrimoniæ foliis decoctis cum pauco mellis roſacei, utaris.

In inveterato morbo unguentum ſequens palpebris eſt illiniendum.

Recipe ſacchari ſaturni, drachm. i; ceruſæ albæ, ſcrupul. iv; camphoræ, gr. vj; cum pauxillo olei roſarum tere, dein adde unguenti de tutiâ vel roſacei unc. i; inunge mane & veſperi palpebras clauſas : ſi non poſſit tolerari, ex butyro recenti, oleo ceræ & cerâ albâ fiat unguentum ſolùm leniens.

Ulceratis & ſcabioſis palpebris *Saint Yves* admovet collyrium ex hepatis antimonii, drachm. ii; tutiæ ſemi-unciâ, camphoræ ſemi-drachmâ, caryophyllorum gr. xx. quæ infundantur per octiduum in aquarum euphraſiæ, fœniculi, chelidonii magni & rutæ, ana unciis iv. ter in die inſtilletur aqua illa in oculum; veſpere unguentum de tutiâ applicetur. Si hoc non ſuccedat, lapide infernali urantur ulcuſcula marginis palpebrarum cum cautelis debitis.

Si herpes tantùm ſit in palpebris, nec ulcus ullum evidens, ſufficit quater in die collyrium ex ſalis ſaturni & ſalis ammoniaci ana gr. iv. in aquæ roſarum & plantaginis ana unc. iv.

5. *Ophthalmia ſicca. Xerophthalmia* P. Æginetæ. *Ophthalmia angulos oculi afficiens* Saint Yves. *ſpec. 5. ab acrimonia ſanguinis*, De Meyſerey n. 386.

Nullus tumor in palpebris, rubedo & pruritus tantùm in tarſis, lachrymæ vix ullæ, palpebræ noctu agglutinantur, lux ab aquis reflexa vix toleratur; curatur faciliùs quàm humida; interea eſt contumax & habitualis, quippe fovetur à lymphæ acrimoniâ, atque ſuperveniente levi dyſuriâ tanquam criſi ſanatur, metaſtaſi factâ ex conjunctivâ in præputium.

Cura exigit phlebotomiam quæ ſæpè ſufficit; maximè verò præmiſſâ catharſi balnea per aliquot dies repetita ſuccedunt. Juſculum refrigerans, vel ſerum lactis è balneo exeunti propinatur; noctu anodyna proſunt, maximè puerulis obſervante *Sydenham.* Aquæ acidulæ per æſtatem novem diebus potantur.

Topica quæ indicantur ſunt collyria ex aquis roſarum, plantaginis, mucilagine pſyllii; aqua ſpermatis ranarum; folia cydoniæ, petala roſarum; juvant etiam aqua vel ſolutio ſaturni, aut ſal ſaturni magnâ aquæ copiâ di-

lutum, ſaccharum canthum &c. *Saint Yves* verò præſcribit collyrium ex aquarum roſarum & plantaginis ana unciis ii, tutiæ gr. xii. & ſpiritûs vini cochleari: foveatur oculus per diem hoc collyrio; veſpere autem huic applicetur plumaceolum in decocto foliorum veronicæ, thymi & florum roſarum ex vino rubro intinctum; taleolæ pyri aut pomi ſedant apprimè.

6. *Ophthalmia puſtuloſa* Saint Yves. Mal. des yeux pag. 183. *Ophthalmie bourgeonnée.* L.

In hac ſpecie faſciculi vaſorum rubrorum ab interiori palpebræ tunicâ ad corneam uſque excurrunt, & ad corneæ peripheriam puſtula excitatur lentis magnitudine; ſi verò in corneâ ipsâ reſideant puſtulæ, ibi pure confecto, abſceſſus albedine ſe prodit.

Cura exigit ſolutionem aquæ divinæ in aquâ, modò puſtulæ corneam non attingant: ſi verò eam attigerint, abſceſſuſque efformaverint, ut abſceſſus aperiatur guttatim affundenda eſt aqua deſtillata camphoræ, & apertis puſtulis ad ſolutionem lapidis divini recurrendum.

7. *Ophthalmia eryſipelatoſa* Saint Yves ſpec. octava pag. 184.

Rectiùs *herpetica* nominanda eſt; in eâ ſcilicet præter conjunctivæ ruborem, palpebrarum tumorem, cum doloribus oculi & capitis intolerabilibus ſummoque calore exoriuntur cruſtæ, & ſquamæ furfuraceæ in fronte, temporibus & naſo, quibus ſanatis cicatricoſæ remanent partes. Morbus eſt pertinax & curatu difficilis.

Curatio exigit 1° fomentum ex aquâ florum ſambuci cum decimâ parte ſpiritûs vini; 2° ſetaceum nuchæ applicabitur, præmiſſis phlebotomiâ repetitâ & catharſi, necnon ad veſicatoria ſcapulis aut pone aures admovenda confugiendum erit: propter dolores iteranda phlebotomia, & narcotica in uſum vocanda ſunt.

8. *Ophthalmia humida.* Saint Yves ſpec. 2; *Epiphora* Galen. introduct. *Ophthalmia vera* Sennerti.

Habitualis eſt ut ſicca, ſeu fomitem habet in ſanguinis maſſâ, unde eſt pertinax. Cognoſcitur ex lachrymarum abundantia, & palpebrarum tumore circa tarſos, ac copioſa lippitudine: dolores oculi lancinantes, lucis intolerantia, rubedo interioris oculi, cum impoſſibilitate palpebras diducendi; inde maculæ ſuccedunt in corneâ; ſæpè apud pueros genæ à lachrymis excoriantur, naſus & labia ob ſitum declivem & inclinatum capitis intumeſcunt.

Cura exigit phlebotomiam è brachio, pede, jugulo, necnon hirudines oculi viciniæ admotas tres vel quatuor; ſecundâ vel tertiâ die catharticum vulgare ex ſennâ, mannâ, tamarindis; quibus præmiſſis juſcula ex lactucâ, acetosâ, endiviâ uſurpanda ſunt; noctu narcotica aſſumenda; veſicatorium amplum inter ſcapulas applicandum, vel in pueris aurium fluxus excitandus, fovendus ut ſerum acre ab oculis revellatur; catharſis etiam iteranda, & balnea domeſtica tunc in uſum vocanda, niſi linguæ & ſtomachi ſtatus diſſuadeant. Interea oculis collyria initio mitiſſima admovenda, nec conveniunt aquæ fœniculi, multò minùs aqua euphraſiæ quæ acrior eſt, ſed pulpa pomi in lacte cocti, lac ipſum recens mulctum, mucilago ſeminum pſyllii, cydoniæ,

doniæ, albumen ovi cum aqua roſarum, aut quod melius eſt, quia oculis non agglutinatur, albumen ovi cum pauxillo aluminis intrito inſpiſſatum & linteo obvolutum; necnon albumen ovi ad duritiem coɛti & tranſverſim ſeɛti, quod aquâ roſarum, vel plantaginis irroratur; ſedato fervore, aqua roſarum cum pauxillo aquæ Saturni, vel ſacchari Saturni, poteſt admoveri, aquæ fœniculi & roſarum ana unciæ duæ cum ſacchari Saturni gr. ii. fiat collyrium, vel cum trochiſcis albi Rhaſis ſemi-drachmâ. Sedato dolore pulvis tutiæ oculis noɛtu inſpergi debet, ut palpebræ manè poſſint aperiri, ſecus lippitudo eas agglutinat.

Denique in inveteratâ hac ophthalmiâ vitriolum vel album, vel romanum debet eâ doſi in aquâ fontanâ diſſolvi, quæ ſi gutta inſtilletur, vividum dolorem, ſed momentaneum oculis inferat; ſic ſcrupulus vitrioli in aquæ unciis ſex cum ſacchari drachmâ hunc effeɛtum præſtat; illud collyrium horâ ſomni debet inſtillari, nec oculus faſciis aut ſpleniolis aggravari; nunquam verò mane acria inſtillanda ſunt, ſed ſolummodò oculi aquâ tepidâ, aut aquâ roſarum fovendi, balneandi.

Sunt qui vitriolo addunt æruginis grana tria, aut qui vinum in quo moneta cuprea per noɛtem infuſa ſit, adhibent, aut qui lapidem divinum in aqua infundunt, & hujus guttulas oculis veſpere inſtillant, quæ etiam collyria feliciter ſuccedunt, modò balneis, phlebotomiis, juſculis ſanguis edulcoratus fuerit.

9. *Ophthalmia ſcrophuloſa.* Diɛtion. de Med. L.

Illa infantibus ſcrophuloſis familiaris eſt, eaque humida, cum palpebrarum marginibus tumidis, maximè lippitudine viſcoſâ obduɛtis, conjunɛtivâ rubrâ, ſubtumidâ, lachrymis acribus; illi caput deorſum inclinant, naſum, labra, collum habent turgidula, ſubtumida, & leucomate ſæpiùs cornea opacatur.

Principium morbi eſt lympha ſcrophuloſa, viſcida & acris, quæ debet dividi, attenuari, depurari. Hoc præſtant cathartica iterata, præmiſſâ pilulâ ex aquilæ albæ granis duodecim: dein juſcula aperientia quæ pauxillum limaturæ ferri, chinæ minutim ſeɛtæ & millepedum recipiant, præſcribenda ſunt, addito calendulæ ſylveſtris pugillo, aut aparines foliorum manipulo dimidio. Ptiſana etiam convenit ex chinæ & radicum lapathi ana unciâ unâ, quæ bulliant in aquæ libris decem ad dimidii conſumptionem: ſub finem coɛtionis adde ſummitatum cupreſſi pugillos tres, glycyrrhizæ drachmas duas, utatur pro potu ordinario. Dein utatur per triduum bolo qui recipiat æthiopis mineralis gr. xx aut xxx, purgetur quartâ die; qui bolus cum ſequenti catharſi poſt ſeptimanam iteretur: ſi tempeſtas permittat, balnea etiam in hac ſpecie fauſtè ſuccedunt, atque, quod cæteris præſtat, eſt ſetaceum collo inſitum per menſes potiſſimum temperatos ſuſtinendum.

Remedium Doɛtoris *Hans Sloane* hic apprimè quadrat, collyrium ſcilicet ex axungiâ viperinâ & tutiâ paratum appoſito ſimul amplo ad nucham veſicatorio: laɛtis autem uſus minimè negligendus, intereadùm topica collyria ophthalmiæ humidæ in uſum vocantur, mixta cum reſolventibus

ex thymo, verbenâ & euphraſiâ depromptis, quæ initio morbi metu inflammationis minimè convenirent.

10. *Ophthalmia tenebricoſa*; *Hydrophthalmia* Græcis; Maitre-jan de l'extenſion du corps vitré, 2. p. chap. 1. idem *Exophthalmia* chap. vi. part. 2. *Gutta ſerena* quibuſdam. L.

1° Dolet frons & oculus unus vel uterque. 2° Dolore ſedato vel recedente, bulbus oculi paulò major videtur & eminentior. 3° Pupilla multò magis dilatata eſt, minuſque ad ſolem coarctatur quàm in ſtatu ſano. 4° Viſus ita obſcuratur, ut objecta vix diſtinguant, vix ſoli progredi queant ægri.

Oculi prominentia minùs ſenſibilis eſt, ſi oculi ſint nigris iridibus præditi; præſertim ſi ambo ſint affecti; magis ſenſibilis verò cùm irides ſunt cæruleæ vel albeſcentes, oculi maximè fiſſi; adhibitis auxiliis maxima horum pars viſum recuperat, ita tamen ut non priſtinam viſûs diſtinctionem & claritatem attingant.

Hic morbus frequentiùs accidit viris atrabilariis, mulieribus ab uno altero ve menſe gravidis, & ad partum perſeverat, virginibus oppilatis quas per quatuor vel quinque menſes affligit.

Sennertus hunc morbum deſcripſit *cap. 37. ſect. 2. libr. 1.* dicens hunc cognoſci; quod oculi planè clari appareant, nihilque vitii in eis advertatur, niſi quod pupilla nigrior & amplior appareat.

Hic morbus initio difficile diſtinguitur à cataractâ vulgari incipiente, nec non à cataractâ glaucomate, ſed cùm nulla accedat cryſtallini opacitas, atque dein viſus aliquatenus reſtituatur, id ab aliis morbis diſtinguitur.

Principium verò ſynecticum hujus eſt moles vitrei increſcens per fluxionem vel congeſtionem, unde pupillæ dilatatio, dolor, oculi intumeſcentia, retinæ preſſio & viſûs obſcuratio.

Curatio exigit phlebotomias initio repetitas ex brachio, collo, pede, imò arteriotomiam pro vehementiâ doloris & plethoræ gradu; deinceps ſerum evacuantia, ut veſicatoria nuchæ, pone aures appoſita, imò cathartica ſextâ quavis die repetenda; ptiſanam ex ſalſæparillæ unciâ & chinæ radicis ſemiuncia intra aquæ libras quatuor coctis ad quartæ partis conſumptionem, cujus duo cyathi manè, duo veſpere per quindecim dies propinantur. Topica verò vix ulla conveniunt niſi reſolventia, quæ etiam parùm præſtant.

Si fluxio hanc ophthalmiam excitans validior fuerit, & fluida acriora, oculus magis extrorſum protuberat, verè inflammatur, lancinat intùs, dolores intolerabiles accedunt, rubor extus cum calore, imò febris acuta, agrypnia, palpebræ oculum tegere non valent & invertuntur, epiphora fervida, viſûs obſcuratio, ac demum perfecta & inſanabilis amauroſis accedit, atque ſuppuratis internis partibus, fit ſynchyſis, ſeu diſſolutio vitrei, dein fiſtulæ oculum perforantes, quæ omnia ad ophthalmiam internam referri debent.

11. *Ophthalmia ſyphilitica* Baglivi pag. 202; *Ophthalmia Gallica* Zacuti prax.; *Ophthalmia venerea*, Camerar. Diſſ. Tubingæ 1734; Aloyſ. Luiſini

p. 665;

p. 665; Locher de Lue Venerea; *Ophthalmie vénérienne* Saint Yves *ſpec.* 10a. L.

Hanc dividit Autor in duas varietates, ſcilicet in metaſtaticam & ſymptomaticam; utraque à viru ſyphilidis venereæ dependet, & verſus noctem ingraveſcit.

Symptomatica verſus auroram remittit, numquam in chemoſim abit, materies morbifica in illâ non locum mutat, dolores ſunt mitiores, & ea auſertur ſyphilide ſanatâ, minuſque periculi importat; in ſecundo ſyphilidis ſtadio obſervatur.

Metaſtatica ophthalmia non remittit circa auroram, abit ſemper in chemoſim, materies morbifica in iſtâ ſedem mutat, dolores acriores infert, non auſertur ſyphilide ſanatâ, periculoſior eſt.

Calorem, dolorem, ruborem in lecto creſcere, hoc viru ſyphilidis venereæ tribuendum, necnon quod morbus vulgaribus remediis reſiſtat. Ophthalmia metaſtatica ex tumore ſcleroticæ ejuſque livore ac dolore acri & lancinante, depreſſâ quaſi intra foveolam corneâ cognoſcitur, necnon ex eo quod à repreſſâ gonorrhœâ per metaſtaſim virus in oculum factam accedat; atque utplurimùm gonorrhœa priùs inſanabilis obortâ hac ophthalmiâ evaneſcat, & reciprocè gonorrhœâ obortâ recedat. Ophthalmia venerea in genere curatur per hydrargyroſim, ſed mercurius nunquam oculis eſt applicandus: laudant alii decocta ſudorifica, pilulas mercuriales intus ſumendas: Monſpelii verò ſolus litus adhibetur. In metaſtaticâ præter hydrargyroſim expedit materiem virulentam in textu celluloſo ſcleroticæ & palpebrarum collectam levibus inciſionibus utriuſque membranæ evacuare; exit autem ichor gonorrhoico perſimilis, obſervante *Ill. Nicolai* & *Camerario*. Illam ſcarificationem ineunte hydrargyroſi inſtituere ſatius puto, quàm ipſi præmittere, ut docet *Camerarius*.

Humidæ & chemoſeos valde ſimilis eſt, excepto quod in ſyphiliticâ conjunctiva eſt velut carnoſa & duriuſcula; incipit à lippitudine ſeu epiphorâ ſebaceâ ex albo flaveſcente, uberrimâ; omnibus remediis reſiſtit præter antiſyphilitica; ſæpiùs à ſuppreſſâ intempeſtivè gonorrhœâ poſt biduum ſupervenit. Chirurgus Monſpelienſis decumbendo ſupra pulvinar ptyaliſmo ſyphilitici conſpurcatum illam contraxit.

Curatio exigit virus ſyphilitici extinctionem, quam optimè præſtant litus mercuriales ex pomatâ ſcilicet neapolitanâ, præmiſſis poſt phlebotomiam & catharſim viginti quinque, pluribuſve balneis: ſuadet *Saint-Yves* panaceam mercurialem: Sume panaceæ mercurialis, drachmam unam; rhei pulverati, drachmas tres; balſami copayvæ unciam ſemiſſe; miſce, fiat opiata, cujus doſis drachma una quotidie manè ſumenda; purgetur æger quarto quoque die.

Recipe aquilæ albæ, gummi ammoniaci, ana, grana XV: trochiſcorum alhandal, gr. v. ſyrupi florum perſicorum, q. ſ. fiat bolus.

Sed ſæpiùs præſtat cathartica vulgatiſſima in uſum vocare.

12. *Ophthalmia chemoſis* St. Yves *ſpec.* 9. & 13. *Chemoſis* Aëtii: *traumatica*, De Meyſerey art. 382. 383. A.

Oritur à principio externo, ut gravi oculi contuſione, unde hypoſphagma; vel ab operatione chirurgicâ in oculo inſtitutâ, ut ab extractione cataractæ, operatione unguis, empyeſis, &c: aut à principio interno, metaſtaſi, catarrho gravi in ſubjectis cacochymicis.

Character eſt intumeſcentia atro-rubra conjunctivæ cum depreſſione & obſcuritate corneæ, quæ in foveâ latere videtur: Gravis eſt inflammatio cum doloribus diris oculi & capitis, ſenſu gravitatis ſupra orbitam, pervigilio, febre, pulſatione, palpebrarum intumeſcentiâ, occluſione. Terminatur quandoque ſuppuratione oculi, unde immedicabilis cœcitas, ſaltem leucomata poſt ſe trahit, ſanguis in patellâ cruſtâ coriaceâ obducitur.

Curatio. Nihil eſt præſtantius initio repetitis ex brachio, pede, jugulo phlebotomiis; ipſis palpebris deinceps hirudines aliquot admovendas quandoque ſuaſi; alii ophthalmoxyſim ſeu ſcarificationes oculi ſuadent; poſt duas treſve phlebotomias catharticum ex infuſione foliorum ſennæ ad drachmas duas, rhei drachmâ unâ, ſeminis lini, florum violarum, ana pugillo uno, mannæ unciis duabus vel tribus; alii fortius catharticum ex ſcammonio præſcribunt; iterum ad phlebotomiam deveniendum eſt; noctu ſyrupus papaveris, aut laudanum ſomni conciliandi gratiâ debent præſcribi, cum diætâ tenui refrigerante & humectante.

Interea oculus initio lacte tepido, ſanguine pulli, pulpâ pomi in lacte cocti tepidâ foveri debet; exulent cataplaſmata, quæ gravitate ſuâ noceant; infuſum ex croco, ſemine lini, floribus malvæ ſufficiat; aſt poſt paucos dies reſolventia in uſum advocentur, ut vinum aut aqua vitæ cum aquâ fontanâ; imò ſi lividitas, doloriſque imminutio ſuadeant, aqua vitæ camphorata indicatur; *Saint Yves* ſuadet ſpleniola madida vino intra quod folia roris marini, ſalviæ, hyſſopi ad pug. I. infuſa fuerint pro vini ſemilibrâ, nec non, ſi detumeſcant palpebræ & conjunctiva, fiat collyrium ex aquæ fœniculi unciis duabus, & ſpiritûs vini camphorati uncia ſemiſſe, maximè ſi leucomata adfuerint. Interea potus ſit reſolvens, qui priùs erat leniens; potus reſolvens fiat ex ptiſanæ libris quatuor cum diaphoretici mineralis drachmâ unâ. Emplaſtrum veſicatorium ſcapulis applicetur, clyſmatis alvus laxa ſervetur; juſcula ex pullo, ſeminibus frigidis, foliiſque endiviæ, lactucæ, acetoſæ, finito ptiſanæ prioris uſu, per decem dies uſurpentur.

Si ſuppurationis ſigna adſint, Chirurgi opera eſt neceſſaria ad pus educendum, vulnuſque ſanandum; ſi verò ſynchyſis vitrei ſupervenerit, oculus artificialis in nativi locum eſt aptandus, ut ſaltem vitetur deformitas.

13. *Ophthalmia choroideæ. Ophthalmie interne de la retine ou de la choroide.* A.

Cognoſcitur ex lucis intolerantiâ, pupillæ conſtrictione, epiphorâ, cum vel ſine conjunctivæ rubore, his adduntur dolores hemicraniæ pertinaces.

Ea ſpecies ferè ſemper accidit nonâ die poſt operationem, qua *Daviel* & *Janin* cataractam extrahunt circumciſâ corneâ, & quindecim circiter dies perſeverat, atque ultimis diebus cùm æger demum palpebras deducit, is omnia objecta tanquam nive conſperſa videt. Si æger poſt aliquot ab hac ope-

operatione dies moriatur, inveniuntur vaſa choroideæ rubra, infarcta, & quandoque vitreum in gelatinam puriformem mutatum.

Cùm producitur à principiis internis, eodem modo curanda eſt quo chemoſis; aſt verſùs finem maximè conducit guttulas aquæ deſtillatæ camphoræ oculis inſtillare; factâ verò operatione vel cataractæ vel empyeſis vel unguis, ſedatur inflammatio vel mucilagine educta per aquam roſarum ex ſeminibus pſyllii, fœnugræci, cydoniæ, vel collyrio albuminoſo, id eſt, albumine ovi, cum aquâ roſaceâ ad ſpumeſcentiam conquaſſato, & ſupra manipulum lintei carpti expanſo, quo fovetur oculus frigidè ſtatim ab operatione, ter in die repetendo; additâ faſciâ per biduum, quæ ſcilicet arceat vitrei ejectionem ex oculo, ſi tuſſis, nauſea aut ſternutatio ſupervenerint.

14. *Ophthalmia angularis; Ophthalmie angulaire, ou de l'angle naſal. Inflammatio lachrymalis carunculæ* St. Yves pag. 50, 182, 203. L.

Eſt dolor aut pruritus cum tumore, quandoque rubore in cantho naſali; accedit epiphora puriformis, plura autem eaque diſtincta vitia hanc ophthalmiam excitant; 1° Anchylops, de quo *vide Epiphoram*; 2° Rhyas, *vide* etiam *Epiphoram*. Phlogoſis carunculæ lachrymalis, ubi vaſa ſanguinea turgent ad corneam uſque protenſa, unde non raro pannus ſuccreſcit, & in hoc caſu vitrioli albi & iridis Florentinæ pulveratæ ana ſcrupulus unus infundatur in aquæ libra unâ, fiat collyrium.

15. *Ophthalmia cancroſa, Cancer des yeux, Cancer palpebrarum* S. Yves Cap. VI. C.

Eſt illa ſpecies quæ palpebrarum tumore ſæpiùs exulcerato, duro, lancinantique inſignitur; hujus quinque varietates obſervavit *Auctor citatus*, nec ullum aliud in oculis carcinoma vidit.

In *primâ* varietate tumor durus palpebræ ſuperiori adnaſcitur cum ſanguineis vaſis ad baſim turgidis & colore plumbeo præditis, doloribuſque per intervalla lancinantibus. In *ſecundâ* porrum oculi cantho naſali adhæret infra palpebrarum commiſſuram, illius porri radices altæ ſunt, tegiturque vaſis ſanguineis in faſciculos granulatos diſtinctis, ex quibus vel leviſſimo attactu ſanguis effluit; ille tumor ita pruriginoſus eſt, ut à ſcalptu vix abſtinere queat æger; unde citò ulcus cancroſum progerminat; hæc ſola varietas ſanabilis eſt liquore arcano quem ſibi reſervavit *Saint Yves*. In *tertia* varicoſa ſunt vaſa ſanguinea, & colore plumbeo, ſine porro aut tumore antecedenti, ſed in his tribus varietatibus ſucceſſu temporis accedit exulceratio cum carnibus fungoſis, quæ deinceps ſponte abſumptæ ulcus majus ac majus in cæteras faciei partes diffundendum relinquit. In *quartâ* malum incipit ab epiphorâ ſeu lachrymis acribus, carunculam lachrymalem exulcerantibus, & deinde palpebram inferiorem exedentibus, cujus oræ deinceps calloſæ evadunt; hunc morbum quandoque præceſſit lachrymalis fiſtula. *Quintam* determinat non raro ictus oculo inflictus, quo vaſa contunduntur, ſanguiſque priùs acrimoniâ propriâ cancris vitiatus alteratur, atque ſic ulcus cancroſum & calloſum ſubſequitur.

Hæ omnes varietates, excepta ſecunda, inſanabiles ſunt; cura verò pal-

liativa exigit diætam lacteam, juſcula refrigerantia, balnea, aquas acidulas; inter topica laudantur aqua ſpermatis ranarum, aqua ſolani hortenſis, cum aliquot granis ſalis ſaturni & plumbi uſti.

16. *Ophthalmia à ſynechiâ* Mauchartii Diſſert. Vide D. Demours Obſervat. in Eſſais d'Edinbourg. T. I. pag. 90. L.

Synechia morbus eſt oculorum in quo uveæ limbus corneæ adhæret, cum pupillæ diſtorſione, lucis intolerantiâ & nyctalopiâ.

Adhæret uvea corneæ, tum quia prægreſſis vulneribus, ulceribus, aut fiſtulis corneæ, evacuatoque humore aqueo, vitreum preſſioni ſcleroticæ cedens uveam extrorſum trudit, & ſic uvea collapſæ corneæ, quam contingit, adhæret; tum quia ob decubitum pronum pondere ſuo uvea corneæ incumbit, maximè ſi tectis oculis, ut in ophthalmiâ & ulcere, illius uveæ motus ceſſaverit, qui hanc adhæſionem impediret.

Symptomata partim ophthalmiatri viſui patent, ut adhærentia uveæ cum cornea, unde hujus, in parte ſaltem adhæſionis, immobilitas, nec non pupillæ figura mutata ex circulari in ovalem vel pyriformem, hinc impoſſibilitas pupillæ ad lucem meridianam coarctandæ; ſed lux meridiana, ſi pupilla non anguſtetur, viſum offuſcat, inde nyctalopia; dolet etiam retina à viſu lucis fortioris, inde intolerantia lucis, imò dolor, objecta valde lucida hinc expanſa vel appendiculata videntur, atque retinæ vaſis ſanguiferis ob phlogoſim turgidis, ægri muſcas, vel aranearum telas præ oculis verſantes vident, ut in ſuffuſione myode.

Curatio. Alia eſt radicalis, alia palliativa. *Radicalis* obtinetur operatione chirurgicâ, quæ acu intra cameram anticam intruſâ perficitur; *vide Mauchartium Diſſert. de Synechia in Diſputationibus Chirurgicis Ill. Halleri.*

Palliativa eſt vel opus naturæ, quæ maculâ opacâ corneæ ulcus ſubſequente vim lucis nimiam retundit; *Vide D. Demours, obſervat. 3, pag. 111:* vel opus eſt artis, quæ, ubi aliud auxilium non ſuppetit, ſimilem maculam corneæ inurit ope lapidis infernalis; ſed præſtat conſervis vitri colorati, vireſcentis, vel ſubcærulei jubar lucis moderari, vel cupulis metallicis in centro exiguum foramen habentibus & manu geſtandis uti in meridianâ luce: *Vide Ill. Demours ibidem.* Poſt operationem ſynechiæ æger ſupinus decumbat per aliquot dies, & oculum ſæpiùs luci exponat, ut nova adhæſio vitetur.

17. *Ophthalmia à lagophthalmo.* L.

Lagophthalmus eſt hiatus palpebrarum ex alterutrius retractione aut nativâ brevitate, gallicè, *œil de liévre.* Sæpius vitium eſt in palpebrâ ſuperiore & procedit à diverſis principiis, ut ab ortu, ab ſtricturâ cutis.

Curatio exigit ut palpebræ elongatio omni ope procuretur frequenti tractione poſt emollitionem per iteratam unctionem ope olei, butyri, unguenti de althæâ; noctu emplaſtro glutinante deorſum trahatur palpebra ſuperior, ſurſum prematur ſplenio & faſciis aptis inferior.

Si hæc diù uſurpata non valeant, operatio inſtituatur ſcalpello, juxta

die-

directionem rugarum inciſiones duæ vel tres parallelæ cuticulam dividant, dein tractæ palpebræ curatio adornetur.

18. *Ophthalmia ab elcomate* Mauchart. de ulcere corneæ diſſert. 1742. L. Elcomatis varietates ſunt *Argema*, ulcus occupans aliquam partem circuli corneæ externi, dimidiæ circiter lineæ latitudine, cum rubore tunicæ conjunctivæ, corneæ verò albedine. *Botrium*, latinè *foſſula*, aut *annulus*, gallicè *la foſſette*, eſt ulcus corneæ, exile, cavum, anguſtum, purum, ſine ſordibus purulentis aut cruſtoſis, æquale capitulo aciculæ; ſi ſit in laminis internis, datur *Gerontoxum*, ſuccedit *Staphyloma*. *Epicauma*, *ulcère brûlant*, ulcus externum corneæ utplurimum mediæ, impurum, ſordidum, ardens, urensve, coloris cinericii, aliquando inſtar flocci lanæ, minus profundum quàm encauma. *Encauma*, ulcus corneæ admodum ardens, cruſtoſum, ſordidum & dyſepuletum. *Cœloma*, gallicè *encaveure*, ulcus cavum, rotundum, latius ſed minus profundum botrio, reſidens in illâ corneæ regione quæ iridi proxima eſt. *Elcidrion*, ulceratio corneæ ſuperficialis facta à quadam fluxione clarâ, ſubtili.

Principia ſunt vulnera, contuſiones, phlyctænæ, epiphora, ophthalmia, ſtaphyloma, collyria acria, puſtula varioloſa in cachecticis, ſcrophuloſis, ſyphiliticis; poſt cibum acrem, uſum teleſcopiorum, lucubrationes, trichiaſim, accedunt ophthalmia, lucis intolerantia, viſus nebuloſus, ſenſus arenulæ in oculo.

Indicationes ſunt 1° affluxum humorum arcere, ablatis ex oculo peregrinis; huc phlebotomia, catharſis, ſanguinis depuratio. 2° Ulcus mundificare, quod præſtat lapis divinus *Saint-Yves*, qui paratur ex alumine, nitro, vitriolo cyprio in ollâ figulinâ fuſis, dein addito pauxillo camphoræ hujus lapidis grana ſex in aquæ cochlearibus aliquot ſolvuntur; adde ſacchari drachmas duas, aquæ vitæ cochlear unum. Acres, ſalinæ materies corriguntur tutiâ, cretâ, gummi arabico, mucilagine, radice althææ, lacte, albumine ovi; abſterſio fit ablutione frequenti ex decocto abſinthii, hyperici, aquâ calcis, unguento de tutiâ vel pulvere ex ſaccharo, radice iridis, aloë, oſſe ſepiæ. 3° Ulceris conſolidatio exigit victum edulcorantem, lenem, decoctum ex agrimoniâ, veronicâ, ſymphito, hyperico, collyria ex cretâ, pompholige, bolo armenâ, myrrhâ, maſtiche, oleum ovorum, albumen ovi.

Infunde in vino Hiſpanico caryophyllos, aloem, crocum metallorum, camphoram & tutiam; doſis, guttula ter in die ulcuſculo affuſa. *St. Yves.*

19. *Ophthalmia ab ungue* Mauchartii. A.

Unguis, Græcis *onyx*, eſt abſceſſus inter lamellas corneæ; dicitur *Saint-Yves abſceſſus corneæ*, *cap.* 9.

Incipit ab ophthalmiâ chemoſi, quæ magnâ cephalalgiâ, pervigilio, pondere ſupra orbitam, febre, pulſatione, caligine ſtipatur; ratione cephalalgiæ, febris, &c, diſcrepat à leucomate *Saint-Yves*: Macula apparet ſubrotunda, alba, eminens, ſi ſub epidermide corneæ pus lateat, in quo caſu leve eſt malum; verùm ſi inter profundas corneæ lamellas hæreat malum, gravius eſt; ſi in albuginea, ex ſolo tumore indicatur adeſſe.

Convenit paracenteſis, ſeu eductio puris ope lanceolæ; ſed ſæpiùs pus effunditur in cameram, unde Hypopium *Mauchartii. Vide Caliginem.*

20. *Ophthalmia à corneæ fiſtula* D. Mauchart. Diſſ. de fiſtula corneæ. L.

Cognoſcitur viſu, foramine ſcilicet corneam vel rectè, vel ſinuoſè perperforante, oris calloſis, oculi ſubſidentiâ propter effluxum continuum aquei humoris; viſus obſcuritas, rubedo oculorum à puris illapſu accedunt.

Curatur operatione chirurgicâ. Sumatur aqua roſarum in qua tutiæ fruſtum ignitum extinguatur, imbuatur hac aquâ ſplenium quo foveatur oculus. Veſicatorium nuchæ applicetur, vinciatur per aliquot dies oculus ſanus; juſculis per hos dies utatur æger & ſupinus jaceat. Sic implebitur oculus humore aqueo: acus utrinque ſecans intra fiſtulam gyretur ad callos deſtruendos vel vulnus recentandum, affundatur guttula balſami, deligetur oculus.

21. *Ophthalmia phlyctænodes*, *Phlyctainæ* Auctorum; *Phlyctænæ corneæ* Sennerti; *Phlyctides* etiam à *phlyzein*, fervere. *Puſtulæ* Arabibus *Bothor*. L.

Sunt veſiculæ vel bullulæ grano milii æquales in cornea vel conjunctiva vulgo exortæ; quæ in conjunctiva, rubro vel atro circulo cinguntur; quæ in corneæ lamina extima ſunt, nigricant; quæ profundiùs latent, albeſcunt. Dantur quandoque majores & ſolitariæ avellanæ magnitudine obſervante *Sennerto*. Deſinunt vel reſolutione, quod optimum, vel ruptione ad interiora, vel ulcere externo, quod quandoque corneam latè rodit.

Curatio. Ut reſolutio obtineatur auxilia ophthalmiæ generica ſunt advocanda, ut phlebotomiæ, victus tenuis, fomenta emollientia; cathartica non ſunt omittenda; fiat fotus ex mucilagine ſeminum pſyllii, cydoniæ, fœnugræci, ana drachmis duabus, aquæ roſarum unciis duabus, florum ſambuci uncia ſemiſſe, croci ſcrupulo ſemiſſe. Subſidente puſtulâ, aut remiſſâ phlogoſi, reſolutio tentetur aquæ roſarum unciis duabus, aquæ euphraſiæ, unciâ ſem. tutiæ, opii ana ſcrupulo uno, vitrioli albi granis duobus; miſce.

Convenit albumen, imo luteum ovi cum ſaccharo & croco; fomenta ex decocto meliloti, verbenæ, rutæ, roſarum rubrarum.

Si puſtula remaneat, ea acu argenteâ pertundatur, & curetur ulcus, ut diximus dum de caligine ab ungue vel ab elcomate.

22. *Ophthalmia uveæ.* B.

Illa ut plurimum accidit à cryſtallino ſuâ ſede dimoto in cataractâ mobili & in cameram anticam difficulter ingreſſo; unde cognoſcitur ex ſignis cataractæ mobilis, ex diſtorſione pupillæ, dolore inde ſubſequente, ſine ullâ oculi rubedine. Accedit ſæpè ſynechia; curatur verò extractione cryſtallini per inciſionem corneæ, ſedatur decubitu conſtanter ſupino, ut ſynechia excitetur locuſque amplior cryſtallino concedatur in camerâ ſecundâ.

23. *Ophthalmia febricoſa*, Mortoni Pyretol. exerc. 1. cap. 9; De S. Martin Journ. de Med. Sept. 1760 p. 228. B.

Dolor atrox oculi, periodicus, cum lachrymatione, ſiti urgente, pulſu celeri ac forti & urinis intenſe rubris ac turbidis, ſine rubore, ope kinkinæ ſanatus.

24. *Ophthalmia metaſtatica*, De Meyſerey art. 384. B.

Ea eſt quæ à materie morbifica arthritidis, ſcabiei, herpetis, eryſipelatis, fontanellæ, ulceris, ſetacei, repreſſa ſupervenit. Præter generalia auxilia hic morbus exigit horum morborum vel fluxuum revocationem.

Veteres Medici tot fere diſtincta inſtituerunt morborum oculi genera quot ſunt ophthalmiæ caliginisque ſpecies, quem errorem ipſi in Hiſtoria naturali, quam plures ex illis colebant, admittere conſueverant, ut patet ex *Rondeletii Ichthyologia;* inde verò ſumma oritur confuſio & omnis methodi tollitur fructus. Si artis antiſtites cognoviſſent ophthalmias internas, illi in definitione illius generis ruborem & tumorem conjunctivæ non repoſuiſſent, vel hos morbos ad diſtincta genera retuliſſent.

XV. OTALGIA; à Græco *ous* auris & *algeia* dolor; *Dolor & ſpaſmus otalgicus* Frid. Hoffmanni; *Douleur d'oreille.*

Morbus cujus præcipuum ſymptoma eſt dolor notabilis in aure.

Omnis dolor eſt proportionalis periculo ruptionis partium nervoſarum & harum ſenſibilitati: omnis ruptio ſupponit vim applicatam vehementem reſpectivè ad tenacitatem partis, quæ vis eò efficaciùs agit, quò pars dividenda magis eſt tenſa, magiſque tenuis: tenſio lintei, chartæ eſt neceſſaria ad hoc ut forcipibus ſcindantur; ſic rigiditas, ſiccitaſque virgulti ad hoc ut frangatur; funiculi flexiles non poſſunt ſecari niſi priùs tendantur vel indurentur in loco ſecando. Cùm itaque perioſteum auris internæ, maximè verò labyrinthi, ſit ſicciſſimum, ab aëre contiguo maximè tenſum ſupra oſſa, atque ſimul tenuiſſimum, eædemque conditiones in myringâ, membraniſque feneſtellarum locum habeant, horum organorum dolorem fore vividiſſimum cuique patet, ſi vis inſolita applicata fuerit, quæ eſt vel peregrina, ut inſecta, corpora illapſa; vel indigena, ut vaſorum ſpaſmus, inflammatio, oſſiculorum luxatio, ſuppuratio, &c: ea excitabit dolorem atrociorem quàm in alia quavis parte, quippe nulla eſt quæ exquiſitiori ſenſu, excepta fortè retinâ, & majori nerveorum filorum copiâ ſit inſtructa: ex dolore atroci delirium, pervigilium, convulſio, febris acuta, artuum torpor, aliaque gravia accidentia ſuborientur.

1. *Otalgia inflammatoria* Etmulleri. *Inflammatio aurium* Sennerti. A.

Cognoſcitur ex calore, rubore ad auriculam & genas diffuſis, dolore pulſatili, & pyrexiâ, ſæpius acutâ, oxycoiâ, bombo; unde pervigilium, delirium, convulſio, ſyncope, frigus extremorum, & non raro mors; ſecus terminatur vel reſolutione, vel ſuppuratione.

Differt à catarrhali per pulſationem & fervorem necnon pyrexiam acutio-

tiorem, atque ex prægreſſis principiis juvenes graviora ſymptomata incurrunt quàm ſenes; conatus enim naturæ apud juvenes ſunt fortiores; unde inflammatio intenſior, intolerantia major. Poſt ſeptimam diem ſuppuratio accedens dolorem tollit & febrem, inde otirrhœa purulenta.

Curatur antiphlogiſticis maturè adhibitis, inter quæ potiſſima ſunt phlebotomia repetita, potus diluens, nitroſus, emulſionatus, cum decocto capitis papaveris, clyſmata laxantia, fomenta emollientia ex decocto malvæ, radicis althææ, violarum; cataplaſma de micâ panis cum lacte, & croco; lac tepidum, oleum amygdalarum recens in meatum inſtillentur, renoventur; omnia acria ab Auctoribus Germanicis prædicata fugiantur; narcotica extùs & intùs adhibeantur, cathartica mitiſſima, ſedato dolore, uſurpentur.

Huic morbo anſam præbent hæmorrhagiæ narium; catameniorum, hæmorrhoidum ſuppreſſio, plethora apud juvenes, metaſtaſis in febribus, ictus, vulneraque temporum: ante ſeptimum diem mortis eſt periculum. Si tumor retro aures, expectanda ſuppuratio; quæ intus fit melior quàm quæ extus, facta ſuppuratione dyſecæa vel cophoſis exſpectanda.

In otalgiâ ex ictu vel lapſu, qui ſaniem ex auribus fundunt, omnes pereunt. *Riverii obſ. 18. pag. 291.*

2. *Otalgia verminoſa* Journ. de Medec. Vandermonde 1758 pag. 145. Acta Acad. N. Cur. Obſ. 5, 266, 50, 57, &c. Morgagni Epiſt. XIV. 7. Verduc Pathologie T. 2. p. 143. Ch. 4. D.

Catelin dolebat aure ad furorem uſque; Chirurgus Leautod Arelatenſis ex aure ſolerter extraxit vermes quinque pollicem longos, & quod incredibile prorsùs, ſemipollicem latos, ſine pure, vel cruore, in ductûs auditorii externi fundo latentes, unde illicò ſanatus eſt. Hæc inſecta erant nymphæ ex ovis à quodam inſecto depoſitis oriundæ: inſectum eſt ut puto muſca carnaria. Huc pertinet fumus tabaci in ore retentus & per tubam Euſtachianam in aurem tranſire coactus. Caveant ab inſectis circum volitantibus qui otalgiâ ulceroſâ laborant.

Exemplum paraphroſynes phreneticæ à dolore atroci, æger enim inſaniebat currens, clamans, & in Rhodanum mox ſeſe projecturus: In ſimili caſu nuper ex aure extractæ fuerunt larvæ plurimæ, oblongæ, albidæ, quæ in vaſe vitreo ſervatæ dederunt intra paucos dies muſcas carnarias.

3. *Otalgia catarrhalis* Etmulleri, Zacuti praxis; *Otalgia notha* Nenteri. B.

Diſtinguitur ex procatarcticis, ut frigore, vento humido, frigidoque ſuſcepto, auribus vel capite nudis, antea calentibus. Symptomata multò mitiora ſunt, dolent viciniæ auris, leviterque tument; coryza, tuſſis, angina ſæpiùs comitantur; muſculus ſalpingo-ſtaphylinus ſæpè dolet, unde Euſtachianæ tubæ dolor, ſæpè ſyrigmus, tubæ Euſtachianæ diſtractio, ſonorum intolerantia, paracuſis, oxycoia.

Cura-

Curatio ab unâ phlebotomiâ ordiatur, potus diaphoreticus, aër calidus, fomenta exſiccantia, perſpirationem juvantia, uſurpentur; caput deradatur, vel pectinetur, & furfure exſiccetur: ſuffitus aromatici ex ſuccino, olibano, ſaccharo adhibeantur, narcotica intùs non contemnanturt, panis calidi mica auri applicetur; hirudines auribus admovere ſuade *Aretæus.*

Veſicam decocto florum malvæ, ſambuci, meliloti, lacte plenam auribus applicandam ſuadet *Hoffmannus.*

Otalgiam cum hemicraniâ, dolore menti, palati & faucium à pluribus menſibus perſeverantem & à carioſo dente dependentem videſis ſanatam illicò extractione dentis, apud *Fauchart obſ. 4. pag. 408.* in libro cui titulus: *Chirurgien Dentiſte.*

4. *Otalgia ab intruſis* Jonſtoni idea medic; *ab inſectis* Jonſtoni; *a forſiculis aliiſque* Ephem. Natur. Curioſ. Wolckameri obſ. 266; a *teredinibus* Dec. III. Obſ. 46; à *gryllis* Dec. I. Obſ. 5. L.

Dolorem viginti annos per intervalla perſeverantem à forſiculis aurem ingreſſis narrat *Wolckamerus.* Alium à vermiculis ex aure in frontem ſub cute repentibus recenſet; qui morbus oleo juniperi in aurem inſtillato, & ſuffitu gummi ammoniaci ſanatus eſt. Eumdem morbum à vermiculis capite nigro donatis multipedis obſervavit *Carol. Raygerus Collect. Academ. tom. 3. pag. 205*; vermes illi in aure geniti cenſebantur ob ulcus præexiſtens. Decoctis vermifugis ceſſit dolor.

A globulo vitreo in aurem immiſſo dolores atroces cum diris accidentibus ortos narrat *Fabric. Hildanus*; illi poſt octo annos extracto globulo ſanati ſunt.

Exoſtoſim in aure quam pro corpore peregrino habebant Chirurgi, per violentiam extrahere conantes, ægrum è medio ſuſtulerunt.

A cerumine aurium acri factam otalgiam cenſent *Duverneyus* & *Etmullerus*, verùm vix credibile eſt; à larvis inſectorum meatui innatis otalgias recenſitas vide apud *Vandermonde, Journ. de Med. Fevr. 1758, pag. 145.*

De retrahendis in aurem illapſis conſulatur *Heiſteri Chirurg. Cap. 66.* Enecantur verò inſecta oleis & decoctis amaris.

Turunda terebinthinæ intincta ad extrahenda corpuſcula, aut inſecta quædam à *Tralliano* ſuadetur. *Riverius* pilos caninos in aurem immitti vult ad educendos pulices.

XVI. ODONTALGIA; *Dolor dentium* Sennerti Praxis; *Rheumatiſmus odontalgicus* Frid. Hoffmanni, T. 2. *Odontagra* Heiſteri Praxis; *Mal aux dents.*

Cognoſcitur ex dolore diſtenſivo, pulſatili, rodente, lancinante, aut alio quovis ad dentes relato cum perviligio, quandoque maxillæ tumore, ptyaliſmo,

liſmo, &c. Sedes ejus eſt in nervo perioſteum dentis internum perreptante, quandoque in perioſteo dentis externo.

1. *Odontalgia carioſa.* Vide P. Fauchart Chirurgien Dentiſte, Tom. 1. Chap. 7. B. P.

Ea eſt quæ à carie humida dentis procedit; ſicca enim caries indolens eſt, caries vero humida eſt ſimplex, ſcorbutica, ſcrophuloſa, ſyphilitica, &c; vel *interna* quæ vel radices vel dentis interiora corrodit, à principiis internis procedens; vel *externa*, quæ vel vitrum dentis, vel ejus collum occupat, à tartaro, ictu ſæpiùs ortum ducens, quæque niſi ad cavum dentis penetraverit minus eſt ſanatu difficilis quàm interna.

Hæc ſpecies ex ſignis cariei diſtinguitur, quæ in ſenſus ſæpius incurrit; aſt quandoque latet caries in dentium interſtitiis, & tunc color dentis ipſam peritis denunciat, dentiſcalpium, fœtor, lancinatio ab aquâ frigidâ, aëre frigido intra os illapſo, eroſionis ſenſus, pertinacia morbi, ſine magno gingivarum tumore, fiſtulæ in gingivis ortæ cum tumore circulari ad ejus orificium, puris exitus. Morbus ille à vigeſimo quinto anno ad quinquageſimum eſt frequentior; caries dentibus poſticis ſæpiùs multo quàm anticis inſidet, potiſſimum verò ſerotinis, ſeu ultimis molaribus; color cariem internam declarans eſt quaſi pellucidus, margaritæ inſtar, levis percuſſio ope dentiſcalpii metallici dolorem renovat.

Inveteratæ huic ſpeciei ſuperveniunt epulides, abſceſſus, alveoli caries, in paroxyſmo febris, furor, delirium quandoque obſervantur.

Quatuor remediorum genera huic ſpeciei conveniunt; omnium promptiſſimum & certiſſimum eſt dentis avulſio, in qua operatione peritiores ſunt non raro circumforanei balatrones, qui in hac exercitatiſſimi ſunt. Alterum auxilium eſt cauterium actuale, ſeu ferri filiformis, priùs dentis foramini aptati, deinde candentis, repetita applicatio, quæ nervum illicò comburit & cariei progreſſum ſiſtit. Tertium auxilium eſt olei cinnamomi & caryophyllorum guttula ope goſſypii intra cariem immiſſa priùs deterſo cavo carioſo; horum defectu oleum cadinum uſurpari poteſt; ad præſervationem verò juvat lamellis plumbeis tenuiſſimis, abſente omninò odontalgia, cavum replere, modò ſurſum ſpectet foramen; necnon ex ſuaſu *Fauchartii* os quovis manè urinâ calidâ colluere, putidum quidem, aſt expertum remedium in morbo, qui levi de cauſâ, ſi plures dentes carioſi ſint, reviviſcit. Guttula ſpiritûs ſalis in dente carioſo odontalgiam ſedat: collutio oris ex aqua lavendulæ vel ſpiritu ejus aqua diluto, ipſum avertit, ſi quotidie adhibeatur.

2. *Odontalgia gravidarum*, Mauriceau, des Maladies des Femmes; Fauchart cap. 14 pag. 292. B.

Prægnantes nec non nutrices huic maximè ſunt obnoxiæ, ſive dentes carioſi ſint, ſive integri, & tanta eſt doloris vehementia, ut metus ſit ne fœtus, alumnuſve, ratione febris quam mater patitur, morbum gravem contrahat; aliunde verò ſunt mulieres quæ adeò exhorreſcunt inſtrumenta chirurgica, ut illius horroris ſequelæ poſſint eſſe ipſi fœtui funeſtæ; ſumma itaque requiritur in Chirurgo prudentia & ſapientia, quâ vel dolentem ad ſubeun-

ſubeundam operationem inducat, nec eam, niſi præ atrocitate & contumacia doloris indicetur, ſuſcipiat.

In nutricibus quidem ſi dolor acerbiſſimus ſit, dentem ut in cæteris hominibus avellere neceſſarium eſt, licet nulla ſint cariei indicia; dolorem enim intolerabilem, phlebotomiæ & laudano reſiſtentem, illicò ablatum vidi, vel avulſo, vel etiam fracto vi inſtrumenti dente ſaniſſimo; phlebotomia autem apud prægnantes odontalgicas eſt primarium auxilium.

3. *Odontalgia catarrhalis* Juncker. *Fluxion ſur la dent.* B.

Eſt ea ſpecies quæ à frigore ſuſcepto calente corpore, à perſpiratione retentâ, ſine carie, aut cum carie dentis, accedit; qui dolor intumeſcente genâ utplurimum miteſcit; diſtinguitur ex prægreſſis, & ex eo quod non unus vel alter dens doleat, ſed tota maxilla ejuſdem lateris dolore, gingiva etiam tumore afficiatur, accedit & copioſus ptyaliſmus; præceſſit quandoque frigus, adjunxit ſe tuſſis, ſternutatio, angina, aliaque acceſſere ſymptomata catarrhi; dolor non ita eſt vehemens & perterebrans, ac in carioſâ, & tollitur phlebotomiâ unâ aut alterâ, collutione ex lacte & aquâ calidâ, diætâ ſudorificâ, narcoticis, & ſialagogis, ut fumo tabaci, maſticatione radicis hellebori fœtidi, emplaſtro ex reſinâ tacamahacâ, carannâ, oleo maſtiches, & opio ſupra alutam temporibus admovendam extenſo; paſtilli etiam maſticantur facti ex pyrethro, pipere, zingibere, ſemine ſtaphiſagriæ, caryophyllis, cinnamomo, vel ſimili quodam medicamine, quod pulveratum ope ceræ in globum piſiformem effingitur, vel purum in ore detinetur; nec negligendi panni lanei ſuffitu carabes, ſacchari, thuris, &c, imbuti, & calidè genis admoti: confert etiam dentis ablutio ex ſpiritu vini camphorato. Cùm dens cariem admiſit, alterius dentis è latere oppoſito ipſi reſpondentis & paralle i caries anno ſequenti venit exſpectanda.

Caries ſicca nullo ferè fœtore, nullo omninò dolore eſt ſtipata, nec progreditur multum, eam proinde ferro, nec igne attingendam eſſe putant periti.

4. *Odontalgia ſcorbutica* Eugaleni de Scorbuto; Lind ſigna primæ periodi; Fauchart Tom. I. pag. 266. L.

Eſt pruritus gingivarum, cui ſuccedit earum tumor, à levi tactu cruentatio, fœtor anhelitûs; mox gingivæ atrorubræ, molles, ſpongioſæ, dein fungoſæ, putridæ evadunt; præceſſere faciei pallor & levis tumor, laſſitudo; labiorum, carunculæ lachrymalis vireſcentia, genuum ſtupor & debilitas, aliaque ſcorbuti ſigna.

Dentes autem nigreſcunt, gingivis denudantur, mobiles evadunt, & facilè ac ſine dolore utplurimùm labuntur, accedit etiam non raròdentium & oſſis maxillaris caries cum fiſtulis, hæmorrhagiis, & præter pruritum quandoque intolerabilem, à quo mali labes incipit, dolores etiam vividi non raro accedunt.

Præter remedia generalia interna hìc maximè neceſſaria, ſunt & alia adhibenda topica, ac 1° quidem ad prophylaxim poſt quemlibet paſtum colluendum eſt os aquâ cinnamomi hordeati; alii vinum rubrum in quo balauſtia

decocta ſint, ſuadent : 2° In odontalgiâ forficibus rectis vel incurvis detondendæ ſunt ſigillatim inter ſingulos dentes gingivæ tumentes, & ſanguis exprimendus, quod nedum dolorem excitet, priſtinum compeſcit, dein melle roſaceo, vino calido, detergendæ gingivæ; ſi cultrum renuat æger ſaltem dentiſcalpio acuto tundendæ ſunt gingivæ atro-rubræ, tumentes, ut cruorem fundant. Si caries vel exulcerationes accedant, colluatur os ſæpiùs in die cum decocto foliorum hyſſopi, ſalviæ, cochleariæ, roriſmarini, ſyſimbrii aquatici in vino albo aquato, additis aliquot drachmis ſpiritûs ardentis cochleariæ.

Sunt qui ſpiritum ſalis marini, vel etiam vitrioli cum trigecuplo aquæ roſarum & plantaginis ad collutorium adhibent; alii guttas ſpiritûs ſalis paucas melli roſaceo admiſcent, quo labia, ulceraque gingivarum illinunt, vitatis dentibus. Ego verò ſuccum limonum vel aurantiorum his omnibus antepono, ejuſque loco folia cochleariæ, ſyſimbrii aquatici, acetoſæ, &c, maſticanda ſæpiùs in die ſuadeo. *Vide Stomachacen inter ſanguifluxus*, *Claſſ. IX.*

5. *Odontalgia dentitionis. La dentition.* A.

A ſexto ætatis menſe ad annum & ultra infantes odontalgiâ identidem ita laborant, ut ex hoc morbo plurimi moriantur. Errant autem illi qui ſcribunt dolorem illum atrocem procedere ex eo quod epithelis gingivas ambiens reſiſtat eruptioni dentis, ita ut ſi illis fides ſit, in illo dolore gingivam tumentem unguibus vel cultro ſcindere utile ſit. Ego verò ſemper vidi per intervalla unius menſis duplicem obſervandum eſſe eventum, ſcilicet uno circiter menſe antequam dens unus ac alter erumpat, omnes gingivæ tument, dolent, veluti quadratæ evadunt, & ut nutrices aiunt, reduplicantur, tunc dolores ſunt pruriginoſi, intolerabiles, ita ut quæcumque oblata corpora dentibus apprimant & affricent illi miſelli. Hoc novit nutrix cujus papillæ arctè ſtringuntur, & ardore oris incaleſcunt, infans ſitit, vigilat, ejulat, irrequietus eſt, non tamen lachrymatur; genua tument aliquandiu notante *Ettmullero*; accedit febris, faciei rubor, vomitus, diarrhœa, eclampſia, &c: cùm hæc procella omninò deſiit, & minimè dolent gingivæ, nec nutrices de ejus morbo cogitant, dentes primores intervallo quandoque unius menſis ab odontalgiâ protuberant, ſenſim creſcunt; initium verò ducunt duo inciſivi maxillæ ſuperioris, poſt menſem aut circiter inciſivi inferiores pullulant, & ſic deinceps molares omnium ultimi ſoboleſcunt, ſed utplurimùm ſine dolore.

Dentes primores decem in utrâque maxillâ, cùm infans ſeptimum circiter annum attigit delabuntur, ſucceſſivè aliis in eorum locum ſuccreſcentibus. Illi verò qui delabuntur radicibus carere videntur, id eſt, pars tantum externa ſeu corona dentis à radice ſeparata delabitur; illa verò ſecunda dentitio utplurimùm dolore caret, ut & primorum lapſus; molares verò vix unquam delabuntur; interea apud Pariſinos infantibus ſexennis, ut narrant, molarium eruptio odontalgiam tam immanem creat, ut plurimi hoc ætatis anno inde moriantur, quod apud noſtrates non accidit; dentes caduci apud infantes ſunt in utrâque maxillâ inciſorii quatuor, duo canini, & quatuor

primi

primi molares, quorum duo tantùm quandoque delabuntur. *Vide curam dentitionis apud omnes Auctores.*

6. *Odontalgia arthritica* Muſgrave de Arthritide, Cap. IV. B. P.

Eſt ea quæ arthriticos invadit, cùm venenum arthriticum pedes deſerit, & per corpus divagatur; illud ſuturas cranii ritè delineat, quandoque dentes diſcruciat, accedente verò dolore articulorum evaneſcit odontalgia.

De odontalgiâ verminosâ fermè ſileo, quippe licet *D. Andry* vermiculos in dentibus carioſis ſe vidiſſe aſſerat, licet plures eſſe vermiculos in guttulâ ſalivæ quàm incolæ in Provinciis Unitis ſcripſerit *Leeuwenhoeckius*, ſunt gravia rationum momenta qnæ me movent ad credendum hiſce fidem eſſe denegandam; vidit quidem *Loeſekius*, ut refert *obſervat. pag. 66*, vermiculum caudâ bifidâ in dente carioſo; ipſe etiam vidi quid ſimile, quod pro vermiculo alii habebant; quod tamen fruſtulum nervi vel vaſis reſecti mihi viſum eſt.

7. *Odontalgia hæmodia; Stupor dentium* vulgò; *L'agacement des dents.* B.

Eſt moleſtia ſingularis dentium quæ à fructibus acerbis, ſtridulis ſonis auditis, affrictu dentium, &c, procedit, quam ſoli experti norunt.

Huic obnoxii ſunt potiſſimùm rachitici, quorum dentes exquiſitiori ſenſibilitate gaudent. Hæmodiam ſæpiùs excitant non ſolùm fructus acidi, ut ribes, ceraſa, ſed etiam ipſum ſaccharum, præſertim candum; dolent etiam eo modo dentes à ſonis acutiſſimis & raucis, ut limæ, ut ſuberis ſecti; hic verò dolor exacerbatur ab ingreſſu aëris in os, impedit maſticationem, ſed utplurimùm fugax eſt, & vix ullius momenti.

Sublevatur linteo calido dentibus admoto, maſticatione portulacæ, imò acetoſæ; acidum debilius acriori mixtum illud enervat.

Dentes ſunt oſſa minima & duriſſima corporis, adeòque quorum tonus eſt omnium acutiſſimus, ex principiis acouſtices; debent itaque vibrari & exagitari eorum fibræ oſſeæ à ſonis externis acutiſſimis, & ſi diſcordes ſint, vibrationes ſimiles pati: unde diſtractio dolorifica calore ſublevanda.

8. *Odontalgia hyſterica* Ill. Raulin des Maladies vaporeuſes pag. 25. B.

9. *Odontalgia ſtomachiea*, Mémoire des Academiciens Etrangers, Tom. III, pag. 463.

Eſt dolor dentium & gingivarum vividus qui à ſaburra ſtomachi pendere videtur, quique vomitione ſanatur. *Vide Acta Phyſ. Med. Tom. III, pag. 163. App.*

Nota. Ad hunc ordinem referri deberet *Stomalgia*, *Gloſſalgia*; ſed dolores hujus partis ſunt ſymptomata alios morbos comitantia, ſcilicet catarrhum, rheumatiſmum, cynanchem, anginam, aphtham, carcinoma, de quibus ſuis locis egimus.

ORDO TERTIUS.

Dolores Pectoris.

SUnt potiſſimùm peripneumonia & pleuritis inter phlegmaſias; pleurodyne & pneumonia inter anhelationes; palpitatio inter convulſiones. Huc itaque referendi dolores œſophagi & cordis.

XVII. Dysphagia; *Difficulté d'avaler.*

Difficultas & dolor eſt deglutitionem maſticationemve concomitans, & non rarò impediens ſine notabili reſpirationis læſione, unde ab anginâ diſcrepat.

1. *Dyſphagia ſpaſmodica* Frid. Hoffmanni Tom. I, pag. 130. *Spaſmus gulæ.* B.

Eſt illa quæ ab œſophagi ſpaſmodica conſtrictione dependet; conſtrictio verò illa nunc in ſummâ, nunc in imâ œſophagi parte potiſſimùm adeſt.

Signa ſpaſmis omnibus communia ſunt pedum refrigeratio, extremorum artuum tremor, ac rigor, alvi conſtipatio, flatulentia, borborygmi, ventris dolores, murmura, nauſeæ, cardialgiæ, urinæ pallidæ, pulſus duri, &c.

Signa propria ſpaſmi pharyngis ſunt deglutiendi difficultas, dolore aliquando ſtipata, nec fluida, nec ſolida transmittens, rigida vicinorum conſtrictio, dolor, impeditus motus, moleſtia ſuffocativa, ſenſus pali faucibus infixi, ac ſi quidquam indè proſerperet; vox perit, & hæc omnia per intervalla recurrunt, ac quandoque convulſiones vel eclampſiam accerſunt; ſigna ſpaſmi gulæ inferioris ſunt percepta deglutitorum hærentia in ipſo œſophagi tubo, maximè circa cardiam, potiſſimùm à potu frigido; levamen à calido, dolor in ſpinâ dorſi inter ſcapulas; accedit nauſea, ructuatio, muci limpidi ex œſophago rejectio.

Hæc ſpecies opiſthotonum ſæpe comitatur, *Foreſt. libr. 10, obſerv. 112 & 113*, & *Boneti de Opiſthotono in Sepulchreto.* Vidit *Mead* tantam dyſphagiam in palpitationis cordis paroxyſmo ut à dyſphagia hydrophobiea ſimilem differret; vidi ego non in paroxyſmo epialæ cum convulſivo tremore & frigore horrendo ut ob præcipitem anhelationem ne cochlear potûs cardiaci per horam integram poſſet deglutiri.

Curatio exigit antiſpaſmodica pro re nata diverſa.

2. *Dyſphagia hyſterica*, Mead of the Mad-dog. p. 147. L.

Novi mulierem hyſtericam quæ diverſis terroribus vexatur, & quæ quoties cibum ſumit, metuit ſuffocationem, nec ſine labore quidquam deglutit,

tit, ita ut per annum & ultra ſola paſtum ſumat, quod indecorum putat cuilibet bolo vehiculum præbere hauſto aquæ potu. Itineratio, balnea & lacticinia hanc dyſphagiam demùm auferunt; hyſtericis œſophagum à paroxyſmo arctari, ut ne quidquam deglutire valeant, notum eſt omnibus, ſpaſmo hyſterico gulam & tracheam urgente; ſed hic affectus fugax eſt, nec cum ſpaſmo gulæ ſuperiori comparandus quoad periculum.

3. *Dyſphagia paralytica* Foreſti lib. 15, obſerv. 30, Friderici Hoffmanni ibidem, pag. 130 n° 6; Van Swieten Tom. I, pag. 702; An dyſphagia tuſſiculoſa? L.

Eſt ſpecies quæ à muſculorum laryngis dilatatorum atonia & reſolutione pendere putatur; ea difficultas degluriendi non eſt interpolata ut priores, ſed continua; in hac alimenta per os ac nares regurgitant, aut quandoque laryngem ſubeunt. *Tulpius lib. 1, cap. 44*, allegat caſum in quo omnino impedita erat deglutitio cum faciei pallore, partium vicinarum mollitie, ac flacciditate, famem explendi impoſſibilitate, unde ſummum periculum.

Vide hiſtorias in *Acad. Nat. Cur.* ubi dyſphagiæ ab apoplexiâ, paralyſi relictæ, quæ paralyſeos curam exigunt. In hac ſpecie boli ſolidi per vim linguæ adacti reſiſtentiam ſuperant & deglutiuntur; fluida verò minimè: *Vide Mangeti Biblioth. Med. de Paralyſi, pag. 770.*

4. *Dyſphagia pharyngea* Deidier Conſulation. tom. 3 pag. 308: *ab excreſcentiis, fungis, verrucis œſophago innatis*, vide Synopſim Acad. Natur. Curioſ. verbo Deglutitio: *à thymo incraſſato* Boneti Sepulchret. obſ. 10 pag. 33; *ab Oſſiculo retro laryngem nato*, Acad. Nat. Curioſ. Decur. 2 obſerv. 116, Tulpii libr. 1, cap. 44. *à calculo palatum obſidente*, Kruger Journ. de Med. Juill. 1765 pag. 69. L.

Ea eſt ſpecies quæ ſuperiorem œſophagi partem obturat, in quâ proinde alimenta vix deglutiri poſſunt, ſed per nares & os regurgitant; ſi nullus ſit hiatus, inediâ pereundum eſt; ſi exiguus, tunc liquida ſibi viam parant, non ſolida. Huc ſpectat obſervatio *D. Coulas, Mem. de la Soc. R. de Montpellier* de ovo ſeu hygromate ad radicem linguæ poſito, quod nuper mulier ore rejecit gallinaceo ovo non minus.

5. *Dyſphagia œſophagea* Coiteri Obſerv. anat. Deidier Conſult. Tom. III, pag. 327; *ab obſtructo imo œſophago interventu ſcirrhi*, Fernel. Pathol. cap. 1, lib. 6; *à callo aortæ adnato* Dodonæi in cap. 30 Benivenii de abditis; *à ſcirrho cardiam obſidente*, vide Coiterum; *à tuberculo cancroſo in œſophago*, Bonet. Sepulchret. pag. 38, obſ. 2; *ab œſophagi induratione cartilagineâ*, idem pag. 32, obſ. 8 & 9; *a glandulâ œſophageâ* Verheyeni & Heiſter Anat. de œſophago. D.

Ea eſt ſpecies quæ à tumoribus infra medium œſophagum, vel intùs vel extùs adnatis, dependet, vel etiam quæ ab ipſo tubo anguſtato producitur, ut *Heurnii Obſerv.* 30 patet. In illa ſpecie alimenta quidem deglutiuntur, ſed ad locum obturatum perventa ulteriùs progredi nequeunt, unde vomitione rejiciuntur.

6. *Dyſ-*

6. *Dyſphagia lactentium* Bonet. Sepulchret. Obſ. 5.

Eam intelligo quæ non à vitio pharyngis aut laryngis obſtructæ, induratæ vel anguſtatæ dependet, ſed quæ vel à palato perforato, vel à columellæ eroſæ, abſumptæ, velive palatini defectu oritur.

Ad deglutiendum neceſſe eſt bolum in faucibus undequaque magis comprimi, quàm verſus œſophagum, & ſic quâ datâ parte propelli; ſi itaque velum palatinum, uvulave deficiant, nares poſticæ minimè obturari poſſunt, nec proinde reſiſtere preſſioni quam bolus experitur: ergo bolus per nares regurgitabit, utcumque liberrimus ſit œſophagus. Novi tres homines quorum palatum ab ortu erat perforatum, unde paraphonia ſingulari laborant; illi verò lac à papilla oblatum deglutire in infantiâ non poterant uſquequò inventæ fuiſſent nutrices, quarum papillæ adeò extenſæ erant, ut ultra palati foramen protenderentur. Inde verò filius ipſius *Boneti* cito periiſſe mihi videtur, ut narrat loco citato, & *Act. Nat. Cur. Decad.* 2, *obſ.* 5. Vide *veterem Salmuthi obſervationem.*

Ea ſpecies infantibus tantùm ferè accidit, nec eſt confundenda cum ea difficultate ſugendi lactis, quæ pendet ab aliis principiis; v. g. ſi frænum linguæ ſolutum non ſit, lac difficillimè ſugunt infantes, & citò indignabundi papillam reſpuunt, ſed nulla eſt deglutiendi difficultas ſaltem mihi cognita, quod tamen ulteriùs inquirant Medici.

7. *Dyſphagia tuſſiculoſa.* Vide Fabric. Hildanum, obſerv. 34 cent. 5; Majault Journ. de Med. Ann. 1756. L.

Ea eſt quæ metum ſuffocationis incutit quoties liquida deglutiuntur ob illapſum illorum in tracheam. Hanc vidi in ſene qui quoties juſculum aut potum quemvis deglutire conabatur, toties ſuperveniente vehementi tuſſi defatigabatur cum ſuffocationis metu ob ſimilem cauſam. Hujus morbi theoriam tradit *Fabric. Hildanus* exiſtimans epiglottidem catarrhali fluxione incraſſatam non potuiſſe more ſolito glottidi applicari dùm fluida bibebantur. Quid ſimile refert *P. Barbette* ab epiglottide duriori ortum, & inſanabile hoc malum meritò reputat, obſervatque majores bolos ſolidorum ciborum deglutiri, non verò liquida. *Foreſtus lib.* 15, *obſerv.* 30, & poſt eum *Frid. Hoffmannus* hanc ſpeciem à paralyſi œſophagi pendere putant.

Adoleſcens à decem menſibus poſt cynanchem nil poterat deglutire, quin fluido glottidem ſubeunte, illicò tuſſi violenta & convulſiva ferè ſuffocaretur; præſcripſit *Ill. Majault* ut æger bibens caput in alterutrum latus inclinaret; & facto tentamine æger quoties in ſiniſtrum latus inclinabat capite, toties liquida ſine tuſſi & difficultate deglutiebat; quippe aderat ulcus in margine pharyngis & laryngis rimam glottidis in laryngem continuans; inclinato verò capite, muſculi deglutitioni famulantes hanc rimam mutuâ labiorum adunatione delebant, ut demonſtravit cadaveris ſectio.

8. *Dyſphagia hydrophobica* Mem. de la Societ. R. de Montpell. obſ. Ill. Haguenot: *Dyſcatapoſis* Mead of the Mad-Dog.

Patet ex ejus & aliorum obſervatione Hydrophobos, antequàm in rabiem

biem incidant, conqueri potiſſimùm de quadam deglutiendi difficultate, ſine ullâ dyſpnœâ: *D. Lamorier*, citatum in hac hiſtoriâ ruſticum examinans digitum in ejus fauces intruſit inquirens cauſam difficilis deglutitionis, & nihil vidit; quippe intra œſophagum latent illæ lacunæ quæ virus hydrophobicum fundunt; ſequenti verò die non ſine terrore audivit hunc ruſticum aſſerentem ſe tantâ rabie affici ut exercitum integrum devorare cuperet; ſi monitus fuiſſet is inſignis Chirurgiæ demonſtrator dari talem dyſphagiæ ſpeciem, is non ita facile ſuum digitum in os hujus lupi immiſiſſet, quod tamen impunè factum eſt.

Presbyter, à fele rabida demorſus dudum, ſola dentium impreſſione relictâ, ſine laceratione, per multos annos, eodem anni tempore quo fuerat impetitus à fele, magnâ faucium anguſtiâ, à quâ primùm citò evaſerat, corripi ſolitus erat, *Scaramucci Epiſtol. 8*; hiſtorias quindecim hydrophobiæ à morſu felium excitatæ recenſet *Ill. Morgagni Epiſt. XI, 14*; his ego tres addere poſſem.

9. *Dyſphagia nauſeoſa* Bonet. Sepulchret. pag. 31 & 32, Tom. 2. B. Eſt ea ſpecies quam nauſea & inde nata conſtrictio ſpaſmodica cardiæ excitat, quæ vel ab exulcerato œſophago, vel à ſuccis acribus in ventriculo contentis, vel ab antipathiâ dati cibi oritur. *Vide Act. Natur. Curioſ. Centur. 1, Obſ. 6*: ægri licet deglutire conentur, paulò poſt nauſeâ, ſingultu, vomitione defatigantur, nec deglutire poſſunt. De hac ſpecie quam ulcus excitat, *vide vander Linden* & *Torti de Febrib. pag. 132.*

10. *Dyſphagia à deglutitis* Vateri diſſert. *ab oſſiculo infixo pone tonſillas ſubſiſtente*, Diemerbroeck anatom. lib. 2 cap. 16; *a devorato oſſiculo & eo rejecto inflammatione œſophagi perſiſtente*, Fabric. Hildani, Cent. 5. obſ. 35; *ab eſu ſeminis fagopyri*, Act. Nat. Curioſ. Dec. 3 anno 3 obſ. 5; *a fruſto cibi ſolidi* Frid. Hoffman. conſult. caſu 63. & Foreſti lib. 15. obſerv. 28.

Quibus artificiis hæc ſemi deglutita foras educantur, vide *Heiſterum* & *Fabricium Hildanum.*

11. *Dyſphagia à daturâ* Crugeri Ephemer. Germanic. Decur. 3 pag. 84. P.

Sumpto ſemine daturæ ſeu ſtramonii ſupervenit dyſphagia ſtrangulans cum periculo ſuffocationis, vertigine, paraphroſyne & ecſtaſi, in quâ æger chimæras & viſiones phantaſticas ſibi repræſentat. Uſus gargariſmatis ex ficubus, uvis paſſis, & glycyrrhizâ juvat; theriaca ad ſudorem excitandum, pulveres abſorbentes ad reliquias veneni auferendas proſunt; mallem, præmiſſo vomitorio, acetum propinare.

Vide plures obſervationes circa noxam daturæ dum de paraphroſyne.

12. *Dyſphagia à ſarcomate* Hannemani Collect. Acad. T. 3 p. 604. L. Poſt abſceſſum œſophagi mulier dyſphagiam experta eſt oriundam ab excreſcentiâ ſeu carunculâ huic abſceſſui ſuccedente, unde omnis in ventriculum aditus alimentis præcludebatur; bis ferro via cuſa fuerat, aſt tertiam operationem experiri noluit, adeòque fame periit ægra. De hac ſpecie vi-

de *obſ. 14 appendice ad centur. 4. Riverii;* vide etiam *Tulpium lib. 1. obſerv. 44.*

A ſarcomate ſyphilitico ortam dyſphagiam memorat *J. Rhodius centur. 2. obſ. 46.*

13. *Dyſphagia ab ſcirrho*, Joan. Rhodii Centur. 2 obſ. 47. Otto Heurnius.

Ab hygromate ovum gallinaceum colore & magnitudine referente ortam vidit nuper dyſphagiam *Doctor Coulas*, ovumque illud inter baſim linguæ & laryngem latuiſſe è latere ſitum comperiit; mulier illâ dyſphagiâ liberata fuit, hoc ovo per os expulſo integro: illud hygroma continebat aquam ſubflavam minimè in igne concreſcibilem. *Vide hiſtor. in Mémoires de la Societ. Royale de Montpelier* propediem edendis.

14. *Dyſphagia canina*, Eſſais d'Edinbourg Tom. 2 art. 15. *difficultas deglutiendi ob ſcirrhos oeſophagum cingentes*, à J. Taylor Medico Edinburgenſi. D.

Dolor conſtans ſub cartilagine xiphoideâ, difficultas deglutiendi alimenta ſolida, eorum frequens rejectio antequam in ventriculum delapſa forent, in imâ œſophagi parte pondus & dolor. Macies & aſthenia creſcunt in dies; cùm tubercula illa ſuppurantur, accedit febricula, cum ſudore nocturno, quæ ſublevantur tuberculis rejectis: Poſt diverſos cruciatus mors: Canes habent glandulam Vercellonianam in imo œſophagi, in quâ vermiculus ruber nidulatur, ſi ab eâ, vel ſimili glandulâ intumefactâ naſcatur dyſphagia, ea canina cognominatur.

Dyſphagiam caninam obſervante *Illuſtriſſimo Pringle* initio deſignat vomitio omnium aſſumptorum ſtatim à deglutitione, ſed lenis & quaſi ruminans, ſucceſſu temporis vires & evexia imminuuntur, accedit frigiditas æſtate non evaneſcens, demùm atrophia maraſmodes. Aperto cadavere excreſcentiæ ſcirrhoſæ œſophagum à medio ad imum obſtipabant ut vix ſtylus trajici poſſet: *Eſſais d'Edinburg. Tom. 2. art. 24.*

15. *Dyſphagia Valſalviana*, Valſalva de aure cap. 2 n° 20.

A muſculorum hyopharyngeorum violenta diſtractione, qualis in majoris boli deglutitione accidit, quandoque luxantur appendices oſſis hyoidis; quod ego in muliere Bononienſi à deglutitione majoris boli bovillæ carnis non benè manſæ obſervavi. Putabat mulier multiſque impoſuerat ſe divexari à bolo in faucibus hærente, quem ut inde obturbaret, varia manuum & medicamentorum auxilia tentavit, ſed incaſſum; jam elapſum triduum erat ab eo quod ullum cibum & potum aſſumere potuiſſet, cùm denique à me opem quæſivit; ego verò omnibus perpenſis, cùm in aliqua ex appendicibus cartilagineis oſſis hyoidis luxationem ſuſpicarer, partem, ut anatomica indicabat cognitio, ita digitis contrectavi, & illicò per unam alteramve contrectationem, omnia in priſtinam ſanitatem redacta ſunt, ut immediatè abſque ullo deglutiendi incommodo juſculum ſumere & cibum mulier modò deſperata potuerit. Hæc *Valſalva.*

16. *Dyſphagia aneuryſmatica*, Morgagni Epiſt. XVII. 18, 25. C. Plu-

Plurima ſunt exempla Dyſphagiæ, quæ ab aneuryſmate aortæ œſophagum comprimentis dependet; illud itaque ſymptoma ad hujus aneuryſmatis diagnoſim conferre poteſt.

17. *Dyſphagia à labario.*

Labarium vocat *Ill. Linnæus* lapſum dentium aut vacillationem; ex his autem vitiis maſticationem impediri, lædi notum eſt.

18. *Dyſphagia à ſiccitate.* B.

Eſt difficultas vorandi alimenta ſolida, ſicca, quæ obſervatur ubi fauces ſunt ſicciores; hoc ſymptoma obſervatur in ſynocho & tritæophya ardentibus, *Bonet. Sepulchr. Obſ. 14*; in anaſarca & aſcite, *Bouillet de l'Anaſarque*; oritur etiam à fumo nicotianæ *Ephemer. Nat. Cur. Dec. III. Ann. I. Obſ. 79*: comitatur etiam hæc ſiccitas uſum internum extracti ſtramonii, hyoſciami albi, nigri &c, *Mem. de la Soc. R. de Montpell.*

19. *Dyſphagia ab hypoſtaphyle; luette tombée.*

Differt ab angina & cynanche, quòd nulla ſit difficultas reſpirandi, nulla inflammatio; ſola eſt laxitas uvulæ extenſæ & propendentis, quæ curatur adſtringentibus & tonicis admotis, ut catechu, alumine, pipere, gallis, roſis rubris, granatis, ſpiritu vitrioli.

XVIII. PYROSIS; *Cremaſon.*

Morbus cujus præcipuum ſymptoma eſt ſenſus ardoris in ventriculo & œſophago ſine febre acutâ.

Dicitur *ardor ventriculi* Hoffmanno Tom. 2. p. 120; *Ardor ſtomachi* Frid. Stokari diſſert. cum hiſtoria accuratâ 1704. *Soda* Germanis, ut Nentero tabul. 99: *Den ſodt* Sennert. cap. 16. *Orexis* etiam Nenteri ibidem. *Gorgoſſet* Lugdunenſibus, Meyſſonier. Occitanis *Cremaſon*, quia cremari ſeu uri videtur cardia. *Pyroſis* Græcis à *pyr* ignis.

1. *Pyroſis vulgaris, aigreur d'eſtomac; le fer chaud*, Hiſtoir. de l'Acad. R. des Sc. 1708. L.

Eſt fugax & indigeſtionibus acidis, empyreumaticis ſuperveniens atque poſt finitam digeſtionem evaneſcens. Sentitur ſenſus aciditatis & fervoris potiſſimum in gutture per totum œſophagum ſe diffundens, cum frequenti ſalivæ, quæ acida videtur, exſpuitione, ſimili circa epigaſtrium moleſtiâ, quæ vomitionem etiam concitat, animæ quâdam moleſtiâ, quæ iracundiam aut moroſitatem, facieique diſtorſiones inducit. Familiaris eſt illis qui cibos crudos, aceſcentes malè digerunt, maximè eos in quibus extricatur oleum copioſum, ut caſtaneæ, quod oleum pravâ digeſtione empyreuma contrahit; familiare etiam malum ab uſu piſcium, carnium, quoties cum oleo, adipeve maximè rancidis frixæ fuerint in ſartagine; item à liquoribus fermentatis.

Pyroſis vulgaris eſt ſimplex, fugax & curatu facilis, modò in hypochondriacos non incidat. *Hombergius* eam frequentem obſervat apud cereviſiæ potatores, & largo uſu oculorum cancrorum feliciter ſanavit; utplurimum

ſelectis alimentis eupeptis evaneſcit aut catharticis cedit. Salia alkalina fixa in pyroſi vulgari laudat expertus *Pringle*: mutant enim ſuccos in ſaponem utilem: *Experim. 36.* Si in phiala cum pane, carne contritis & ſaliva affundatur oleum vel ſubſtantia oleoſa, fermentatio violentior evadit, eamque ſaliva moderari non poteſt. Cùm ſtomachus laxior alimenta diutius retinet, fermentatio completa evadit, etiamſi carnibus, pane & aqua tantùm uſus ſit homo, inde verò exſurgit aciditas quâ dentes ſtupefiunt; *idem ibid.* Teſtacea, aqua calcis, alkalia fixa, ac potiſſimùm ſaliva aciditatem corrigunt. Alimenta cocta, carnes aſſatæ, bene maſticatæ, morâ maceratæ, pacatius fermenteſcunt, & facilius digeruntur.

2. *Pyroſis bilioſa* Fel. Plateri de doloribus, Bianchi hiſtor. Hepat. tom. 1 p. 516. L.

Eſt ſpecies febre & cardialgia ſæpiùs ſtipata; de quâ *Hippocrates* ait *in aphor.: In febribus circa ventriculum & fortis æſtus & cordis morſus malum.* Hanc comitatur inappetentia, oris amaror, vomitio bilioſa; bilioſis eſt familiaris, maximè ſi utantur cibis acribus, cæpâ, allio, caſeo veteri; hæc enim in ſtomacho calido indigeſtiones empyreumaticas excitant.

Commendatur catharſis ex tamarindis, deinde abſorbentia ex cretâ, oculis cancrorum, ebore uſto, bolo armenâ; item aqua portulacæ, conſerva cynorrhodonis, &c. Aquæ acidulæ ſcopo purgandi indicantur, & ſerum lactis cum extincto lateris fruſtulo.

3. *Pyroſis à phlogoſi* Solenandri; *ab inflammatis viſceribus* Boneti. L.

Ea eſt ſpecies quam phlogoſis ventriculi ſeu gaſtritis, nec non hepatitis, cyſtitis, hyſteritis excitant.

Curatur ut morbus primarius phlebotomiis, aquâ pulli, narcoticis.

4. *Pyroſis Suecica* Illuſtriſſ. Equitis Linnæi, Archiatri Suecici epiſtola ann. 1752, *Cardialgia ſputatoria* ipſi dicta. C.

Eſt apud Suecos, qui Alpibus Lapponicis proximè adjacent, morbus endemicus, quo dimidia pars hominum laborat tùm mas tùm fœmina. Dolor preſſorius ſub ſcrobiculo cordis premit verſus dorſum & pectus, repetitis vicibus ſummâ cum anxietate, uſque dùm æger incipit ex ore emittere ſalivam inſtar rivuli cum repetitâ nauſeâ, interdum vomitione; ſaliva exiens ad libram ſemiſſem & libram unam eſt calidiſſima, puriſſima, aquei coloris, quo effluxu mitigatur morbus aut ſaltem per unum, alterumve diem æger immunis eſt à morbo.

Paroxyſmus excitatur à cibis fumo induratis, carnibus ſalitis, larido, pulte quavis. Mitigatur carnibus recentibus, piſcibus, lacte dulci; morbus durat ſæpè per vitam, nullâ verâ medicinâ adhucdum cognitâ; nonnulli utuntur vomicâ nuce pulveratâ ad ſcrupulum unum intro ſumptâ, alii alia adhibent; hæc ſcribit *Ill. Car. Linnæus.*

5. *Pyroſis ulceroſa* Frid. Stokari diſſert. Academ. Ardor ſtomachi Baſileæ an. 1704. C.

Eſt ſpecies pyroſeos pertinacis, diræ, quæ ab ulcere pylori per multos annos fovetur.

Qui-

Quidam multibibus à triennio de ingenti ardore epigaſtrii verſus pylorum querebatur; à ſumpto quocumque ſalito vel acri, ut vino, juſculo, acerbiſſimum dolorem velut à prunâ aut ferro candente inuſto patiebatur; dolore furente, pugno epigaſtrium validè comprimebat, gemitus, ſuſpiria ac ejulatus edere cogebatur, cætera benè erant.

Dabantur cremores hordei, farinæ avenaceæ, bolus armena, cornu cervi uſtum, creta, lapides cancrorum, ſed incaſſùm; pulvis ex radice althææ, gummi arabici & tragacanthâ fuit inutilis; pulvis ſeminum cydoniorum aliaque fruſtrà adhibita ſunt.

Sumpſit vomitorium à Medicaſtro, unde malum increvit, anorexia, ſitis, hectica, debilitas, urina rubicunda, vomitus habitualis, tabes maraſmodes, inde in aſcitem, & poſt atroces inteſtinorum dolores, mors, priùs tamen anhelitus olebat graviter.

Abdomine aperto viginti menſuræ ſeri virideſcentis effluxere, ſtomachi ſedes mutata, fundus ſiniſtrorſum, orificia dextrorſum vergebant; ſtomacho aperto fœtor horrendus exivit, in antro pylori erat ulcus tres pollices latum, ſordidum, cœnoſum, fœtidum, & cacoëthes, caro lacera & putris, ſanies fœtida, inteſtina valdè attenuata, hinc inde inflammata, hepar exſangue, pallidum, duriuſculum, glandulæ meſenterii duriuſculæ, cor exiguum, flaccidum, pericardium ſero diſtenſum, ſanguinis vix unciæ duæ in corpore, &c.

Cura à lacte, quod nemini in mentem venit, erat auſpicanda.

6. *Pyroſis à conceptione* Paul. Hermanni obſ. Von der Lahr. diſſ. de ſterilitate. L.

Hic celeber Profeſſor Leydenſis obſervavit mulierem quæ imprægnatam ſe cognoſcebat ex pyroſi quam ſtatim à conceptione experiebatur, ita ut ſuam graviditatem inde certò prædicaret; huncque morbum *Hermannus* exhibitione oculorum cancrorum, martialiumque feliciter ſedavit, at ultimâ vice per novem menſes graviori multò pyroſi cum majori ventriculi roſione & ardore ea vexabatur, ita ut iiſdem remediis profligari non potuerit, uſquequò demum dato tempore geminum fœtum excluſit; in illâ itaque ſodâ aura ſeminalis mariti erat principium morbificum, & quò uberius erat hoc principium, eò major erat pyroſis.

XIX. Cardiogmus, *Aneuryſma præcordiorum*; *Anevryſme du cœur*, &c.

Eſt gravis pertinaxque moleſtia in præcordiis cum ſenſu ponderis & magnæ molis pulſantis à minimo motu increſcens; cordis vaſorumve vicinorum moli adauctæ aut aneuryſmati tribuenda.

Cardiogmi nomine, ait *Galenus*, quidam intelligunt cordis motum quemdam palpitationi ſimilem; *Gorræi definit.* Alii verò cordis etiam dolorem hoc nomine ſignificant: nos verò eum indigitamus morbum adhucdum obſcu-

rum, qui à cordis & vicinorum majorum vaſorum anevryſmate, tum ejus viſceris mole, cum vel ſine polypo, dependet.

De hoc morbo conſulendi ſunt *Lanciſius cap. vi. de cordis anevryſmatibus; Ill. Senacus des malad. du cœur, tom. 2 liv. 4 chap. 8; Anton. Matani de præcordiorum morbis anevryſmaticis*, Florentiæ 1756, *pag. 34 &c. Meckel Mem. de la Soc. de Berlin, 1755 pag. 58.*

Cardionchus dici poteſt à *cardia* cor, & *onchos* tumor, ſed præſtat nominis cæterum vacui ſignificatum definitione determinare.

Portentosè dilatari cordis ventriculos, auriculas, ſinus, cavam ipſam & aortam frequenter ſatis obſervatur, & frequentiùs obſervaretur, niſi denegarentur mortuorum extiſpicia; interea hujuſce morbi diagnoſis intricatiſſima remanet, & ſi à morbo palpitatione dicto diſtingui queat, id ex ſenſu magnæ molis in cordis regione pulſantis, quaſi præfocantis, repeti poſſe videtur; in his tenebris non ſpecies diſtinctas, ſed individuas obſervationes referemus.

1. *Cardiogmus polypoſus* Hombergii Hiſtoire de l'Academ. R. des Sc. ann. 1704 pag. 159. C.

Matrona annorum 35 patiebatur dirum aſthma, frequens & magnum capitis malum, cum perpetuâ vigiliâ & *doloribus pectoris;* ſi vel minimum ſe dimoveret, aſthma adaugebatur, accedente violentâ cordis palpitatione, quæ per horam interdum perſeverabat; aliis etiam ſymptomatis ſucceſſivè laborabat, unde morti proxima ſæpè reddebatur; durante paroxyſmo, magna ac ſenſibilis aderat venarum colli & brachiorum pulſatio, exactè ſequens motum cordis & quaſi undulatoria.

Secto cadavere cor duplo majus inventum eſt & flaccidum, cava ſolito ampliora & graciliora, polypi cordi adhærentes & per arterias ad pedem & ultrà extenſi.

2. *Cardiogmus Palaggii*, Lanciſi de cordis aneuryſmatibus propoſ. 53. Aneuryſma ventriculi dextri. C.

J. Palaggi, Canonicus Romanus, hypochondriacus, cordis palpitatione reverſivâ laborabat cum pulſûs inæqualitate & intermittentiâ, maximè verò quoties corpus aut animam vehementer exercuiſſet; ſuffocativum etiam aſthma identidem ac vertigo illum vexabant.

Vidit *Lanciſius* in cadavere valvulas aortæ oſſeas vel cartilagineas, venam cavam, auriculam & ventriculum dextrum ita dilatata, ut pugnum admitterent; interea ſiniſtra cordis cava in ſtatu ſano permanebant. An ex epilepſiæ paroxyſmis ortum duxiſſet hic morbus dubitandum eſt: Idem Canonicus ſphacelum dextræ manûs paſſus erat. Similem caſum refert *Hildanus Centur. 2. obſ. 99.*

Ex oſſeis valvulis orificii aortæ dilatatum fuiſſe magis cor ſiniſtrum quàm dextrum patet ex *hiſtoria 49. lib. 2. ſect. 7. Boneti*, quam ex *Horſtio* mutuatur. Multis aliis exemplis conſtat cardiogmum ſine polypis exſtitiſſe, & plures polypoſæ concretiones in agone mortis à lymphæ coagulo producuntur.

Simi-

Similem morbum à venâ pulmonari cartilagineâ anguſtiori refert *Ill. Senacus*; à ſarcomate inter aortam & arteriam pulmonarem, *Garnerius*; ab aortâ oſſificatâ & anguſtiſſimâ, *Blancardus.*

Multiplici obſervatione conſtitit mera cordis aneuryſmata ſine ullâ concretione polypoſâ exiſtere, & cardiogmi ſymptomata creare, *Ill. Senac. liv. 4 chap. 8 nº 5.* De hac ſpecie videſis *P. de Marchettis* & *Ill. Senac. pag.* 400.

3. *Cardiogmus auriculæ* Ill. Senac. liv. 4 chap. 8 nº 8. C.

Puella vicennis difficulter reſpirabat, deinceps in lecto jacere non poterat, ſine periculo ſuffocationis; conquerebatur de violenta pulſatione infra xiphoideam cartilaginem, pulſus imminuebatur, fermè evaneſcebat, ſub morbi finem œdematia pedes & tibias affecit; cor bubulo non minus inventum eſt, aſt ventriculus dexter maximè, & auricula dextra portentoſè intumuerant, cava inferior & ſuperior diametrum brachii adepta erant, pars ſiniſtra cordis rectè ſe habebat; numquid in hac ſpecie pulſatio cordis debilior ob laxitatem ventriculi & auriculæ affectæ? numquid pulſatio à dextris aut ad antica debet eſſe potiùs quàm ad latus ſiniſtrum? nonne in hac ſpecie jugularium undulatio frequentior? His ſignis addit *Lanciſius* pulſum magnum & æqualem.

4. *Cardiogmus cordis ſiniſtri* Poterii Centur. 3 cap. 22. C.

Quædam eſt reſpirandi difficultas, quæ per intervalla deambulantibus accidit; in hac fit præceps virium lapſus, æger propinquis tenetur niti adminiculis, aliàs humi corrueret; hi ægri utplurimum derepente moriuntur: In hoc morbo vena pulmonaris diſtenſa diſrumpitur, & ſanguine effuſo ſpiritus illicò ſuffocatur.

5. *Cardiogmus aortæ* Ill. Senac. pag. 407. nº 6. C.

Vidi, ait ille, virum violentis palpitationibus obnoxium; pulſationes erant è ſiniſtro latere infra coſtas, cum doloribus vividiſſimis; principium morbi erat dilatatio aortæ ab origine ſuâ uſque ad diaphragma, tanta ut capitis volumen æquaret, volumine cordis vix adaucto.

6. *Cardiogmus à mole cordis* Petr. de Marchettis obſ. 49. C.

Venetus quidam, crapuloſus, quadragenarius, de reſpirandi difficultate conquerebatur, & de hypochondriorum anguſtiâ; ſubitò extinctus eſt. Secto cadavere, cor adeò amplum obſervavit Auctor, ut tria naturalis magnitudinis æquaret, ventriculis itidem ampliſſimis & carnoſiſſimis, undique pericardio adhærens, & hypochondrium preſſione ſuâ in tumorem elevans.

Cor incraſſatum, puinguedinoſum pluries obſervatum eſt. Cardiogmum procreant quæcumque valent ſanguinis impetum in cor adaugere, ejuſque per vias ſuas transfluxum reprimere, ac tonum ejus cordis imminuere; hinc patet cur concionatores, iræ, exercitiis violentis dediti huic ſint obnoxii; cur ad levem motum paroxyſmus accedat, tunc enim ſanguinis impetus in cor creſcit; cur lapſus, caſus, ictus pectori inflictus, cur cacochymia ſeroſa, acris, cordis textum laxans, vel erodens, cur ſtrictura orificiorum

cor-

cordis, concretiones polypoſæ, aortæ aneuryſmata, tumores vaſa vicina prementes, huic morbo anſam præbeant.

Ad procraſtinandam mortem repentinam quâ ſæpè terminatur hic morbus, quies corporis & animi neceſſaria eſt, nec non phlebotomia identidem repetita, licet hydrothorax & œdematia immineant in fine morbi; ſuadentur etiam narcotica ad ſpaſmos & dolores cordis minuendos, demum diæta media conſtanter ſervanda.

Morbus hic ſæpiùs confunditur cum palpitatione & cum aſthmate, verùm longè diverſus eſt ratione principii; ſerior ætas hujus diagnoſim forte elucidabit. Maxima mortium repentinarum pars, quæ vulgò apoplexiæ tribuitur, pendet ab hoc morbo, quatenus ſubitò rumpuntur aneuryſmata, ut aliquoties ipſe comperi; ſunt tamen qui diù hoc conflictati vivunt, ſic S. Philippus de Neri octogeſimum annum attigit hoc morbo laborans, referente *Cæſalpino.*

De his vide palpitationem, ſyncopem, orthopnœam, quibuſcum cardiogmus valdè affinis eſt.

7. *Cardiogmus Leprotianus*, Ant. Leproti Obſerv. de aneuryſmate arteriæ bronchialis Commentar. Acad. Bonon. 1731. C.

Dolor ad ſternum, dorſum, ſcapulas, intolerabilis, qui minor erat cùm æger pronus jacebat demiſſo capite; aderant vigiliæ, oris amaror, flatus, qui ab obice ex œſophago in ſtomachum repellebantur: dyſpnœa creſcens, facies livida, jugularis ſiniſtræ pulſatio in pectore, pulſus in carpo inæqualis: Hæc in curſore juveni.

8. *Cardiogmus Meckelii* Mem. de l'Acad. de Berlin des maladies du cœur Obſerv. C.

Eſt illa ſpecies in qua ob cohæſionem cordis cum diaphragmate & pericardio adſunt dolores cordis cum dyſpnœa, præcordiorum anxietates, pulſus intermittens, &c. Vide ejus morbi hiſtorias in quibus ventriculi cordis flaccidi, ſanguineque turgidi ac diſtenſi fuerunt. *Vide Palpitationem 8am.*

ORDO QUARTUS.

Dolores Abdominis.

XX. Cardialgia; *Morſus ventriculi* Latinis; *Mal au cœur; Cardialgie.*

Eſt moleſta quædam ſenſatio ad ſtomachum aut epigaſtrium relata, quæ ſyncopem minitatur.

Diſtinguitur à cardiogmo defectu gravium ſymptomatum, ut oppreſſionis,

nis, palpitationis vehementis, quæ ſolent cardiogmum concomitari. Juxta Scholaſticos differt etiam quòd principium habeat cardialgia in ipſo ſtomacho, vel ejus orificio ſiniſtro *cardia* dicto. Verùm ægri ita confuſè ſentiunt locum affectum, ut indigitare ipſum determinatè nequeant. Differt à Leipothymiâ, quia in cardialgiâ ſenſatio moleſta oritur circa epigaſtrium, in Leipothymiâ vertigo, obnubilatio oculorum ſcenam ducunt, & deinde ſequitur affectus cordis, vel cardiæ. Differt à Gaſtrodyniâ, in qua eſt atrox ſtomachi dolor, non ſimplex moleſtia, nec ille virium vitalium lapſus, quem exprimunt ægri dicentes *mox ſe morituros*, vel *cor ſibi mori*, aut *deficere.*

Advertendum eſt nomine generico *doloris* vel *algiæ* Veteres non ſemper intellexiſſe moleſtiam tantùm eam, quæ à partium vulnere diſtractioneve oritur, vel dolorem vividum, cùm in cardialgiâ ſit ſenſatio confuſa, quæ à dolore illo acri & vulnerante maximè diſcrepat.

Sedem ejus in cardiâ *Galenus*, in pyloro potiſſimum *Frid. Hoffmannus* reponit; aſt in cavo ſtomachi ſæpius eſſe veroſimile eſt.

1. *Cardialgia a ſaburrâ* Juch. Diſſert. Erfordiæ; *Dolor cardialgicus à cruditatibus oriundus* Frid. Hoffmanni tom. 2 pag. 261 n° 6. B.

Ea ſpecies cognoſcitur ex ſignis cujuſcumque ſaburræ in ſtomacho latitantis, ſcilicet ſive ſaburræ crudæ à crapulâ recenti, ſaburræ viſcoſæ, ſaburræ acris & bilioſæ, putris aut rancidæ, quæ ſigna ſunt, pondus epigaſtrii, anxietas, nauſea, ructus, pravus in ore ſapor, linguæ ſordities, borborygmi.

Curatur verò emeticis quoties adeſt cum cardialgiâ oris amaror, capitis vertiginoſa gravitas ſine tenſione epigaſtrii; verùm emeſim ſæpè ciet aquæ tepidæ potus; ſi acris fuerit ſaburra, aquam pulli, oleùm cum aquâ præſcripſiſſe ſufficiet; in hoc etiam caſu potus leviter cardiacus, vires ſtomachi augendo, vomitionem quandoque adjuvat; demùm cathartica recidivam prævertunt.

2. *Cardialgia à veneno* Frid. Hoffmanni cap. 2 n° 6 tom. 2. A.

Veneni nomine hìc intelligo quidquid vehementi ſtimulo ventriculum laceſſit ore priùs ſumptum, ut arſenicalia, antimonialia, imò cathartica reſinoſa inopportunè aſſumpta. Hujus ſigna ſunt, cùm intenſiſſimus eſt morbus, cephalalgia, vertigo, agrypnia, delirium, convulſio, pectoris oppreſſio, cordis tremor & ſyncope, pulſus exiguus, debilis, interdum durus & inæqualis, vel intermittens, in abdomine ventris tormina, conſtipatio, urinæ ſuppreſſio, in artubus refrigeratio, horror, ſudor frigidus, facies livida, contracta, &c.

Vidi ab arſenici drachmâ deglutitâ ea omnia ſymptomata & alia plura acceſſiſſe, ſcilicet oris & œſophagi epithelidem ablatam, eroſam, penis ſub finem morbi ſpaſmum, & poſt octiduum mortem atrociſſimam, licet optimis auxiliis uſus eſſet hic miſer, à Pharmacopolæ ſimiâ deluſus, ſcilicet ab aromatario, qui contra leges medicamenta chymica ægris vendebat.

In his caſibus aqua pulli, pinguedo fuſa, butyrum fuſum, lac, aqua tepida,

pida, decoctum omaſorum affatim debent hauriri, ut vomitio juvetur, & venenum demulceatur; dein clyſmata ſimilia injicienda, & narcotica ſubjungenda.

3. *Cardialgia flatulenta* Huberti Marchand Diſſertat. Argentin. habita anno 1754; *Dolor cardialgicus flatulentus* Frid. Hoffmanni tom. 2 cap. 2 pag. 257. A.

Dignoſcitur hæc ſpecies per tumorem ovi gallinacei magnitudine verſus partem dextram epigaſtrii, ubi ſitus eſt pylorus, necnon ex majori reſpirandi difficultate propter turgeſcentiam ventriculi à flatibus; adde ructuum frequentiam, quibus dolor nonnihil ſublevatur; denique, addit *Hoffmannus*, poſt cibum, præſertim qui inflat, aſſumptum, ordinariò dolor ingraveſcit.

Hæc autem cardialgia ab *Hoffmanno* deſcripta videtur vix diſcrepare à Gaſtrodyniâ flatulentâ, vulgò colicâ ſtomachi ventosâ dictâ, à quâ tamen omnes noſtrates Medici cardialgiam diſtingui etiam genere contendunt.

In hoc morbo, ſi pulſus valeat, à phlebotomiâ ordiendum; dein aqua pulli liberaliter haurienda, laudani granum unum eſt præſcribendum, præmiſſo, ſi minus urgeat dolor, clyſmate; lintea calida epigaſtrio & pedibus admovenda, eo fine ut ſpaſmodica orificiorum ſtomachi contractio ſolvatur. Si dolor levis ſit, temperamentum pituitoſum ac frigidum, ſtomachus debilis, valent in hoc caſu ſtomachica & carminativa, nimium ruſticis in quâvis ſpecie laudata, ut decoctum baccarum juniperi, piperis grana integra, aniſum, fœniculum, quæ in aliis caſibus phlogoſim, ſiccitatem, doloremque intendere valent, & præ aliis theriaca recens.

4. *Cardialgia febricoſa*, Vide Mortonum hiſt. 16 cap. 9; *Febris cardiaca* Torti de Febrib. lib. 3 pag. 125 & 183. A.

Febricoſos nuncupat affectus *Werlhofius* illos qui febris cujuſdam intermittentis, vel remittentis ſunt accidentia, ut diſtinguat eos à febrilibus, qui continuas ſtipant. Cardialgia febricoſa eſt ſeries ſymptomatum cardialgicorum paroxyſmum febrilem concomitantium, cum eo ſæpius ingruentium, & recedentium, & in febris vigore creſcentium, quod de quovis alio accidente febricoſo, vel intermittentem febrem comitante eſt intelligendum.

In tertiana ſæpiùs, dum adhuc rigor & horror ægrum infeſtat, vel deſinit, accedit acerrimus ventriculi morſus cum paucâ vel inani vomitione; accedit animi defectio, ſeu ſyncope ſtomachica, pulſus exilis, facies Hippocratica, luctuoſum ſuſpirium, &c; pro exſpiratione eduntur clangores, aut ululatus in his caſibus, quæ vix unquam primum acceſſum comitantur, ſed ſecundum, aut tertium, raró quintum; quò graviora ſunt ſymptomata, eò majus mortis periculum eſt ſequenti acceſſu exſpectandum.

Quomodo differat à ſyncope febricosâ, vide ſuo loco; ſyncopem ſcilicet nulli dolores ventriculi præcedunt. Dolores ventriculi periodicos ſine febre alternis diebus recurrentes obſervavit *Bartholinus Centur. 3 obſ. 50* in propriâ filiâ & aliis.

5. Car-

5. *Cardialgia ſputatoria* Car. Linnæi Archiatri Suecici epiſtola anni 1751: Vide Pyroſim. C.

6. *Cardialgia ſcirrhoſa* Boneti Sepulchret. obſ. 13.

A *Scirrho* ipſius ventriculi pluries obſervata Hippolito Boſco, unde dolor per annos perſeverans.

A *Molâ*, ſeu excreſcentiâ carnosâ in ipſo ſtomacho obſervatâ à Vitagliano apud Panarolum.

Ab *Scirrho* pylorum, pancreaſque occupante, Riverius Centur. 1. obſ. 90.

Ab *Hepatis lieniſque* duritie, Bonet. obſ. 31.

A *Pancreate ſcirrhoſo*, obſ. 49, & Piſo de colluvie ſerosâ pag. 594. Hæc verò ſpecies potiùs ad Gaſtrodyniam attinet.

A *verrucâ Stomachi* Acad. Nat. Cur. Dec. 1 ann. 1 obſerv. 109.

A *Strumâ*, Dec. 3 ann. 5 & 6 Obſ. 175. &c.

7. *Cardialgia Paralytica ; Paralyſie du ventricule. Rarus ventriculi morbus* D. Lieutaud Mem. de l'Acad. R. des Sc. ann. 1756 pag. 223.

Cognoſcitur ex continuo ſenſu plenitudinis & gravitatis in ſtomacho, cum nauſeâ & impotentiâ vomendi.

Sexagenarius de his ſymptomatis diù conqueſtus, cui propinata emetica nullam vomitionem excitabant, poſt mortem exhibuit ſtomachum tenſum & repletum, licet per plures ante obitum dies perparum alimenti ſumpſiſſet; pylorus etiam liber erat, unde noſter Auctor aliquo jure deducit ſtomachum ſenſu & motu deſtitutum fuiſſe, nec potuiſſe alimentis ſe exonerare, quod accidit veſicæ urinariæ, dum ejus corpus paralyſi afficitur. Lien verò erat molis exiguæ; quippe illius hic uſus cenſetur, ut repleat ſpatium vacuum abdominis, cùm cibis abſtinuit æger, & detumeſcat, cùm cibis farctus eſt ventriculus.

8. *Cardialgia arthritica* Sydenham Proceſſ. pag. 710. de podagrâ. A.

Maximè familiaris eſt ventriculi languor cum ventris torminibus apud arthriticos diù podagrâ conflictatos; in hoc caſu nihil æquè votis reſpondet, ac vini canarini hauſtulus ſubinde deglutitus; exercitio utatur æger : ſi autem ſymptoma inducias non ferens mortem minitetur, modò caput malum ſimul non impetat, ad laudanum ſtatim confugiendum; hac ipsâ methodo ſe ab imminenti morte liberavit *Sydenham*, ubi ex errore aliquo in ingentem ſtomachi ægritudinem inciderat, cum vomituritione, & aliquali ventris dolore; artus interim, ex retroceſſione materiæ arthriticæ, doloris erant expertes, & ad motum plus ſolito habiles; congium nempè unum liquoris poſſetici devorabat, & quamprimum totum per vomitum rejecerat, vini canarini hauſtum cum laudani ſui guttis ſexdecim ſumebat; quod ſi huic remedio ſymptoma non cedat, ſudor provocetur methodo & medicamentis huic uſui dicatis ad biduum, triduumve, mane & veſpere per duas, treſve horas continuas.

9. *Cardialgia bradypepta. Cardilæa* Plateri de dolore cordis à ventriculi imbecillitate, pag. 369 & 377. *Foibleſſe d'eſtomac.* L.

Eſt illa habitualis & conſueta cardialgia quæ ab imbecillitate ventriculi

procedit : Stipata eſt inappetentiâ ; dolores comprimendo, diſtendendo graviuſque etiam rodendo moleſtant, & levi errore in victu, ac gymnaſticâ, maximè admiſſo frigore circa epigaſtrium, aut ſumptis cibis difficilioris paulò coctionis, excitantur.

Tarda & difficilis coctio eam moleſtiam inducit, & ſaburram crudam efficiendo diverſa inducit ſymptomata, ut inappetentiam, nauſeam, ructus, cachexiam.

Huic originem præbent intemperies nativa, ſenecta, debilitas à morbis prægreſſis, frigidorum & humidorum abuſus, crapulæ prægreſſæ, quæ ſtomachum ſæpiùs diſtendendo ejus tenuitatem inducunt ex *Plateri* ſententiâ. Hæc ſpecies nominatur ab illo *cordis moleſtia*, *imbecillitas ventriculi dicta*, *pag.* 370. & curatio fusè traditur, *à pag. 398 ad 445*, ubi ſequentia externa commendat, ſcilicet pannum ſcarlatinum vel pellem vulpinam, leporinam aut plumeam à vulture deſumptam, aut textum ex goſſypio factum, pulveribus galangæ, caryophyllorum, calami aromatici, menthæ, pulegii, ſeminibus fœniculi, carvi, &c, farctum, & ſcrobiculo cordis conſtanter appoſitum ; ſuadet etiam ut manus calida, catelluſve ſtomachi regioni noctu applicetur ; potiſſima verò auxilia ſunt vina ſtomachica & diæta conveniens.

10. *Cardialgia verminoſa* Bonet. Sepulchret. vol. 3. p. 527 ; Frider. Hoffmanni ibid. n. 19 ; *hirudinoſa* Acad. Nat. Curioſ. Centur. 1. obſ. 172, Hercul. Saxon. prælect. pract. part. 2 cap. 7 ; River. lib. 9. cap. 10 & centur. 1 obſerv. 91. A.

J. Bezac Univerſitatis Decanus accitus quondam fuit in oppidum Frontignan, ubi ſimilis cardialgia plures è medio ſuſtulerat. Secto cadavere invenit vermes ita tunicis ventriculi adhærentes, ut eum perforaverint. Tænia non rarò horis matutinis & vacuo ventriculo hos ventriculi morſus creat, cum aliquali bulimiâ, ptyaliſmo, quæ aſſumpto cibo ſublevantur ; identidem hujus fragmenta *cucurbitini* dicta foras amandantur ; in hoc caſu magna copia olei juglandum, ſuccus aurantii amari *bigarreau* dicti, præter emetica, aquas Balerucanas, &c. non rarò profuere.

Quædam medicamenta pro venenatis habita hic laudantur, ut radix *mimoſæ pudicæ.* Vide *Labat hiſtor. Antillarum* ; *ſpigelia anthelmia*, *nicotiana*, *tabacum*, arcanum D. *Herrenſchwand* fortè ſunt hujus generis : Vide *Wepfer. de cicuta aquatic. cap. 13 hiſt. 3*, *Hildan. centur. 1. obſ.* 27.

11. *Cardialgia lactentium*, *Cardiogmus* Nenteri Tabula 209 cap. 9. A.

Eſt, ait auctor, ſpecies cardialgiæ infantibus familiaris cum anxietate præcordiorum & dolore gravativo conjuncta, à flatulentâ abdominis & ventriculi diſtenſione originem habens.

Cardialgia adultorum ſtrictior, iſta laxior eſt ; cardiogmus cruditates tantum primarum viarum cum flatibus & vermibus pro cauſâ agnoſcit : cognoſcitur, 1° anxietate & anguſtia præcordiorum cum dyſpnœâ ; 2° nauſeâ, anorexiâ, & vomitione concurrentibus ; 3° copioſo ſalivæ effluxu, ſi vermes ſubſint ; 4° febriculâ quandoque ſatis intenſâ, convulſiones non rarò comites habente. Oritur à mercurii reliquiis, ſaburrâ viſcidâ, lumbricis, ſudore, achoris

achoribuſve retro pulſis : ructus & flatus ſublevant ; alvus aperta bona ; panophobia, convulſiones & febricula periculum portendunt.

Purgetur infans ex ſyrupo florum perſicorum cum guttis tribus vel quatuor ſyrupi emetici Glauberiani, vel granis duobus tribuſve ipecacuanhæ ac mannæ unciâ, ſi bimus vel trimus fuerit ; unguenta oleo anethi, aut petrolei guttulis paucis additis umbilico illinantur, iteretur catharſis, clyſterum uſus, &c.

12. *Cardialgia à cardiogmo* Bonet. Sepulchret. tom. 2 pag. 80 obſerv. 45. C.

Cardialgia per annum poſt paſtum revertens, cum reſpirandi difficultate, pulſus interceptione aliiſque gravibus ſymptomatis obſervata fuit ab *Antonio de Pozzis* apud Chiliarcham, cujus cor inventum eſt bovino majus, pulmones flaccidos comprimens, duobus polypis diſtenſum, quod à ſumpto cibo comprimebat ita ſtomachum ut ea omnia ſymptomata ſequerentur ; cardiogmus verò quid ſit juxta nos ſupra diximus. Rarò de principiis morborum mechanicis in praxi cogitamus, qui omnia ſaburræ vel fluidorum vitiis tribuimus.

13. *Cardialgia inflammatoria* Tralles ad Gaſtritidem attinet. A.

XXI. GASTRODYNIA ; *Cordis dolor* Fel. Plateri Claſſ. de doloribus ; *Cardiaca* Panaroli ; *Colica ventriculi* vulgò aut *Stomachi dolor ; Dolor ventriculi* Boneti Sepulchret. ; *Cardialgia* Fr. Hoffmanni, qui hoc genus cum ventriculi dolore confundit, a quo dudum ipſe Bonetus ſejunxit ; *Colique d'eſtomach, foibleſſe d'eſtomach, peſanteur d'eſtomach.* Ægros *Stomachicos* vocat Cælius Aurelianus.

Eſt quicumque dolor notabilis & conſtans in regione ſtomachi, qui continuâ animi defectione non ſtipatur ut cardialgia, nec pyrexiâ ut gaſtritis.

In cardialgia imminet ſyncopes periculum ; ægri animum, vireſque ſibi deficere ſentiunt, & noſtrates *ſibi ſtomachum mori* conqueruntur. Aſt in gaſtrodyniâ licet intenſus quandoque dolor in ſyncopem demum ducat, talis animæ defectio non conſtanter imminet, aut vix unquam adeſt.

1. *Gaſtrodynia ſaburralis. Colique d'indigeſtion*, De Meyſerey n. 410. A.

Eſt ea quæ à ciborum quantitate, qualitate, paſtûs tempore, peccantium ingurgitatione procedit. Error autem in cibis eſt eò major quò cibus quantitate, qualitate & reſpectu ſtomachi aſſumentis vitioſior eſt : idem enim cibus qui ſano utilis eſt ſtomacho, debili noxius ſæpe deprehenditur. Hac ſarcinâ, Medicis ſaburrâ, onuſtus ſtomachus, licet ſæpè vomitu aut diarrhœâ poſt cardialgiam fugacem ſe liberat, quandoque vehementer contractis ſuis orificiis contenta comprimit ; & ab hac compreſſione dolet intenſè, ſæpiùs cum ſenſu ponderis reſpirationem inhibentis, pulſu duro, febrili, aliàs verò depreſſo, tardo. Dolor verò tolerabilior eſt multò quàm in gaſtrodyniâ flatulentâ &ölioſâ.

Gaſtrodyniam à lacte coagulato, à lardi fruſto, ab horæis fructibus, à

millenis aliis cibis dyſpeptis oriundam obſervare ſæpè datum eſt, utplurimum verò vomitio ſpontanea vel artificialis, aut diarrhœa oborta eum morbum ſolvunt, nec conſultum eſt alimentis farctum ſtomachum narcoticis conſopire, niſi atrocitas doloris ſuadeat; utplurimum aqua tepida, oleum, clyſmata, penna intra œſophagum adacta ægrum liberant; unde hanc ſpeciem vix inter dolores ſtomachi recenſent auctores, quam velut ſymptoma dyſpepſiæ, vomitûs aut alterius morbi per tranſennam memorant.

2. *Gaſtrodynia flatulenta*; *Inflatio* Aëtii; *cardialgia hypochondriaca* Ettmulleri; *Cardialgia flatulenta* Frid. Hoffmanni; *Colique venteuſe d'eſtomac.* A. Vide quæ de eâ diximus, dum de cardialgiâ.

Eſt vehemens dolor tenſivus ſub cordis ſcrobiculo, cum reſpirandi difficultate, flectendi antrorſum trunci neceſſitate, qui flatuum emiſſione ſublevatur: accedit pulſûs imminutio, depreſſio, extremorum frigus, ſumma anxietas, præcordiorum anguſtia. Differt à gaſtritide, à gaſtrodyniâ hyſtericâ aliiſque, quod epigaſtrium preſſionem à manu factam toleret, quâ aliàs exacerbatur dolor.

Præmiſſâ phlebotomiâ, ſi pulſus permittat, præmiſſoque clyſmate emollienti, & copioſo potu aquæ pulli calidæ, ſi dolor non nimis urgeat, ad oleum amygdalarum recentiſſimum & demum ad laudanum vel theriacam recentem, aut pilulas de cynogloſſo deveniendum eſt: laudanum ſolidum ad granum & ultra, liquidum ad guttas viginti, vel triginta, pilulas de cynogloſſo ad grana ſex vel plura: cavendum à catharticis etiam lenibus uſquequo dolor per diem evanuerit; in prophylaxi abſtinendum à cibis dyſpeptis, leguminoſis: juſcula emollientia, ſerum lactis, acidulæ uſurpandæ ad prophylaxin.

3. *Gaſtrodynia bilioſa*; *Cardialgia atrabiliaris* Hollerii & Zacuti; *Cardialgia epilepſiam inducens* Amati Luſitani Centur. 1 Obſ. 20; *Cardialgia bilioſa* Bianchi; *ab ira effræni* De Meyſerey n. 411. *Colique bilieuſe d'eſtomac.* A.

Ea eſt quæ foveri cenſetur à materie bilioſâ, acerrimâ, porraceâ, æruginoſâ; bilem verò flavam in viridem mutari per acida vitriolica probant experimenta Groſſii ab *Ettmullero* allata; dolor in hac ſpecie vehemens eſt, ut à veneno aſſumpto; quandoque convulſiones inducit; obſervante *Amato*, non rarò morbus veneno aſſumpto tribuitur: Imò poſt mortem repertus eſt ventriculus ruber & ferè excoriatus obſervante *Bartholino* & *Boneto* in *Sepulchreto obſ. 1. de ventriculi dolore*; de cætero, ſi æger bilioſus, calidus, liquoribus ſpirituoſis, regimini calido aſſuetus ſit, ad hanc ſpeciem præ cæteris pronus eſt: bilem è duodeno in ſtomachum facilè refluere docent experimenta *Ludovici Davizard D. Med. Societatis Regiæ Scientiarum ſodalis meritiſſimi.*

Solvitur hic morbus vomitione & dejectione uberi bilis acris virideſcentis, aut æruginoſæ, præmiſſâ phlebotomiâ & ptiſana emolliente.

Emetica levia in ipſo paroxyſmo adhiberi poſſunt, ut decoctum ſeminum raphani, oxymel ſcilliticum ad drachmas ſex, ſed ſi dolor minùs urgeat,

geat, aqua pulli affatim bibenda & vomitione rejicienda: in prophylaxi nihil utilius eſt aquis acidulis.

4. *Gaſtrodynia à veneno* Boneti Sepulchret. obſerv. 2, 3, 4, 9, 17: *à viru*, De Meyſerey n. 414; *à vaſis cupreis*, Coſnier Journ. de Med. Oct. 1755. A.

Ea eſt quæ à venenis corroſivis aſſumptis producitur, ut ab acidis puris, nitri, ſalis, vitrioli, mercurio ſublimato corroſivo, arſenico, quod vel errore aſſumentis, vel malitiâ propinantis accidit, unde caſus medico-legalis, qui exigit magnam Medici coram Judicibus eum referentis ſolertiam & prudentiam. Si venenum ſit corroſivum, actuale, ut prædicta, evidens eſt labia, linguam, fauces, prius affici quàm ventriculum, adeoque his reapſe corroſis de veneni aſſumpti realitate non dubitandum eſt. Si verò ſymptomata illa externa deficiant, dubium poteſt eſſe num morbus à cauſâ internâ, num ab externo veneno dato, procedat. Mos eſt in hoc caſu exenterato cadavere panis fruſtum in ſtomachi ſucco tingere, & cani vorandum præbere; & ex ſubſequente canis morte, ex ſtomachi eroſione, livedine venenum datum eſſe concludere; verùm concluſio ex prædictis non eſt rigoroſè deducta, niſi plures circumſtantiæ conjecturam veroſimillimam faciant. *Vide curationem dum de cholerâ: à fungis venenatis* orta gaſtrodynia eſt gravativa, tenſiva, cum ſuffocatione & ſtrangulatu: vide *Orthopnœam*: præmiſſo emetico acida & potiſſimum acetum eximium eſt antidotum: ea verò quæ vaſis cupreis, plumbeis, ortum debet, ſtipatur convulſionibus, clamoribus, delirio: *vid. Rachialgiam.* & *Journ. de Medec. Octobr. 1755.*

5. *Gaſtrodynia ulceroſa* Boneti Sepulchr. obſ. 5, 6, 7, 8, 27, 28, 42, 43, 48, & additamenti obſ. 3. *a Ventriculi ſphacelo*, *omenti*, *pancreatis*, *vicini hepatis putredine*, *exulceratione*, *corruptione*, obſ. 2, 18, 19, 23, 38, 48, 50, additam. obſ. 1a, 2a, &c. A.

Eſt ea ſpecies quæ gaſtritidem, & phlegmaſias ſuppuratas viſcerùm ſtomacho vicinorum ſequitur, inde enim exeſio ipſius ſtomachi, aut à pure, ichore, vapore putri, ejus continua irritatio, vomitio frequens, hectica, aliaque lethifera ſymptomata exſurgunt.

6. *Gaſtrodynia Americana; Prolapſus cartilaginis mucronatæ* G. Piſo. de morbis Ind. Occid. cap. 8. *Spinela* Luſitanis. A.

Corporis totius languorem inducit cum dolore ſtomachi, aliquando vomitu, ſummâ reſpirandi difficultate, quæ ex refrigeratione muſculorum pectoris, tum imprimis mucronatæ cartilaginis compreſſione oritur; hinc mox ex dejectione appetitûs magna virium imbecillitas ſubſequitur, & atrophiam minatur. Chronicus eſt morbus & frigidus, non tamen per ſe lethalis, paulatim invadens, & cognitu in principio difficilis.

Empyrici ſignum hujus morbi dicunt eſſe varices in brachiis; differt à cachexiâ, oppilatione cachecticâ, quod vultu quidem triſti & dejecto, non tamen decolore & livido ſint, nec pondus aut duritiem in hypochondriis ſentiant, tum & fames langueat.

Curatio diſcutientibus, calefacientibus & corroborantibus internis, externiſque

que abſolvitur, interea ſunt juſcula pipere, imò allio & cæpâ condita, pilulæ ſtomachicæ, ſyrupus tabaci, vinum generoſum, balſamum copaiva, ſalſæparillæ & ſaſſafras decoctum cum aniſo, cinnamomo. Externa ſunt cucurbitulæ ſiccæ iteratæ mammis applicatæ, mox ſtomachi & pectoris inunctiones ex oleo corticis aurantiorum, tabaci, artemiſiæ & menthaſtri; ſcutum ſtomachale ex herbis corroborantibus, demùm emplaſtrum ex reſinis & balſamis. Commotus ego, ait *Piſo*, feliciſſimo horum remediorum ſucceſſu, in colicâ atrophiâ, & dyſenteriâ, commendavi noſtris Chirurgis & cucurbitulas ſiccas & topica externa.

7. *Gaſtrodynia periodynia.*

Periodynia Græcorum eſt ni fallor ſpecies Gaſtrodyniæ chronicæ qualem obſervavi in ſexagenario Sacerdote qui ante ſex menſes per totum tempus digeſtionis in ſtomacho contorſiones, motus, dolores, & diſtractiones patiebatur, inteſtinis etiam conſentientibus, linguâ ſiccâ, ſine ſiti tamen: macies acceſſerat, vires attritæ erant, alvus adſtricta, pulſus rarus, ſano ſimilis, quidam dolor in lumbis.

Præſcripſi juſcula ex pullo, narcotica, & dein lac aſininum, quo per menſem ſumpto, ſanus evaſit.

8. *Gaſtrodynia calculoſa* Schneideri, lib. 3. de Catarrhis, cap. 7. cognita Riverio, Alſario Crucio, Bartholino, aliiſque obſervata. C.

Eſt ea ſpecies quæ à bezoarticis aut ægagropilis in ſtomacho aut ejus viciniâ enatis ortum ducit.

Faber quidam jamdudum de ſenſatione moleſtâ lapidem molarem in ſuo ſtomacho referente conquerebatur; invitis omnibus auxiliis obiit; inventus eſt in jejuno inteſtino lapis albeſcens pylorum comprimens, quem nullus Medicus ſuſpicatus fuerat. *Vide* ſimiles obſervationes, dum *de Ileo. Vide* etiam *Boneti Sepulchret. Tom. II. pag.* 77, *obſ.* 33. *de Calculis cyſticis. obſ.* 31. *de Calculo gaſtrico, ibidem, obſ.* 32. & ſex hiſtorias calculorum ſimilium in *obſerv.* 29. Calculos gaſtricos vidi ellipſoideos, albos, aquâ leviores, ovo columbino multò majores, ad ignem non inflammabiles, adeoque à cyſticis diverſos, ex quibus ileus obortus fuerat.

Vidi etiam diverſos circulatores, quorum alter plures lapides duriſſimos, glabros, ſphæroideos, œſophagi diametro non minores, impunè vorabat; alter præterea ſaxum teſtaceum, ex quo tota Urbs Monſpelienſis conſtructa eſt, maſticabat & deglutiebat cum lapillis grandiuſculis, quos in abdomine colliſo crepitantes audiebamus; utrum eos dein vomitione rejicerent compertum non habeo. Curavi etiam in Noſocomio militem, qui ludi gratia ſcyphos vitreos in ore contritos voraverat.

Sæpè hepatalgiam calculoſam comitatur gaſtrodynia. *Vide Boneti Sepulchret. Tom. II. pag.* 76, *obſ.* 31, 32, & 33.

9. *Gaſtrodynia adſtringens*; *Stomachi adſtrictio* Aëtii lib. 3 ſerm. 1 cap. 13. L.

Eſt moleſtia inter digerendum cum alvo conſtipatâ, æſtu generali, maximè verò manuum ac pedum, faciei rubore, pulſu frequenti, aut juxta quoſdam febriculâ; accidit temperamentis aridam & denſam carnem habentibus;

tibus; hæc *Aëtius.* Id morbi autem mihi pendere videtur ab ariditate & erethiſmo ventriculi, à defectu potûs aquoſi, & à diſpoſitione ſpaſmodicâ generis nervoſi.

Suadet *Aëtius* in paroxyſmo, id eſt durante digeſtione, frictionem & vincturam extremorum, ſitum erectiorem, geſtationem in lecticâ, dein humectantia & diluentia adhibenda, ut inunctiones corporis ex oleo cum pauco nitro; extra paroxyſmum juvant multus potus aquæ calidæ, lavipedium & maniluvium frequens. Ipſe *Aëtius* dicit ſe juvaſſe in intervallis illos ante paſtum lavando, morbo recedente vinum exhibetur; cibi autem ſint facilis coctionis, & in tres vel quatuor paſtus dividantur.

10. *Gaſtrodynia atterens*, Vide Jonſton Idea medicinæ, pag. 445; *Stomachi attritio* Boneti Polyalth.; *Periodynia ſtomachi* Hippocratis, quæ ejus vehementem & circum tenſum dolorem ſignificare ſcribit Gorræus. *Foibleſſe d'eſtomach*, Diction. de Santé, ubi fuſe ſigna & curatio. L.

Hæc ſpecies etiam inter digerendum accidit, ſed cum extremorum frigore, anhelitûſque difficultate, unde à præcedente diſcrepat; an diverſa ſpecies à gaſtrodynia ſaburrali, flatulentâ, &c.? *Jonſtonus* ſuadet inunctionem epigaſtrii cum oleo nardino, & intus piperis drachmam. *Hecquetus* potum copioſum & emollientem in paſtu; in dolore verò theriacam recentem.

11. *Gaſtrodynia à peregrinis*; *Cœliacus affectus* Celſi lib. 4 cap. 12. D.

Fit à deglutitis corporibus omninò ab hominum uſu alienis, ut *ferro*, obſervante *Scholtzio*; *monetis cupreis*, *argenteis*, *cultello*, *fibulâ*, *clavis*, *aciculis.* Vide Ill. *Tiſſot*, *Avis au peuple*, n°. 365. A *lapillis Cardano*, *Heſſio*, &c, obſervantibus. *Pilulas deauratas*, ac reſinoſas, plures menſes in ſtomacho commoratas huic morbo anſam dediſſe obſervarunt *Ballonius*, *Mollenbroeckius*; *fruſtum laridi Hildanus*, *centur.* 3. *obſ.* 33; *zingiberis libram Platerus obſ. lib.* 3; *veſiculas pediculis plenas Heurnius*; *lacertas ac ſerpentes*, quibus tres mille homines interfecti ſunt, *Geſnerus*, *Hiſt. animal. de lacertis. Salamandras* demum emeticorum vi rejectas nuper recenſuit *D. Batigne*, *Mem. de la Soc. R. de Montp.*

De gaſtrodyniâ quam tæniæ, lumbrici, erucæ, ſimiliaque reptilia in ſtomacho latitantia ſæpiùs excitant, *vide Cardialgiam verminoſam.*

Vidi impunè deglutitas aciculas, calamum ſcriptorium, ſcyphos vitreos, teſtam mytuli, nucleos perſicæ, aliaque multa; ſed non ita felices ſunt omnes, & pluribus gaſtrodyniæ enormes ulceroſæ, lethales ab his erroribus ſuperveniunt; quæ diſſolvendis hiſce corporibus apta ſunt, ut conchyliis ſuccus limonum, atque tutò deglutiri queunt hîc indicantur, nec non lubricantia quæ viam ad inferiora parant & aperiunt.

12. *Gaſtrodynia à xiphoide* Ballonii Epidem. libr. 2, pag. 242; Barbette Anat. pract. lib. 1, cap. 4. C.

Plebs Occitaniæ hunc morbum vocat, *la palette de l'eſtomac tombée.*

Non rarum eſſe hunc morbum teſtantur *Barbette* & *Bonetus*; rarior tamen eſt quàm vulgus putat. Hac cartilagine xiphoidea introrſum luxatâ vel depreſsâ ventriculi dolor conſtans ſupervenit cum vomitu, anorexiâ, &

ſi morbus perſeveret, atrophiâ; aſſumpta eſculenta & potulenta illico ſurſùm rejiciuntur, dolor ad menſes & annos diſcruciat. Suadet *Barbette* ut ampla cucurbitula ſemel vel bis epigaſtrio admoveatur, dein emplaſtrum adſtringens applicetur; omnia ſymptomata ſiluiſſe à reductâ per manum dextri Chirurgi hac cartilagine, docet *Bonetus.* Similis huic dolori eſt hepatalgia calculoſa, notante *Wepfero.*

Mulier quæ lapſa erat in partem pectoris anticam dolebat epigaſtrio, dolor à levi tactu creſcebat, ea per intervalla ſudabat, calebat, facies rubebat, erat oris amaror, anorexia, nauſea; idemtidem deficiebat pulſus, imminebat ſyncope, à carthartico pejus habuerat. Accitus præſcripſi phlebotomiam unam & alteram, & ſic ſanata eſt.

13. *Gaſtrodynia pulſatilis* Boneti Sepulchret. Tom. II, obſerv. 45, pag. 80. L.

Cognoſcitur ex moleſtâ ſenſatione corporis in epigaſtrio pulſantis, quæ certè moleſtia à dolore alias ſpecies comitante diverſiſſima eſt. Hanc obſervari bis vel ter, & non rara eſt in hypochondriacis, hyſtericiſque; vulgò tribuitur pulſationi arteriæ cœliacæ, quam refert *Bonetus* pugni magnitudine dilatatam; certum eſt & arterias gaſtricas & aortam, etiamſi non aneuryſmaticæ ſint, in his conſtitutionibus ſenſu exquiſito præditis, hunc moleſtum pulſum facere.

14. *Gaſtrodynia hyſterica. Colica hyſterica* Sydenhami cap. 7, pag. 132, & in proceſſibus pag. 669. L.

Eſt morbus hyſtericas, aut morbo prægreſſo potiſſimum dyſtociâ debilitatas mulieres afficiens, dolore circa ſcrobiculum cordis atrociſſimo, & virideſcentium humorum rejectione ſtipatus. Colica bilioſa inteſtinis inſidet, gaſtrodynia verò ſtomacho; in gaſtrodyniâ maxima fit animi dejectio & proſtratio, vel deſperatio; per diem unum, alterumve faceſſit dolor, qui poſt paucas ſeptimanas revertitur, nihilominus ſæviens quàm antequam ſolveretur paroxyſmus. Adde quod ſedato morbo ſuperſit in epigaſtrio ſenſibilitas minimam preſſionem refugiens, & quod aurigo non rarò huic morbo comitem ſe adjungat per aliquot dies. Differt ab ileo & à colicâ bilioſâ, ut attendenti patebit.

Cura. Poſſetum ſeu ſerum lactis ope alæ ſeu cereviſiæ eductum affatim hauriatur; apud Gallos verò aqua pulli vel ſerum lactis vulgare, quod dein vomitione rejiciatur; quo peracto laudani liquidi guttæ XXV in aquâ cinnamomi hauriantur, quod paregoricum repetendum eſt, donec morbi ferocia ſuperetur; ſi vires ferant, initio phlebotomia præmittenda eſt.

Extra paroxyſmos, ſi revertantur, ſumatur bolus ex zedoariæ drachmâ unâ, vel ſemiſſe, cum ſyrupo è conditurâ citri mane & ſerò per menſem, ſuperbibendo ſequentem infuſionem; ſcilicet zedoariæ ſemi-uncia infundatur in vini canarini unciis quatuor per horas duodecim, colatura ſervetur pro uſu; vel ſume balſamum Peruvianum, ut in rachialgia Pictonum.

15. *Gaſtro-*

15. *Gaſtrodynia chlorotica.* L.

Eſt ea ſpecies quæ à catameniis, hæmorrhoidibuſve retentis ſupervenit chloroticis, eaſque ferè ſemper divexat, dolore quidem tolerabili, ſed conſtanti, ab epigaſtrio ad dorſum infra ſcapulas extenſo; quandoque cum epigaſtrii ſenſibili intumeſcentia adeſt dyſpnœa à levi motu, laſſitudo, crurum gravitas, faciei pallor, œdematia pedum, anorexia. Curatur ut chloroſis maximè uſu repetito chalybis.

16. *Gaſtrodynia hypochondriaca; Colica hypochondriaca* Sydenhami Proceſſus integri de colicâ hyſtericâ, pag. 670: *ab emphraxi ventriculi*, de Meyſerey n. 413.

Valdè affinis eſt morbus gaſtrodyniæ hyſtericæ, ſed viros hypochondriacos afficit, & ſuadet *Sydenham*, ut inquirant Medici methodum curativam ipſi convenientem, cui quaſi genuinè morbus cedat, tametſi chalybs imprimis confert.

17. *Gaſtrodynia febricoſa*, Morton de proteif. febr. pag. 33 hiſt. 16. Journ. de Med. Janv. 1761 pag. 25. A.

18. *Gaſtrodynia à frigore*, De Meyſerey n. 411. B.

19. *Gaſtrodynia metaſtatica*, De Meyſerey n. 411. ab arthritide, ſcabie, herpete, fonticulis, ulceribus, mariſcis, repreſſis. A.

20. *Gaſtrodynia gaſtrocelica*, De Meyſerey n. 411. Vide *Gaſtrocelem.* A.

Nota. Nomen colicæ dolorem coli tantùm olim deſignabat, ſenſim idem nomen dolorem ilei, hepatis, uteri, ſtomachi, & neſcio quot aliarum partium ſignificavit, quo abuſu nihil in ſcientiâ medicâ pernicioſius eſt; cùm enim cuique generi nomen proprium conveniat, ni confundi omnia velimus; & cùm genera morborum, diverſa viſcera afficientium, diverſa omninò ſint, diverſa debent eſſe nomina generica morborum diverſa viſcera afficientium, quorum ſaltem ſymptomata notabilia & connexa ſunt cognita, ſecus nomina cephalalgiæ, cardialgiæ, arthritidis, &c. proſcribenda.

XXII. COLICA; *la Colique, Douleur au ventre, Colique inteſtinale.*

Eſt morbus cujus præcipuum ſymptoma eſt dolor, vel moleſtia inteſtini, potiſſimum craſſi, regiones afficiens, & ab illius ſitu, figurâ & officiis determinata.

Cùm inteſtinum tenue & craſſum diverſas ſedes occupet, & diverſis viſceribus abdominis contiguum ſit, difficile eſt ex ſenſu ægrotantis partem affectam determinare; & errare in hac aſſignandâ quotidianum eſt; verùm ratiocinio phyſiologico adjuvante ex cognitis morbi cauſâ, principiis & ſymptomatis, cognitiſque inteſtini ſtructurâ, ſitu, uſu, poſſumus ſymptomatum nexum intelligere, & ex hac poſſibilitate intelligendi nexum ſymptomatum eruitur partis affectæ cognitio, in hoc & alio quovis morbo: dolendum quidem eſt quod morborum plura genera non niſi theoriæ interventu ab invicem diſtinguantur; multò tutius & clarius eſſet ea à ſympto-

ptomatis ſolis definire ; ſed ad hoc obtinendum deſideratur hiſtoria morborum accuratior quàm quæ hactenus datur.

Colicæ nomen *Plinii* tempore novum erat; Græci hoc morbi genus ignorabant, ſeu nomine proprio non inſigniverant. Dolorem inteſtini tenuis cum conſtipatione & vomitione aſſiduâ *ileum* nominabant, vel paſſionem iliacam, ut Arabes dolorem longanonis, ſeu inteſtini craſſi *paſſionem colicam* nuncupabant. Addiderunt quidam colicæ definitioni alvi conſtipationem, ut torminalem colicam à vulgari diſcernerent; ſed hæc diſtinctio non pertinet ad genus; quippe ſi detur dolor vehemens, conſtans, etiam torminoſus, id eſt, ad alvi dejectionem vergens, & ſit morbi præcipuum ſymptoma, is meritò colicæ annumerandus eſt, & à fortiori, ſi alvus ſimpliciter ſit libera, ut quandoque obſervatur; ſecus nullum erit genus ad quod is dolor pertineat, aut genus novum citra neceſſitatem erit admittendum.

1. *Colica flatulenta*, Sennerti de dolore colico, 1a ſpecies, Bonet Sepulchr. Obſ. 1 & 2; *à veſiculis aëre turgidis*, Collect. Acad. Tom. 3 pag. 499; *à colo obſtructo*, Journ. de Med. May 1755; *à ſcabie repulſa*, Frid. Hoffmann. II 287; hac obiit Epiſcopus Monſpelienſis D. de Charancy; invenimus maculas rubras, puſtuloſas in ventriculo & inteſtina flatibus diſtenſa. *La Colique venteuſe.* A.

Cognoſcitur ex eo quòd 1°. clyſmatis aut alvi dejectione flatuumque per inferiora ejectione ſedetur, quod non accidit in gaſtrodyniâ flatulentâ: 2° quod coli tractum ſequatur, ceu abdominis peripheriam, unde fit ut imam partem ſtomachi quâ tranſit colum, non raró afficiat, ſed flatuum, borborygmorumque diffluxu, & loci mutatione ſedetur: 3° Etiamſi in gravi paroxyſmo urina ſupprimatur, peniſque contractus & imminutus rigeſcat ſine ullo voluptatis ſenſu, interea nec dolor renum, nec mingendi cupiditas urgeat, nec urinæ ardentes & mutabilis coloris ſint, ut in nephralgiâ: 4° Preſſione abdominis non exacerbatur dolor, ut in gaſtrodyniâ hyſterica, & in enteritide: 5° Adeſt alvi ſiccitas, fecum induratio, conſtipatio: 6° Deſunt ſymptomata & principia procatarctica rachialgiam deſignantia.

Oritur ab alimentorum viſcoſâ digeſtione, quæ aëris elaſtici geneſim copioſam infert, cùm è contra ubi ſaliva & ſuccus gaſtricus, biliſque benè ſe habent, digeſtio ſine aëris generatione perficitur. Alimenta maximè flatulenta ſunt vinum non ſatis fermentatum, legumina, & fructus molles, cucurbitacei. Hæc ſpecies ſed fugax & levis non raró auriginem accedentem deſignat, ſuppreſſo ſcilicet bilis in duodenum effluxu; experimenta *Stwartii* in cane & homine docent, denegato hoc bilis influxu flatus in inteſtinis generari; alvi etiam conſtipatio flatulentiæ anſam præbet.

Levis colica clyſmate emolliente, oleoſo, chamæmeli infuſo theiformi, fomento abdominis calido, frictioneque tollitur. Si vehemens ſit dolor, à phlebotomiâ auſpicetur curatio, aqua pulli affatim bibatur calida, clyſma emolliens injiciatur, & his irritis, laudanum liquidum ad guttas viginti vel triginta hauriatur; dein largo uſu olei amygdalarum recentiſſimi quartâ quavis

vis horâ, aquâ pulli continuatâ, clyſmatis ad ſemilibram, ſed rariùs immiſſis lubricetur alvus; quo facto & dolore ſedato lenis catharſis inſtituetur, & convenienti tempeſtate acidulis bilis fluxilitas, & primarum viarum mundities concilietur.

2. *Colica pituitoſa* Sennerti ibid. 3ª ſpecies; Fernel. pathol. lib. 6 cap. 9; Salmuth. centur. 1 obſerv. 78; Bonet. Sepulchret. obſ. 23; *Colique glaireuſe.* A.

Ea eſt quæ cenſetur oriri ab humoribus craſſis & viſcidis inteſtino craſſo impactis. In hac dolor pali infixi, vel terebræ perforantis ſpeciem exhibet, ob violentam ibi loci, ubi pituita iſta hæret, diſtenſionem, & flatûs utplurimùm ſimul retenti expanſionem. In aliis ſpeciebus licet dolores graves & acuti ſint, interea non *fixi* & *perforantes* quaſi ſunt; adde quòd colica iſta pertinax eſt.

Ettmullerus dolorem illum à pituitâ, ſeu mucagine copioſâ viſcidâ, non acri, *gravantem* eſſe contendit, & meritò, quaſi conjuncta ſit cum acrimoniâ acidâ; dolorem non ſolum gravativum, ſed & etiam ſimul *contundentem* infert, non tamen negat eſſe etiam fixum, continuum, perterebrantem, atque exiſtimat eſſe ſæpiùs in hypochondrio ſiniſtro, eumque frequentiſſimè hypochondriacos divexare, cùm e contra colica flatulenta dolorem diſtendentem, & quaſi diſrumpentem inferat: Salia neutra in prophylaxi indicantur.

3. *Colica ſtercorea* Ettmulleri de inteſtinorum doloribus, tom. 1. pag. 139. A.

Eſt illa quæ à ſcybalis induratis inteſtina difficulter præterlabentibus oritur. Hanc aliquoties vidi apud mulieres, quæ per vim in quibuſdam Monaſteriis *Refugiis* dictis detinentur, ob mœrorem & vitam ſedentariam; feces induratæ demùm dolores vividos ſine febre excitant, quandoque cum cruentis aliquot dejectionibus, quod malum palpo ferè cognoſci poteſt, & à catharticis leviſſimis exacerbatur, ſed longo & largo uſu olei amygdalini, fomentorum & clyſmatum emollientium, poſt aliquot dies evaneſcit ſine flatuum ſaltem notabili emiſſione, emiſſis ſenſim ſcybalis ſtrobylos cupreſſi referentibus.

4. *Colica verminoſa* Sennert. 2ª ſpecies doloris colici; Fabricius Hildanus Centur. 1 obſerv. 57. An *Strophus* Celſi? A.

Eſt ea quæ à vermibus, potiſſimùm lumbricis, oritur, cujus character eſt dolor varius, nunc rodens, nunc pungens, & à loco in locum ſerpens ſine alvi aſtrictione; ſæpiùs ſunt dolores fugaces, varii, cum ſubſultu in abdomine, non raro cum cardialgiâ, nauſeis, febriculâ, excrementis apud infantes griſaceis, halitu oris ſingulari, faciei nunc pallore, nunc rubedine. His ſignis addit *D. Brun Med. Lugdunenſis* dejectiones alvi nocturnas pro ſigno pathognomonico: pulſus intermittens quandoque jungitur.

Utplurimùm hæc ſpecies ob alvi laxitatem permittit uſum catharticorum ex ſennâ, ſemine contra vermes, aquilâ albâ, &c, niſi dolor conſtans fuerit; quandoque ſi gravis febris, delirium, convulſio immineant, in paulò

provectioribus, emeticus ſyrupus Glauberi feliciter præſcribitur; ſæpius ſufficit ſuccus limonis cum oleo in ipſo paroxyſmo; clyſmata etiam dulcia, non raro lumbricos catharticis reſiſtentes, educunt; tres guttulæ petrolei intus ſumptæ, extus verò in juvenibus illitæ, proſunt.

5. *Colica bilioſa* Frid. Hoffmann. pag. 286. non verò Sydenhami, quæ *chordapſus* eſt; *Colicus dolor ab acri & ſcorbutico humore* Sennerti, Tralles de opio T. 1 p. 239; *Colica atrabilaris* De Meyſerey n. 420.

Hæc ſpecies adoleſcentes vividos, calidos, iracundos, liquoribus ſpirituoſis indulgentes, viros bilioſos, æſtate fervente excalefactos, cum febre fugaci adoritur, aut ſine pyrexiâ. Symptomata ſunt vox rauca, cardialgia, cacoſitia, vomitio bilioſa, porracea, ſingultus, calor, ſitis, oris amaror, urina pauca, ruſſa, cum alvo non omnibus adſtricta; unde differt à chordapſo; imò cum dejectionibus bilioſis & crebris; dolor verò inteſtinum tenue ſæpiùs afficit, ut duodenum; abdomen nec tenſum eſt, nec fervidum, ut in enteritide; urinæ fluunt, caput vertigine tentatur, pulſus nec durus, nec tenſus, licet frequens; morbus acutus eſt: ſuccedit ſæpius aurigo.

Curatio exigit ſtatim phlebotomiam, clyſmata emollientia ex malvâ, ſemine lini, radice althææ, oleo; juſcula quibus incocta acetoſæ folia; potum acidulatum, ut ſerum lactis, limonatam, oxycratum, aquam nitratam, aquam pulli, fomenta emollientia, cremores hordei, emulſiones cum narcotico; urgente dolore laudanum, decoctum capitis papaveris in aquâ oryzæ frigidâ; præmiſſâ leniſſimâ catharſi & decocto caſſiæ, ſi revertatur dolor, ſemicupia proſunt.

6. *Colica phlogiſtica*, Sennert. ſpecies 4; *Phlogoſis inteſtinorum* Felic. Plateri; *Colique inflammatoire*, Cl. Tiſſot Avis au peuple.

Differt ab enteritide ratione gradûs tantùm, ex eo quòd ſcilicet non ſit pyrexia acuta cum pulſu frequenti citato, totius corporis ardore, ſudore, &c. Diſtinguitur ab aliis ſpeciebus meteoriſmo abdominis, intolerantiâ palpi, vel magnâ ſenſibilitate, cum renitentiâ abdominalium viſcerum verſus umbilicum, urinæ difficultate, ſiti, &c. Curatur amplis phlebotomiis, irrigationibus emollientibus, clyſmatis, aquâ pulli, ut enteritis; colicæ flatulentæ calidis medicaminibus tractatæ non rarò evadunt phlogiſticæ. Cathartica acria, intempeſtivè aſſumpta, ut in alvi conſtipatione, hanc ſæpè excitant. De hac vide *enteritidem*.

7. *Colica ſpaſmodica* Frid. Hoffmanni de inteſtinorum dolore, pag. 287; *Colique convulſive* Bonet Sepulchret. pag. 266. obſ. 2. A.

Alia eſt quam à ſero acri inteſtinis impacto deducit *Hoffmannus*; alia verò quæ eſt endemia apud Hungaros; iſta eſt vera Rachialgiæ ſpecies, de quâ ſuo loco agemus; illa verò convulſionibus etiam externis eſt ſtipata: in arthriticis, ait ille, & ſcorbuticis obſervatur; inflammationem minatur, & vix curatur, niſi materies *arthritica* ad artus, *ſcabioſa* & *miliaris*, vel *petechialis* ad cutem revertatur; videtur itaque eadem ac *colica arthritica Muſgravii capite* 3. *de arthritide.* Præmiſſâ phlebotomiâ, nihil utilius cenſet *Baglivi* infuſo theiformi chamomillæ.

8. *Colica*

8. *Colica plethorica ; Colica hæmorrhoidalis* Junckeri Tabul. 106. quam podagræ, vel iſchiadis repulſioni tribuit, proindeque cum convulſivâ confundit. *Colica ſanguinea* Nenteri Tabul. 26. A.

Eo nomine indigitamus eam quæ à catameniis, lochiis, hæmorrhoïdibuſve retentis ſupervenit apud eos qui his effluxibus aſſueti ſunt, quæque illis effluxibus reſtitutis, aut rectè ſe habentibus ſedatur. Accidit illa viris & fœminis plethoricis, hypochondriacis, ſæpè cum teneſmo hæmorrhoïdali, & ſignis ſanguinis copioſioris.

Ea ſpecies exigit phlebotomias, diluentia, & ea quæ valent fluxus ſanguinis conſuetos revocare.

Colica catamenialis, ſeu à catameniis imminentibus ſæpiùs & inteſtina & lumbos & viciniam uteri ſequitur, quandoque atrox eſt, ſolvitur autem phlebotomiâ, eruptione catameniorum. *Vide Hyſteralgiam.*

9. *Colica Lapponica* Ill. Linnæi Flora Lapponica. pag. 69 de Angelica. C.

Morbo laborant ſæpiùs Lappones ſilvatici vehementiſſimo *Ullem* vel *Hotme* dicto, qui ſpecies colicæ eſt, & ad colicam ſpaſmodicam Scheuchzeri proximè accedit : corripiuntur enim interanea circa regionem umbilicalem ſpaſmis diriſſimis, qui extenduntur ad pubem uſque, paroxyſmis parturientium ſanè vehementioribus, ita ut miſer Lappo vermis inſtar, per terram repat, & urinam ſæpè ſanguinolentam reddat ; licet calculi nulla omninò ſit ſuſpicio apud hanc gentem à calculo & podagrâ nativo privilegio defenſam : poſt aliquot horarum, quandoque diei, ſpatium, terminatur morbus ptyaliſmo ingenti per horæ quadrantem durante ; dicunt Lappones quòd hic morbus in Alpibus eos non aggrediatur, ſed tantummodò dum in ſilvis per æſtatem degunt, hauſtâ ſcilicet ibidem aquâ ſemiputridâ, vi radiorum ſolarium incalefactâ, vermiculo *Gordio* dicto ſcatente. In hoc morbo variis utuntur medicamentis & omnibus quidem fortiſſimis, ut radice angelicæ, cineribus aut oleo tabaci, caſtoreo liquido, &c. Colica convulſiva, quam in *Itinere Alpino* deſcribit *Scheuchzerus*, plures monachos abſtulerat uſos in culinâ vaſis cupreis, & is morbus ad Rachialgiam pertinere videbatur. Certum fecit *Laurentius Montin*, hunc Lapponum morbum oriri ab aſſumpto cum aquis *Gordio* ſeu ſetâ aquaticâ, quo extracto ſanantur.

10. *Colica Japonica* Kæmpfer. faſc. 3. amœnit. obſ. 11ª. C.

Senki Japonibus, id eſt ſpaſmus abdominis & inteſtinorum, ita familiaris ut ex decem adultis vix unus ſit qui eâ non aliquandò laboraverit.

Tribuitur uſui cereviſiæ ex oryſâ paratæ, unde advenas ea utentes etiam adoritur.

Illa ſpecies diſtinguitur ab aliis, 1º quòd non ſolùm inteſtina lancinet, ſed etiam in inguine ſimul motus convulſionis excitet : 2º quòd abdominis ipſos muſculos dolore afficiat : 3º. Perſæpè ſuffocationem hyſteriæ inſtar ægro machinetur convellendo totam regionem ab inguine uſque ad cartilaginem xiphoideam : 4º Deſinit, ubi diu ſævit, in tumores hic illic promiſcuè naſcentes : 5º Et quod pejus eſt quandoque deſinit in viris in ſarcocelem quæ

ſiſtu

fiſtulam contrahit, in fœminis verò abit in fœdam catervam ficorum ſeu tuberculorum in ani, vulvæque labiis naſcentium (quæ Sarcocele *ſobi* dicta eſt, ægri *ſobimots*) & hi ficus extra colicam pariter frequentes ſunt & endemii in Japonia.

Therapeia in omnibus ferè morbis familiaris apud incolas Coræ, Sinæ, & Japoniæ hauritur ex duplici remedio, ſcilicet ex *moxiburio* & ex *acupunctura.* Moxa eſt turunda conica ex filamentis artemiſiæ officin. carptæ digitum craſſa, quæ apice accenſa apponitur comburendæ parti quam baſi contingit; hæc verò ambuſtio tam lenis eſt, ut infantes hanc ſine fletu tolerent, teſte *Alpino* apud Ægyptios moxiburium obſervante, & *Kæmpfero* in Japoniâ. Arabes moxam parant ex panno goſſypino iſatide tincto, vulgò *coton bleu ;* Indi verò ex medullâ ſcirpi paluſtris.

Acus ſunt argenteæ vel aureæ quæ in carnes adiguntur ad ſemi-pollicem, raró ad pollicem, eo fine ut flatus & vapores, quibus ferè omnes morbos tribuunt, foras erumpant; plures autem & tum numero, tum ordine ſuperſtitioſis, inſtituuntur acupuncturæ, quibus illicò vel ſanari ægros, vel ſublevari teſtatur *Kæmpferus.* Alibi verò in Indiâ ſubſtituuntur plura eodem ordine moxiburia. Japones in epigaſtrio anticolicam acupuncturam celebrant, & novem punctionibus pollicem diſtantibus, figuram quadratam repræſentant; in aliis morbis alias partes acupungunt, aliaſque figuras delineant.

11. *Colica meſenterica*, Vid. Bonet. Sepulchret. obſ. 2, de dolore colico; id. obſ. 7, 22, 28, 30: nº 11, 12, 13, 14, 15, 16, 17; item, obſ. 34, 35, in quibus de meſenterii glandulis obſtructis, induratis, tumidis agitur; obſ. 37, 38. ubi de meſenterii abſceſſu. C.

12. *Colica ſcirrhoſa*, Bonet. Sepulchr. obſ. 8; La Motte, obſ. 108. des Tumeurs.

Eſt dolor ab ſcirrho inteſtinis adnato.

Tumor eſt durus, per ſe indolens, integumentis abdominis profundior; inteſtinum premens, unde dolor à fecibus, flatibuſve cohibitis.

Hæc obſervatio *Mauqueti de la Motte.* prodit errorem Chirurgorum, qui hujuſcemodi tumorem pro phlegmone habentes, aperuerunt lapidis cauſtici interventu; aperto verò ileo feces cum pure exierunt, & ægra intra triduum ab operatione obiit.

Similes tumores reſolutos fuiſſe continuo uſu emplaſtri de diachylo, meliloto, ex mucilaginibus obſervat *idem obſ. 109*; ſumptis intùs aperientibus, *obſ. 110.*

13. *Colica pancreatica.* Vide Bonet. Sepulchret. pag. 150, obſerv. 34, 35, 38, &c; *Ventris dolor ob apoſtema pancreatis* Heurnii in Aphor. 41. S. V. Hippocrat. Highmor. Diſquiſ. anatom. lib. 1 part. 2. D.

Eſt moleſtia perſeverans in abdomine circa regionem pancreatis ab ejus viſceris induratione, ulcere, abſceſſu, quæ poſt paſtum creſcit, & vomitionem aut nauſeam non raró excitat; in macilentis ſummo mane, flexis

flexis genubus, palpo poteſt explorari ſedes hujus morbi aliàs obſcuriſſimi.

14. *Colica pulſatilis.* Vide Bonet. Sepulchret. Ventris dolor pulſativus, obſ. 48, 50, 51, 52. L.

Rarò dolor eſt vividus, ſæpiùs ſenſatio moleſta referens pulſationem in abdominis axi, arteriæ pulſibus reſpondentem, quæ ab arteriæ aortæ aneuryſmate ſæpiùs dependet. Si circa cartilaginem xiphoïdeam ſit ea pulſatio, vulgò cœliacæ aneuryſmati tribuitur; aſt quandoque mucroni cordis tribuenda venit; aneuryſma abdominale pugni magnitudine cruſtâ oſſeâ tectum invenit *Fallopius.* Pulſationes aut ventris ſaltus & palpitatorii motus fugaces arteriæ pulſibus non reſpondentes ſunt quandoque tribuendi motibus ſpaſmodicis uteri, ut vidi in menorrhagiâ abortivâ; ut narrat *Marcell. Donatus Hiſtor. mirab. lib. 4, cap. 26;* quandoque ab inteſtinis in globum convolutis, ſeu à globo hyſterico; ſed hæc ſymptomata aliorſum pertinent.

15. *Colica calculoſa* Bonet. Sepulchret. de Dolore colico, obſ. 14; Chomel Hiſt. de l'Acad. R. des Sc. A.

Præter ſex obſervationes à *Boneto* recenſitas, vide alias, dum de Chordapſo calculoſo, Gaſtrodyniâ calculoſâ, &c.

Huc referri poſſunt colicæ à corporibus duris ingeſtis, ut à nucleis ceraſorum, prunorum: *Vide Bonet. Sepulchret. obſ. 17;* à lapidibus, cultris, ferramentis deglutitis, *ibid. obſ. 18, & obſ. 8.*

16. *Colica gravidarum* Puzos pag. 79. A.

Si dolor ſupra umbilicum tranſverſim abdomen cingens per intervalla recurrat, præceſſeritque conſtipatio, flatulentia incuſanda eſt.

Juvant in hoc caſu clyſmata emollientia, oleoſa, largus potus aquæ pulli, theæ, olei amygdalini, ad tres quatuorve uncias pluries in die; theriaca recens, laudanum; ſed ſi diæta tenuis, & ea auxilia non juverint, revertente dolore, phlebotomia inſtituenda; hoc ſedato purgandum ex decocto caſſiæ cum mannâ, vel aqua mineralis haurienda ex ſale Ruppellenſi, ſeu polychreſto, cum uno vel duobus tartari ſtibiati granis, ex quâ per cyathos hauſtâ calidâ alvus laxatur, minimè verò vomitio excitatur.

Si verò temperamentum bilioſum, ſi curæ, mœrores, terror, iracundia, prava alimenta, eaque acria, calida incuſentur, dolorque pungitivus, inteſtina tenuia, ſtomachumque moleſtet, cum vomitione ſaburræ vel crudæ, vel bilioſæ virideſcentis, colica bilioſa, hepatalgica cum febre adeſt, quæ phlebotomias promptas, largas exigunt, prout urgentia caſus ſuaſerit, dein curatio antecedens adhibenda.

17. *Colica hyſterica.* A.

Eſt vehemens dolor in inteſtinis, vel leviſſimum palpum refugiens, per intervalla, & ſubitò ſine cauſa evidenti recurrens, qui in intervallis maximam partis veluti teneritudinem & tactûs intolerantiam relinquit; quique alternat cum viſûs obnubilatione, ſyncope, animi dejectione; in hoc mor-

bo, ut in gaſtrodynia hyſterica, materies virideſcentes, non quidem ſurſum, ſed per anum ejiciuntur; hoc verò ſingularis ſpeciei ſignum eſt, quòd dolores atroces abdominis minimè ad dejectiones illas tendant, & nunc has, nunc illas abdominis partes ſubitò invadant.

Nuper vidi puellam longo morbo & catharticis debilitatam, cachecticam, cui hæc omnia ſymptomata acciderant, quæque velut in agone mortis conſtituta grano laudani & potu cardiaco ex theriacâ & aquâ naphæ ab illâ colicâ & febre, quam Chirurgi putridam judicabant, ferè illicò ſanata fuit.

Vide colicam hyſtericam Sydenhami, quæ cum iſta congruit, niſi quod illa ſtomachum, iſta inteſtina afficiat, & vero globo hyſterico ſtipetur.

18. *Colica accidentalis* Williſii Tom. II, cap. 15 de Colica. D.

a *Colique d'indigeſtion.* D. Tiſſot Avis au peuple, § 305 &c.

Quæ pendet ab alimentis vel flatulentis, vel majori copia ſumptis, quæque ſponte non accidit, ſed poſt errorem ſimilem, citòque evaneſcit. Accidentalis eſt ab indigeſtione, ea tormimibus ſtipata abit in diarrhœam torminoſam, quâ curatur; ſi verò nauſeâ, cephalalgiâ, vertigine ſtipetur, ſæpiùs poſt cardialgiam vomitione ſanatur.

b *Colica à frigore*, *Colique après le froid.* Tiſſot ibid. § 312; Baglivi Prax. p. 100, libr. 1.

Dolores ventris à deambulatione nudis pedibus ſuper pavimentum frigidum factâ, appoſitis lateribus calidis plantis pedum ſtatim ſanantur, creſcente namque calore in pedibus ſenſim minuitur dolor in ventre.

19. *Colica meconialis*; *Tormina recens natorum*; *Tranchées des enfants.* A.

Cognoſcitur ex recens nati ejulatibus intra ſex primas ab ortu ſeptimanas, & ex fecibus vireſcentibus.

Præcaventur ſæpiùs à lacte materno, quod meconium magis diluit, & benigniùs expurgat quàm lac ſpiſſius. Curatur vel ſedatur oleo amygdalarum, quod cum ſyrupo capillorum veneris, vel de althæa mixtum, omni bihorio ad drachmas duas vel tres offertur, vel decocto ex caſſiæ pulpæ drachmis duabus in aquæ unciis quatuor, quod pari doſi & intervallo hauritur. Fiat etiam cataplaſma umbilico imponendum ex ovis cum croco & oleo ſemi-coctis, nec non injiciantur leniter clyſmata emollientia.

20. *Colica lactentium*; *Colique des enfants qui tettent.*

Illa eſt quæ ultra ſex primas ſeptimanas lactentes diſcruciat, & à meconio minimè pendet; nam intra illud tempus meconium omnino expurgatum eſt. Cognoſcitur ex ejulatibus ſubitò obortis cum tenſione abdominis, ejuſque ſenſibilitate à tactu creſcente, ex excrementorum virore, ex vomitione ſuperveniente, citra dentitionis ſigna. Hæc colica lacti craſſiori, vel aceſcenti, aut pultibus tribuenda eſt, adeoque vitia lactis & nutricis ſunt exploranda.

Curatur clyſmatis emollientibus ex decocto malvæ, ſeminum lini, oleo amygdalarum cochleatim hauriendo, fotu umbilicalis regionis ex intrita ovis, oleo, croco confectâ, ſubcalidâ, uſu ſolius lactis ſine pultibus, aqua

aquâ pulli, decoctio oryzæ pro potu, granis tribus vel quatuor theriacæ recentis.

Num colicam mentiatur enterocele imperfecta examinare opus eſt, num etiam à dentitione illi ejulatus oriantur, eſt inquirendum.

21. *Colica febricoſa*, Morton Pyretol. p. 33 Hiſt. XVII.

22. *Colica enterocelica*, vide Ileum herniofum.

XXIII. Hepatalgia; *Dolor hypochondrii dextri* Boneti Sepulchret. tom. 2; *Douleur du foye.*

Morbus eſt cujus præcipuum ſymptoma eſt moleſta ſenſatio, gravativa, tenſiva, aut alia quævis in regione hepatis; differt ab hepatitide defectu pyrexiæ acutæ.

1. *Hepatalgia calculoſa. Colique hépatique.* C. P. Vide Mem. de l'Acad. de Chirurgie T. I, pag. 177; Haller in Boerhaave Tom. III, p. 166; Morton Phthiſiol. Lib. III, n° 13; Bonet. Sepulchr. T. II, Sect. 8.

Cognoſcitur 1° ex atroci ſæpiùs dolore circa locum ubi canalis choledochus inſeritur duodeno; 2° ex eo quod dolor ille ad coſtas ſpurias & epigaſtrium extendatur, 3° quod tribus ſæpiùs à paſtu horis recrudeſcat; 4° quod auriginem comitetur aut ſequatur.

Pendet à conatibus naturæ ad expellendum in inteſtina calculum biliarium, unde ductus biliarius incredibiliter dilatatur.

Mœrores, vita ſedenteria, quæcumque valent bilis concretioni favere ſunt hujus morbi principia.

Curatio exigit longum uſum emollientium, diluentium, eccoproticorum, quibus præmiſſis balnea domeſtica repetita conveniunt, & dein æger in ipſo balneo catharticum bibat, ut calculus in ipſo balneo foras eliminetur: quâ methodo *Ill. Raſt Lugdunæus Medicus Montpel. Doctor* plures ſanavit. Hoc morbo periit Celebris Pictor le Brun, *Duhamel Hiſt. Acad.* Vide hiſtorias apud *Bianchi Hiſt. hep. Tranſ. Philoſ. n° 142*; vomitione aut forti exſpiratione atrocibus doloribus hepatalgicis finem imponi monet *Haller. Phyſiol. Tom. III, p. 362*; proſperè ſuccedunt clyſmata ex urina recenti & infuſum florum ſalviæ: *Varnier Journ. de Med. Juill. 1755.*

Signa præcipua hujus morbi ſunt juxta *Tacconium* 1° aurigo in decurſu morbi, 2° dolor mucronatæ cartilaginis & ſterni, 3° ſpaſmodica tenſio dextri lateris, 4° laſſitudo ſpontanea. Vide opus *Cajetani Tacconi de raris hepatis morbis Bononiæ 1740.*

2. *Hepatalgia ſcirrhoſa; Scirrhus hepatis* vulgò; *Scirrhe au foye.* Haller Comm. in Boerhaave T. 3. p. 165. C. P.

Cognoſcitur 1° tumore & duritie in hypochondrio dextro, 2° dolore gravativo, obtuſo & tenſivo conſtanti, 3° decubitu in latus oppoſitum difficili, 4° dyſpnœâ, & tuſſi ſicca, 5° inappetentiâ cum ſatietate à modico paſtu & preſſionis ſenſu in ſtomacho ac dyſpnœâ: 6° color faciei pallidus, cachecticus, auriginoſus: 7° urina ſaurantii coloris, craſſa cum

O 2 ſedi-

ſedimento mucoſo: 8° ſucceſſu temporis œdematia pedum, macies partium ſuperiorum, aſcites, amphimerina hectica. Addit *Hallerus* ſe hunc morbum vidiſſe cum atrocibus doloribus, periodico decurſu, vomitione, &c; ac putat eſſe idem cum colica bilioſa Sydenhami ann. 1670: *Vide Gliſſonium pag.* 265.

Præceſſerunt ſæpiùs intermittentes febres diuturnæ, hæmorrhagiarum ſuppreſſio, topicæ contuſiones, vita deſes, victus ex cibis craſſis.

In curatione ſi temperamentum ſiccum, bilioſum, parciùs utendum martialibus, indulgendum juſculis & apozematis cum herbis & radicibus leviter aperientibus, ſero lactis cum aſellis, tartaro chalybeato, &c. Si temperamentum ſit frigidum, pituitoſum, aquæ thermales, juſcula martialia, radices aperientes majores, præmiſſis & interpoſitis catharticis conveniunt.

3. *Hepatalgia infarctus; Tumor hepatis ſimplex* Sennerti cap. 5; *Intemperies hepatis* Sennerti lib. 3, pag. 6; *Infarctus hepatis* Junckeri tabul. 39. *Riedtkuchen* Sileſiæ; *Obſtruction du foye.* C.

Omnia prioris ſymptomata, ſed remiſſiora; regio hypochondrii dextri minus firma, nulla œdematia, nec hectica; de cætero anguſtia præcordiorum cum dyſpnœâ, dolor gravans & obtuſus; æſtus volaticus faciei, cum rubore fugaci & calore in volis manuum; ſitis vaga, os ſiccum & amarum; tuſſis ſicca, ſaliva viſcoſa, inappetentia, cardialgia, laſſitudo & gravitas artuum, dolor à tactu creſcit, alvus ſæpe adſtricta.

Ille morbus vel eſt cum hepatis *inflatione* ſeu expanſione quod junioribus accidit, ubi tumor hypochondrii viſibilis eſt; vel eſt cum hepatis *conſtrictione* ſpaſmodicâ *Bianchi Hiſt. hep. p.* 338, adeoque renitentiâ ad ſcleriſma accedente; nulla utrobique tumoris circumſcriptio, uterque ſtatus minus eſt periculoſus & pervicax quàm hepatalgia ſcirrhoſa; phlebotomia initio conducit, juſcula ex cichoraceis, martialibus juvant, necnon apozemata, ſerum lactis martialibus & millepedibus onuſtum, quandoque acidulæ martiales, extus emplaſtra emollientia, reſolventia; quæ tamen dolorem non augeant, ne ſuppurationem moveant. Rigor febrilis ſuperveniens tollit dolorem & infarctum: *Hippocrates Aphor.* 40 *ſect. VI.*

Si hepatis *intemperies ſit calida*, quod cognoſcitur ex caliditate ejus, ſeu ex eo quòd morbi calidi, cibi calefacientes præceſſerint, ætas ſit juvenilis, animus pathematis vividis, potiſſimùm iræ, deditus, quodque potiſſimùm à medicamentis calefacientibus lædatur æger, quòd adſit carnis averſatio, dejectio bilioſa, vomitus bilioſus, urina flava, pyrexia, calor in volis manuum, color citrinus faciei, corporis macies, ſiccitas, linguæ aſperitas; in hoc caſu adhibenda refrigerantia hepatica, ut cichorium, taraxacum, fragaria, acetoſa, fraga, ceraſa, cucurbitacea, ſerum lactis, acidulæ, emulſiones, cibi refrigerantes, aër frigidulus, abſtinentia à pathematis exercitiiſque validis conveniunt: Vide *Chirac Conſult.* 26.

Si hepatis *intemperies ſit frigida*, ut aiebant Veteres, ſeu ſi ſolida ſint inertia, fluida, mucoſa, viſcoſa, vappida, quod conjectamus ex ætate provectiori,

veſtiori, abuſu frigidorum extùs intuſve uſurpatorum, phlebotomiis repetitis, pulſu parvo, raro, frigiditate ſeu juvamine à calidis & ſiccis, excretis pituitoſis, urinâ vix coloratâ, faciei pallore, diſpoſitione ad œdematiam, &c; in hoc caſu uſurpantur quæ ſanguini fluxilitatem conciliant & motum ejus intendunt, attenuando, calefaciendo, roborando, reſolvendo. Huc pertinent radices fœniculi, aſparagi, apii; pimpinella alba, agrimonia, abſinthium, lupulus, chamædrys, fumaria; cortices citri, cinnamomum; martialia, ſtomachica amara, vinum rubrum, aquæ thermales, &c.

4. *Hepatalgia intercus.* Vide Bartholinum. L.

Ea eſt quæ ex abſceſſu inter muſculos abdominis hypochondrii dependet; præceſſit inflammatio, de qua vide *Hepatitidem intercutem*, quæ facilè ex vulgari diſtinguitur ob tumorem & dolorem à cutis tactu exacerbantem. Curatur ut abſceſſus quicumque arte Chirurgicâ.

5. *Hepatalgia æruginoſa. Colica ſpaſmodica Angelimontanorum* Scheuchzeri Iter Alpinum 1. pag. 12; an Rachialgia metallica? A.

Dolor coli ac tenuium inteſtinorum contumax, ſomnum arcens, delirium quandoque afferens; vomitiones crebræ, bilioſæ, inappetentia, alvus obſtructa, flatulentia, ardor præcordiorum infra & ſupra cartilaginem xiphoideam, urentes & furentes dolores artuum ſuperiorum & deinde inferiorum, pareſis brachiorum, reſpiratio aſthmatica, ſenſus ponderis pectori incumbentis. Hæc patiebantur Benedictini qui uſi fuerant pro lacte, butyro, vino continendis, vaſis æneis, æruginoſis. Cadavera oſtenderunt hepar folliculis concretis farctum, corpuſcula piſiformia, ſubviridia, inteſtinis inhærentia, in pericardio ſerum viride.

6. *Hepatalgia ſarcomatoſa.* Mangeti Bibliothec. Med. pract. libr. 8 pag. 784, 785. &c. *Excroiſſance du foye.* L.

Fuldenreichius in viro, cui hypochondrium dextrum dolore gravativo & tumore afficiebatur cum inappetentia, vomitione bilioſâ, polydipſiâ, invenit poſt mortem hepatis molem portentoſam, librarum ſcilicet quatuordecim, præter carnoſam excreſcentiam caput infantis æquantem, in meſenterio: in altero ægro ſimilia ſymptomata; ſed ex umbilico ſæpè materies ſeroſa & alba fluebat: Hepar grande, induratum & triginta ulcuſcula habens inventum eſt. In filiâ ſimili morbo affectâ hepar inſolitæ molis erat, pallidumque & totam abdominis cavitatem replebat.

7. *Hepatalgia apoſtematoſa;* Bartholin. Centur. *Abſcès au foye*, Civadier Journ. de Med. Mars 1757 p 216. calculi ex cyſtide felle per apoſtema extracti. C.

Dolor ab abſceſſu hepatis ſtipatur febre, horrore, tumore, uti hepatalgia Petitiana, ſeu à cyſtide felleâ turgidâ, ſed 1° dolor in apoſtematoſâ creſcit cùm pus efformari incipit, ſedatur verò cùm turgeſcit cyſtis. 2° Dolor apoſtematoſæ eſt pulſatilis, non verò dolor à bile collectâ. 3° Dolor apoſtematoſæ diutiùs perſeverat, vires magis dejicit. 4° In ſuppuratione hepatis pulſus eſt minor, phriciaſis diuturnior & ſudore terminatur: in Petitianâ cyſtidis turgeſcentia, pulſus fortior, phriciaſis brevior, ſudor nullus.

 5° Cyſtis

5°. Cyſtidis felleæ turgeſcentia extus apparet ſub ſpecie tumoris ſaccati, firmi, æqualis, circumſcripti: abſceſſus verò magis diffuſus eſt. 6°. Abſceſſus in epigaſtrii regione vel hypochondrio dextro ubivis reperitur, non cyſtidis felleæ tumor. 7°. Fluctuatio abſceſſûs in ejus medio tantùm, marginibus adhuc reſiſtentibus obſervatur, locus fluctuationis ampliatur creſcente ſuppuratione.

Curatur inciſione quâ pus extraducitur, injectione deterſivâ & balſamicâ: Vide curationem à D. *Chicoyneau* & *Soulier Mem. de l'Acad. R. des Sc.* feliciter abſolutam, necnon conſule *Mem. de l'Acad. R. de Chirurgie tom.* 1. à D. *Petit*, *Amiand*, &c. Vide obſervationem apud *Heurnium ad aphoriſm. 45. ſect. 7*, & plures, *in Mangeti Bibliothecâ Med. libr. 8. p.* 783.

Adoleſcens auriginoſus qui pluries ſanguinem ex umbilico fuderat, gerebat in hepate abſceſſum qui puris loco repletus erat materie ovorum intritorum luteorum perſimili, ut memini me vidiſſe Aleſiæ.

Legi de hoc morbo meretur diſſertatio *Cajetani Tacconii de Raris hepatis morbis Bononiæ 1740.*

8. *Hepatalgia Petitiana*, D. Petit Mem. de l'Acad. R. de Chirurg. tom. 1. C.

Eſt dolor & tumor in regione veſiculæ felleæ cum horrore, febre, ſenſu fluctuationis, circumſcriptione à veſiculâ felleâ bile turgidâ & diſtenſâ, qui morbus difficulter diſtinguitur ab Hepatalgiâ apoſtematoſâ niſi per ſigna ſequentia, cum illius ſignis collata; ſcilicet; 1°. dolor creſcente tumore decreſcit; 2°. non eſt pulſatilis ſed diſtenſivus; 3°. vires minùs proſternuntur & dolor minus eſt diuturnus quàm cùm datur abſceſſus; 4°. Horror citiùs terminatur, pulſus eſt major & nullus ſudor horrores ſequitur; 5°. tumor eſt æqualis, firmus initio, circumſcriptus; 6°. tumor eſt conſtanter infra cartilagines coſtarum dextri lateris è regione veſiculæ felleæ; 7°. ille tumor fluctuationem in toto ſuo volumine refert, margines in apoſtematoſo renituntur.

Curatur inciſione, modò tamen peritonæo adhæreat veſicula fellea & bilis in cavum abdominis non fluat, unde brevi mors accerſeretur; cognoſcitur verò ea adhærentia ex eo quod, 1°. tumor loco ſuo non poteſt dimoveri; 2°. ex mollitie & rubedine tegumentorum; 3°. frequenti recurſu inflammationis in tegumentis.

9. *Hepatalgia deceptiva*, D. Billebault D. M. M. Journ. de Med. Sept. 1762 p. 247. C.

Eſt ſpecies quæ apoſtema hepatis ferè imitatur, & quæ pendet ab apoſtemate calculisque renis dextri è ſua ſede deorſum lapſi.

Mulieris hoc morbo affectæ hepar incidere parati erant *Winſlow*, *Gaulard* & *Morand* viri expertiſſimi; renuit ægra: demum ſectio cadaveris veram morbi ſedem aperuit. Symptomata hæc fuerant; à levi preſſione hypochondrii dextri, à motu citatiori, à poſitura improviſa, ſuffocabatur mulier; pars tumens renitens, acerrimè dolebat à tactu, aliàs dolor obſcurus, continuus;

nuus; ſtupor & torpor ab eodem hypochondrio ad femur extendebatur, ita ut difficillimè moveretur aut antrorſum inclinaret, & ſtare cogeretur niſi ſomno victa; Tuſſis ſicca, ſputa interdum purulenta, aut cruenta cum amphimerina hectica, paroxyſmis pingui pectoris ſudore terminatis; interdum vomitio ſanguinis nigri ita copioſa, ut ſyncope ſubſequeretur; hanc præcedebant nigri fœtidique ſanguinis ante diem rejectio, urinarum fluxus liberrimus & abundans, ſine dyſuria, ſine ardore, ſine arenulis, pure aut muco: Diarrhœa habitualis, nunc ſeroſa, nunc purulenta; menſtruatio regularis, fames inordinata, picacea, cum anorexia alternans, tabes ſumma, mors.

Secto cadavere hepar & omnia viſcera ſana, exceptis rene dextro & pulmone; ren ille amplus, abſumptus intus, pure & calculis turgidus, ureter obturatus; pulmo ſiniſter abſumptus, dexter omninò farctus arenulis miliaribus, ſingulas veſiculas replentibus.

XXIV. Splenalgia; *Dolor lateris* Sennerti *lib.* 3 *cap.* 10 *part.* 4; *Douleur de la rate.*

Eſt morbus cujus præcipuum ſymptoma eſt dolor pertinax in regione lienis, ſine pyrexiâ acutâ; ægri *ſplenetici* vel *lienoſi* dicuntur.

1. *Splenalgia infarctus; Obſtructio lienis* Sennerti cap. 3 lib. 3 part. 4; *Obſtruction de la rate.* C.

In principio ſolùm gravitas in ſiniſtro hypochondrio percipitur, poſtea dolor aliquis acutus, præſertim in curſu & ambulatione concitatiori, dein color nativus faciei in lividum mutatur, corporis gravitas ſeu laſſitudo adeſt, dyſpnœa ab exercitio, interdum tuſſis ſicca, quandoque cordis palpitatio, ſcabies, hypochondriaſis, boulimia, &c, ſuperveniunt, & ægritudo pertinaciſſima eſt.

Curatio eadem ac obſtructionis hepatis. Laudantur in his morbis lamii albi pulvis ad drachmam quovis mane, radicis filicis decoctum, limatura ferri ad grana aliquot diù uſurpata, terra foliata tartari ad grana decem bis in die per menſem & ultra. Pauci ſunt quartanâ recidivâ diù afflicti, qui hanc ſplenalgiam non patiantur, & vulgò longo kinkinæ uſui morbus hic tribuitur, quod vix credo.

2. *Splenalgia ſcirrhoſa; Scirrhe à la rate.* C.

Cognoſcitur ex tumore duro lienis figuram & ſedem obtinens cum ſenſu gravitatis; in infarctu verò tumor hypochondrii quidem adeſt, ſed nullatenus figuram lienis referens, nec durus, nec circumſcriptus, cum dolore acutiori qui efformato ſcirrho ſæpiùs abit in gravativum. Hic tumor mirè quandoque diffunditur, raro cartilagineâ cruſtâ tegitur, quartanam ſequitur, & in aſcitem non raro ducit. Splenetici colorem plumbeum, maciem etiam patiuntur; accedit dyſpnœa, ſenſus ponderis jugulum deorſum trahentis ad ſiniſtram, preſſio ſtomachi à paſtu, demùm œdematia pedum, quandoque ulcera tibiarum.

Sanguis maximè retardatur in liene; ſi enim ſectio tranſverſa hujus viſceris

ceris ſit centies major ſectione tranſverſâ arteriæ ſplenicæ, toties ferè tardiùs ſanguis movetur in liene quàm in illâ arteriâ. Memini me vidiſſe è liene cadaveris, cujus aortæ adaptaveram tubum aquâ plenum, effluxiſſe per horam tantam humoris nigri copiam, ut ab eo lienem unquam elui poſſe deſperarem. Vidit in hoc morbo *Diemerbroeckius* ejici per alvum tres atramenti matulas, & licet vena ſplenica in venam portarum ducat ſanguinem, non in inteſtinale colum, attamen certus ſum retrogredi poſſe hunc ſanguinem & ingurgitare venas meſaraicas, dùm ejus circuitus per hepar arcetur, ut ſibi viam cudat in inteſtinali tubâ, aut per vaſa brevia intra ſtomachum. Refluxum ſanguinis à venis in ramos earum in vivis multæ obſervationes mihi patefecerunt, & leges circulationis non repugnant, quippe ipſæ eædem ſunt ac leges hydrodynamicæ, quæ ſimilem regreſſum ſæpiùs exigunt. Ex hoc regreſſu fit *hepatirrhœa nigra*, vulgò morbus niger Hippocratis, ſeu dyſenteria hepatera, quæ lienoſos juvat non raro.

De curâ & hiſtoriâ hujus morbi conſulatur *Mangeti Bibliotheca Med. practica lib. 10.*

3. *Splenalgia ſuppuratoria* Cornelii Stalpart. obſ. rarior. centur. 1. apud Mangeti Bibliothec. Med. pract. C.

Vidit ille Auctor lienem, velut ſaccum membranaceum, pure turgidum, quo rupto ægra obiit.

4. *Splenalgia ſarcomatoſa*; *Lien ingens* Blancardi Anat. pract.; *Rate de groſſeur énorme.*

Is vidit lienem ſex libras ponderantem, humore nigro piceo repletum; duplo majorem refert *Helviggius* apud *Riverium.* Vide multa exempla apud *Bartholinum*, *Borrichium*, *Blaſium*, *Fabricium*, *Veſalium*, *Schenckium*, &c.

Morbos affines videſis in ultimâ claſſe inter phiſconias, quæ tumore abdominis pariter ſtipantur.

XXV. Nephralgia Zwingeri; *Dolor Nephriticus* Sennerti lib. 3 pag. 7; *Colique renale.*

Morbus eſt cujus præcipuum ſymptoma eſt dolor fixus in regione renum & ureterum ſine pyrexiâ acutâ, unde à Nephritide diſcrepat.

Colica Nephritica vulgò dicitur; ſed colica, à colo inteſtino dicta, nomen eſt quod perperam doloribus aliarum partium quàm inteſtinorum tribuitur ob æquivocationem reſtringendum: unde merito *Zwingerus in peculiari diſſertatione Nephralgiæ* genus conſtituit.

1. *Nephralgia calculoſa* Zwingeri diſſertatio 12a, Baglivi pag. 419.; *Calculus renum* Sennerti; *Calcul des reins.* A. P.

Ea eſt quæ à majuſculo calculo renibus, vel utereribus impacto pendere cenſetur; quæque cognoſcitur, 1° ex dolore & cruciatu acerbiſſimo in alterutrâ regione lumbari, raro in utrâque, eoque fixo & ſtabili; 2° ſqui tamen juxta ductum ureteris in abdomine obliquè verſus veſicam extenditur; 3°.

quí

qui in viris teſtis ejuſdem lateris tractionem dolorificam, in fœminis cruris ſtuporem, doloremque comitem habet, ſi intenſus ſit; 4° necnon in vigore doloris nauſeam & vomitionem frequentem infert; 5° decubitu in latus dolens miteſcit, in oppoſitum verò exacerbatur; 6° cum urinis variantibus, initio aquoſis, paucis, dein turbidis, copioſis, ſæpè ardentibus ac cruentis.

Ulteriùs cognoſcitur ex hæreditariâ diſpoſitione, ex eo quod à vectione in curru, rhedâ dolor recurrat, cùm nephralgia hæmorrhoidalis à quiete & decubitu in lecto potiùs exaſperetur.

In lumbagine dolor maximè perſentitur, cùm truncus priùs flexus erigitur; in colicâ dolor per abdomen divagatur, & primis clyſmatis, aut alvinis dejectionibus ſedatur, quod in nephralgiâ non accidit. Arenularum mictio non pertinet ad hancce ſpeciem, nec muci copioſi excretio cum urinis hujus ſignum eſt, cùm potiùs in calculoſis, modò veſicâ à calculo ſit expers, urina ſoleat eſſe velut lixivium pellucidum.

A Nephritide calculoſâ differt nephralgia per pyrexiæ defectum aut gradu tantùm. Calculus renum ſæpè nullam ſenſationem moleſtam infert, niſi commoveatur à victu calidiori, à pathemate vivido, ab exercitio valido, à vecturâ ſupra pavimentum lapideum.

Dolorem illum ſublevant, 1° phlebotomiæ; 2° quies; 3° potus diluens mucilaginoſus ex ſeminibus lini, petalis malvæ, violæ, limonatâ; 4° narcotica; 5° olea lenia amygdalarum, lini, &c; 6° balnea; 7° diæta tenuis refrigerans. Cavendum ab aquis mineralibus affatim hauſtis, à diureticis calidis urinam uberius in renes advocantibus; inde enim calculus commovetur, & nephritis excitatur: ptiſana nitrata optimè conducit.

Nephrotomia impoſſibilis cenſetur, adeoque ad curam radicalem tantùm facere poſſunt lithontriptica, quorum uſitatiora ſunt, 1° aqua calcis oſtreorum hauſta, juxta methodum *Roberti Whitt*, cujus ſatis laudabiles effectus obſervavi; ſed hæc per menſes & annos continuanda; 2° Sapo albus pilularum formâ quotidie ad ſemiunciam, qui dolorem non rarò ſedat, & calculum lentè diſſolvit; 3° Leve infuſum arbuti uvæ urſi, vulgò *Buxerolæ*, quod calculos granulatos friabiles in minora fragmenta, glutine diſſoluto, diſrumpit; ſed ſine cautelâ dyſuriam creat, & licet maximam lutulentæ urinæ copiam evacuet, ut infuſum parietariæ, vix calculi molem minuit, ut expertus ſum.

2. *Nephralgia arenoſa* Bonet Sepulchret. obſerv. 21 &c. ad 27, vulgò *la Gravelle*. C. P.

Eſt ſpecies ſenibus tantùm familiaris, quæ rarò renes, ſæpiùs ureteres & urethram afficit; in quâ ſedato dolore, lapilluli ſeminibus lentis, ſed aſperis ſimiles, rubri, duriſſimi minguntur identidem; nulli verò ſunt magni calculi; illi verò lapilli rarò hærent in renibus, ureteribuſve; vix ab ullo lithontriptico cognito diſſolvuntur, & ad uſque extremum ſenium vitam ægri miſeram faciunt. De his vide *Dyſuriam*. Laudantur in hoc morbo geranium gratia Dei, ſanguineum, cynorrhodonis baccæ, ſpongia bedeguar, herniaria,

 thea,

thea, ſolidago, virga aurea, rubia, anſerina, ſanicula, alchymilla, pyrola, vinacei gigarta: vide *Heucheri Diſſert.*

3. *Nephralgia arthritica* Muſgrave de arthritide, cap. 9. & cap. 17. pag. 154, Sydenham pag. 485. D. P.

Eſt ea ſpecies quæ fit à materie arthriticâ, non renes, ſed membranas, perioſteumque vertebrarum lumbarium vellicante, qui dolor mentitur nephralgiam calculoſam; ſed diſtinguitur ab aliis ſpeciebus ex eo quod podagricos tunc afficiat, cùm dolores extremorum ſilent, & reſtituto dolore in articulis, evaneſcit. Arthritici præterea ſunt obnoxii veræ nephralgiæ calculoſæ, & calculus in illis eſt tophaceus, cretæ ſimilis, friabilis, qui faciliùs cæteris diſſolvi ſe patitur. Aquæ de Banieres hîc cenſentur aptæ: paroxyſmo podagræ non rarò terminatur hæc Nephralgia.

4. *Nephralgia rheumatica*; *Lumbago rheumatica* Sydenham de Rheumatiſmo, cap. 5. D.

Eſt immanis dolor idemque fixus circa lumborum regionem, ipſumque aliquando ad os ſacrum ſe demittens; paroxyſmum nephriticum mentitur, niſi quod æger non vomituriat: nam præter dolorem atrociſſimum, & vix ferendum circa ipſos renes, aliquando & ureteres per omnem eorum ductum ad veſicam uſque, eodem licet mitiori tentatur, qui & ipſi *Sydenham* olim impoſuit, tanquam à materiâ aliquâ ſabuloſâ in iis partibus hærente penderet, cùm reverâ materiæ rheumatiſmi peccanti & inflammatæ ortum ſuum debeat, quæ quidem partes illas jam ſolas urit, intacto reliquo corpore.

Immanis hic dolor, niſi abigatur eodem modo quo rheumatiſmus vulgaris, pariter etiam perdurat, pari ſævitiâ excrucians, adeo ut miſer æger nequeat procumbere; ſed vel lecto exſiliat, vel ſuper eodem erectus ſedeat, corpore interim perpetuâ agitatione nunc verſus anteriora, nunc poſteriora inclinato, reductoque. *Hæc Sydenham.*

Evidens eſt ex his verbis non lumbaginem, ſed nephralgiam his ſymptomatis repræſentari; nec enim morborum genera à ſede nobis ſæpiùs ignotâ determinantur. De cætero repetitæ phlebotomiæ, & diæta tenuis, potuſque diluens hic omninò requiruntur, ut in rheumatiſmo.

5. *Nephralgia hyſterica* Sydenham de Colicâ bilioſâ cap. 7 pag. 132, & diſſert. epiſtol. pag. 430. A.

Eſt ea ſpecies quæ hyſtericas invadit quandoque, unde vomitio immanis cum dolore lumborum per ureteris ductum ſe extendens, & calculum renum mentiens, uno eodemque tenore diutiſſimè miſeras affligens, ita ut quandoque eas è medio tollat.

Hic morbus ſubitò invadit, ſubitoque etiam recedit more ſymptomatum hyſtericorum; augetur à repetitis clyſmatis, maximè verò à lithontripticis, & diureticis calidis: tollitur verò narcoticis. Vide *Dyſuriam hyſtericam.*

6. *Nephralgia hæmorrhoidalis* Nenteri. *Nephritis ſpuria*, rectiùs *Nephralgia plethorica.* A. P.

Eſt

Eſt ea ſpecies quæ à ſanguine copioſiùs in renes affluente dependet, quod cognoſcitur, 1° ex ſuppreſſione fluxûs catamenialis, hæmorrhoidalis, phlebotomiæ, aut ſcarificationis conſuetæ, 2° quæ iis temporibus accidit quibus maximè illi fluxus accidiſſent pro more ſolito, 3° quæ his fluxibus ſponte reſtitutis ſponte ceſſat; 4° quæ demum ſigna plethoræ conjuncta habet; 5° nauſeâ & vomitione ſæpiùs caret; 6° dolores ſunt magis externi, & ad lumbaginem accedunt, 7° creſcunt à decubitu in lecto, victu calidiori; conſtipatione alvi ſtipantur.

Juvant phlebotomiæ, alvum emollientia, fluxus ſanguinis ex utero, ano; nitroſa, diluentia, &c.

7. *Nephralgia purulenta* Bonet. Sepulchret. obſerv. 23, ubi quatuordecim hujus ſpeciei hiſtoriæ proponuntur. C.

Urina deponit materiem albam fluidam, veluti lacteam; adeſt gravitas continua in lumbo alterutro, cruris ſtupor, lenta pyrexia, inſignis corporis macies, nullus pyrexiæ paroxyſmus; præceſſere nephritis, vel nephralgia, hæmaturia, pituitoſæ vomitiones. *Vide Mangeti Biblioth. Med. Pract. tom. 4 pag. 993; Ephem. Natur. Cur. Dec. 1. ann. 1679 obſerv. 182.*

Vide Chiliarchæ Townshend celebrem hiſtoriam apud *Cheynæum, the English Malady pag. 307.*

8. *Nephralgia à Pancreate* Manget. Bibliothec. Med. Pract. de Nephritide, pag. 545. Coll. Acad. T. 3. p. 330.

Chirurgus quidam ſævis lumborum & dorſi doloribus excruciatus arenulas rubras cum urinis excernens, comitante vomitu graviſſimo demum obiit. In cadavere erat pancreas tumidum, cancroſum, quo diaphragma perforatum, & vertebræ duæ exeſæ fuerunt. Cancer hic nigricans ambos quoque renes corrupit, nigros & putridos effecit; nec in illis arenulæ, aut calculus inventus eſt. Hæc *Hertodius.*

9. *Nephralgia verminoſa* Zodiaci Medico-Gallici, Riverii obſ. 4 pag. 103 centur. 4.

Juvenis quidam renum dolore excarnificatus, demùm excrevit cum urinis vermes plurimos nigros, magnitudine, & longitudine acus communis, cornutos & friabiles, quorum duos *Pachecus* miſit ad *Riverium.*

10. *Nephralgia meſenterica* Georg. Mercklini Ephem. Natur. Curioſ. Dec. 1 ann. 1677 obſerv. 50. C.

Dolor vehemens ad latus dextrum lumborum, & ad femur cum impotentiâ progrediendi; urina mutata, ſæpiùs turbida & albeſcens, vomitio quotidiana, nauſeæ continuæ, ſomnus nullus, extrema frigida; poſt mortem renes ſine ullâ noxâ, ſed in meſenterio abſceſſus pure & calculis tribus turgidus, & in pancreate calculus adhuc major nigricans.

11. *Nephralgia monſtroſa* Collect. Academic. Tom. 3, pag. 169, obſ. 277; ex Ephem. Nat. Cur. Cabrol. obſerv.

Eſt Nephralgia atrox cum hæmaturiâ, in quâ ægra cum urinis excernebat vermiformia fruſta renum, & ren inventus poſt mortem portentoſæ molis ponderans uncias ſeptemdecim, ſimulque exulceratus.

P 2 12. *Ne-*

12. *Nephralgia à carie* Vandermonde, Journal de Médec. Tom. 9, pag. 516, à D. Hazon. C.

13. *Nephralgia febricoſa* Morton. Pyretol. Hiſtor. 28, pag. 101.

Eſt ſpecies diriſſima quæ urinâ rubrâ, dolore atroci renum, vomitione, algore extremorum, lipothymiâ, ægros in ſummum vitæ diſcrimen inducit, quæque optimis remediis vulgaribus ipſique laudano reſiſtit; ea ab intermittentis febris larvatæ veneno dependens non tutiùs curatur quàm ope kinkinæ, ut omnes alii morbi febricoſi.

14. *Nephralgia miliaris* Hamiltoni de febre miliari.

Eſt ſymptoma præcedens eruptionem miliarem cum crampis, odore perſpirationis acido, &c.

15. *Nephralgia ſcirrhoſa* Sachs Miſcell. Curioſ. *à lienis luxatione*, Bonet. Sepulchret. obſerv. 30. C.

Nephralgia ſcorbutica Eugaleni eſt potius lumbago, nec ullam nephralgiam obſervavit *Lind* in ſcorbuto in quo lumbago haud infrequens eſt.

Sympathicas nephralgias, quæ ſcilicet pendere putantur à vitiis in partibus à rene remotis, quæ ſolæ poſt mortem affectæ viſæ ſunt, miſſas facio, tum quia rariores, tum quia gratis tribuuntur vitiis partium remotarum, ut cordis, pulmonum; fortè ſiquidem pendebant à vitio renum quod poſt obitum evaneſcebat, v. g. à phlogoſi, ſpaſmo, &c: horum enim in cadavere nulla ſigna ſuperſunt.

Nephralgias meſentericas, pancreaticas, nemo jure ex hoc genere expunxerit, cùm nomen genericum morbi non deſignet neceſſariò partem affectam, ſed tantùm ſymptomata quæ ad datam partem referri ſolent; nihil autem obſtat, quominùs hæc ſymptomata pendeant à vitio partis alterius proximæ nervos ex eodem plexu mutuantis.

16. *Nephralgia gravidarum* Puzos pag. 79. A.

Si dolor ſit in lumbis, ad veſicam protendatur, urinæ difficiliùs fluant, cum dyſuria vel mingendi cupiditate frequenti, urinis aquoſis & paucis, nephralgia adeſt.

Huic conducunt phlebotomiæ repetitæ, oleum amygdalarum, clyſmata emollientia, potus laxans, leniens. Procedit in gravidis à preſſione veſicæ, ureteribuſque illatâ; ab infarctu renum ob urinas craſſas, lacteas, ob diſtractionem nervorum; clyſmata, philonii romani drachmas duas vel tres recipientia, dolorem ſedant.

17. *Nephralgia hæmaturica* Tralles de Opio Sect. 2 p. 36.

Cùm ſanguis ex rene fluit ubertim in ureterem, is non raró coagulatur, & in uretere retentus nephralgiam calculoſam mentitur, ac dolores atroces in omnibus viis urinariis excitat, cum iſchuria quæ ægrum capitali periculo exponit, niſi, cum emollientibus foris & intus exhibitis, opium in auxilium vocetur; accedit quandoque ſingultus.

XXVI.

XXVI. Dystocia; à *Dys* difficilè, & *tokus* partus; *Partus difficilis*, *Accouchement laborieux.*

Eſt dolorifica, laborioſa ultra modum fœtûs excluſio, ſimulque muci, lymphæ amnii & dein ſanguinis effluxus.

Cauſa eſt reſiſtentia ex parte fœtûs aut viarum major quàm ut conatibus matris intra breve tempus vinci queat, ergo dyſtociæ principia ſunt ex parte fœtus major reſiſtentia ob molem majorem, ſitum incommodum, mortem, aut ſummam ejus debilitatem; ex parte matris anguſtia viarum, earum ſiccitas, & conatuum tum debilitas tum irregularitas.

Partus facilis accidit 1° circa finem noni menſis ſolaris; 2° præcedunt inſolitæ lumbagines; 3° tumor abdominis deorſum labitur verſus hypogaſtrium; 4° leucorrhœa mucoſa ex glandulis Nabothi per tres, quatuorve dies; 5° orificium uteri incipit hiare paululum.

Signa præſentis vel imminentis partûs ſunt 6° dolores lumborum fortiores, periodis ſucceſſivè brevioribus recurrentes, in quorum dolorum intervallis puerpera ad ſomnolentiam uſque non raró quieſcit; 7° pulſus frequentior, fortior ſolito evadit; 8° facies coloratior, calidior, ob reſpirationis, dùm dolores vigent, cohibitionem; 9° genitalia tument in labiis; 10 ſæpe vomitio, minimè noxia, accedit; 11° repetitis conatibus ſupervenit tremor minimè frigidus crurum & tibiarum proximiùs imminente partu; 12° ſimul cruentum quid ex utero ſtillat; 13° tunc orificium uteri magis hiat & repletur veſica ovali, quæ quovis tormine magis tenſa apparet, capite interim magis ac magis intra illam membranam extrorſum accedente; 14° creſcentibus & denſioribus torminibus crepant illæ membranæ fœtum obvolventes, & aquæ amnio contentæ cum impetu ad libram unam circiter profunduntur; 15° denique ſimul, vel cito poſt violento conatu fœtus capite primo & facie pronâ, & paulo poſt vel ſimul placenta, excluduntur cum reſiduâ amnii aquâ; 16° tuncque uberior ſanguis ſimul effluit, abdomen deprimitur, puerpera quieſcit, & dolorum prægreſſorum brevi obliviſcitur.

Cura. Torminibus partûs accedentibus, cùm ſcilicet quovis tormine os uteri dilatatur, membranæque protuberant, puerperæ, niſi alvus libera ſit, clyſma ex oleo, aquâ & catholicone infundendum eſt; ſi plethorica fuerit, vena ſecanda: in ſedili commodo, in quo reſupinari queat, collocanda; genua firmanda; mappâ utrinque extenſâ lumbi ſunt ſuſtinendi; de cætero crocotæ, tunicæ laxandæ, ſeu abdomen, & pectus ab omni preſſione liberentur; ovum ſorbile, cruſtulum cum vino ſorbendum, ſitis ſyrupo limonum cum aquâ temperanda, levis identidem deambulatio ſuadenda, obſtetrix perita os uteri exploret, & ſi trans membranas caput dignoſcat, ne feſtinet, ſed partum præſtoletur, puerperam in veris torminibus adjuvet; ſi verò trans membranas oblongas caput fœtûs

 non

non percipiatur, Chirurgum aut Medicum in arte obſtetriciâ peritum ſtatim advocet.

Dyſtociæ ex parte Matris.

1. *Dyſtocia à debilitate* Mauriceau chap. 10 livr. 2. A.

Mater vel habitualiter eſt infirma, vel actu debiliores edit conatus. Habitualiter infirma eſt vel à conſtitutione nativâ, vel ob morbos prægreſſos, vel ob ſtructuram vitioſam, ut ſi ſit gibba, elumbis, clauda, maximè ſi organa reſpirationis ſint debilia, ut in aſthmate, phthiſi; cognoſcitur actu debilis ex pulſu parvo, faciei pallore, extremorum frigiditate, animi dejectione; tunc autem vino & cardiacis ac conſummatis, aromaticis refocillanda eſt.

Si gibba, elumbis, clauda, aſthmatica, auxilio obſtetricii viri eſt adjuvanda; ſi puſillanimis eſt, hilari vultu, promiſſis, exemplis ad bonum animum adhortanda: ſi verò ideo conatus ſufficientes non exerat, quia delirio, vel ſopore eſt detenta, nec proinde ſtimulos uteri ſentit, phlebotomiâ, clyſmatis acribus aut appoſitis huic morbo remediis ſenſus eſt revocandus: obſtetrix verò ſucceſſivâ digitorum in uterum immiſſione & aſſiduâ ejus orificii diductione partum ſollicitare debet, uſquequo manu immiſſâ fœtum, arreptis pedibus, extrahere valeat.

Si menorrhagiâ, aut ſi epilepſiâ, eclampſiâve laboret, Chirurgi operâ fœtus quantociùs educatur. Vide *Menorrhagiam gravidarum.*

2. *Dyſtocia à colicâ* Mauriceau chap. 10 liv. 2. A.

Quantum ad partum neceſſaria ſunt tormina uterina, tantum noxia eſt colica, quæ nedum reſpondeat utero, ejuſque orificium diducat, ipſum orificium potiùs arctat, & aliorſùm dirigitur, ut ad diarrhœam excitandam. Clyſmata verò emollientia, laxantia, quæ colicam ſæpiùs compeſcunt, tormina partûs excitare ſolent, adeoque duplici titulo indicantur; ſuadentur etiam in colicâ linteorum calidorum applicatio, uſus olei amygdalarum, & pulſu vigente phlebotomia.

3. *Dyſtocia à pathemate* Mauriceau chap. 10 pag. 258 liv. 2. A.

Gravidæ vehementibus animi pathematis ſunt obnoxiæ, quibus nihil eſt perniciofius in parturitione, tum quia vires ad hoc opus utiles exſolvuntur, ut à metu, mœrore, pudore, puſillanimitate; tum quia divertuntur, ut ab indignatione, irâ ſimilibuſque: in his verò ſola Medici & obſtetricis facundia præſtat; quippe animus proſtratus promiſſis, verbis hilaribus, exemplis conſolantibus erigendus eſt, vel narrationibus, geſtis, fabulis appoſitis ab ideâ moleſtâ avocandus, ſpe pulchræ prolis ſexûs quem cupit, promptæ liberationis.

4. *Dyſtocia ab anguſtia* Mauriceau chap. 10 liv. 2. A.

Vias anguſtant ſimulque conatibus inutilibus anſam præbent excrementa alvina, quæ proinde clyſmatis laxantibus ſunt expurganda, antequam fœtus intra orificium delabatur; tunc enim clyſma nec immitti, nec prodeſſe

deſſe poſſet ; urina copioſior in veſica latens debet per catheterem educi, ſi clyſma, ambulatio, aliaque auxilia non ſuffecerint. Primiparæ juniores, ſicciores debent longè ante partum & inſtante partu butyro inſulſo, pomatis emollientibus, vaginam & os uteri ſibi inungere, maximè verò ſi longè ante partum, aquæ, amnio rupto, elapſæ ſint. Si tumores ſyphilitici vaginam anguſtant, quantociùs & primis etiam graviditatis menſibus, ſine præmiſſis tunc temporis balneis quæ gravidæ non ferunt, litus mercurialis ad hos reſolvendos, cautè tamen, eſt uſurpandus, ut ſucceſſit *Barbeyracio.*

Demùm ſi os uteri non ſufficienter hiet, utcumque conatus matris vegeti ſint & debito tempore duraverint, illius oris margo eſt non ungue, ſed convenienti inſtrumento ſecante ſcindendus, vitando partem ſuperiorem.

Si membrana fœtum obvolvens extra vulvam propendeat, durior ſit, non crepet, atque ſimul fœtus ſufficienter extrorsùm protruſus, orificiumque uteri ita diductum ut ſpes ſit fore ut fœtus excluſioni nihil obſtiturum ſit, ſub his conditionibus tantum ungue, vel alio modo illa chorii membrana diſrumpenda eſt.

Seniores & primiparæ difficiliùs pariunt ob rigiditatem partium, oſſium immobilitatem.

Si anguſtia ſit immedicabilis, ad operationem cæſaream deveniendum, aut matri fœtuique moriendum eſt.

5. *Dyſtocia ab hyſteroloxia.* A. Vide Bened. Peliſæi Diſſertat. Argentinæ 1758.

Dyſtociæ culpâ fœtûs.

6. *Dyſtocia à mole fœtus* Mauriceau *ch. 29 & 25 liv. 2.* A.

Moles major eſt vel in toto, vel in parte, ſæpiùs verò in parte, ut cùm hydrocephalo, aſcite, aut hydrothorace fœtus laborat, nec non cùm monſtroſè adhæret alteri fœtui; ſi explorato utero per manum immiſſam judicet obſtetricans impoſſibilem fore partum, niſi Chirurgiæ auxilium intercedat, quoniam à partu pendet vita matris & fœtûs, nec utraque ſervari poſſit, & mors fœtûs hydropici aliunde expectanda ſit, neceſſum eſt fœtum aliunde minimè evaſurum matri immolare, ut ſaltem matris vitæ conſulatur ; ergo cultro hamato ſolerter ope mànûs ſiniſtræ in uterum immiſſæ directo & dextrâ impulſo incidatur caput hydrocephalicum, abdomen aſciticum ad aquarum effuſionem, quo facto fœtus facilè retrahetur. Cùm verò molis & figuræ monſtroſæ eſt fœtûs, eodem cultro ad juncturas incidantur ſigillatim artus, & ſic per partes extrahantur, cavendo maximè ne cultri apex extrorſùm vergens uterum lædat.

Si moles creverit à numero fœtuum, difficiliùs eſt manum in uterum immittere ; interea eligantur ambo ejuſdem fœtus pedes, qui collati aut manu ad uſque inguina extenſâ, cognoſcetur, & ſic ab illo liberetur mater incipiendo

piendo à magis obvio ; dein verò caveat ne placentam educat antequam alter fœtus exierit, ne ſcilicet durante hocce labore ſanguis ex placentæ ſolutæ radicibus ubertim effluat, quippe ſæpè accidit, ut una placenta duobus fœtubus ſit communis. Fruſtrà autem ad alterius fœtus excluſionem naturæ conatus præſtolareris, cùm mater novo hocce labore deterreatur, adeòque ni vegeta ſit & animoſa mater, fœtus manu Chirurgi extrahendus eſt modo quo poterit commodiſſimo, & promptiſſimo.

Si fœtus ſit rectè conſtitutus, ſed reſpectu viarum uteri craſſior, tunc eum enecare nefas judico, & ad cæſaream operationem, quæ fœtum, matremque ſervare poteſt, confugiendum eſt.

7. *Dyſtocia à fœtu mortuo* Junckeri Tabul. Medic. 112. Chirurg. 102. Ill. Mauriceau, liv. 2. chap. 30, 12, 14. A.

Conjectamus fœtum mortuum 1° ſi gravida vulnerata : 2° ſi gravi menorrhagia laboret ; 3° ſi fœtus nondum maturus ; 4° ſi ante quatuor, pluresve dies aquæ amnii elapſæ ſint ; 5° ſi mammæ flaccidæ ; 6° ſi facies matris plumbea ; 7° ſi oculi intropreſſi, aſpectu languido, ſi fœteat anhelitus, ſi totus uterus attollatur per intervalla.

Aſſerimus fœtum mortuum 1° ſi à multis diebus non moveatur ; 2° ſi multi ex utero humores fœtidi cadaveroſi exſtillent ; 3° ſi dolorem magnum & pondus in utero ſentiat mater ; 4° ſi fœtus, velut mola, à gravitate ſolâ volutetur quoverſus mater inclinat ; 5° ſi matri ſyncopes, vel convulſiones frequentes accidant ; 6° ſi dudum ex utero funiculus umbilicalis aut placenta exierit ; 7° ſi manu in uterum immiſſâ fœtus ſentiatur frigidus, nullus in fontanellâ, in funiculo, in carpo pulſus ; ſi caput molle, ſuturis hians, oſſibus ejus decuſſatis. Fœtus autem mortuus, ſi aquæ elapſæ ſint, magis putreſcit intra biduum, quàm putreſceret intra quatriduum, vel extra uterum, vel intra amnium integrum.

Cura. Expectandi conatus ad partum ; medicamina fœtum expellentia noxia ſunt, aut inutilia, teſte *Mauriceau* ; embryulcia ſeu fœtûs extractio, eaque matura locum habet ; & quoniam laborioſa eſt etiam ſi fœtus optimum ſitum ſervet, ad hamulos non deveniendum niſi plura ſimul ſigna mortis fœtus concurrant ; cùm certò mortuus eſt fœtus, cavendum, ſi pedibus trahatur, ne caput ab humeris avulſum in utero reſtitet ; ſi caput offerat, ſæpiùs hamulo caput extrahendum eſt, imò ad inſtrumentum *tire-tête*, dictum, quandoque confugiendum eſt, artus diſciſſi ſeorſim eximendi.

8. *Dyſtocia à fœtus ſitu ; Accouchement contre nature.* Mauriceau, chap. 13. ad 27. A.

Multiplex eſt vitioſus infantis ſitus ; 1° ſi *pedibus* primum naſcatur, uno vel duplici exertis : Is ſitus periculoſus, ſed minus cæteris ; 2° ſi *nates* primùm prodeant, infantes ſub ipſo partu non rarò moriuntur ; 3° ſi *manus* præcedit, ſitus eſt periculoſiſſimus. In omnibus illis circumſtantiis 1°. ambo pedes quærendi ſunt, & manu Chirurgi apprehenſi foras deducendi : 2° ita invertendus eſt fœtus, ut ejus facies gravidæ coccygem reſpiciat, ne men-

mentum ejus oſſibus pubis incuneetur: 3° cùm ad pectus deventum eſt, obſtetricans debet digitis diductum tenere os uteri, & puerpera fortiter conniti, ut caput anguſtiam pertranſeat, ne conſtricto circa collum fœtûs utero capitis excluſio impoſſibilis evadat: 4° ſed antea manus utraque fœtus deorſum eſt adducenda.

9. *Dyſtocia à ſecundinis elapſis.* Mauriceau, ch. 26 & 27. lib. 2. A.

Si *funiculus umbilicalis* primùm prodeat, eo in ore uteri conſtricto præpeditur circulatio à matre in fœtum, & fœtus intra breve tempus, ut ſemihoram, ociùs, ſeriùſve moritur.

Si *placenta* primùm extra uterum prodeat, non ſolùm fœtus multum periclitatur, ſed etiam mater ob hæmorrhagiam uterinam ſummo in periculo verſatur.

In ambobus caſibus quantociùs Medico-Chirurgus debet fœtum utcumque benè collocatum invertere, pedes apprehendere, & antequam funem umbilicalem ligare aggrediatur, gravidam liberare, quo facto ceſſat hæmorrhagia matris, & illicò baptiſatus fœtus, calidè fotus, refocillatur halitu vini calidi, in quo cinnamomum, aut quid ſimile, ebullierit.

10. *Dyſtocia à molâ*, Mauriceau ch. 31. libr. 2. Heiſter. Chirurg. cap. 156; Juncker. A.

Mola quæ *falſum germen* dicitur, ſi bimeſtris vel trimeſtris ſit, eſt moles carnoſo-lymphatica, ſæpè hydatidoſa, in quam mutata eſt placenta; cùm fœtus, in ipſo omnio contentus, non explicatus fuit. Cognoſcitur 1° ex ſignis graviditatis uſque ad quartum vel quintum menſem; 2° ex eo quod hoc elapſo tempore nullus verus motus aut totalis aut partialis percipiatur in utero, niſi adſit ſpaſmus ipſius uteri; 3° maſſa gravitans pondere ſuo delabitur quoverſus inclinat abdomen mulieris; 4° multò majora ſunt gravidæ molam quàm fœtum geſtantis incommoda, ut laſſitudines femorum & tibiarum, mingendi difficultas, gravitas in pelvi; 5° mammæ minus turgent, veroque lacte non ſcatent; 6° Abdomen à molâ æqualiter intumeſcit, à fœtu verſus umbilicum magis prominet, mola abſque ſocio fœtu, & ſolitaria gignitur, ſæpiùs circa ſecundum, tertiumve menſem ab utero ſpontè excluditur prægreſſis partûs doloribus. Sunt quæ utero adhærent firmiùs cæteris; ſunt quæ in annos plures utero latent.

Molæ excluſio vel medicamentis excitatur, vel arte chirurgicâ; primo modo præmiſſâ frequenti unctione vaginæ, imò ſemi-cupio & ſectione venæ pedis, purgabitur ægra, & poſt paucas horas ab aſſumpto cathartico clyſma acre injicietur, ut tormina partûs excitentur, modò metus menorrhagiæ abſit.

His irritis, maximè ſi mola utero hæreat, ſimulque os uteri paululum hiet, obſtetrix manum inſinuabit in uterum, & vel manu, vel hamulo molam extrahet.

XXVII. HYSTERALGIA; Hyſtralgia Haſſelquiſt Iter in Palæſtinam; *Dolor uteri* Auctorum; *Mal de mére, fortraiture, colique utérine.*

Nomen *Hyſteralgiæ* debetur *Montalto in Synopſi morborum*; oritur ab *hyſteros*, uterus, & *algeia*, dolor.

1. *Hyſteralgia ab hyſteroptoſi.* Claſſ. I genus 49; *Deſcente de matrice.* L.

Eſt dolor uteri ob ejus prolapſum. Vide *Hyſteroptoſim*, in *Claſſi I gen.* 49. *Vide Aſtruc. Tom. III cap.* 10.

Vide curam apud *Sydenhamum tom.* 1 *pag.* 435.

2. *Hyſteralgia ab hyſterocele*, Hippocrat. de Morbis mulierum, lib. 3. 4. 5. paſſim: *Ab Hiſteroloxia*, Claſſ. I. gen. 55. D.

Eſt ea quam inducit uteri è nativâ ſede dimotio, cui morbos plurimos hujus viſceris paſſim tribuit *Hippocrates*; ſed hi perverſi uteri ſitus, utplurimùm graviditatis ſunt comites; aſt dolores inde exſurgentes ad dyſtociam attinent, aut graviditatis ſymptomata, ut graviditatis tubalis, abdominalis, &c. *Vide Claſſem ultimam.*

3. *Hyſteralgia à menoſtaſiâ. Colicus dolor in purgatione menſtrua* River. cent. 4. obſ. 85. *Colique des mois.* D. P.

Eſt ille dolor in utero, lumbis, femoribus, qui quovis menſe à difficili aut retardato catameniali fluxu dependet, qui dolor virgines potiſſimùm ſanguineas adoritur, & ſingulis menſibus per aliquot dies eas divexat, unde etiam convulſiones excitatas vidi. Vulgò verò creditur illos dolores pendere ex diſtractione vaſorum uteri à ſanguine viſcoſo, copioſo, aut à vaſis anguſtis, ſiccis, rigidis, effluxum illum denegantibus; & reapsè raro accidit, ut is affectus mulieres quæ jam peperere, aut pluries catamenia expertæ ſunt, afficiat, niſi ob frigus ſuſceptum balneo, vento, potu, fluxus ille difficilior evaſerit.

Auxilia in hoc morbo convenientia ſunt phlebotomia in ipſo dolore, clyſmata oleoſa, anodyna, potiſſimùm verò ſemicupia tepida, infuſum croci orientalis, florum calendulæ, cheiri, potus theiformis ex foliis chenopodii Mexicani. Vide plura apud Aſtrucium *de Morbis mulier. tom.* 1.

4. *Hyſteralgia cancroſa, Cancer uteri* Aſtrucii cap. 7 tom. 3. *Cancer de la matrice.* C.

Cancer uteri occultus hunc dolorem inducit, ulceratus verò Leucorrhœam excitat dolorificam. Vide *Leucorrhœam.*

Cancer uteri occultus cognoſcitur ex dolore circa inguina, abdomen, imum ventrem, ac lumbos, necnon ex tumore duro in regione uteri ſi contrectetur manibus; qui tumor renitens, inæqualis, lancinantibus doloribus jungitur per intervalla; quem tumorem dolentem præceſſit durities ſcirrhoſa, ſimplex, diuturna; hic ſcirrhus dein expanſus eſt in tubercula inæqualia, dura, quæ etiam tactu explorantur, ſi uteri collum vel vagina afficiantur hoc

hoc morbo: tactus autem non ſecus ac motus corporis hunc dolorem exaſperant.

Sublevatur hic dolor diætâ refrigerante ex offis hordei, oryzæ cremoribus, lacte bis vel ter in die ſumpto, abſtinentiâ à vino, à ſalſis, piperatis, ab uſu veneris; ſedatur potu ex levi decocto radicum althææ, vel infuſo florum malvæ, ſeminum lini, balneis aquoſis, vel ſemicupiis, ſero lactis, juſculis ranarum, pulli, laudano liquido ſolidove quovis veſpere ſumpto. Poſſunt & injectiones demulcentes in vaginam leniter immitti ex lacte, decocto hordei mundati, infuſo florum violarum, malvæ, ſeminibus lini, mucilagine ſeminum pſyllii, ſucco ſolani hortenſis, &c: extractum hyoſcyami albi ac cicutæ non raro profuit.

Vide ulteriùs *Leucorrhœam cancroſam.*

5. *Hyſteralgia ulceroſa*, *Ulcère de la matrice*, Aſtruc. de Morbis mulier. Tom. 3 cap. 4. C.

Hæc ſpecies ferè ſemper ſtipatur ulcere interno uteri adeoque & effluxu fœtidiſſimo, ſanioſo, cruento ex vaginâ, unde morbus pertinet ad menorrhagiam ulceroſam, aut ad leucorrhœam ulceroſam; de cætero cùm præceſſerit metritis, ſeu inflammatio uteri, hyſteralgia hujus morbi ſequela habenda eſt, & eadem auxilia fermè requirit ac hyſteralgia cancroſa; ſæpiùs enim uteri ulcera cancroſa evadunt.

Apoſtema uteri deſignant metritis non reſoluta, febris exacerbans, tumor & dolor obtuſus uteri, ſudores, &c.

6. *Hyſteralgia ſcirrhoſa*; *Scirrhe de la matrice*, Aſtrucii tom. 3 cap. 5; Puzos du ſcirrhe de la matrice. C.

Cognoſcitur ex moleſtâ ſenſatione ponderis in regione uteri, ex ipſius tumore duro, renitente, tactum tolerante; maximè ſi per vaginam explorari poſſit, aut ſi uterus ſurſum propellatur digito in vaginam immiſſo, & corpore reſupinato, cruribuſque flexis; poteſt tamen confundi ſcirrhus ſi totum uterum occupet cum graviditate, ni ſigna accuratiùs inquirantur; aut cum hydrometra, cùm ſcirrhi moles eſt, notabilis dolor gravativus deorſum trahit, & ægra vix ſtare poteſt, ac imminet hyſteroptoſis, tumorque delabitur quò verſus corpus inclinat; inveteratis ſcirrhis ſuperveniunt leucorrhœa, ædematia, febris intermittens, &c. *Vide curam apud Auctores.*

Conqueritur mulier de gravativo dolore circa podicem, atque diſtenſivo circa uterum, inguina & lumbos. His admonitus Medicus palpo explorans hypogaſtrium, duritiem in eâ regione percipit, à preſſione leviter dolentem; ſi fortiùs prematur uterus, cedit & rurſùs reſtituitur; ſi in vaginam digitus immittatur, cervix uteri craſſior, brevior, aſpera, in ambitu durior, & aliquatenus dolens obſervatur.

Dolores inguinum & lumborum, ſtante muliere, graviores ſunt; accedit meiendi difficultas, acceſſus febriles, inappetentia.

Sæpiùs ſcirrhoſus evadit uterus, dum catamenia ceſſant circa quadrageſi-

mum quintum ætatis annum, cùm lac ſuppreſſum fuit puerperis, cùm ictus uterus paſſus eſt, cùm terrore ſubito fluentia catamenia ſiſtuntur.

Scirrhus incipiens vix ulla ſui præbet indicia, tunc hyſteralgia accedit, cum mole adauctâ moleſtat.

7. *Hyſteralgia pruriginoſa*, *Pruritus uteri* Roderici à Caſtro libr. 2 cap. 9. *Le Prurit de l'Uterus.* L.

Definitur ab Auctore ardens ſcalpendi, coeundique tentigo, cum maximo deſiderio & dolore, quod ſæviorem reddit affectionem; verum hæc libido intenſa ad nymphomaniam attinet: Hyſteralgia verò pruriginoſa eſt dolor potiſſimùm in vaginâ à materie acri, ſæpiùs herpeticâ, puſtuloſâ, quæ continuò ſcalpendi neceſſitatem inducit, cum rubore, ardore & phlogoſi partis affectæ; pendet à materie ſeroſâ, acri, ſalſuginoſâ, quandoque herpetica, quandoque ſyphilitica, alias cum puſtulis, alias ſine puſtulis.

Curatur refrigerantibus, ut balneis repetitis, præmiſſis juſculis ex lactucâ, cucurbitâ, ſeminibus frigidis, quibus venter pulli infarcitur, additis diureticis ſanguinem lixiviantibus, ut ſyſimbrio aquatico, cochleariâ, acetoſâ, necnon mucilaginoſis, ut ranis, cochleis, floribus malvæ, radice althææ; hæc præmiſſâ phlebotomiâ & catharſi conveniunt, noctu verò emulſiones, julapia: æſtate aquæ acidulæ Vallenſes, Aleſienſes; inter topica folia plantaginis, vitis, roſarum petala, præparata ſaturnina, &c. primas tenent.

8. *Hyſteralgia ab oſſe*, Edward Hody Philoſoph. tranſact. vol. 9. pag. 191.

Mulier quæ dudum laborabat dolore gravativo in regione uteri, necnon tuſſi, dyſpnœa, difficultate mingendi, dolore inter dejiciendas feces, erat aſthmatica à ſcirrho pulmonum, ſed præterea in utero inventa eſt ſubſtantia oſſea, cujus iconem vide ibidem *tabul. VIII. figur.* 113.

9. *Hyſteralgia febricoſa* Morton Pyretol. pag. 92. *Febris intermittens dolores partus ſimulans* hiſtor. 19. 20. &c. A. P.

Eſt dolorum, ſpaſmorum, animi deliquiorum concurſus, qualis in parturientibus obſervatur, ſed oriundus à veneno febris intermittentis, adeoque per periodos ſingulis vel alternis diebus recurrens; in gravidis abſunt lumborum uterique dolores, vomitiones, ſpaſmi, vociferationes, ſed ex recurſu periodico, ex urinâ lateritiâ, ex pulſu febrili, linguæ ſorditie, abſentiâ ſignorum partûs inſtantis, hæc ſpecies dignoſcitur.

Curatur hauſtibus febrifugis, præmiſſis phlebotomiâ, catharſi ac narcoticis pro rerum circumſtantiâ.

10. *Hyſteralgia vaporoſa. Colique hyſtérique de l'uterus.* L. P.

Sunt dolores uterini à paſſione, ut aiunt, hyſtericâ procedente, quorum duo ſunt potiſſima principia ex *Sydenhamo*, ſcilicet *menorrhagiæ* ſeu fluxus immodicus catameniorum, aut lochiorum, à partu laborioſo, necnon qui verſus quadrageſimum tertium ætatis annum, antequam catamenia recedant, ſolet accidere, & uteri *procidentia.* Diſtinguitur hæc ſpecies urinæ limpidæ copioſâ mictione, extremorum refrigeratione, animi dejectione, lachrymis & cachinnis ſe excipientibus, aliiſque hyſteriæ characteribus;

teribus; potiſſimùm verò hic morbus oritur apud puerperas à lochiorum parciori proventu & ſuppreſſione, ubi ſcilicet maturiùs aëri frigido ſe expoſuerint, de quibus omnino legi meretur *Diſſertatio Epiſtolaris Sydenhami ad G. Cole ſub finem.* In doloribus hyſtericis nil eſt utilius quàm laudanum cum duplo caſtorei, aut cum viginti guttis liquoris mineralis anodyni, aut cum tinctura ſuccini.

11. *Hyſteralgia ex abſceſſu* La Motte obſ. 57. des Tumeurs. C.

Mulier diris doloribus ab oſſe ſacro ad oſſa pubis excruciata, ſedem morbi in vaginæ fundum referebat, tactu exploratis omnibus vicinis partibus, invenit Chirurgus infra os ſacrum & è coccygis latere locum dolentem fluctuantem pollicis latitudine, quo pertuſo patella puris fœtidiſſimi effluxit, & ægra convaluit.

12. *Hyſteralgia Imprægnatarum.* L.

In felicibus graviditatibus uteri ſenſibilitas & quæ ex ejus extenſione atque catameniorum retentione oriuntur ſymptomata, utplurimùm tribus vel quatuor primis menſibus terminantur, aut maximè minuuntur, hoc ſignum eſt bonæ graviditatis, quoniam diſtenſio uteri cùm triplam acquiſivit diametrum, eſt ad ejus diſtenſionem cùm duplam obtinuit, ut ſunt diametri; interea tamen capacitas acquiſita in primo caſu eſt ad capacitatem in ſecundo, ut cubi diametrorum, ſeu ut 27 ad 8; capacitas uteri eſt ad ejus diſtenſionem in hiſce duobus caſibus ferè ut 5 ad 2, adeòque creſcit in duplo, triplove majori ratione quàm ejus dolores, ſicque ſucceſſu temporis quàm minima fibrarum ejus elongatio ſufficit ad magnum volumen utero conciliandum; ſenſibilitas eò minor etiam evadit quò majus tempus adhibetur ad diſtenſionem eamdem, & quò minor eſt diſtenſio; aſſueſcit enim his natura & ab aſſuetis non patitur.

Priora recens imprægnatarum ſymptòmata eò citiùs poſt conceptionem accidunt, quò citiùs recurrit catameniorum periodus, ea verò ſymptomata quæ ab uteri ſenſibilitate, à plethorâ, & à ſanguinis ſpiſſitudine procedunt, ſunt cacoſitia, malacia, nauſea, vomitus pituitoſus, ptyaliſmus viſcoſus, pyroſis acida, laſſitudo, hyſterica phænomena.

His ultra tres vel quatuor menſes perſtantibus aut etiam gravioribus medetur phlebotomia, alvi libertas clyſmatis concilianda, ciborum delectus.

Hyſteralgia gravidarum ſeu circa ultimos graviditatis menſes aliam therapeiam exigit.

Diſtinguitur hyſteralgia imprægnatarum à colicâ ex eo quod 1° Hypogaſtrio inſideat potiſſimus dolor; 2° quod nephralgici dolores accidant, aut lumbaginoſi; 3° quod vomitio ſe comitem addat; 4° quod clyſmata licet reddita nullum levamen afferant, diſtenſio uteri, nervorum vicinorum preſſio, incuſandæ ſunt, ut in hyſteralgiâ catameniali.

His gravidis ſuccurrunt 1° Phlebotomia; 2° Victus legitimus: 3° Exercitium moderatùm; 4° Alvi libertas.

Gravidæ verſus quartum menſem dolore inguinum divexantur noctu &

 per

per intervalla recurrente ac claudicationem inferente, quod ex ligaminum rotundorum diſtractione fit, & ſponte evaneſcit.

13. *Hyſteralgia lactea. Infiltrations laiteuſes* Vandermonde Journ. de Medec. Juill. ann. 1759 auctore D. Levret. L.

Puerperæ huic ſunt obnoxiæ à lacte ſuppreſſo, ſuffocato, ab aëre frigido ſuſcepto: raròòò nutrices hunc morbum incurrunt.

Initio dolor gravativus in pelvi & in inguinibus, debilitas in femoribus, ligamenta rotunda uteri dolent. In progreſſu infarctus femoris, cuti concolor, vix dolens, parùm prominens; creſcit tumor femoris, cùm accedit tumor ſimilis in tibia, ſed hujus tumore accedente dolor remittitur; dein pedes intumeſcunt, aſt quâ ratione tument minùs dolent quàm ante tumorem.

Fit ſtatus morbi intra octo decemve dies, & cùm declinatio accedit, intumeſcentia crurum prima recedit, dein tibiæ & ſucceſſivè pedes detumeſcunt, ut *in œdematiæ* reſolutione.

Differt œdematia lactea ab œdematia lymphatica; 1° Quod lymphatica pellucida ſit, lactea verò opaca: 2° Quod lymphaticæ ab imis partibus ad ſuperiores procedant, è contra lacteæ à crure ad tibiam, inde ad pedes ſe extendant. 3° Lactea œdematia originem habet juxta uterum, unde ad infimas partes ſe diffundit.

Curatio. Incipienti morbo ſudorifica & levia cathartica ad reſolvendum lac in maſſa ſanguinis retentum & nondùm alicubi decumbens ſunt aptiſſima remedia: verùm facto lactis decubitu ſeu partium quarumdam infarctu, ſapo cæteris medicaminibus præſtat. Cataplaſma è plantis emollientibus cum mica panis & ſapone œdemati lacteo reſolvendo convenit; ſapo in clyſmate ſolutus etiam prodeſt, nec non formâ ſemicupii in aquâ ſolutus.

14. *Hyſteralgia Lochialis; Tranchées naturelles des accouchées*, Puzos traité des dépôts laiteux, pag. 368. A.

Poſt partum naturalem accedunt tormina aliquot dies perſeverantia, periodica, in quorum intervallis puerpera perfectè quieſcit. Quilibet torminum hyſteralgicorum acceſſus definit per fluxum lochiorum vel cujuſdam grumi ſanguinis ex utero; uterus qui in dolore tenditur, ceſſante dolore remolleſcit; in intervallis, ſi paulo longiora ſunt, ſudatiunculam patitur mulier, viget appetentia & pacatè dormit.

Diſcrepat hæc hyſteralgia à metritide lacteâ vel enteritide lacteâ, 1° Quòd tormina hyſteralgica frequentiora ſint: 2° Stipata calore urenti, cephalalgiâ, ſiti, febre, doloribus vagis abdominis & lumborum: 3° Lochia magis ichoroſa ſunt ſeu fluxiliora, feroſa, fluunt magis propter irritationem quàm propter uteri conſtrictionem naturalem: 4° Lochiorum fluxus, nec ſymptomata minuunt, nec ægram ſublevant. Vide *Metritidem lacteam.*

Pro ſpecifico in hac ſpecie laudat *Baglivus* tincturam ſuccini extractam cum aquâ cinnamomi, & exiguâ doſi ſyrupi de cinnamomo: *Baglivi pag. 224.*

15. *Hyſte-*

15. *Hyſteralgia ab Sparganoſi*, *Dépôt laiteux dans l'hypogaſtre.* [Puzos traité des accouchemens pag. 356. L.

Congeſtio lactis in hypogaſtrio cognoſcitur, 1° ex eo quòd aliquot diebus à partu accidat: : 2° quòd prœludant tormina inſolita, vaga, importuna in toto abdomine, ſed ad locum fixum terminata: 3° locus ille eſt in alterutro inguine, ſcilicet in textu cellulari peritonæi, ligamentis latis vel in ovario: 4° hæc tormina nec uterum indurant, nec lochiorum fluxum excitant, ut tormina naturalia puerperis communia: 5° anorexia, agrypnia, febris vel ſynocha, vel intermittens quæ horrores pluries in die repetit: 6° circa decimum aut decimum quartum à partu diem tumor tactu deprehendi poteſt: 7° ſi hi tumores negligantur aut malè tractentur, abſceſſus his in locis funeſtiſſimi ſuperveniunt.

Dicitur hyſteralgia licet uterus non afficiatur, quia ob torminum cum uterinis ſimilitudinem facilè cum hyſteralgiâ verâ confunditur, nec eſt genus morbi ad quod initio propiùs accedat, eum autem ab initio noſſe operæ pretium eſt.

Curatur repetitis phlebotomiis, dein juſculis ex cichorio, taraxaco, chærophyllo, naſturtio aquatico, & ſale Glauberiano, unde urinæ uber proventus; clyſmata etiam interponantur, dein catharticis terminentur juſcula; identidem verò boli ex pulvere viperino, cinnabari, millepedibus & antimonio diaphoretico præſcribantur.

16. *Hyſteralgia calculoſa*, Puzos traité des accouchemens pag. 139; Mem. de l'Acad. R. de Chir. T. II, p. 130. Louis Journ. de Medec. Juill. 1759.

Calculi uteri ſunt ſæpiùs gypſei, leves, aſperi, albi; cognoſcuntur tactu, ſpecillo, excretione, ponderis ſenſu. Accedunt in quibuſdam circumſtantiis dolores gravativi lumborum, femorum, claudicatio à dolore, maximè ſi concurrat hyſterocele; *pruritus* ferinus vulvæ & inguinum juxta femora, dolores acuti febriles: *Marc. Donat. hiſt. mirab. l. 4, cap. 30. Schenck. obſ. 4. Hyſtericis* cum leucorrhœâ putri, purulenta *Act. Erud. Lipſiæ Auguſt. 1712*: calculis triginta duobus in utero, vel tubis; calculi illi diaphoretici ſunt ut Bezoarticum. *Leucorrhœa* cum doloribus lancinantibus ex ulcere à calculo uterino. *Louis ibid. pag. 134*, & leucorrhœâ purulentâ, maraſmus. *Dyſtocia* ſeu dolores ſimiles illis parturientium Parei *de Generat. l. 24, cap. 9. Hippocrat. de Epidem. lib. 5, Sect. 2. Sterilitas* ſemper comitatur hyſteralgiam calculoſam. *Dyſuria Blancardi anat. pract. obſ. 74, Philoſ. tranſact. Hody 1736. Iſchuria* à calculo uterino ſeu ab hyſterolitho. *Ephem. Nat. Cur. Dec. 1, ann. 4, obſ. 65.*

Hæmorrhois ab hyſterolitho. *Duncan. Pathol. lib. 2* utero petrificato, uteri petrificatio.

Eſt ea quæ pendet à calculo intra vaginam genito, cùm perforatâ poſt partum veſicâ, urina in vaginæ fundo fibris loriſque intercluſo ſuum tartarum deponit, inde dolores, tormina vaginæ & inceſſus difficultas. Operationem in hoc caſu neceſſariam memorat *Puzos.* Carnium vegetationem præ-

præcavent turundæ altiùs in vaginam adactæ, cùm poſt partum difficilem imminet colli veſicæ ſuppuratio.

De hoc morbo etiam videantur *Commentar. Academiæ Harlemenſis part. 3 è pag. 603.*

Curatur extractione quam natura vel ars exſequitur, cùm hiat orificium uteri aut in vaginam propendet.

ORDO QUINTUS.

Dolores externi et artuum.

Huc refero dolores mammarum, trunci, lumborum, crurum, genitalium, &c, qui ad priores ordines non facile amandari poſſunt.

XXVIII. Mastodynia; *Douleur des mammelles.*

Notabilis & conſtans ſive periodicus ſive continuus mammæ alterutrius, vel utriuſque dolor; à *maſtos* mamma & *odyne* dolor.

1. *Maſtodynia phlegmonodes* Rod. à Caſtro de mammillarum inflammatione lib. 1, cap. 16. B.

Dolor eſt mammarum cum tumore, rubore, dolore pulſatili & renitentiâ, cujus cauſa eſt impetus ſanguinis per arterias mammarias accedentis ſolito major, ejuſque actio vehementior in vaſa ſanguifera mammarum: impetus ſanguinis eſt major, quod cognoſcitur ex pulſu duro, pleno, veloci aut frequenti ſimul, unde vaſorum mammæ diſtenſio, rubor, dolor, renitentia. Actio verò major eſt ob præpeditum ſanguinis tranſitum per vaſa minima, ut cùm dolent mammæ thoracibus ferreis, arctioribus balænis cinguliſque compreſſæ, ſanguis enim retrò urgens fortiùs agit in latera vaſorum quàm ſi more ſolito in venas facilè flueret; hic morbus ſæpe preſſionibus externis, ictibus nec non plethoræ, catameniorum ſuppreſſioni ſupervenit.

Curatur 1° victu tenui ex juſculis, cremoribus, potu diluente, refrigerante, ut ptiſanâ hordei, oryzæ: 2° phlebotomiâ repetitâ ex brachio vel è pede, clyſmatis emollientibus, cathartico antiphlogiſtico, cùm ſedata fuit inflammatio: 3° topicis initio emollientibus, dein anodynis ac reſolventibus; refrigerant lintea oxycrato frigido madida, vel irrigata decocto foliorum ſeminum lini; reſolvunt levia cataplaſmata ex pulpâ eorumdem, necnon meliloti, cum farinâ fabarum, melle, aceto, croco, medullâ bovis, butyro, oleo olivarum, &c.

2. *Maſtodynia puberum* Krameri Commerc. Norimberg. 1735 hebdom. 30 § 2. B.

Om-

Omnes pueri ad ætatem 12 vel 14 annorum pervenientes conqueruntur de dolore mammarum cum tumore & pruritu; mammæ, earumque areolæ inflammantur, & dolent, atque non raró vaſa earum lactea excoriantur, & exſudant.

Cura exigit ut exprimatur ſerum albeſcens ibi latens; deinceps veró emplaſtrum apponatur. *Eſſais d'Edinbourg*, *tom.* 7, *pag.* 122.

3. *Maſtodynia Pilaris* Roder. à Caſtro lib. 4, cap. 26; *Lactis concretio*, *Febris lactea* ejuſdem; Græcis *Tromboſis*, ac *Trichiaſis*; Hiſpanis, *Pelo*; Gallis *le Poil*; Occitanis *Arcouſſel*; *Lait grumelé.* B.

Fabula eſt *Alſaharavii* hunc morbum à pilo à matre deglutito ortum habere. Dolent acerrimè papillæ cum rubore, tenſione, lactis paucâ & dolorificâ excretione, glandularum vicinarum mammæ turgeſcentiâ, necnon exiguarum glandularum areolæ dolore pungenti & nigredine; unde attactus labiorum alumni tolerari non poteſt; hi exigui acini nigri ab Occitanis *Cats négres* vocantur, & puerperas mirè diſcruciant; his adde papillarum fiſſuras cum inflammatione valdè dolentes, quibus accedit ephemera lactea horrore ſtipata, cum cephalalgiâ, ſudore caſeum acidum redolente, &c.

Hæc omnia caſeationi, vel congrumationi lactis in mammis tribui ſolent; ſed potiùs videtur inflammatio lactea, ſeu in lacteis vaſis & glandulis oborta; an ab infarctu, an ab impetu illius humoris & ſanguinis affluentis.

Curatur ut Maſtodynia polygala; ſed præterea fiſſuræ, ſeu rhagades illinuntur oleo ceræ, ovorum, mucilagine ſeminis cydoniorum, inſpergitur pulvis gummi Arabici: Adhibetur cura *ephemeræ lacteæ Claſſ.* 2ª & *maſtodyniæ phlegmonodes.*

4. *Maſtodynia cancroſa*; *Cancer mammarum* Roder. à Caſtro lib. 1, cap. 22; *Cancer aux mammelles.*

Cognoſcitur ex dolore lancinante per intervalla ab axillis, aut viciniâ ad mammæ quoddam punctum deſinente, & inſtar ſubulæ eam perfodientis, cum tumore verrucoſo, duro, profundo, initio; dein verò tumor tuberoſus, inæqualis, venæ varicoſæ, aliaque ſymptomata accedunt, de quibus vide *Carcinoma in Claſſ.* Xª.

5. *Maſtodynia polygala*; *Sparganoſis* Dioſcoridis; *Lactis redundantia* Roder. à Caſtro, *lib.* 4, *cap.* 25; *Dépot laiteux aux mammelles* Puzos. B.

Lactis abundantia in fœminis quæ pepererunt interdùm tanta eſt, ut mammæ eam ſuſtinere nequeant, ac præ copiâ diſtendantur, & incredibiles excitent cruciatus; tument, tenduntur, vix attrectari patiuntur ab alumno mammæ ſic turgidæ, unde niſi fluat ſponte lac ex papillis, id magis ac magis congeritur, & ſupervenit inflammatio, de quâ ſupra egimus.

Curatio eſt difficilior, ſi lac ſuum reſtinguere velit puerpera; facilior, ſi papillas alumno, vel catellis aut ſuctrici præbere velit aut poſſit, quod,

licet difficile ſit & dolorificum, vitari vix poteſt per aliquot dies, uſquequò lactis redundantia imminuta fuerit; interea diætâ tenui cavendum eſt, ne uberior lacti materies generetur; potu diluenti, diuretico, ut decocto radicum petroſelini ſuperfluum lac ad vias urinarias eſt deducendum, lochiorum fluxus eſt ſuſtinendus, & fovendus cautiſſimè; clyſmata ſunt repetenda, phlebotomia etiam non negligenda; extùs verò linteis calidis, cataplaſmatis reſolventibus lactis caſeatio avertenda, fluxilitas & excretio promovenda. Inter hæc præſtant mel illitum, cataplaſma ex foliis petroſelini, cicutæ, ex quatuor farinis reſolventibus; menthæ, ſalviæ, fœniculi, apii decoctum, ex quo embrocationes parantur, &c.

6. *Maſtodynia butyroſa* Vandermonde Novemb. 1758 pag. 441; D. Fuun Med. Harlemenſis.

Quadragenaria mulier poſt terrorem doloribus in utrâque mammâ vividis diù conflictata fuit; unicum levamen erat ab admoto igne, & ſimul frictione mammæ, quæ humorem flavum ſpiſſum ex papillis excernebat, quæ operatio multoties in die repetenda erat; ſanata eſt litu ex oleis aromaticis cum ſpiritu vini, ſuperappoſito emplaſtro baſilicone; demùm repetito uſu æthiopis mineralis cum gummi tragacanthâ, radice guayaci, in pilulas redacti.

Humor hic flavus ſpiſſus butyro ſimilis nomen dedit ſpeciei.

7. *Maſtodynia ex terrore* Act. Acad. Harlemenſis part. 3 pag. 31.

Mulier ex terrore percellebatur, ita ut vehementes in mammis dolores perſentiret, irritis pluribus remediis, calor carbonum ardentium cum lentâ frictione ſublevabat dolorem, quâ frictione papillæ quid viſcidi ſtillabant; mammæ vix turgidæ & tumidæ erant; dein ſpirituoſis, & emplaſtro baſilico mammis admoto dolor evanuit.

8. *Maſtodynia emphyſematoſa* Roder. à Caſtro, de flatuoſo mammarum tumore, lib. 1, cap. 17. L.

Pars cum albedine, elaſticitate & tenſione dolet ſine glandularum tumore; pulſata mamma, ſi fides ſit Auctoribus, ſonitum edit. Diſtinguitur à primâ ſpecie per albedinem mammæ; à cancroſâ maſtodyniâ per uniformem, non tuberoſum, tumorem; quodque nulla ſeorſim glandula dura ſit, ſed tota mamma æqualiter renitatur; dolor ille menſtruatione accedente augetur, finitâ ſæpiùs recedit.

Curatur remediis catamenia revocantibus, necnon topicis reſolventibus, ut decocto foliorum anethi, meliloti, chamæmeli, florum ſambuci. *Vide curam emphyſematis Iæ Claſſ. & pneumatoſis Xæ Claſſ.*

9. *Maſtodynia apoſtematoſa. Abſceſſus mammarum.* Roder. à Caſtro, lib. 1, cap. 16, pag. 111. L.

Præceſſit inflammatio quæ non reſoluta fuit, ſed exacerbata ſunt pulſatio, dolor, tenſio; dein reſedit tumor, remolleſcit, apice albeſcit, fluctuat, febris remiſſa, tunc pus in tumore genitum, quod præmiſſis cataplaſmatis maturantibus, emollientibus foras per inciſionem debet emitti, atque deterſum vulnus ad cicatricem perduci. Vide *Apoſtema in Claſſ. I.*

10. *Maſto-*

10. *Maſtodynia portentoſa*, Act. Soc. Lond. nº 52. L.

A mole mammarum, quarum altera 40, alia verò 64 libras ponderabat; hæc excreſcentia intra noctem ferè ſupervenerat. Fœminæ Toloſati à ſuppreſſis catameniis mammæ portentoſæ excreverant; ſumptis emmenagogis catamenia e naribus effluxere.

XXIX. RACHIALGIA; *Dolor colicus Pictonum* Citeſii; *Colica Plumbariorum* Ramazzini; *Colica Saturnina* Junckeri, *Damnonienſis* Huxhamii, *figula* D. Dubois ann. 1751; *Dolor colicus Pictorum* & *Figulorum* quibusdam; *Entripado* Hiſpanis; *Colique de Poitou.*

Genus novum ab *illuſtriſſimo Aſtrucio* conſtitutum eſt nomine Rachialgiæ, ab *algeia* dolor, & *Rachis* ſpina dorſi, quia dolorum principium nervis medullæ ſpinalis tribuit.

Licet autem theoria Aſtruciana nondùm ſatis ſit confirmata, non minùs retinendum eſt nomen generi huic ab aliis diſtinguendo utile, utpotè proprium.

Character hujus morbi conſiſtit in atrocibus doloribus abdominis ad lumbos & dorſum ſerpentibus, preſſione non creſcentibus, cum umbilici non rarò retractione, alvi conſtipatione, ſummâ pertinaciâ, manuum torpore, paralyſique, aliàs artuum contracturis chronicis terminantibus.

Convenit cum *hepatalgiâ* calculoſâ quod hypogaſtrium divexet maximè, & ad thoracem ſerpat, atque chronica ſit & paroxyſans; verùm Hepatalgia auriginem inducit ſæpiùs, & hepatis regionem magis afficit; colicæ ſpaſmodicæ valdè affinis eſt, & à multis pro bilioſâ & ſpaſmodicâ habetur.

1. *Rachialgia Pictonum; Malum bilioſum* ab anno 1572. ad 1606; *Colique de Poitou vegetale* C. Cl. Bonté Journ. de Med. Nov. 1761.

Eſt ea ſpecies quæ à vini, potûſque acido-auſteri fermentati, acidorumque immaturorum nimio uſu pendet.

Morbus Damnonienſis Huxhamii Londin. 1739 *Philoſoph. tranſact. Tom.* 9 *pag.* 242. A pomaceo, Gallis *Cidre*, endemiam videre *Muſgravius* & *Huxhamius : Vandermonde*, *Journ. de Med. 1758. pag.* 133: A pomaceo veteri iterum fermentato, & à vino immaturo, acido apud Pictones frequens fuit olim, obſervante *Citeſio.* A vino albo non ſatis fermentato plures Monachos hoc morbo cruciatos *Piſo*, *Sennertus*, *Citeſius*, *Crato*, *Cardanus*, *Wepferus* memorant. A ſucco citri, à ſpiritu vitrioli, à potu acido, *Ponch* dicto, ortam vidit rachialgiam *illuſtr. Tronchin*, qui tertiam Rachialgiæ ſpeciem conſtituit.

Symptomata ſunt angor ſummus, & dolor atrox epigaſtrii, pulſus debilis, inæqualis, ſudor frigidus, lingua ſordida, halitus fœtens, vomitio virideſcens, atra, pituitoſa, acida; dein alvi adſtrictio ſumma, vomitio minor, dolor quaſi nephralgicus in umbilico, lumbis, dorſo, cum ſenſu ponderis in perinæo, & urinâ, ſi flueret, craſſâ: abdomen ſpaſmodicè contractum;

dein brachia, manuſque motu carent, femora ac crura dolent, artus & inteſtina alternatim cruciantur, paralyſis, puſtulæ rubræ morbum terminant. Differt rachialgia vegetalis, quæ à pomaceo in fermentationem acidam vergente, vetuſto, ab aliis ſpeciebus, quòd abdomen à preſſione vehementer doleat, quod in metallica non accidit, quòd gradatim augeſcat morbus, ægri ſcilicet languent, pallent, facies ex flavo plumbea evadit, ſtomachus gravis eſt, dein nauſea, ructus accedunt, dolent interanea; genua, crura debilitantur; pulſus debilis, inæqualis evadit; interea vomitiones viridescentes, acidæ, amaræ, lingua ſicca, albeſcens, ſingultus; jam gaſtrodynia intenditur, inde in umbilicum ſerpit dolor atrox, umbilico minimè retracto, abdomen levem etiam preſſionem refugit, conſtipatio pertinax, dolores artubus inſident, tibias, genua cum ſtupore, brachia laceſſunt; lumbago atrox, miteſcentibus ventris doloribus; in ſtatu morbi nulla pyrexia, nec ſitis, nec delirium, niſi in ſecunda morbi periodo.

Curatio eadem ac ſpeciei ſequentis. Sedato dolore proſunt acidulæ Selteranæ, Glauberianæ martiales, & equitatio. Si aurigo ſuperveniat, quod ſalubre eſt, ſignum eſt Rachialgiæ nuptam eſſe Hepatalgiam, ob bilis coagulum ab acido. Colicæ Pictonum medetur, ſi credamus *Sydenhamio*, uſus copioſus balſami Peruviani, qui præſcribitur ad guttas xx vel xxx ſacchiari fruſtulo inſtillatus, bis terve in die; ſed pareſis huic remedio non cedit.

2. *Rachialgia febricoſa; Colica ab intermittenti febre*, Burlet de Hiſpanorum morbis 1714; *Colica Pictonum* à cauſa remota prima, Tronchin p. 45, Riverii Prax. Med. Lib. X cap. 1; *Dolor de tripas y entripado* Hiſpanis. Vid. Journ. de Med. Nov. 1761 p. 415.

Hæc eſt ſpecies quæ febres intermittentes, remittenteſve comitatur, vel preſſo pede ſequitur, ſi malè curatæ ſint; obſervata *Fernelio Patholog. lib. 6 cap. 10; Ballonio conſ. 5; Spigelio de ſemitertiana, lib. 4. cap. 13; Carol. Piſoni conſil. 3, 4, cap. 2*; Epidemica viſa ab *illuſtr. Tronchino* Amſtelodami ann. 1727. Hanc Veteres bili æruginoſæ tribuerunt; Neoterici veneno febricoſo, potiſſimùm tertianæ & hæmitritæi: aurigine ſæpius ſtipatur.

Senſus eſt ventriculi, tenuiumque inteſtinorum aſperrimus, cum alvi adſtrictione; multa inflatio accedit per totum abdomen, potiſſimùm epigaſtrii, modò cum ructu, modò cum vomitione; dolor hic diuturnus, admodùm recidivans, remediis non facilè miteſcens, in contracturas & paralyſes abire ſolitus. Poſt epidemicam Rachialgiam Amſtelodamenſem peſte ſæviorem, ſæpiùs viſi ſunt miſeri ſuperſtites veluti larvæ arte quaſi progredientes, exſangues, pallidi, manibus incurvis, pendiculis, cum voce clangoſâ, debili, nec deerant aphoni.

Ad curationem miſſio ſanguinis, fortiaque tum emetica, tum cathartica vitanda; alvus mollienda eſt fomentis extùs & balneis, intùs blandis alimentis & medicamentis, ut oleoſis, mucilaginoſis, farinoſis; adde laxantia ex mannâ, pulpâ caſſiæ cum oleo amygdalarum, ſero lactis tepido, omni

ni trihorio parcâ doſi repetitis. *Citeſius* cathartica cholagoga expertus ad leniſſima reverſus eſt : Narcoticis abſtinendum. Morbi reliquiæ ſero lactis gramineo, cichoraceis, beccabungâ, taraxaco fugandæ; demùm tonus partibus acidulis aquis eſt reſtituendus.

3. *Rachialgia metallica; Colica Plumbariorum* Ramazzini de Morb. Artif.; *Dolor cardialgicus, ſpaſmodicus à veneno* Frid. Hoffmanni T. II, pag. 257; *Colica Pictonum*, vulgò *Saturnina* Junckeri; *Colica Pictonum à veneno* Ill. Tronchin *Spec.* 2ª; *Mil-reech* Anglis, id eſt, *Vapor moletrinæ* Act. Soc. Reg. Lond.; *Colique des Peintres, de plomb, des Potiers, des Barbouilleurs.* C.

Eſt ea ſpecies, quæ oritur, 1º à vino acido interventu lithargyrii edulcorato; fraus detegitur ope lixivii alkalini, in quo diſſolutio auripigmenti bullierit; 2º ab uſu interno medicaminum ex plumbo paratorum, ut ſacchari ſaturnini ad extinguendam venerem, ad gonorrhœam ſanandam; 3º ab uſu alimentorum in vaſis ſtanno obductis, cupreis, rubiginoſis diù ſervatorum; 4º à fumis arſenicalibus quibus nulla metalla carent, cùm igne tractantur; unde Metallurgi, & qui calceorum corium cerusâ fusâ dealbant ſutores, huic ſunt obnoxii; 5º qui varia pigmenta liquefaciunt, pulverant, tractant, ore aſſumunt, ut Pictores; 6º Figuli qui vaſa terrea vitro ex plumbo obducunt; 7º ab antimonii crudi repetito uſu interno, ſi fides ſit *Ill. Tronchino, pag.* 65, imò ex cinnabari, viridi æris, colore ultramarino, aliiſque pigmentis metallicis.

Hujus ſpeciei exempla ubique ſunt obvia, Monſpelii, Nemauſi, Aleſiæ nobis obſervata.

Differt à vegetabili ſeu Pictonum, quia, non pedetentim, ſed ſubitò dolores accedunt, quòd umbilicus retrahatur initio, quòd in atroci ventris dolore preſſio abdominis dolorem non intendat, quòd in ſtatu accedant pyrexia, ſitis, delirium.

In hac ſoli artus ſuperiores, inferiores nunquam, paralyſi & ſtupore tentantur, ſæpiùs umbilicus retrahitur, feces in ſcybala indurantur, ægri pallidi, tremuli, debiles fiunt.

Duplex autem eſt curandi methodus; 1ª ab *Ill. D. Dubois* in Noſocomio Charitatis Pariſienſis frequentiſſimè adhibita, & dudum multis ſucceſſibus firmata, docente *Illuſtr. Bouvart*, qui ex ſexaginta ægris, quinquaginta novem ſanari aſſerit; eſt methodus Draſticorum.

Æger adveniens ſumit clyſma ex decocto drachmarum duarum ſennæ & pulpæ colocynthidis, cui adduntur diaphœnici drachmæ ſex, benedictæ laxativæ ſemiuncia, mellis mercurialis unciæ duæ, & ſæpè vini emetici unciæ etiam duæ. Poſt ſeptem horas injicitur alterum clyſma ex olei nucum & vini rubri ana unciis ſex; die ſequenti tartari ſtibiati magna doſis, vulgò ad grana quatuor, præſcribitur; ſtatim ab actione emetici datur theriacæ recentis ſemidrachma cum laudani grano; die verò tertiâ repetuntur clyſteres; dein purgatur æger ex diaphœnici ſemiuncia, diapruni drachmis duabus, ſyrupi de rhamno uncia, apozematis ſequentis unciis ſex. Apozema fit

ex cuſcutæ, polypodii & ſennæ ana unciâ unâ, ſeminum aniſi, & cremoris tartari ana drachmis duabus, bulliant in aquæ libris duabus ad uncias viginti; veſpere hujus catharſis repetatur narcoticum; ſuſtineantur hæc medicamina ope ptiſanæ ſudorificæ, ac potûs cardiaci cum lilio Paracelſi, maximè ſi dolores ſuperſint, aut immineant, vel ſuperveniat paralyſis. Hæc methodus intra ſeptimanam omninò ſanat, & ſi epilepſia, paralyſiſve nondum acceſſerint, eos morbos prævertit, ſi ſanatio imperfecta ſit, iteratur partim vel omninò methodus, ipſiſque atrocibus abdominis doloribus ſævientibus hæc draſtica uſurpantur. Intra 23 annos *D. Burette* 1200 ægros hac methodo curavit & omnes exceptis 20 liberavit.

2° Altera methodus *lenitiva* eſt, quæ in ipſo Noſocomio Charitatis ab *Ill. Bordeu*, Viennæ ab *Ill. De Haen*, & Monſpelii, occaſione tamen rarò datâ, ab omnibus Medicis uſurpatur. In hac præſcribimus oleum amygdalarum ad uncias plures in die, clyſmata oleoſa, fomenta emollientia, narcotica, levia laxantia, ſerum lactis & ſopito dolore aquas ſulphureas tùm thermales, tùm acidulas; aſt à phlebotomiâ ſaltem repetitâ eſt abſtinendum, quam exhorrent qui methodum draſticam ſectantur. In ſecundâ periodo morbi hæc methodus à *Cl. Bonté* ſola laudatur, in primâ verò draſtica.

Mira certè opinionum de morbi cauſâ, & methodorum circa therapeiam repugnantia; in aliis morbis ſaltem acutis quæcumque ſit methodus, natura non rarò morbis medetur, aſt in hoc morbo ſolius naturæ vires non ſufficiunt, & methodi licet omninò oppoſitæ morbum tollunt: in hoc certè ovaret magnus Medicinæ adverſarius *Michael de Montagne*, qui in omni morbo methodum Medicis acceptiſſimæ oppoſitam æque ſucceſſuram eſſe contendebat.

Hujus varietas eſt.

a *Rachialgia Saturnina*; *Colica Saturnina* Ilſemanni, 1752; Zeller; Docimaſia vini lithargyrio mangoniſati Tubingæ 1707; *Colique de plomb.*

Quotquot hoc vinum biberant conſtrictionem gulæ & dolorem ventriculi ac præcordiorum patiebantur, quibus acceſſit colica circa ventriculum & umbilicum, hinc & excrementa in ſcybala cogebantur; conquerebantur multoties de flatibus moleſtis, qui tamen nec ſurſum nec deorſum efflabantur, acceſſit vehemens mingendi conatus, inanis, & teneſmus; urina pene tincta erat, ac continuò turbabatur; pulſus erat durus & tardus, æqualis tamen; flaveſcebat album oculorum, genæ ſolæ rubebant, facies cætera virorem judaicum præ ſe ferebat; ſicceſcebat os, ac vomituriebant; anxii inſigniter toto temporis decurſu erant, quam anxietatem adauxit horrida & inſignis cordis palpitatio.

Potiſſima cura mali recentis & primorum ſymptomatum conſiſtit in vomitoriis, purgantibus, oleoſis, lacte diù continuando, terreis ex bolo armenâ, terrâ ſigillata, oculis cancrorum, balſamo peruviano & vulnerariis. Lixivium calcis vivæ cum auripigmento ſumatur, ejus guttæ ſex in vini mangoniſati unciâ affundantur, vinum turbabitur, & atramentoſum colorem adipiſcetur.

Vel

Vel olei vitrioli guttas decem affunde vini unciis tribus, vinum lithargyrio mangoniſatum inſtar ſeri lactis albeſcet. Vide *Williſium, pharmac. pag.* 471.

4. *Rachialgia arthritica* Aſtruc. theſ. de Rachialgia pag. 9; Tronchini *Colicæ Pictonum ſpecies* 4^a^; Zelſt de podagrâ 1738. C.

Ea eſt quæ cum arthriticis paroxyſmis alternat, in quam ſcilicet arthritis ſæpè terminatur, quâ reviviſcente tollitur rachialgia: *Hippocrates libr. 6. epidem.* hanc alternationem dolorum articularium & inteſtinalium obſervavit, deinceps memorarunt *Andreas du Laurent, quæſt. anat. lib. 4. quæſt. 8, Roder. à Fonſeca, Mercurialis, Muſgravius*, &c. De Rheumatiſmo verò idem dicendum ac de podagra.

Si æger plethoricus vegetuſque ſit, phlebotomia præmittatur; cave ab acribus catharticis, maximè ab emeticis; ſuris apponantur veſicantia, & plantis pedum cucurbitulæ ſiccæ, dein emplaſtrum de galbano, fomentaque tepida ſuris & femoribus ut materies arthritica deorſùm vergat; molli culcitrâ, ſiccâ, tepidâ, ex floribus chamæmeli & ſambuci farctâ foveatur abdomen; poſt lene clyſma hydrogala, vel lac purum ſæpiùs ſumatur, exinde ſalus ſpectetur; ſedatis doloribus vino generoſo vires refocillentur; equitatione, veſtibus hiemalibus corpus firmetur: hæc *Tronchin.*

a In Cœnobio Savigny incipiebat morbus à cardialgia gravativa poſt cibum creſcente, digeſtione tarda, moleſta; ſuccedebat alvi conſtipatio, feces duræ, ſiccæ, nigræ, tum pyroſis & triſmus cynicus, ſeu ridendi cupiditas à titillatione cardiæ accedebat, mox ſenſatio ſtomachi ſurſum violenter diſtracti; inde dolor atrox epigaſtrii quaſi à ſtomacho intorto; inteſtina videbantur ſurſum revulſa, abdomen durum, tenſum, planum, quaſi vertebris adhærens, omnes muſculi dolebant quaſi divellerentur; poſtea atrociores artuum dolores accedunt, quaſi cubiti, genua, crura lacerarentur. His ſuccedit impotentia artus movendi cum ſenſu tactûs imminuto, dolore ad ſtomachum redeunte; pectus etiam doler, ſternum confractum videtur, vix plumæ attactus toleratur, uſtio eſt lenior hoc dolore*: urinæ paucæ, alvus conſtipata, pulſus ſanus eſt niſi typhus ſuperveniat.

An hæc ſpecies tribuenda eſt tartaro pomacei quo utuntur Normanni eoque non ſatis à doliis deraſo? An quod fructus immaturi ſervantur in cellis ſubterraneis nitro murario fœtis.

Curatur feliciter hæc ſpecies clyſmatis emollientibus, julapiis antiſpaſmodicis ſimul & anodynis, demum balneis; ſed artus debiles, dolores arthritici periodici, ſtomachi debilitas rarò tolluntur. Hæc *Ill. Marteau* Journ. de Med. *1763 Juill. 1764 Janv. p. 45: Vide Nov. 1761. p. 415.*

b *Rachialgia arthritica*, Cl. Strack. C.

Ab arthritide vaga ſeu rheumatiſmo arthritico pendet hic dolor atrox, abdomen aliaſque trunci partes infeſtans, qui Rachialgiæ ſaturninæ omninò ſimilis eſt, eo diſcrimine quod rarius pareſim & epilepſiam inducat;

pare-

pareſim dico, ſeu motûs abolitionem in artubus, ſenſu eoque dolorifico, ſuperſtite.

Hæc arthritis vaga cognoſcitur ex doloribus & tumoribus quos in diverſis corporis partibus excitat, huc & illuc diſcurrens: miaſma verò arthriticum omnes ferè corporis partes, internas externaſve, obſidet, unde ſuperve niunt carus, peripneumonia, pleuritis, aſthma; ſed ſi viſcera abdominis afficiat, inde ſuccedit Rachialgia arthritica, cujus hæc ſunt ſigna.

Dolor atrox citra febrem & inflammationem, pulſus parvus, lentus, vel exiguus & frequens, color faciei flavus aut olivaceus, oculi depreſſi; præceſſerunt dolores obſcuri artuum, vel laſſitudines à levi labore, ſomnus non ſublevans, ſudor cum ſenſu uſtionis aut vellicationis quaſi electricæ, vel præceſſerunt puſtulæ exiguæ, numeroſæ, pruriginoſæ, in ſquamas faceſcentes, ſtranguria ſine cauſa manifeſta, urinæ limpidæ, quandoque albeſcentes ſeri lactis inſtar, cum ſtriis ſebaceis; hæc ſunt ſigna certiſſima Rachialgiæ arthriticæ.

Curatio conſiſtit in uſu balneorum domeſticorum, vel thermalium ſulphureorum, uſu interno antimonii crudi in alcohol redacti ad grana ij vel iij, & decocti ex lignis ſudorificis; verùm balnea non juvant niſi plurima, ut quinquaginta vel centum, quæ quotannis ſunt repetenda.

5. *Rachialgia ab adiapneuſtiâ. Colica Pictonum ab impeditâ perſpiratione* Ill. Tronchin Spec. 5. *Colica Surinamenſis* Herbert. apud Tronchin, Foreſt. obſervat. lib. 21 obſerv. 15; *Colique de Surinam.* C.

Ea eſt quæ à perſpiratione impeditâ, frigoreve ſuſcepto producitur, & in epilepticos inſultus, vel in paralyſim degenerat. Familiaris eſt Surinami, ubi licet ſummus calor interdiu incolas reſolvat, noctu venti frigidi incautos & frigoris avidos carpunt. Leniſſimis oleoſis eccoproticis inſiſtendum, mollia enemata ex infuſo florum chamæmeli paranda, opium cum pari camphoræ doſi, ſi urgeant dolores, adhibendum, cum largo potu ex infuſo ligni ſaſſafras; curam abſolvunt thermæ ſulphureæ.

6. *Rachialgia ſcorbutica* Illuſtr. Tronchin. ſpec. 6ª & Eugalen. de Scorbuto, artic. 17, 24. C.

Sed *Eugaleni* fides meritò multis ſuſpecta eſt, adeoque ſolis obſervationibus *Ill. Tronchini* innititur: Hæc ſpecies à *Lind.* minimè recenſita. *Frid. Hoffmannus* colicam ſcorbuticam memorat; ſed rachialgiam in genere hoc nomine tantùm deſcribit, non verò ſpeciem diſtinctam; Veteres huic morbo nomen colicæ glorioſæ impoſuerant.

In hac ſpecie præter dolores abdominis atroces, dolent brachia, cæterique artus per intervalla, ac demùm ipſi artus reſolvuntur, aut ſpaſmis tentantur, ſi fides *Eugaleno*; ſed verius eſſe puto quod vidit *Illuſtr. Tronchin*, ſcilicet extremos artus potiſſimùm pedes & tibias nigreſcere, indureſcere, inſtar piſcis ſole indurati, ut ipſe vidi; ſudor ſponte prorumpens ſalſus abit etiam in cryſtallos digitis friabiles, ut vidit citatus Auctor in quodam qui ſale marino abuſus fuerat.

Fu-

Fugienda phlebotomia, alvus blandis oleoſis laxanda, antiſcorbutica adhibenda, aquæ chalybeatæ juvant.

7. *Rachialgia traumatica*. Vid. Diſſert. Ill. Aſtrucii, & adjunctam hiſtoriam; item, Journ. de Medec. Juin 1760, ubi duæ hujus ſpeciei proſtant obſervationes. D.

Ea eſt ſcilicet rachialgia, quæ ex ictu ſpinæ dorſali inflicto ortum ducit. Conſtat autem multiplici obſervatione homines ex hoc principio rachialgicos evaſiſſe, ſeu ventre, epigaſtrio deinde, admodum doluiſſe, ac artuum reſolutionem paſſos fuiſſe cum alvi conſtipatione, ſcybalorum induratione, aliiſque rachialgiæ ſymptomatis aptè ab *Illuſtriſſ. Aſtrucio* explicatis. Contendit ſcilicet *Ill. Auctor* labem eſſe in medullâ ſpinali compreſſâ, obſtructâ, unde paralyſis artuum ſuccedit; dolent quidem interanea, quia origo nervorum in medullâ afficitur, & ſenſatio ad extremos nervos refertur, ut accidit apud eos qui cum artûs amputationem dudùm paſſi ſunt, interea ob pulſationem arteriæ vicinæ reſectæ, & nervum impetentis, dolores manûs aut pedis dudùm ablati perſentiunt; non mirum, ait, etiam ſi cùm acerrimè dolent interanea, abdomen manibus premi poteſt, ac contrectari ſine ulla doloris exacerbatione, ſi inteſtina atona & motu periſtaltico orbata alvi excretionem remorentur. Hinc & rachialgiæ nomen à Græco, *rachis*, ſpina dorſi, & *algeia*, dolor. Vide *Quæſtionem medicam Illuſtr. Aſtrucii*, *an morbo colicæ Pictonum*, *rectiùs rachialgiâ dicto*, *Venæſectio? ann.* 1750.

D. Privat D. Med. Aleſienſis meritiſſimus, curabat puellam, quæ cùm horrendâ gaſtrodyniâ laboraſſet, per trihorium ſubitò incidit in paraplegiam, quâ omnes partes collo ſubjectæ ſenſu, motuque orbabantur; inſpecto collo obſervavit ultimam colli vertebram prominentem, ita ut infra illam notabilis foret fovea, unde hujus ſubluxationem adeſſe cognovit; puella ultra duos menſes ſupervixit. Gaſtrodyniam magnus vomendi conatus comitabatur, & hanc luxationem ab hiſce validis conatibus ortam fuiſſe, non inanis fuit ſuſpicio; obortâ paraplegiâ ſtatim ceſſavit dolor, ut in rachialgiâ ſolemne eſt.

8. *Rachialgia oſteoſarcoſis.* Benjamin Gooch, Caſes of Surgery, pag. 178. ann. 1758. Sylv. Bevan Tranſ. Phil. n. 474, morbus à diabete incipiens, corpore ſeptemdecim pollicibus decurtato. C.

Eſt morbus cujus præcipua ſymptomata ſunt dolores totius corporis, præcipuè vertebrarum lumbarium, cum ſucceſſivâ oſſium omnium diſſolutione, flexilitate, & corporis decurtatione.

Fœmina, ſana hactenùs, ritèque menſtruata, trigeſimo ætatis anno dolores univerſi corporis cum pyrexiâ experiebatur, dolebant potiſſimùm extrema corporis, poſt novem menſes crura fracta, flexilia, cum ſignis ſcorbuti; per quadriennium ſubſequens diſſolvebantur cætera oſſa cum dyſpnœâ, gibboſitate, dolore ad vertebras, corporiſque decurtatione.

In cadavere viſcera ſana, pulmonibus tantum & corde flaccidis, oſſibus omnibus, præter dentes, remollitis; diſſolutio in oſſibus cylindricis ab internâ

parte inceperat, oſſa cultro non magis reſiſtebant quàm muſculi. Varia medicamina imprimis chalybeata ſine fructu adhibita; corpus viginti ſex pollicibus decurtatum eſt. Vide hiſtoriam dum de Aſthenia ab oſteo ſarcoſi.

XXX. Lumbago. *Mal des reins.*

Eſt genus morbi dolorifici cujus præcipuum ſymptoma eſt moleſtia ad lumbos relata, cum trunci erigendi difficultate.

Ægri dicuntur *lumbaginoſi*, *elumbes*, Gallicè *éreintés ou érenés*; morbus Græcis *lordoſis*, *oſphialgia*, &c: *Aſphialſia* Riolani, *Iſchias* Archigenis.

Differt à nephralgiâ ex eo quod nauſea, ureterum dolor, teſtium, femoriſve ſtupor, urinæque vitia deficiant; à colicâ quòd dolor ad partem poſticam corporis referatur, nec ab alvinâ excretione tollatur, aut mitigetur; non rarò cum iſchiade conjungitur, truncumque ſæpè incurvat, unde aliis *curvatura* lumborum vocatur.

1. *Lumbago rheumatica* Sydenhami pag. 170, Juncker. Tabul. 19; *Maclet* Helvetorum. L.

Eſt vehemens lumborum dolor, in quo æger ſemel flexum truncum erigere non poteſt, quin lumbos ſibi rumpi videatur; qui dolor nec tactu exacerbatur ut traumaticus, nec calore lecti recrudeſcit ut ſyphiliticus, ſcorbuticuſque, quique cruſtam albam gelatinoſam in ſanguine extracto comitem habet: adde quod artus utplurimùm ſimili dolore vago affecti ſint.

Curatur repetitis phlebotomiis; diæta tenui initio, dein victu emolliente, refrigerante, leviter diaphoretico. Hic morbus muſculos extenſores dorſi afficit.

2. *Lumbago arthritica*; *Oſphialgia* Hippocratis; *Goutte aux lombes*, *Goutte aux reins* de Meyſerey *n.* 338.

Eſt ea ſpecies quæ arthriticos infeſtat, quæque procedit ex materiâ tartareâ vertebrarum ligamenta, & perioſteum laceſſente; ea preſſione exacerbatur.

Spinam dorſi, & ſæpiùs os ſacrum afficit; exigit eadem auxilia quæ arthritis.

3. *Lumbago plethorica* Frid. Hoffman. Tom. II. pag. 297; *Lumbago hæmorrhoidalis* Junckeri; *Catamenialis* Hippocratis: *A fluore albo* Frid. Hoffmanni: *A tubo intra muſculos effuſo*, Baglivi de fibr. motr. p. 303, 304.

Eſt illa ſpecies quæ à ſuppreſſâ ſanguinis ſolitâ evacuatione dependere putatur, ut à catameniis retentis, hæmorrhoidibus ſuppreſſis, à fluore albo repreſſo. Sunt qui contendunt à veneris abſtinentiâ ſimilem morbum induci.

4. *Lumbago febrilis* Moroni Director.; *Varioloſa* Mortoni. pag. 48. 190. & 74 Pyretol. Mercurial. p. 186.

Eſt

Eſt utplurimùm ſymptoma morborum febrilium & phlegmaſiarum ineuntium, ſed fugax, quod tamen morbos quoſdam preſſiùs ſequitur, & diſtinctiùs deſignat. Sic variolam in adultis initio comitatur lumbago gravis cum nauſeâ ; in infantibus cum ſomnolentiâ.

5. *Lumbago ſcorbutica* Eugaleni apud Sennertum de Scorbuto ; Lind. de Scorbuto. A.

Eſt dolor lumborum à quocumque exercitio recrudeſcens, noctu etiam ſæviens, in ſecundâ & tertiâ potiſſimùm ſcorbuti periodo accedens, minùs mobilis quàm cæterarum partium, cum urinis paucis turbidis, fœtidiſque, ſæpè œdemate tibiarum, laſſitudine, facie decolore, &c.

Nocent phlebotomiæ, juvant antiſcorbutica, lac, &c ; prodeſt unciam oxymelitis ſcillitici intra diem aſſumere, & partem dolentem fovere lixivio cinerum vulgarium incoctis floribus chamæmeli, ſambuci, abſinthii, rutæ & cortice limonum.

6. *Lumbago pſoadica*, Obſ. Lamothe, Chirurgo Normanno Valognienſi. A.

Aliquoties is Auctor obſervavit lumbaginem illam ſingularem quæ pendet ab inflammatione & ſuppuratione muſculi *pſoas* dicti. Pſoas major oritur ex lumborum vertebris, & femori inſeritur. Pſoas minor oritur ex latere ſupremæ vertebræ lumborum & oſſi pubis inſeritur. Pſoas major flexor cruris ſæpiùs in hoc morbo afficitur, & inde fit ut ægri nunquam poſſint in hoc morbo femur extendere, quod eſt ſignum hujus ſpeciei pathognomonicum. *Lamothe*, præter remedia generalia, ſuadet, ut vulnere abdomini inflicto, culter uſque ad hunc muſculum, prægreſſâ inflammatione abſceſſu tentatum, deducatur ; nec ulla alia via tutior videtur ad pus educendum, quo ægri vita ſeriùs ociùs tolletur, ſi in abdomine pus illud lateat.

7. *Lumbago partûs. Douleur d'accouchement.* A.

Licet ille dolor lumbos graviter afficiat in gravidis, non minùs verum eſt quod ad hyſteralgiam attineat, quippe pendet à diſtractione ligamentorum latorum, quæ pelvi utrinque annexa peritonæum lumbis applicatum, valdè diſtrahunt, cùm uterus contrahitur ad fetum foras expellendum ; illi verò dolores per intervalla ſucceſſivè frequentiores recurrunt, intervallis lucidis etiam ſomnum quandoque permittentibus, ſimulque in quolibet dolore & conamine comitante orificium uteri dilatatur. Hic verò dolor id habet ſingulare, quod parturiens eo tantùm ſublevetur, ſi magnâ vi ejus lumbi comprimantur faſciâ circumductâ lumbis & antrorſum tractâ ſimulque pugnis verſus lumbos fortiter appreſſis ; demùm ſuperveniente genuum tremore, crepat corium, aqua ubertim ex utero erumpit, fœtus prodit in lucem, & dolores illicò tolluntur, nullo alio auxilio ceſſuri nec impugnandi.

8. *Lumbago à ſaburra* Baglivi de fibr. motric. Lib. I, cap. X, pag. 345 meſenterica, id. p. 94, 95. De Meyſerey n°. 401.

Eſt ea quæ à cacochyliâ in meſenterio, ut ait ille, collectâ, eaque

S 2 crudâ

crudâ oritur; hujus & aliarum ſpecierum innumerarum poſſibilitas, quæ vulgo Medicis ſufficit, non mihi ſatis eſſe videtur; requiruntur obſervationes fidæ, quibus earum exiſtentia comprobetur.

Cognoſcitur ex longa alvi ſuppreſſione, ſapore linguæ mutato, levi inappetentia, gravitate totius corporis, lumborum calore ac dolore; hanc tribuit *Baglivi* repletioni meſenterii à congeſta putri cacochylia & crudis humoribus in ejus glandulis. Meſenterium ſic affectum mentitur lumbaginem; Romani hanc ſpeciem impugnant refrigerantibus, emulſi vis, unde morbus augetur. *Baglivi* à clyſmatis & fomentis curam orditur, & catharticis dein abſolvit.

9. *Lumbago miliaris* Allione de Miliari.

Hic dolor eſt ſæpe ſymptoma miliaris eruptionem antecedens, quod combinatum cum crampo, odore acido, pyrexiaque poteſt morbum eruptурum patefacere, unde ſublevatur lumbago.

10. *Lumbago à niſu. Effort des reins. Reins entr'ouverts Ruſticorum.* B.

Ex venere nimium exercitatâ, maximè ſi pedibus inſiſtens vir eam ſæpiùs exerceat, ſæviſſimæ lumbaginis incurritur periculum cum atrophiâ ſemiparalyticâ femorum, unde lecto dein affigitur æger & exſolvitur: *Tiſſot de manuſtupratione pag.* 222.

A ponderum geſtatione, elevatione, vehementes quandoque ſuperveniunt lumbagines, verùm ſæpiùs ideo dolent lumbi, quia antea rheumatico infarctu ſunt affecti, & perperam his niſibus dolores tribuuntur.

Ab Equitatione ſuccuſſante inaſſueti lumbaginem incurrunt, quæ ſequenti die ſævit magis quàm primâ: pars dolens à tactu vel preſſione læditur. Illæ omnes lumbagines rarò phlebotomiam exigunt, ut plurimum quiete & calore lecti evaneſcunt: interea fomenta reſolventia & anodyna ex decocto florum meliloti & chamæmeli opem ferunt. Extenſores lumborum ſcilicet ſacrolumbaris, longiſſimus dorſi, & ſemi-ſpinoſus ſunt diſtracti & contuſi in his conatibus; quod ex horum muſculorum ſitu & origine ac inſertione cognoſcitur.

Ballonius & *Baglivi* quandoque obſervarunt in gravi lumbagine à niſu oriundâ cruorem intra muſculos effuſum, qui fluctuatione ſine præviæ ſuppurationis ſignis cognoſcitur, & lanceolâ adactâ foras educitur.

11. *Lumbago ab aneuryſmate* Auberti in Boneti Sepulchreto Tom. 2, pag. 573, obſ. 35. C.

Hæc aneuryſmata vertebras erodere conſueverunt, & demùm rupta mortem ſubitaneam inferunt. Dolor pulſatilis, qui arteriarum pulſationi reſpondet, ſine inflammatione, hujus ſpeciei ſignum eſt.

12. *Lumbago apoſtematoſa* Riverii obſervat. 2 miſſa à Franc. Chomel.

Eſt illa quæ ab abſceſſu lumborum procedit.

13. *Lumbago Sympathica* Boneti obſerv. 41, 42, &c.

Eſt illa ſpecies quæ à viſcere quodam vicino læſo oritur ob nervorum communionem; & quæ talis ante mortem ægrorum viſa eſt Medicis. Tales ſunt ſequentes.

A-

A Meſenterii glandulis induratis, Warthon Adenograph.

A pancreate tumido, *purulento*, *ſcirrhoſo*, *putri.*

Ab induratis pyloro, *venâ cavâ*, *pancreate.*

A rene ſcirrhoſo, *putrefacto*, obſerv. in Bonet. Sepulchret. 42.

Ab abſceſſu circa venæ cavæ biſurcationem, obſ. 43.

A vermibus intra renes, Additamenti obſ. 2.

14. *Lumbago ab hydrothorace* Morgagni Epiſt. XVI, 38, 41, Boneti Sepulchr. Tom. 2, Obſ. 60, § 3.

Eſt dolor in lumbis, quem preſſioni ab aquis in hydrothorace, potiſſimùm in pericardio, contentis adſcribendum cenſet *Morgagni;* nulla alia erant ſigna hydrothoracis, præter rheuma, febrem & pulſum humilem; dolor autem ad ſpinam dorſi in lumbis referebatur.

15. *Lumbago à ſatyriaſi*, D. Hatté Journ. de Med. Fevr. 1755 pag. 110; *Satyriaſme.*

Vir venere ter quaterve in die utens, in maciem & debilitatem eam devenit, ut auxiliis medicis indigeret; præcipuum ſymptoma erat dolor ſpinæ dorſalis vividiſſimus à medio dorſi ad coccygem cum tumore, quos dolores ut ſedaret æger procedebat flexis omnino genubus ut ſuras ſuas manibus ſuſtineret: nulla gonorrhœa, nulla dyſuria, nec tremor manuum, nec cephalalgia gravativa; hic morbus ſucceſſerat ſatyriaſi, ſeu inexplebili coeundi deſiderio cui indulſerat, & ſanata lumbagine ſatyriaſis revertebatur.

Curatur phlebotomia, fomentis emollientibus, emulſionibus; hæc ſpecies vocatur *lumbago*, & *quarta ſpecies tabis dorſalis* à *Ronſæo* apud *Sennertum de tabe.*

16. *Lumbago pſeudoiſchuria.* Vide Iſchuriam nephriticam.

17. *Lumbago ab arthrocace* Cl. Perrault Journ. de Med. May 1757, pag. 389.

Dolor aſſiduus dorſi, inde trunci inflexio, gibboſitas. Secto cadavere aliquot vertebræ dorſales putridæ, perioſteum pure inodoro farctum, cartilagines ſolutæ, ſpina medullaris ſuppurans.

XXXI. ISCHIAS; *Dolor iſchiadicus* Sennerti; *Iſchiagra* Schneideri; *Dolor coxendicus* Boneti; *Malum Iſchiadicum* Nenteri; *Morbus coxarius* de Haen; *Sciatica* Barbaris; *la Sciatique.*

Morbus eſt cujus præcipuum ſymptoma eſt dolor conſtans, ſæpiùs diuturnus, coxendicis; ſive oſſi ſacro & oſſibus pelvis, ſive articulationi femoris cum illis oſſibus, ſive muſculis cruris & tibiarum inhæreat juxta faſciæ latæ extenſionem, quod ſæpiùs accidit; inde verò progrediendi, imo ſtandi difficultas, claudicatio, &c. Ab hyſteralgiâ non raro difficulter diſtinguitur.

1. *Iſchias intermittens* Eſſais d'Edinbourg, Tom. VI, artic. 49, pag. 143. L.

Eſt ſpecies quæ à febrili fermento intermittentium, ut quotidianæ, tertianæ, producitur, & quotâ, tertiâ vel quartâ quaque die horâ datâ accedit, cum febre, deinceps verò recedit cum ſudore.

Puerpera loci paludoſi incola, cepit laborare dolore circa os iſchium qui ad vaſtum externum extendebatur, quique ſingulis diebus determinatâ horâ redibat, cum magnâ pyrexiâ ſudore terminandâ, quo peracto bene ſe habebat & ab omni morbo immunis videbatur.

Sumpto emetico & adhibitis catharticis ad uſum kinkinæ deventum eſt, additis elixirio vitrioli & antiſpaſmodicis, nec non emplaſtro veſicatorio cruri appoſito, convaluit. Hæc *Duncan Baine.*

2. *Iſchias ſanguineum* Bonet. Sepulchret. obſ. 13; *A ſanguine* Moroni director. L.

Iſchias non rarò accidit mulieribus à ſuppreſſis catameniis, lochiisve, & viris à ſanguine hæmorrhoidali retento, quod principium in omni iſchiade incuſant Stahliani.

Differt ea ſpecies à Rheumaticâ, quia ſanguis gelatinâ albâ Rheumaticis familiari non eſt tectus in patellâ, cùm plethora peccat tantùm; curatur verò phlebotomiis & victu tenuiori, ut notat *Bonetus.*

3. *Iſchias Hyſtericum* Raulin des Maladies vaporeuſes chap. 8; Sydenham. pag. 132, Tom. I, de colica bilioſa. L.

Diſtinguitur ab aliis 1° ex cognita hyſtericâ diſpoſitione ægrotantis; 2° ex eo quod fugax ſit, ſubitò accedens & ſubitò ſine cauſâ evidenti recedens; 3° ex teneritudine partis quæ recedente dolore tangi vix patitur.

Panni fumo ſuccini imbuti calidè applicati conducunt, nec non narcotica tincturæ caſtorei juncta intus ſumenda; juvat illico electriſatio.

4. *Iſchias Gravidarum* Mauriceau lib. 1, chap. 17; *Douleur des cuiſſes & des jambes.* L.

Eſt dolor crurum & tibiarum cum harum partium œdematiâ, & varicibus, ultimis graviditatis menſibus creſcens, ſtantibus major quàm jacentibus, veſpere quàm mane, ex denegato ob iliacarum venarum preſſionem ſanguinis reditu.

Varices minimè aperiendæ citra magnam neceſſitatem, ſed molliter reprimendæ faſciis obliquè circumvolutis; ab ambulatione abſtinendum, & ſæpiùs decumbendum; vino aromatico fovendæ partes tumidæ. Sæpe illa œdematia ante partum evaneſcit, & eſt illis maximè familiaris quæ gemellos geſtant. Vide etiam hyſteralgiam imprægnatarum, quæ cruris dolorem & ſtuporem inducit à ligamenti rotundi alterutrius diſtractione; phlebotomia è brachio & ſitus conveniens ægræ his morbis opitulantur.

5. *Iſchias ab Sparganoſi. Dépot laiteux à la cuiſſe.* Puzos Mém. ſur les dépots laiteux, pag. 350, Levret Journ. de Med. Juill. 1758, pag. 80. L.

Sparganoſis ex *Dioſcoride*, eſt lactis redundantia & inde ejus deviatio in alias partes.

Hic

Hic morbus circa decimum quartum à partu diem, apud mulieres lacte redundantes quæque lac ſugendum non præbent alumnis, indicia ſui præbet à dolore inguinis unius lateris juxta tractum vaſorum cruralium protenſus, cum funiculi horum vaſorum intumeſcentiâ, accedit progrediendi difficultas, dolor ex femore ad poplitem, inde ad ſuram atque ad pedem ſerpit: œdematoſus verò tumor creſcit quandoque ita ut volumen extremitatis inferioris ſit duplo majus quàm in ſtatu ſano.

Œdema ſeroſum diſtinguitur à lacteo quod ſeroſum ſeu vulgare incipiat à pedibus, ſenſim ſurſum aſcendat ſine dolore, amboſque pedes invadat; lacteum alterutri cruri inſidet, dein deſcendit & dolore ſtipatur initio, gravidaſque vel puerperas tantùm afficit.

Hic dolor curatur 1° phlebotomiâ unâ, alterâve; 2° catharſi; 3° calore aſſiduo partis & corporis; 4° topicis reſolventibus diu applicatis, ut decocto herbarum emollientium & reſolventium addito vino albo, aquâ vitæ, ſale ammoniaco; embrocationes ex ſapone & butyro, oleum amygdalarum amararum cum ſpiritu vini, balſamum Fioraventi, frictiones ſiccæ repetitæ &c. adhibentur, & ſi ſanato crure alterum afficiatur, ut ſæpiùs accidit, iterantur eadem auxilia.

6. *Iſchias ex abſceſſu* River. obſerv. 53, centur. 2; Fabric. Hildani obſervat. 71, centur. 1; Lamotte Obſerv. de Chirurg. 110, 111, &c. Chifflot Obſerv. 47, fol. 41; P. Borelli Cent. II, Obſ. 86. C.

Abſceſſus ſupra articulationem femoris cum iſchio, ſeu natem, poſt cruciatus annum integrum durantes, cum claudicatione, inciſus fuit, magna puris copia effluxit & ægra convaluit intra menſem; altera ibidem doluit per plures menſes, admotis cataplaſmatis maturantibus, poſt quinque dies facta fuit inciſio, & ſanitas ſubſecuta eſt puris effluxum. Hanc ſpeciem etiam mihi obſervare contigit in tribuno militum *D. du Billard.*

Iſchias à carie Benivenii de abditis cap. 79 eſt prioris ſequela.

7. *Iſchias ſyphiliticum* Baglivi pag. 206 lib. 2 § 2; *Iſchias Gallica* Moroni Director. C.

Virum gravi iſchiade laborantem nuperrimè curabamus, irritiſque optimis præſidiis deſperabamus de ſalute recuperandâ, cùm verò per tranſennam nobis ſubindicaſſet ſe, viginti abhinc annis, bubonibus gallicis malè affectum fuiſſe, ſtatim ſuſpicionem dedit iſchiadem à fomite gallico pendere; quapropter præſcriptis decocto ſalſæparillæ, antimonio crudo, cortice nucum, &c, paucis diebus interjectis, à gravi iſchiade convaluit non ſine adſtantium ſtupore; hæc *Baglivi*, qui eâ occaſione inſanos dicit Medicos, qui morborum ſpecies flocci habent in praxi, qui v. g. quodvis iſchias eâdem methodo curandum docet.

8. *Iſchias verminoſum* Delii Amœnitat. pag. 349, Zacuti Prax. pag. 398. B.

Puer habitûs corporis ſtrictioris, pallidus, abdomine duriuſculo, de doloribus abdominis ſæpe conqueſtus, & interdum febriens habebatur pro atrophico; is titubabat genubus, pedem dextrum introrſum vertebat ſæpiùs,

piùs, dolebat femore, præcipuè circa os ileum dextrum : parentes luxationem femoris incuſabant ; Chirurgi luxationem conantur curare ; his irritis puer claudicare videtur. *Illuſtr. Delius* pruritum narium, oculos relaxatos, copioſam ſalivam, urinam ſero lactis ſimilem, dolores abdominis reſpiciens, lumbricos in inteſtinis ſuſpicatur, anthelmintica præſcribit, lumbricisque vivis aliquot excretis, dolor iſchiadicus & omnia ſymptomata ceſſarunt.

Zacutus memorat cuidam ab anno iſchiagram graviſſimam patienti è ſecta venâ pedis vermem vivum proſiluiſſe teretem palmaris longitudinis, quo excreto dolor evanuit, ſed eſt auctor ſubleſtæ fidei.

9. *Iſchias à ſubluxatione* Petit Mem. de l'Acad. R. des Sc. 1718 ; *à fractura.* D.

Diſtorſio vehemens ligamentorum, capſulæ articularis, tendinumve femoris articulationem firmantium à lapſu, niſu, ictu, dolorem vividum, & pertinacem inducit, qui phlebotomiis, quiete, victu mediocri, potu diluente ſedatur. Luxatio quidem integra citra fracturam impoſſibilis fermè eſt; niſi à laxitate tendinum ſenſim oriatur, eaque ex crurum longitudine inæquali cognoſcitur. Vide *Heiſteri Chirurgiam Part. 1, lib. 3, cap. 10.*

10. *Iſchias Rheumaticum. Dolor iſchiadicus* Sennerti Cap. VI. L.

Differt ab iſchiade arthritico 1° quòd non articulo inhæreat, ſed muſculos inter os ſacrum & genu, imò in tibiâ poſitos diſcruciet, latam ſcilicet aponeuroſim, quæ illos omnes obvolvit ; 2° quòd his affecti doloribus non patiantur, ut arthritici, dolores pedum & manuum : 3° nec ſi dolor ſit externus ullo tumore ſtipetur, ut arthriticus. Ille verò dolor eſt pertinaciſſimus, demùm claudicationem & artûs atrophiam inducens.

Immutanda eſt craſis ſanguinis viſcoſa & acris per juſcula diluentia, præmiſſis univerſalibus ut phlebotomiâ & catharſi, dein ſi temperamentum ægri ſit calidum & ſiccum, balnea domeſtica calida, intus ſerum lactis conveniunt, thermæ etiam ſulphureæ proſunt. Si verò æger ſit frigidus & pituitoſus, diſcutientia, attrahentia, veſicatoria, ſudorifica proſunt. Sic fomenta ex foliis ſambuci, hederæ calidis, aut ex horum decoctis, balneum ex arena marinâ ad ſolem vel ad ignem calefactâ, immerſio in aquas bellilucanas, litus calidus ex ſapone in aquâ vitæ ſoluto, &c, ſæpiùs proſunt. His invitis vidi ſanatum aliquoties iſchias ope electriſationis repetitæ paulo fortioris.

11. *Iſchias arthriticum* Sennerti cap. 6 ; *Malum iſchiadicum* Nenteri Tab. 32 Cap. 5 ; *Species 1a doloris iſchiadici*, de Haën de dolore coxarum Tom. 4; *Goutte ſciatique* ; *Ankyloſe de la cuiſſe* de Meyſerey n° 404. L.

Aggreditur podagricos, potiſſimùm annoſos ; oſſi ſacro inhæret, quod mitius, vel ipſi articulo femoris, quod pejus. Dolor eſt profundus, vehemens, à motu exacerbans, ad pedes uſque extenſus, & in pedibus tumorem rubellum glabrum excitans; per periodos recurrit, non verò con-

ſtanter:

ſtanter divexat, ut vetus iſchias rheumaticum; ſanguineos, guloſos, veneri deditos, lautè viventes ſæpiùs aggreditur.

Eadem cura generalis eſt quæ podagræ.

XXXII. PROCTALGIA; *Dolor ani* Tulpii; *Douleur du fondement.*

Eſt dolor podicis, ſeu extremi recti, & vicinarum ejus, cujus diverſæ ſpecies à totidem principiis diverſis pendent.

1. *Proctalgia inflammatoria; Inflammation du fondement* Sennert. de inflammatione ani, cap. X. B.

Cognoſcitur tumore calido, dolore acuto, qui premendo irritatur, alvus difficulter redditur, & ſæpe dies aliquot ſubſiſtit, accedit febris.

Oritur hoc malum ex equitatione, ictu violento, hæmorrhoidibus reſtrictis, acribus applicatis, &c.

Malum hoc curatu eſt difficile, & in fiſtulas ſæpe abit; curatur phlebotomiâ, victu tenui, fomentis initio emollientibus, & anodynis, cataplaſmatis ex micâ panis albi cum lacte & croco, foliis ſolani hortenſis, oleo roſaceo, amygdalino; decocto malvæ, radicis althææ, floribus chamæmeli, meliloti; ſi fiat abſceſſus, is maturè aperiendus & detergendus, ne pus fiſtulam inducat.

2. *Proctalgia cancroſa.* C.

Eſt ea quæ ex ficis, thymis, ulceribus cancroſis, rhagadibus malignis procedit; fici quidem, criſtæ, condylomata benigna, imò ſyphilitica vix ullum dolorem creant, ſed non raró peſſimæ indolis ſunt, & carcinomatoſam indolem acquirunt, unde dolores pungitivi, pruriginoſi, lancinantes, cum duritie, aſperitate, ichoris acris effluxu, rhagadibus corroſivis, quæ omnia potiſſimùm moleſtant in alvi dejectione.

Si hæc mala ſyphilitica ſint, præmiſſis multis balneis ad hydrargyroſim deveniendum eſt, atque in ejus decurſu criſtæ, porri, verrucæ, vel cultro auferendæ, vel cauſticis exedendæ; dein vulnus more conſueto deligandum eſt; ſed ſi carcinoma minimè ſyphiliticum fuerit, tunc periculoſius multò eſt, & ferè inſanabile: illud verò more aliorum corrodendum eſt; dolor butyro, unguentiſque ex lithargyrio, ceruſſâ paratis deliniendus, non omiſſis narcoticis.

3. *Proctalgia fiſtuloſa; Fiſtule à l'anus.* C.

Fiſtulam ani præceſſere phlegmones, mariſcæve ſuppuratæ, & ſunt ulcera ſinuoſa, oris calloſis, quæ cùm anum obſident, ſi cuniculos agant, in rectum, veſicam, vicinaſque partes, ſanatu difficillimæ ſunt.

Dividuntur in completas & incompletas; ſanantur operatione chirurgicâ, quæ eum in finem inſtituitur, ut ulcus calloſum in vulnus ſimplex mutetur. De his vide non veteres Auctores, apud quos curatio harum fiſtularum impoſſibilis cenſebatur, teſte *Sennerto*, ſed Chirurgos hujus ævi, ut *Heiſterum*, alioſque.

4. *Proctalgia intertriginoſa; Intertrigo ani* Sennert. L.

Eſt dolor cum excoriatione & rubore partium, quæ excoriatio ſi fiat à cauſis mechanicis, ut equitatione diuturniori, curatur appoſito ſevo inuncto, vulgò candelâ ſebaceâ, adipe, oleo roſaceo, aquâ roſaceâ, &c: ſed ſæpiùs intertrigo infantes divexat recens natos ob acrimoniam urinæ in plicis & rugis harum partium immorantis & excalefactæ, idcirco frequens lotio ex vino & aquâ, mundities ſedula requiruntur; item nutrices his plicis quotidiè ſerò & mane imponunt pulverem ceruſſæ, pauperes verò pulverem ſalicis carioſæ.

Si intertrigo ſit herpetica, vel ſimplex, vel ſyphilitica, quod malum adultis accidit, alia methodus eſt adhibenda, qualis in Hyſteralgiâ pruriginoſâ.

5. *Proctalgia ex rhagadibus* Sennert. loc. cit. *Gerſures du fondement.* L.

Rhagades ſunt ſciſſuræ marginis ani ſine tumore & pure, quales labris, digitiſque ſæviente brumâ, ruſticis potiſſimum, accidunt; hæc ulcera ſicca ſunt valdè dolentia & importuna, teneſmum excitant, & ob dejiciendi neceſſitatem exacerbantur quotidiè; pendent ab acrimoniâ ſanguinis, quæ ideò primò eſt remediis internis, debitoque victu impugnanda; dein chirurgica auxilia ſunt adhibenda.

6. *Proctalgia Braſilienſis* Zacuti Luſitani Prax. pag. 396. *Morbus Braſilienſis, vermis* dictus; *Bicho* Luſitanis; *Malhundo* Braſilianis; *Worm* Belgis; *Bittos* Angolenſibus Hiſtoire des Voyages. A.

Symptoma præcipuum hujus morbi eſt dolor ardens podicis initio, cum conſtipatione, ſpontaneâ laſſitudine, quibus addunt ſe comites, ſaltem apud Angolenſes, profundus mœror, cephalalgia, tibiarum debilitas cum dolore acuto, oculorum prominentiâ, & quaſi exophthalmiâ. Initio morbi ſufficit non rarò podicem eluere, & ſuppoſitorio ex limone uti, quandiu poteſt tolerari; inde enim atrocior evadit podicis dolor, ſed ſanatur.

Si ſeriùs adhibeatur hoc ſuppoſitorium, ardor & pruritus ani creſcit, tumet podex, exulceratur, & multum putridum album mucum, aut pus fundit; tunc verò præter ſuccum limonum, ſucco nicotianæ tabaci pars abluenda eſt; folia tabaci aceto irrorata, & ſal marinum adſperſum feliciter etiam adhibentur, ſed cum tanto dolore, ut æger per vim continendus ſit; proſunt etiam frequentia clyſmata ex decocto roſarum cum ovorum vitellis, prodeſt litus ex oleo roſaceo & ceruſſâ; ſi verò negligantur hæc auxilia, ſerpit ulcus, ſphacelus accedit, & ſine febre ac ſiti, æger, viribus exhauſtis, è vitâ diſcedit.

7. *Proctalgia ab exaniâ. Chute du fondement.* Vide Exaniam claſſ. 1. gen. 47. D.

Ille affectus frequentiùs aggreditur infantes & pueros diarrhoeâ dudum affectos & conſtitutionis debilis; utile eſt inteſtinum prolapſum poſt quamvis alvi dejectionem blandè reponere, priùſque vino eluere; in hoc vino folia verbaſci priùs incocta ſint; ſi verò tenſum & dolens ſit

ſit inteſtinum, oleo, vel butyro priùs inungendum eſt, quàm reponi poſſit.

8. *Proctalgia ex Mariſcis* River. Centur. 3 obſervat. 7; *Douleur des hémorrhoïdes.* L.

Præmiſſâ phlebotomiâ, æger utatur clyſmatis ex oleo tenui ſyringâ injiciendis; ſyringæ cannula inteſtino gallinæ involvatur; æger utatur cremoribus ex ſecali, emulſionibus hypnoticis.

Succus ſempervivi cum ovi vitello mixtus addito opii grano mariſcis applicetur; ſola folia ſedi telephii Linnæi admota maximè proſunt, nec non collyrium ex albumine ovi cum fruſto albuminis inſpiſſato, ſed linteis obvoluto.

Cataplaſma ex micâ panis cum lacte & croco, verbaſco, malvâ, radice althææ, ſeminibus lini, floribus chamæmeli, foliis hyoſcyami; inſeſſus ex horum decocto juvant; prævertuntur mariſcæ, ſi ſæpè foveatur podex aquâ frigidâ, tepidâve, & bibendo manè pintam aquæ cum lactis cyatho.

9. *Proctalgia Diarrhoïca.* B.

Qui diarrhœâ forti laborant, potiſſimùm bilioſâ, nec non qui aquis mineralibus catharticis per aliquot dies utuntur, non raró dolorem vividum in podice experiuntur quaſi urentem & pungentem, qui tamen facilè ſanatur, ſedatâ diarrhœâ aut loto podice ex ipſis aquis acidulis: dolor ille qui à vividis inteſtinorum diſtractionibus dependet, non refertur ad inteſtina quæ obtuſo ſenſu gaudent, ſed ad cutim quæ marginem ani conſtituit, quia cutis acutiori multò ſenſu pollet; eadem eſt ratio cur calculoſi acutiſſimum dolorem referant non ad collum veſicæ, ubi eſt calculus, ſed ad extremum balanum, cujus tegumentum valde nervoſum eſt.

10. *Proctalgia Teneſmodes.* Vide teneſmi ſpecies varias.

De ani dolore videatur *Tulpius obſerv. lib.* 3, quem vidit diriſſimum quarta poſt dejectionem horâ recurrere, quique ſublevatus eſt tantùm hirudinum applicatione.

11. *Proctalgia equina.*

Eſt dolor vehemens podicis equos excrucians, inflammans, quem excitat œſtrus hæmorrhoidalis ingreſſus, & illic inſtar mariſcæ adhærens. *Vide D. Linnæi Amœnitat. Academ. Tom. VIII, p.* 357.

XXXIII. PUDENDAGRA. *Douleur des parties génitales.*

Eſt dolor partium genitalium tùm in viris tùm in fœminis. Nomen à *Gaſparo Torellâ* inditum, ut mentulagra à *Wendelino Hockio.*

1. *Pudendagra à Parorchidio; Douleur des teſticules retirés, déplacés.*

Vide *Claſſ. 1. genus 59*, præſertim *2am & 3am ſpeciem*, quarum altera eſt comes nephralgiæ calculoſæ.

2. *Pudendagra ex phimoſi; Douleur du gland provenant du phimoſis, paraphimoſis*, &c.

Vide *Claſſis* 1æ *genus* 22, ubi diverſa phimoſeos ſpecies, quarum altera vaginalis eſt.

3. *Pudendagra Hernioſa*, *Douleur de Hernie.*

Eſt dolor oriundus ab herniâ, ut ab enterocele, epiplocele, ciſtocele, quarum aliæ ratione loci ſunt inguinales, aliæ crurales, perinæales, vaginales, hypogaſtricæ.

4. *Pudendagra ulcuſculoſa*; *Chancres aux genitoires.*

Ulcera ſubrotunda lentis magnitudine in ambitu rubra, in medio griſea, vix ultra epidermidem profunda, ſerpentia, à viru ſyphilitico oriunda, vulvæ & vaginæ in fœminis, balano & interiori præputio in viris inſident; illa quidem non admodum dolent, ſed tamen moleſtiam creant, & quod pejus eſt, virus ſyphilitici ſtrages edituri ſignum præbent funeſtum; his neglectis phimoſis ſupervenit, gonorrhœa præputii cum dyſuriâ, quandoque balani exeſio, ſequuntur. Curantur autem radicitùs per hydrargyroſim aut vicaria hujus remedia.

5. *Pudendagra pruriens*; *Impetigo ſcroti* Fonſeca conſil. 68. tom. 2; *Prurit des parties naturelles.*

Vide pruritum ſupra & Hyſteralgiam pruriginoſam. Diſtinguenda eſt hæc ſpecies ab eâ quam aſcarides vulvæ excitant, & ab herpete harum partium.

6. *Pudendagra à Gonorrhœâ*; *Dyſuria venerea ſicca* Aſtrucii lib. 3. cap. 3, de gonorrhœa ſicca.

Eſt dolor ardens in tractu urethræ ſine puris ſeminiſve ſtillicidio notabili, ortum habens à phlogoſi eryſipelatoſà urethræ, quam virus ſyphiliticum acrius & volatilius in ſubjecto magis irritabili induxit, qui ſimul dyſuriam acrem, quandoque ſtrangurioſam, comitem habet: hic morbus paucis diebus ab impuro coitu ſe prodit & curatur 1° phlebotomiâ: 2° immiſſo ſæpiùs balano nudo intra lac tepidum vel decoctum radicis althææ, ſeminum lini; 3°, vel admoto cerato Galeni, cataplaſmate de micâ panis cum lacte & croco; 4°, potu diluente, demulcente, emulſionato leviter narcotico; dolore ſedato, ad virus ſyphilitici curam progrediendum eſt.

7. *Pudendagra arſura* Aſtrucii lib. 1. pag. 49; *Incendium virgæ.*

Eſt dolor acer cum rubedine eryſipelatoſâ balani, quæ olim à concubitu cum leproſâ oriri conſueverat, qui dolor eſt urens & punctorius, præter quem accedunt puncturæ inter carnem & corium, & corporis excalefactio. In hoc morbo *Joannes Ardern* ſuadebat potiſſimùm injectionem ex lacte, ſaccharo, oleo & decocto hordei, additâ ſi velis emulſione ex amygdalis.

8. *Pudendagra cancroſa*; *Carcinomata venerea* Aſtrucii de morb. venereis lib. 4. cap. XI. 5. 7. & libr. 3. cap. 6. de bubone carcinomatode; *Douleurs des cancers aux parties génitales.*

Eſt

Eſt dolor à carcinomate pudendorum in viris ac in fœminis, eoque occulto, vel ulcerato, ſive in bubone ſive in balano, pene, vulvâ, vaginâ, &c, de quorum affectuum ſignis, cauſis, curâ vide loca citata.

9. *Pudendagra ab aſcaridibus* Ill. Delii Amœnitat. Medic. tom. 1 pag. 341; Collection Académiq. tom. 3 pag. 366. Auctore Benjamino Scharſio.

Eſt dolor pruriginoſus vulvæ & vaginæ ab aſcaridibus cum ardore incredibili, & eruptione verminculorum caſei hoſpitum ſimilibus.

10. *Pudendagra teſtium.*

Utplurimum teſtes dolent à tumore phlegmonodeo quem ſuppreſſa gonorrhœa excitat, & vocatur vulgo *gonorrhœa in ſcrotum delapſa*, de quâ videſis Chirurgos de morbis ſcroti.

Dolores ad alias Claſſes dimiſſi multorum ſunt generum, potiſſimi verò pertinent in *prima Claſſe* ad exarthrema, Gallicè *entorſes*, *fractures*, ad enterocelem, phlegmonem, paronychiam, puncturam nervi, tendinis fracturam; in *tertia Claſſe* ſunt pleuritis, cephalitis, gaſtritis, nephritis; in *quartâ*, triſmus, crampus convulſivus, raphania potiſſimùm; in *quinta* pleurodyne, in *ſexta* hypochondriaſis, hyſteria, hydrophobia; in *nona* hæmorrhois, dyſenteria, ileus, cholera, teneſmus, dyſuria; in *decima* demum tympanitis, meteoriſmus, iſchuria, malis furialis, ſyphilis, ſcorbutus & gangræna dolores intolerabiles excitant.

CLASSIS OCTAVÆ SYNOPSIS.

VESANIÆ.

CHARACTER. Eſt morbus animi, error ſcilicet in imaginatione, appetitu, vel judicio, ſeu hallucinatio, moroſitas aut delirium.

ORDO I. HALLUCINATIONES ſeu errores mentis oriundæ ex vitio organi cujuſdam extra cerebrum, unde imaginatio deceptiva.

I. VERTIGO, (*Vertige*) apparens objectorum vacillatio vel nutatio.

II. SUFFUSIO, (*Berluë*) objectorum, quæ non ſunt, imaginaria viſio.

III. DIPLOPIA, (*Bévuë*) hallucinatio qua idem objectum duplicatum vel multiplicatum apparet.

IV. SYRIGMUS, (*Tintoin*) auditio imaginaria ſoni, cujus nullum eſt extra aures principium.

V. HYPOCHONDRIASIS, (*Hypochondrie*) morbus diuturnus quo affectus ſe in mortis periculo verſari ex ructu, palpitatione, aliisve levidenſibus malis, imaginatur.

VI. SOMNAMBULISMUS, (*Maladie des noctambules*) hallucinatio qua ſomniantes è lecto ſurgunt, ſeque diverſis periculis exponunt.

ORDO II. MOROSITATES, (*Bizarreries*) cupiditates aut averſationes depravatæ.

VII. PICA, (*Goût dépravé*) alimentorum inaſſuetorum appetitus, cum aſſuetorum averſatione.

VIII.

VIII. Bulimia, (*Faim canine*) appetitus eſculentorum copiæ majoris quàm quæ digeri poſſit.

IX. Polydipsia, (*Soif immodérée*) appetitus majoris ſolitò copiæ potulentorum.

X. Antipathia, (*Antipathie*) quorumdam objectorum tanta averſatio ut ex eorum viſu, vel olfactu æger gravia ſymptomata patiatur.

XI. Nostalgia, (*Maladie du pays*) parentum patriæve tanta cupiditas, ut hâc non expletâ æger gravi morbo decumbat.

XII. Panophobia, (*Terreur panique*) ſummus pavor inter dormiendum ſine cauſâ evidenti.

XIII. Satyriasis, (*Satyriaſe*) effrænis, impudenſque veneris cupiditas cum libidinoſâ penis tentigine.

XIV. Nymphomania, (*Fureur utérine*) eſt effrænis in feminis veneris cupiditas.

XV. Tarantismus, (*Tarantiſme*) eſt effrænis choreas agendi, ſaltandi cupiditas.

XVI. Hydrophobia, (*Rage*) eſt effrænis potulentorum averſatio, ſæpiùs à morſu animalis rabidi.

ORDO III. Deliria, (*Délires*) inſomnia ſeu errores mentis judicantis, à cerebri vitio oriundi.

XVII. Paraphrosyne, (*Tranſport, aliénation*) delirium fugax, à veneno, aut altero morbo dependens.

XVIII. Amentia, (*Démence*) delirium univerſale mite, ſine furore & audaciâ, cum morbo diuturno.

XIX. Melancholia, (*Mélancholie*) delirium particulare mite, cum mœrore, ac morbo diuturno.

XX. Mania, (*Folie*) delirium univerſale cum furore, vel audaciâ & morbo diuturno.

XXI. Dæmonomania, (*Démonomanie*) delirium melancholicum quod vulgò diaboli potentiæ tribuitur.

ORDO IV. Anomalæ Vesaniæ, morbi prioribus affines.

XXII. Amnesia, (*Oubli*) eſt omnis memoriæ feriatio.

XXIII. Agrypnia, (*Inſomnie*) eſt pervigilium continuum, immodicumve.

CLAS-

CLASSIS OCTAVA.

MORBI VESANI,

SEU

VESANIÆ.

1. SUNT illi quorum præcipuum ſymptoma eſt animæ error, alienatio, delirium, aut dementia, ſeu imaginationis, judicii, aut cupiditatis, vel voluntatis depravatio.

2. *Paraphronici* Græcis dicti ſunt à *paraphroſyne*, quod delirium eſt, vel à *phrene*, quæ mens audit, vel à *paraſero*, transfero, ut Galli delirium mentis translationem *tranſport* nuncupant; *apologiſmi* Heſychio dicuntur. *Mentis alienationes* Fel. Plater; *morbi animi vel ſpirituales* Nov. claſſ.; *Morbi mentales* Ill. Linnæi.

Ægros Græci vocant *paraphronountas*, *paraleiros*, *parapaïontas*, *parapaiſantas*, *paracopſantas*, *maniacos*: Latini *mente captos*, *deliros*, *inſanos*, *ſtultos*, *dementes*, *deſipientes*.

3. Symptoma præcipuum ſi ſit imaginationis, *hallucinatio*, Græcis *leros*; ſi ſit delirium, *paraphroſyne*; ſi ſit judicii depravatio, *paraphronia* vel *dementia*, *ſtultitia*, *inſania* dicitur; ſi ſit hebetudo, *moroſis*, Latinis *amentia*; ſi depravata cupiditas aut averſatio *furor*, *moroſitas*, Gallis *tic*, *manie*, *folie*, *caprice*, & in genere *délire*, *tranſport*, *aliénation d'eſprit*.

Theo-

Theoria.

4. Anima tres facultates præcipuas obtinuit à Summo Numine, facultatem cognoſcendi, appetendi, & movendi.

5. Utraque eſt inferior brutis communis, & ſuperior hominibus propria. Facultas cognoſcendi inferior *inſtinctus* eſt potentia ideas objectorum confuſas eliciendi, ſuperior *Intellectus* ſeu facultas ideas rerum diſtinctas efformandi, ſeu genera, & ſpecies cognoſcendi.

6. Inſtinctus dividitur in ſenſum & imaginationem; *ſenſus* quintuplex, viſus, auditus, tactus, olfactus, & guſtus, ideas objectorum ſenſibilium præſentium, ſeu in organa noſtra agentium repræſentant.

7. *Imaginatio* nobis etiam abſentia olim per ſenſus cognita repræſentat, tùm actualia, tùm præterita, tùm futura, & huc referenda eſt memoria, & prævifio ſeu prognoſis.

8. *Intellectus* has ideas comparat, combinat, & vi attentionis, & abſtractionis, ingenii ac rationis, ſuas actiones ſublimiores, ut ſyllogiſmum, & ratiocinium exſequitur, ſicque verum à falſo, bonum & malum apparens à reali diſtinguit.

9. Quod nos ſtatumque noſtrum perfectiores reddit, *bonum* eſt: *voluptas* verò eſt intuitiva perfectionis noſtræ perceptio. In conſtanti voluptate jacet *felicitas*, quam ideò nobis conciliant bona omnia, ſcilicet bona animi, corporis, fortunæ, &c: cùm autem in eam finem nos creaverit Deus Optimus, ut noſtræ perfectioni promovendæ attenti felicitatem conſequamur, non mirum ſi bonorum appetitus, & malorum averſatio nobis ſint congenita.

10. Facultas appetendi bonum, & averſandi malum duplex eſt; *ſuperior Voluntas* dicitur ſeu inclinatio animæ verſus objecta pro ratione boni intellectualis ſeu in eis diſtinctè percepti; averſatio verò rationalis *Noluntas* eſt.

Inferior ſeu appetitus ſenſitivus eſt inclinatio animæ verſus objecta pro ratione boni in eis confuſè ſeu ſenſuum ope percepti; averſatio verò ſenſitiva nos reclinat à malo ſenſibili; appetitus ſenſitivus propriè *cupiditas* vocatur, & opponitur voluntati ſeu appetitui rationali: cupiditas itaque à ſenſu, & imaginatione ducitur: voluntas verò à ratione, & intellectu.

11. Quæ nobis bona apparent ſenſu duce ſæpè mala ſunt, ut dulcia verminoſis; & quæ mala ſenſibus videntur ſæpe bona ſunt, ut amputatio artûs ſphaceloſi; ſolius eſt itaque intellectûs, & rationis bona realia à malis diſtinguere, & de illis judicare.

12. Cùm itaque noſtrâ interſit maximè bona vera nobis conciliare, & mala realia effugere, ut felicitatem aut voluptatem veram, & conſtantem quantùm fieri poteſt attingamus, noſtrum eſt etiam pro viribus intellectum noſtrum perficere, & rationi obtemperare, & conſequenter quæ optima ſunt agere.

13. Facultas ultima agendi ſeu movendi ſuperior, *Libertas* vocatur, ſeu potentia agendi quod rationi optimum videtur, & quod voluntas rationis nutui obtemperans indicat; non ſolùm autem imperium libertatis in actiones corporeas extenditur, ut in motum, loquelam, &c, ſed & in actiones animæ proprias, ut ſunt attentio, abſtractio, reminiſcentia, appetitus, &c.

14. Inferior verò facultas *natura* dicitur, & eſt potentia agendi quæ ſenſui, & imaginationi bona videntur, quæque proinde à cupiditate aut averſatione ſenſitivis ſuadentur; illa verò expeditè, ſine deliberatione, & vi conſuetudinis bona obvia abripit, mala ſenſibilia removet. Cùm quis uritur, aut ad lapſum inclinat, illicò natura duce membrum uſtum, aut lapſurum retrahit, cùm ſecus antequam interceſſiſſet deliberatio, de eo actum eſſet.

15. Vehementia naturæ conamina ad bonum admovendum, aut malum removendum, conſequenter ad cupiditatem aut averſationem ſenſitivas, vocantur animi *pathemata*, quibus ſupprimendis & moderandis conceſſum eſt libertati imperium eò majus, quò quis attentiùs rationem ſuam excoluerit, & perfectioni propriæ acriùs allaboraverit, ita ut in homine perfectiſſimo detur ſummus conſenſus inter voluntatem & cupiditatem, inter actiones liberas ac naturales, nihilque appetatur niſi quod bonum, utile, decorum & juſtum. Aſt in ſtatu imperfecto, & quò plus ad brutorum conditionem accedunt homines, ratione, philoſophiâ ac religione non ſatis exculti, majus fit diſſidium, & actiones quæ ſenſui videntur jucundæ, intellectui videntur malæ, & quæ bona ratione duce cognoſcuntur, ab inſtinctu ingrata deprehenduntur; hinc origo malorum tùm moralium, tùm phyſicorum; de phyſicis hîc tantùm agimus.

16. Veſania itaque inde oritur, quod cupiditatibus noſtris ſervientes ab illis duci nos patiamur, quod pathemata refrenare, moderari non aſſuevimus: hinc erotomania, antipathia, pica, ab ærumnis melancholia, à repulſis furor, & ab erroribus in cibo, potu, geſtis, ingeſtis, &c, varia incommoda, vitiaque corporis, ex quibus iterùm veſaniæ producuntur, quibus certè morbis nihil eſt miſerabilius, cùm ad brutorum conditionem homines accedant, ut videre eſt ex maniâ, lycantropiâ, rabie.

17. Errores dividere poſſumus in theoreticos & practicos; cùm quid opinamur verum quod falſum eſt, ut ſolem moveri, terram ſtare, error ille theoreticus eſt, cùm inde nulla pathemata ſubſequantur: ſi verò judicamus verum quod falſum eſt, ita ut inde pathemata gravia ſubſequantur, error eſt practicus, ut cùm maniacus melancholicus amicos ſuos pro hoſtibus habet, à quibus inſidias, venenum & mortem timet, aut cùm quis vertiginoſus imaginatur domum inclinare dextrorſum, & ſe inde pro metu ſiniſtrorſum præcipitat.

18. Prior error *hallucinatio*, Græcis *leros* dicitur, ut in ſyrigmo, ſuffuſione; alter error vocatur *delirium*, Græcis *paraphronia*, quoties ſcilicet pathema deliſrantis ipſi ſoli nocet, ut in noſtalgia, tarantiſmo, hypochon-

chondriaſi, panophobiâ; *furor* verò dicitur, ſi animi pathema ad manus violentas ſibi, aliiſve inferendas, adeoque ad grave damnum eum inferat; ut mania, melancholia, rabies, nymphomania, dæmonomania, &c.

19. Inter hallucinationes referendæ ſunt veſaniæ, quæ à vitioſo organorum externorum ſtatu oriuntur, illæſo judicio; ita ut cerebri vitium nullum adſit, ut in boulimiâ, cacoſitiâ, polydipſiâ, & juxta quoſdam, in vertigine.

20. Ex ſolâ fibrarum cerebri conſonantiâ, & diſſonantiâ, qui rectam hominis rationem, & veſaniam deducere tentant, nullo habito reſpectu ad imperium libertatis in proprias animæ actiones, & ſua pathemata, illi materialiſtis, vel inviti velificantur: ſi erroris cauſa foret merè mechanica, nullus error deberet imputari; adeoque de philoſophiâ morali & jure actum eſſet, ut impii Spinoſiſtæ exiſtimant, qui moralitatem actionum fabulis accenſent.

21. Error non ſolùm procedit à vitio corporeo, ut à retinæ obſtructione ſuffuſio, à vitio labyrinthi ſyrigmus, &c; verùm etiam à neglectu ſuarum facultatum, aut ex eo quod in vero inquirendo, & judicio excolendo non ſatis invigilaverimus; unde libertatis noſtræ abuſu deinceps errores corrigere neſcimus. Sic ruſticus ſuffuſione laborans revera muſcam præ oculis volitare judicat, Philoſophus verò hunc errorem agnoſcit, & ab illo ſe liberat; ebrius duplicem candelam adeſſe judicat, ubi ſtrabo mentis excultæ errorem ſuum brevi dimittit, & unicam cernere aſſueſcit. Ipſe vidi hydrophobam, quæ pathemata ſua religioni & rationi ſubmittere aſſueta, affatim aquam bibebat, neminique ullo modo nocere parata erat; & rectè monet *Ill. de Sault* bruta & ruſticos ſolùm in hydrophobiâ adſtantes minitari; homines verò rationem excolere aſſuetos, minimè.

22. Errorem ab organorum externorum vitio ortum corrigere facilius eſt, quàm qui à vitio cerebri oritur; ſcilicet errorem corrigimus, 1° mutuo diverſorum ſenſuum, & imaginationis auxilio; 2° ope attentionis, abſtractionis, & judicii; auditûs errores viſus & tactus corrigunt; viſûs errores auditus, tactuſque arguunt, ut patet ex hiſtoriâ illius adulti, cui *Cheſeldenius* cataractam congenitam abſtulit, viſumque dedit, quique ſolo viſu corporum diſtantias, figuras, minimè diſtinguebat, deinceps verò tactu & auditu viſui conjunctis optimè diſtinxit; ergo ſi unum tantùm ſenſus organum læſum ſit, errorem facilius erit corrigere, quàm ſi in emporio affecto plures diverſorum organorum fibræ nerveæ lædantur; præterea cùm cerebrum ipſum læſum eſt, graviùs percellitur anima, quàm cùm organum ad vitam minùs neceſſarium laborat, ut oculus; ergo huic attenta malo minùs apta eſt ad operationes, quæ errori corrigendo neceſſariæ ſunt, dùm hallucinationes ſunt fugaces. Vertiginoſus primo inſtanti timet, altero errorem ſuum agnoſcit, at phreniticus maniacuſque errorem ſuum non agnoſcunt.

23. Quò erroris objectum ad vitam, aut felicitatem noſtram magis conducere nobis videtur, eò pathema ſubſequens vehementius eſt: ferè

 omnes

omnes maniaci ſomniant ſe hoſtibus gladio aut veneno armatis ſtipari; & nunquam, ſi abeſſet ille timor, in furorem adigerentur: melancholici qui vitam ſuſpendio aut ſubmerſione finiunt, ſortem morte illâ multò pejorem ſe manere ſomniant, & ſtatu præſente multò magis quàm à futuro cruciantur. Hydrophobi, quotquot accedunt homines, tot hoſtes ſcyphis ac phialis armatos judicant, quibus ad bibendum cogendi ſunt, & ipſi potum cane pejus & angue timere ſe dicunt; non mirum itaque ſi eos ſputis, minis, ululatibus removere conentur.

24. Licet maxima veſanorum pars vitio organorum, vel cerebri primariò deliret, non rari ſunt tamen apud quos vitium primarium contraxit anima; notum eſt puerulos, qui noctu utcumque ſoli domum obambulabant ſine metu, ſtatim atque numquam ſatis punienda ancillarum & anicularum garrulitate, fabulas de larvis, vampiris, manibus, hauſerunt, miſerè torqueri incipere nocturnis terroribus, ſibi mille ſomnia in lecto, aut in tenebris fingere, unde melancholiam, alioſque graves morbos incidunt.

25. Obſervat *Felix Platerus* moriones bene multos, qui quæſtûs gratiâ apud Magnates mimos, hiſtriones & ſtultos ſe ſimulant, ut ipſis placeant, demum reapſe longâ aſſuetudine deſipere. Aſſerit *Ovidius* plures qui tantum ſe amaturos finxerant, reapſe amore deperiiſſe; plures puellæ amicarum ſuaſu & exemplo ad gypſum vorandum, quod abhorrent, incitatæ, picâ deinde revera laborant; & pauci ſunt qui tabacomaniam ſimili modo non contraxerint; adde quod deliria febrientium, ut ſomnia dormientium, verſentur circa objecta quæ ſanorum & vigilantium animis antea verſabantur, horum verò ideam abjicere priùs poterant; febrientes verò aut dormientes nequeunt, cùm ſenſuum ſuorum non ſint compotes; hinc patet principium horumce morborum non ſemper eſſe vitium corporeum, ut *Boerhaave* malè innuit, & Spinoſiſtæ pronuntiant.

26. Multi in veſaniam incidunt, ne dicam omnes, ex pathemate, ſeu ideâ objecti, quod vehementem cupiditatem aut averſationem in ipſis excitavit, adeoque ob ideam *boni animi*, ut ſalutis, honoris, loci quem adipiſci cupiunt, aut amittere metuunt; *boni corporis*, ſcilicet ſanitatis, formæ; *boni fortunæ*, ut opum quas conſervare deſiderant, vel perdere timent vehementius.

27. Sic plures ſunt melancholici qui ſe damnatos eſſe metuunt, indè verò deſipiunt; alii qui à Magiſtratibus, Judicibus, Militibus ſe inquiri putant, & famæ, vel vitæ detrimentum pati metuunt, inde delirant; plures mulieres quæ ſeneſcentes ex detrimento formæ, plures mercatores ex fortunæ, litigantes ex litis, adoleſcentes ex amaſiæ ſuæ jacturâ inſaniunt; dæmonomania obſeſſorum, vampyrorum, maleficiatorum, ſagarum à pathematis vehementibus pendet, ut ſigillatim in ſpeciebus videbimus.

28. Docet obſervatio quod ſi hiſtoriam cujuſdam facti audiamus, in quâ omiſſa ſit temporis, loci, aliarumque circumſtantiarum determinatio, nobis illico fingimus locum, tempus, ut noctem, vel diem, aliaſque circum-

cumſtantias, & ſic caſum omnimodè determinatum imaginamur; hæc eſt itaque lex ſenſationum, ut idea unius objecti excitet in nobis ideam omnium circumſtantiarum quæ illud concomitari ſolent.

29. Falſum eſt fibras cerebri medullares eſſe tenſas, elaſticas, cùm reſecti ipſi nervi minimè ſe retrahant; falſa eſt itaque hypotheſis, quâ ſyſtema fibrarum illarum chordis clavicymbali confertur, & quâ aſſeritur pulſatâ unâ cæteras eò vividiùs reſonare, quæ ſunt ejus alterutræ harmonicæ, ut uniſonus, octava, &c: nec enim ulla eſt ratio cur credamus fibras quæ repræſentant colorem, figuram, aliaſque qualitates utcumque diverſas unius hominis, ejuſque veſtium, eas inter ſe, minimè verò cum aliis, eſſe harmonicas, quæ tamen omnes audito illius hominis nomine juxta hanc hypotheſim debent reſonare ſilentibus cæteris; ergo illa idearum acceſſoriarum conjunctio minimè mechanicis muſices legibus tribuenda videtur, ſed difficultati res in abſtracto concipiendi, & facilitati illas in concreto, ut ſæpiùs fit, perſpiciendi, adeoque conſuetudini.

30. Cùm itaque ob infarctum, preſſionemve quarumdam fibrarum medullarium emporii quædam ideæ in animâ excitantur, quæ eam fortiùs afficiunt, anima v. g. metu perculſa ad hanc tantò fortiùs attendit, quò minùs ipſi momentoſæ cæteræ videntur, aut quò ob opinionem præconceptam, motivum metuendi illi fortiùs videtur, ſtatimque huic ideæ ſimplici alias comites metui fovendo, vel augendo aptas adjungit; ſic qui ſomniando cogitavit ſe criminis cujuſdam inſimulari, citò ſatellites, judices, tortores, patibulum hiſce conſociat; unde mirè diſcruciatur, febrit, ſudat, & tandem evigilat, atque de errore ſuo viſu, auditu, verbo circumſtantiarum collatione, monitus reſipiſcit.

31. Verùm non ita reſipiſcit ille, qui ob fibrarum emporii conſtans & permanens vitium, infarctum inflammatorium, ſiccitatem, rigiditatem fixam, priorem metum excutere non poteſt; aut ſi deferveſcente ſanguinis impetu, in febris remiſſione, reſipiſcat, febrili excandeſcentiâ revertente iterùm delirat miſer: nec objectum delirii dimittit, niſi alterâ cerebri parte magis infarctâ aut excalefactâ à novo pathemate fortiùs quàm à priori afficiatur.

32. De cætero quandiu objectum delirii idem remanet, quod quandoque per integrum ægritudinis decurſum perſeverat, quidquid agit & loquitur delirans, præconceptæ ideæ conſonat, & conſequens eſt; & licet anima ſit in continuo ſtatu ſtatum ſuum mutandi, atque ſit nobis impoſſibile ad unam ideam ſimpliciſſimam per duo temporis ſecunda attendere, quin ad ideas ipſi conjunctas evagamur, interea ab objecto primario non ſemper recedimus; ita licet delirans videatur quandoque multa deblaterare, & textui primario intermiſcere, non rarò accidit, ut per dies integros diſcurſus, ejuſque actiones ſibi cohæreant.

33. Meritò itaque definitur à *Pitcarnio* delirium *vigilantis ſomnium*; quippe ut in ſomnio, ita in delirio, nullius ſenſationis ſumus conſcii, ſeu res præſentes non appercipimus, & abſentibus tantùm detinemur, ſeu

ſenſationes omnes ſunt obſcuræ; phantaſmata verò clara nos afficiunt; judicium verò minimè læditur, cùm ex præconceptâ ideâ imaginariâ rectè judicent, & appetant delirantes.

34. Cùm delirantes objecta præſentia obſcuriſſimè aut nullatenus appercipiant, eorum ratiocinia non determinantur ab objectis externis, ſeu circumſtantiis non reſpondent ea quæ appetunt, loquuntur & agunt, ſed reſpondent imaginationi, quæ ab internâ cerebri diſpoſitione maximè determinatur. Meritò itaque dicit *Boerhaave* in delirio eſſe ideas, quæ non reſpondent objectis externis, ſed internæ cerebri diſpoſitioni, & illarum idearum exortus eſt cauſa delirii, quatenus anima ad eas ſolas attendit, & à circumſtantiis non afficitur.

35. Verumtamen in maniæ paroxyſmo, cùm magna eſt agitatio in cerebro, ita velociter excitantur diverſæ omnino objectorum ideæ, ut nullam invicem cohæſionem habeant, adeoque cùm ex eâ actionum & ratiociniorum cohæſione judicemus de judiciorum conſequentiâ, non mirum ſi in hoc caſu ipſum judicium maniaci nobis videatur depravatum; atque ſunt optimi Auctores, qui in hoc maniam à melancholiâ diſtinctam eſſe volunt, quod melancholici conſequenter ratiocinentur ex præconceptâ ideâ, maniaci verò minimè ſibi cohæreant; ſed reapſe limites inter utrumque morbum aſſignare difficillimum eſt, iique vix niſi gradu differunt in certis individuis.

Praxis.

36. Cùm hallucinationes, ut vertigo, ſyrigmus, diplopia, &c, nullum cerebri vitium agnoſcant pro ſuo principio, nec maxima pars cupiditatum & averſationum, ut boulimiæ, cacoſitiæ, polydipſiæ, &c; in illis curandis corrigendum eſt organi determinati vitium, ut ſtomachi in boulimiâ, auris in ſyrigmo, oculorum in diplopiâ; quorum proinde morborum nil habet commune therapeia, quàm quod medicamentis cuique organo convenientibus ſit utendum, iiſque diverſis pro diverſitate principii eos excitantis; interea tamen quoniam omnem vehementem cupiditatem & averſationem ſedant, quæ ſenſationem obtundunt, in illis narcotica & ſedantia videntur generaliter indicata.

37. In maniacis verò, melancholicis, aliiſque, cùm cerebrum peccare videatur, non ſolùm remedia topica conveniunt, verùm etiam ea quæ vitium ſanguinis & ſolidorum hîc ſuſpicandum corrigunt, ſcilicet humectantia, laxantia, diluentia, necnon ea quæ ſenſationes compeſcunt, ut narcotica; demùm cùm remiſſior eſt morbus, & æger intellectu ſuo poteſt uti, auxilia moralia non negligenda ſunt; etenim illa deliria ſæpius ex eo procedunt, aut foventur, quod judicent ægri ſibi magnum malum impendere, ut paupertatem, infamiam, mortem, aut magni cujuſdam boni jacturam ſe paſſos eſſe; verùm ſi quid apud eos valeat ratio, ut valet initio morbi, facile eſt magnis rationum momentis hanc præjudicatam opinio-

nionem evertere, *ſunt verba & voces quibus hunc depellere morbum* poteſt Medicus philoſophus.

38. Sapientis eſt, ut felicitatem aſſequatur, eam finem ſemper ſibi proponere, & media certiſſima ad eum ſcopum attingendum adhibere; ad hanc conferunt bona, quæ ideò omnes quærimus avidi; verùm non omnes æquali ſapientiâ eligimus; ea certè aliis anteponenda ſunt, quæ omnium maxima, quæ fortunæ non obnoxia, quæ ſola mentis aviditatem explere poſſunt: talia certè ſunt bona animi, quæ ideò bonis corporis anteponenda, & præ quibus bona fortunæ ſunt meræ quiſquiliæ, quibus frui dulce eſt, adhærere inſipientis eſt. Inſani omnes bonum quoddam fluxum & labile miſerè ambiunt, diliguntque. Sic ſunt adoleſcentes, quos etiam mentiri ſæpe non pudet, qui ita læduntur à contumelioſâ mendacii exprobratione, ut hoc dedecus ſuo, aut adverſarii ſanguine eluere non dubitent, & ſi inulti ſunt, in morbum, ut melancholiam, delabantur; hoc furore tamen apud Sapientes multò plus eos infamari certum eſt, quàm ab ultione decorari; miſera felicitas, quæ ab alterius arbitrio pendet.

39. Itaque inſanientes, falſis moralis philoſophiæ principiis imbuti, poſſunt ratiocinio ad rationis uſum revocari, modò velint nobiſcum perpendere quid verè bonum ſit, quid aliis anteponendum, & cujus poſſeſſione contenti cæteris tutò carere valeamus: voluptas equidem eſt ſumma bonorum, ſed ea debet eſſe conſtans, inconcuſſa, ſincera, & vera, nulliſque obnoxia damnis.

„ Nam quid velle poteſt homo, ni vult eſſe beatus,
„ Hoc unum variis quærunt in motibus omnes;
„ Vos per delicias & lenimenta dolorum,
„ In quibus ut vento fluviique fugacibus undis
„ Nil ſtabile eſt, ubi ſe veri ſpes conſcia fundet;
„ Quos bona nulla movent, niſi quæ infinita putentur,
„ In virtute Deum, atque Deum in mercede requirunt.

40. Præter moralia ſunt etiam auxilia phyſica, quæ morbo radicato ſæpiùs inutilia ſunt, niſi à febre fugaci ſuſtineatur delirium; notum enim eſt maniam, melancholiam, ſimileſque morbos chronicos difficillimè ſanari, & hypochondriaſim ipſam, licet multò leniori delirio ſtipetur; ob id crux & opprobrium Medicorum vulgò dicitur; cùm autem in ipſis fibrarum tenſio, & ſanguinis viſcoſitas ad ſiccitatem vergens ut plurimum morbum foveat, nihil diluentibus, refrigerantibus, & potiſſimum balneis feliciùs ſuccedit.

41. In melancholiâ verò & hypochondriaſi optimum auxilium eſt itineratio & equitatio; quippe cùm maximè referat ideam morbificam, quâ ægri torquentur, depellere, nihil eſt ad hoc utilius quàm animæ attentio-

tionem ab hac in alias, eaſque varias ideas divertere: docet autem obſervatio homini iter facienti, vel equitanti continuò varia nova & gratè afficientia obverſari objecta, quæ ſucceſſu temporis animam à priori ideâ revocant; interea dum purioris auræ reſpiratio, & moderatus muſculorum motus ſanguinis lentorem reſolvunt, perſpirationem adjuvant, famem & digeſtionem reſtituunt, ſomnoque pacato anſam præbent.

CLASSIS OCTAVA.

VESANIÆ.

ANima, quandiu corpori ſociata eſt, ejus malis compatitur in omni morbo; illa frigore & calore alterno, nec non moleſtiâ debilitatis afficitur in *febribus*; iiſdem miſeriis nec non dolore ſimul in *phlegmaſiis* vexatur; ejus facultas motrix depravatur in *ſpaſmis* & *anhelationibus*, languet in *debilitatibus*; ſenſuſque feriatur in *comatibus* & *dyſæſtheſiis*, ut tactus intenditur & moleſtus evadit in *doloribus*. Verùm præter facultatem movendi & ſentiendi, quæ in illis morbis laborant, ſunt aliæ ipſius facultates, quæ ſpecialiter læduntur in veſaniis, quippe facultas objecta abſentia ſibi repræſentandi, ſeu phantaſia, cujus ope ideas boni & mali retinet, revocatve, organorum culpâ quandoque vitiatur, unde error imaginationis, ſeu *hallucinatio*, ut in vertigine & ſyrigmo; facultas ſuperior quæ ex idearum comparatione exſurgit, ſeu judicium etiam ab hallucinatione in errorem deducitur, maximè ſi cerebrum ratiocinii præcipuum organum lædatur, unde *delirium;* demum inclinatio & averſatio ejus circa objecta bona & mala phyſica, corporis noſtri conſervationem aut ſpeciei propagationem ſpectantia, in errorem pariter trahuntur ex organorum & ipſius cerebri vitio; inde voluntates & cupiditates depravatæ, quæ *moroſitates* genericè vocantur.

Morbos itaque quorum præcipuum ſymptoma eſt *hallucinatio*, *delirium*, aut *moroſitas*, claſſico veſaniæ nomine indigitandos volumus: *veſanos* ſiquidem à rectâ ratione alienos aut errore gravi, conſtantique detentos nuncupamus, atque error conſtans animæ in imaginando, judicando, vel appetendo, eſt hujus claſſis character, qui quidem directè ſub ſenſus non cadit, aſt ita facilè à quovis homine ſano cognoſcitur, ut in ipſis ovibus ſimiles vel his affines morbos agnoſcant paſtores.

Rectæ hominum actiones ſunt illæ quæ in bonum quemdam finem conſpi-

ſpirant; in homine rectè agente, & mente ſanâ prædito, hanc actionum conſpirationem cernimus, ſi geſtuum, localium motuum, cupiditatum, diſcurſuum, judiciorum inter ſe nexum reſpiciamus; nec opus eſt ad hallucinationem aut delirium agnoſcendum, ut ſyllogiſmos falſos proferat veſanus; ſufficit, ut ex ejus actionibus quibuſcumque inter ſe & cum communi hominum ratione non cohærentibus, ejus errorem aut alienationem intelligamus.

Facultas cognoſcendi ſuperior, quæ *intellectus* vocatur, homini conceſſa eſt, ut verum à falſo, bonum & malum reale ab apparenti diſtinguere valeat; ut autem facultatibus ſuis rectè utatur, is debet libertate ſua non abuti, debito ſcilicet regimine corporis, organorumque ſuorum valetudinem ſervare, nec non veri, bonique ſtudio attentè incumbere; qui ſecùs faciunt, ſibi imputent, quod ſanitatem mentis cum ſanitate corporis amittant, quod erroribus & præjudiciis irretiti falſum pro vero amplectantur, & errent; quodque cupiditatibus aut averſationibus ſenſitivis abrepti, rationique minùs optemperantes, moroſitates admittant, ſeu pro bonis habeant quæ mala ſunt, & pro malis averſentur quæ forent ſectanda.

Hæc eſt duplex hallucinationum, deliriorum & moroſitatum origo. Qui crapulæ indulgent, illi organa ſua ita vitiant, ut vertigine, viſu duplicato, ſomnolentiâ, paraphroſyne afficiantur, hinc verò intellectûs depravatio, amneſia, amentia, mania ex corporis vitio, quod ſuâ culpâ contraxerunt; verùm ipſamet voluptatis ex vino perceptæ aſſidua contemplatio facit, ut vinoſus hoc bonum phyſicum attendat, bona cætera prætermittat, maximè verò intellectualia, adeoque ut pergræcationi, tanquam bono reali, & omnium maximo, inhiet. Hinc error qui cæteras animæ facultates, ut judicium, voluntatem tranſverſum rapit, & ſic abuſus libertatis vitia corporis vitiis ipſius animæ cumulat, & in diverſas veſanias hominem deducit.

Hinc ſequitur eos homines, qui cupiditatibus ſuis libentiùs indulgent, & intellectum minùs excolunt, ut Americani præ Europæis, ruſtici præ litteratis, mulieres præ viris, ganeones præ Philoſophis, hiſce mentis erroribus & voluntatis depravationibus eſſe magis obnoxios.

Inter eos verò qui rationi obſecundant, ſuiſque pathematis frænandis & regendis incumbunt, illi morbis animi ſunt magis expoſiti qui etiam ſtudio acriùs incumbunt, qui labores animi ſuis viribus majores ſubeunt; non ſecùs enim ac cantores morbis pectoris, ganeones morbis genitalium; ita qui tùm imaginationem, tùm judicium, tùm alias animæ facultates, ultra modum exercent, morbis animi ſæpiùs afficiuntur.

Hoc tamen non impedit quominus ex recto harum functionum uſu, & moderato exercitio omnes animæ facultates roborentur, non ſecùs ac qui modicè choream ducere aſſuevit, qui modicè lyram pulſare aſſuetus eſt, is faciliùs, aptiùs & expeditiùs eos motus exſequitur, conſtantiùſque quàm qui in his minimè exercitatus, & rudis eſt.

Veſa-

Veſaniæ à duplici conditione, tùm animi, tùm corporis pendent, ſcilicet vel à nimiâ ſenſibilitate, vividitateque, vel à ſegnitie & tarditate idearum, phantaſmatum, judiciorum, appetituum; utrumque autem vitium pendet à principiis moralibus, aut à principiis phyſicis.

Quoniam verò inter principia moralia libertatis abuſus primas tenet, ejuſque rectus uſus ad ſanitatem animi ac corporis recuperandam omnino neceſſarius eſt in multis caſibus, non mirum eſt ſi veſaniæ ita rebelles & pertinaces ſint, ràròque & difficulter ſanentur; quippe ægri quod in ſe ipſis eſt nequaquam agere ſuſcipiunt, quia ægritudinem ſuam ignorant, aut cognitam amant.

Morbos animæ curare non eſt ſtupidi & imperiti, ſed ſolertis & ingenioſi Medici, in pſychologicis & moralibus æque ac in phyſicis verſati, qui apprime diſtinguat quandonam irritabilitas generis nervoſi, ſeu nimia ſenſibilitas, quandonam verò atonia & torpor in cauſâ eſt.

Imprimis eligendus Medicus fiduciam ægri jam adeptus, ubi valet illud effatum; *præſtat Medicum eſſe ægri amicum quàm ignotum;* ſecus æger ſuſpicioſus, indomitus, ferox, ipſius conſiliis exaſperabitur, ejuſque auxilia recuſabit.

Veſani ſæpe ingenii acumine pollent, ut hyſtericæ & hypochondriaci, nec craſſæ minervæ dictis aurem præbent, vulgaremque ac utplurimùm falſam medicaſtrorum theoriam vix ſibi cohærentem riſu excipient, ad populum phaleras dimittent. Quis enim niſi ſtolidus probaret eorum Medicorum opinionem quæ omnes morbos ſaburræ ſtomachi, vel humorum ſpiſſitudini & acrimoniæ tribuit?

Philoſophus ſit qui morbis animi mederi contendit; cùm enim origo horum morborum ſit præconcepta idea boni cujuſdam circa quod errat ægrotans, illud vehementer appetens quod bonum ſibi videtur, periti Medici officium eſt, ut ipſi ratiocinando probet illud quod tantopere appetit bonum eſſe apparens, & malum reale, ſicque eum ab errore abſtrahat.

Sed ſumma etiam in Medico requiritur animi lenitas & flexibilitas, quâ diverſitati animorum ſeſe accommodet, eorumque fiduciam captet; nam nihil eſt difficilius, moroſiuſque veſanis, & in omni ferè morbo plures, aliàs maximè rationales, jam moroſi evadunt; tempus opportunum ad conſilia & monita, nec non ad remedia offerenda eſt cautè eligendum; ægris mœſtis, diffidentibus, deſperatis, Medicus hilarem & ſerenum vultum præbeat; meditabundum & triſtem ne invites ad riſum & jocos, indignabitur æger moleſtum interpellatorem; ut ejus formidinem pellat, errorem corrigat, mœrorem diluat, amicè & familiariter, ut ait *Kloeckhoffius*, at lentè & diſtinctè, graviterque argumenta ſua proponat, pauca, clariſſima, quibus communis omnibus ratio ſtatim aſſentiri queat; ſi vel quidquam obſcuri, falſive detexerit æger, actum eſſe ſolet de toto molimine.

Maxima præterea in Medico requiritur patientia, ne ſuos conatus, ut-

 cum-

cumque induſtrios, dum multoties eluſos videt, de perficiendâ curâ deſperet, & totum opus derelinquat, ne ægri moroſi faſtidia & repulſas tolerare recuſet.

Maximi momenti eſt principium erroris è tenebris eruere; non raro hoc celat cautiſſimè veſanus, quem pudet fateri ſe gravem contumeliam paſſum, aut bonorum, honorisve jacturam experiri; atqui tamen ſi ignoretur origo veſaniæ, ipſi mederi impoſſibile eſt. Mulier quædam quæ conjugem ſuum miſerè amabat, & ab ipſo ſe pariter amatam eſſe hactenus crediderat, cùm ſpe ſuâ ſe deluſam percepiſſet, & maritum perfidum eſſe cognoviſſet, animo ſuo mori firmiter decrevit, nec cuiquam ſuum aperuit propoſitum; interea vetabat religio, horror ſuicidii, parentum & natorum amor, quominus ſubitò ſibi faceret ſatis; demùm poſt multas inducias vitam ſibi ſubitò eripuit. Si verò maritus hoc infortunium vitare potuiſſet, nihil erat aptius quàm ipſius ægræ lateri continuò hærere, eam in itinere quodam grato comitem ſibi adjungere, ſicque mœrorem & zelotypiam idearum diverſitate, & fidei ſuæ argumentis diluere: accerſitus Medicus varia præſcripſit medicamina, quæ morbi principium non attigere, & infelix ægra horrendâ cataſtrophe vitæ ſuæ finem impoſuit: *Nichols.*

Quanto in errore verſabantur veteres Medici, qui in veſaniâ fere quâcumque atram bilem pro morbi fomite incuſabant, eamque acribus helleboratiſque catharticis evacuare contendebant. Medicamina nunc acria, ſi atonia fuerit, nunc lenientia, ſi erethiſmus adſit, conveniunt; verùm cæteris longè præſtantiora ſunt utplurimùm auxilia moralia. Plura de morbis illis curandis vide in eximio, nuperoque tractatu *Corn. Kloeckhoffii de morbis animi ab infirmato tenore medullæ cerebri*, cujus verba mea facere, dato loco, non dubitabo.

ORDO PRIMUS.

HALLUCINATIONES,

SUNT illi morbi, quorum præcipuum ſymptoma eſt imaginatio depravata, erronea. Hallucinantur illi qui vigilantes ſomniant, id eſt, apud quos ſenſationes pro imaginationibus, & imaginationes, ſeu phantaſmata pro ſenſationibus habentur, ut rectè monet *ill. Delius.* Dum mens rectè ſe habet, ideæ aliæ ſenſuum miniſterio offeruntur, ſcilicet objecta colorata, ſonora, ſapida percipimus præſentia, & in organis noſtris impreſſiones ſuas actu exercentia, ſimulque ope reminiſcentiæ ideas univerſales prædicatorum illis objectis convenientium repræſentare nobis poteſt phantaſia; unde fit ut celeri ſubjecti & prædicati combinatione cognoſcamus tale prædicatum tali ſubjecto congruere; v. g. ſaccharum eſſe dulce, abſinthium eſſe

eſſe amarum; cùm itaque ſaccharum ore detinemus, oritur perceptio dulcedinis quam ſenſationem eſſe cognoſcimus; cùm è contra nullo ſaccharo in ore detento, hujus ideam nobis repræſentamus, exſurgit phantaſma, ſeu perceptio imaginaria ſacchari, quod ab ore cognoſcimus abeſſe; tum quia non percepimus motus prævios ad illud in os ingerendum neceſſarios, tum quia perceptio imaginaria multò debilior eſt ſenſatione; hactenus error nullus, tùm in ſentiendo, tùm in imaginando; verùm ſi, ut accidit in ſomno, ſenſationes obſcuriſſimæ evadant, ita ut objecta præſentia non appercipiamus, ſimulque anima objectis externis minimè diſtracta, & tota perceptionibus imaginariis attenta ſit, illa percipiet motus quos in organis fluidi nervei fluxus & refluxus, arteriarum, & ſanguinis motus excitant, qui inter vigilandum debiliùs nos afficiunt quàm ut percipi poſſint, utpote qui multò fortioribus impreſſionibus obſcurantur; tunc anima ideas æque vividas percipiet, ac ſi forent ſenſationes, cùm tamen imaginationes ſint, adeoque objecta illa præſentia reputabit quæ ſunt abſentia, inde error qui hallucinatio eſt; nam anima more ſomniantium præſentium externorum impreſſiones non ſentiet, & internorum impreſſiones referet ad objecta quibus repræſentandis ſunt deſtinata, quæque proinde præſentia eſſe reputabit, licet ſint abſentia. Sic infans dormiens ſaccharum ſe deguſtare ſomniabit, ſi in ejus linguæ papillis aliqualis motus à ſalivâ, ſanguine, fluidove nerveo exſurgat, qui affinis ſit cum ſpeciali ſacchari impreſſione; & cùm ſimplex idea menti refricata, omnes cum illâ ſociari ſolitas refricet per legem imaginationis (*Cl. VIII* §. *28*) ex perceptâ ſolummodò ideâ dulcedinis, vel viſcoſitatis, vel friabilitatis ſacchari, cæteras omnes ſacchari qualitates, ut albedinem, in aquâ ſolubilitatem, jucunditatem, percepturus eſt, quod eſt percipere in concreto, non verò in abſtracto, ſeu percipere objectum undique determinatum; hinc non mirum ſi illa imaginatio pro ſenſatione habeatur.

Anima vigilans ſimilem errorem vitat; quippe ope tactûs, viſûs, auditûs, memoriæ, reflexioniſque ea diſtinguit omnes circumſtantias, quarum concurſu de objecti præſentiâ, vel abſentiâ, adeoque de ſenſatione & de imaginatione rectè judicat; errores enim guſtûs corrigit viſus, prævertit auditus, emendatve altera facultas; ſed in ſomno deſunt illa adminicula; unde errores illi in dormientibus ita familiares ſunt: in vigilantibus etiam obrepunt illi errores, ſive impreſſiones in organo factæ ab arteriis, ſanguine, ſuccisve aliis, ita ſunt actuoſæ, ut ſenſationibus ferè æquales ſint. Hinc in febribus ob pulſationem vehementem vaſorum cerebri, aurium & oculorum, naſcuntur tinnitus, marmaryges, ſimiliaque phantaſmata, quæ nos vehementiſſimè commovent.

Error etiam facilè admittitur, ſi menti inhæreat fixa quædam idea, quæ maximam attentionis partem abſumat; unde anima ad alias ideas trutinandas, recipiendas minus ſit apta; inde fit ut qui veneri continuò inhiat, voluptuoſiſque phantaſmatis continuò delectatur, non ſolùm in ſomnis ex levi ſeminis titillatione imaginationes venereas, & inde ſequentes

 tes

tes libidinoſos motus experiatur ; verùm etiam inter vigilandum à ſimilibus phantaſmatis detentus & turbatus, momentoſis negotiis, philoſophiciſque ſtudiis proſequendis impar ſit, & veluti de rebus venereis continuò deliret.

Hallucinatio itaque pendet à duplici principio, ſcilicet 1° à fortiori, vividiorique fluidi nervei refluxu ſpontaneo, ſeu ſine objecti externi præſentiâ, ſed ob motum in organi fibris, arteriis, fluidisve excitatum à cauſâ intrinſecâ. Sic agitatâ retinâ marmaryges, vellicato nervo acouſtico ſoni imaginarii percipiuntur. Incuſanda itaque & fibrarum nervearum ſenſibilitas major, ſeu fluidi nervei nimia mobilitas, necnon motuum ſanguinis intenſitas, aut humorum major activitas. 2° A defectu attentionis ad omnes circumſtantias quæ errorem fugaret ; illa autem attentio ad omnes circumſtantias deficit, ſive organa ſenſuum ferientur, ut in ſomno, in anæſtheſiis, paralyſibus quorumdam organorum, ſive anima pathemate quodam detenta cupiditati, aut averſationi cuidam tota inhærens, cæteras ideas attendere, & accuratè perpendere nolit, aut nequeat.

Ex hac verò theoria, praxis hallucinationum deducitur; etenim ad eas curandas. 1° Organi affecti vitioſus ſtatus corrigendus eſt, ſic ablatâ maculâ corneæ, ablato retinæ infarctu, viſûs errores qui ex his pendebant, corriguntur : imminuto ſanguinis fervore & impetu ſomnia terrifica, quæ à plethorâ aut calore oriebantur, evaneſcunt : alia verò auxilia ſunt moralia, & repetuntur à recto libertatis & aliarum facultatum uſu ; ſic phyſici ut errorem in ſuis indaginibus vitent, ſummâ attentione, acri ſtudio, meditationeque utuntur, optima inſtrumenta ad viſum auditumque acuendum adhibent, menſuras accuratas ſedulò capiunt, & ſic errores ſæpiùs vitant, quàm ſtolidi, ruſtici, aut qui cupiditatibus ſuis, voluptatibuſque ſenſuum mancipati, ſuas facultates excolere negligunt.

Hallucinationes *viſûs auditûſ*que ſunt omnium frequentiſſimæ ; dantur etiam *tactûs*, ut in artubus dudum amputatis, *guſtûs* in febribus, necnon *olfactûs ;* ſic in epileptico *Morgagni* fœtoris perceptionem imaginariam obſervavit *Epiſt. XIV*, *28 ;* hæ hallucinationes non ſunt morbi, ſed tantùm aliorum morborum accidentia eaque anonyma.

I. VERTIGO ; Græcis *Dinos*, *Scotodinos*, *Scotoma ;* Gallis *Vertige*, *tournoyement de tête.*

Eſt hallucinatio quâ objecta licet quieſcentia è loco moveri vel in gyrum verſari nobis videntur. Ipſe æger ſibi quandoque nutare videtur.

Cauſa vertiginis eſt eadem impreſſio facta in retinâ quam reapſe inducerent objecta ſi viſa imaginem ſuam in diverſis retinæ punctis ſucceſſivè depingerent. Non autem in omni vertigine repræſentantur menti objecta viſûs ſeu quatenus colorata & colluſtrata, quippe oculis clauſis vertigo etiam datur, & tunc objecta tactûs quorum colorem non percipimus, videntur è loco moveri licet quieſcant. Sic in lecto jacens vertigino-

ginoſus lectulum ſuum retrorſum, ſiniſtrorſum, vel dextrorſum præceps ruere vel inclinare imaginatur, & ne cadat ipſe metuit. Eſt ergo vertigo tactûs, ut vertigo viſûs, atque utraque fit per eadem organa, cùm nervi viſorii ſimul tactûs ſenſationem referre queant, cùm non repræſentant objecta viſûs.

Principia vertiginis ſunt ea quæ valent ſucceſſivè agere in diverſa retinæ loca, non ſecùs ac agerent radii ex objecto circumgyrante vel moto prodeuntes in retinam immiſſi: nam ideò non ſumus vertiginoſi cùm objectum tranſiens à dextris ad ſiniſtras ſuam imaginem depingit in retinâ continuò loco motam, aut cùm oculo gyrante luſtramus objectum quieſcens, cujus imago percurrit oculum, quia novimus ſaltem confuſè noſtrum oculum, vel illud objectum moveri; ſed ſi ignoremus noſtrum oculum moveri, & credamus objectum v. g. murum eſſe immobilem, tunc motum illius objecti percipientes illud moveri imaginamur, in quo hallucinamur, non deliramus tamen; quia errorem noſtrum ſtatim corrigimus ope judicii & aliorum ſenſuum; interea in paroxyſmo ita hallucinamur, ut caſum illicò ſeu lapſum & domûs & noſtri corporis ab altero vix ſeparabilem metuamus, quandoque ad tremorem & palpitationem uſque.

Immoto bulbo oculi & muro videbitur objectum moveri: 1° Si lens cryſtallina, cujus motus non appercipimus, dextrorſum vel ſiniſtrorſum inclinet; quod accidit, ſi fibræ coronæ ciliaris, quæ in ſtatu ſano hinc & inde ſunt æquilibres, ſpaſmo quodam contrahantur, ut accidit in vertigine hyſtericâ & hypochondriacâ: 2° Si globuli cruoris, qui percurrunt reticularia vaſa retinæ, inſolito modo moveantur; motus progreſſivus cruoris in illis vaſis eſt ita aſſuetus, ut à nobis non percipiatur, ut non percipimus pulſus arteriarum labyrinthi, nec molitor motus ſuæ moletrinæ; ſed ſi motu retrogrado ſanguis arterias illas percurrat, tunc inaſſueta illa actio in retinam novam in nobis ſenſationem excitabit.

Sanguinis motum retrogradum dari in vaſculis minimis arterioſis à leviſſimâ mutatione morbifica, obſervant omnes qui circulationem ſanguinis ope microſcopii in ranæ pedibus, meſenterio, caudâ piſcis, &c, obſervant. Ipſe centies hunc motum ſanguinis retrogradum obſervavi, & aliis videndum præbui: vidit deinceps ſæpiùs *Ill. Hallerus*: Vide *ejus commentaria de motu ſanguinis ſect. 4 exper. 64 ad 82 Lauſanæ 1756.*

Ita liberè promovetur ſanguis ex truncis arteriarum in extremos ramulos, ut levi enato in venulis obice ſanguis ille in arteriolas & ex illis in truncos regrediatur per aliquot temporis ſecunda, rurſus progrediatur in venas, rurſùſque retrogrado motu in arterias influat. Ille verò obex eſt vel craſſities ſanguinis, vel ejus plethora, vel frigus, vel ligatura, vel ſpaſmus viam coarctans in minimis vaſculis, hinc totidem vertiginis principia. Cùm autem oculis apertis & ſub luce hic retrogradus motus accidit, ſucceſſivè diverſa retinæ loca afficiuntur non ſecus ac ſi objecta præſentia loco moverentur, & tunc datur vertigo viſûs, quia refertur ad objecta viſibilia: ſi verò ocu-

lis

lis clauſis aut in tenebris ſimilis motus retrogradus detur in retinâ, tunc non videre, ſed ſentire tantùm, ſeu tactu quodam confuſo percipere horum objectorum vicinorum motum exiſtimamus. Sic cœcus in ſuo ſedili quieſcens exiſtimat ſedile retrorſum inverti, vel ad latus alterutrum inclinare & delabi, quia impreſſio in retina facta, licet non viſibilis, eadem eſt ac ſi reapſe labaſceret ſedile, nec ullum objectum viſibile, ſed tantùm tactile perciperetur.

In retinâ verò ille motus retrogradus eſt magis ſenſibilis quàm in ullo alio organo, quia retina eſt tota nervea adeòque valdè ſenſibilis. Secundò quia cùm venulis careat, ut patet ex theoriâ ſuffuſionis reticularis, illa minimè eſt aſſueta motui retrogrado cuicumque, cùm aliæ partes nervoſæ quæ habent venulas arteriolis contiguas motui retrogrado ſanguinis per venulas ſuas ſint aſſuefactæ. Docet experientia impreſſiones ab objecto viſibili factas in retina aliquot ſecunda perſeverare etiam remoto objecto, ut patet ex zona flammea quam cernimus, cum titio accenſus præ oculis in circulum verſatur; ergo ſi corpus noſtrum in gyrum agatur circa ſuum axim, cùm ſemel ſteterit, vertigine corripiemur fugaci, quippe impreſſio objectorum cyrcumgyrantium aliquandiu poſt in retina remanebit.

Idem accidit cùm ex altâ parte flumen præterfluens attentè intuiti ſumus, vel rotam velociter circumactam, vel alterum motum, maximè ſi terrorem vel metum incutiat; clauſis etenim ſubitò oculis aut aliò directis adhucdum moveri objecta judicamus, quæ quieſcunt: terror autem, extrema vaſa membranaſque conſtringens, motum retrogradum ſanguinis excitat in retinâ ut in aliis organis, unde hallucinatio ſuſtinetur.

Similis motus retrogradus in auribus tinnitum vel ſibilum excitat, unde non mirum vertiginoſis aures ſæpiùs tinnire, cùm ab eodem principio in auribus ac in retinâ ſæpe ſanguis retrogrediatur.

Qui verò tribuunt vertiginem majoribus arteriolarum retinæ oſcillationibus illi ignorare videntur quòd illæ oſcillationes, & turgeſcentiæ excitent tantummodo ſuffuſionem reticularem, qualem experimento ſingulari excitare valemus. Vide *ſuffuſionem.*

Hallucinatur vertiginoſus, non verò delirat: delirium enim eſt error conſtans qui à facultatibus animæ ſuperſtitibus corrigi non poteſt, quique pendet à vitio ſenſorii communis, ut in maniâ, melancholiâ. Hallucinatio eſt error fugax qui pendet à ſolo vitio organorum externorum, quique ab ipſo judicio & reflexione ſalvis facilè corrigitur, ut qui globulum digito indice & medio ſuperimpoſitis palpando duplicem globulum ſe tractare ſtatim putat, aut qui flexo ope digiti oculo duplicem facem accenſam putat, cùm unica eſt.

Licet ſit vertigo tactûs, ut vertigo viſûs, ultimæ ætiologiam tradidiſſe ſufficiet, cùm quæ de poſteriori dixerimus, mutatis organis, de priore facilè intelligenda ſint.

Ver-

Vertigo viſûs eſt illa in qua reapſe objecta tanquam circumgyrantia in oculis depinguntur, licet ſint immota, aut motum ab eo diverſum obtineant.

Objecta moveri videntur, vel quia reapſe moventur, vel quia illis immotis, oculi noſtri aut quædam eorum partes nobis inſciis moventur eo modo qui ad ſucceſſivam objectorum in oculi partibus diverſis delineationem requiritur.

Cùm autem ſitus imaginis in retinâ ſit è directo objecti, quæ ſunt in latere dextro pinguntur ad ſiniſtram retinæ, quæ ſunt in ſummâ pinguntur in imâ oculi parte, & reciprocè. Ergo ſi eadem fiat impreſſio ſucceſſiva in oculo à dextris ad ſiniſtras, quæ ab objecto circumgyrante, ſeu ad eamdem à noſtris oculis diſtantiam modo accidit, objectum à ſiniſtris ad dextras circumagi videbitur. Et ſi imago objecti juxta axim oculi moti ſucceſſivè clarior, diſtinctior, & major appareat, objectum ad nos accedere, ſecùs verò à nobis recedere videbitur.

Inſultus verò vertiginis fugax eſt, licet quandoque repetitus & interpolatus, vix ultra temporis minutum unquam quiſque inſultus perſeverat, ſæpiùs intra minuti trientem, imò quadrantem deſinit.

Polus opticus eſt pars oculi pupillæ è directo oppoſita: ille polus opticus non multùm diſtat ab inſertione nervi optici, qui verſus canthum naſalem eſt; in meditullio ipſo nervi optici eſt arteria centralis dicta, quæ nullam venam comitem habet, quæque in retinam ramulos ſuos è centro ad circumferentiam tanquam radios dimittit; venulæ verò aliam viam perſequi videntur.

Si oculis parietem album proximum reſpicientibus, lucem retrò accedentem, ſolarem non tamen directam, ſed reflexam accipiat paries, obſervator videt in muro reticulum obſcurum, quâvis arteriarum pulſatione apparentem, mox evaneſcentem.

Cùm verò venulæ ſint arteriolis majores, ſi nullum reticulum ſuperſit, cùm arteriæ ſunt in ſyſtole, nullas venulas ſaltem arteriis dilatatis æquales retinæ aſſidere veroſimile eſt; ergo nullum eſt in retinâ, vel magis diſſitum eſt reticulum venoſum.

Juxta quamcumque plagam lumen oculos prætergrediatur, hujus imago ſequitur lineam curvam quæ à circumferentiâ incipiens verſus polum opticum accedit.

Lens cryſtallina polo antico corporis vitrei affixa limbo ſuo adhæret membranæ vitreæ; circa hunc limbum radiatim diſpoſitæ ſunt fibræ nigricantes alternatim breviores & longiores, quæ *coronam* dictam *ciliarem* conſtituunt, quæque videntur à ligamento ciliari procedere & in limbum cryſtallini terminari; ſi pauliſper contrahantur illæ fibræ, nihil faciliùs videtur quàm quod lentem cryſtallinam ex eodem latere paululum deprimant, & ex oppoſito attollant.

Si lens vitrea cameræ obſcuræ foramini oppoſita tranſmittat imaginem objecti immobilis, eamque depingat in pariete oppoſito, docet experientia quòd

quòd ſi immoto objecto lens vitrea ſola inflectatur, imago locum mutat ſeu movetur; ergo ſi lens cryſtallina per coronæ ciliaris tractionem inflectatur, imago objectorum movebitur, ſeu objecta loco moveri videbuntur, licet immota ſint.

Si globus ipſe oculi circa ſuum nervum opticum huc vel illuc inclinet, nec hujus motus anima ſit conſcia; evidens eſt quòd objectorum licet quieſcentium locus apparens mutandus ſit, ſeu objecta circumgyrari videantur. Si verò anima hujus motus, qui per muſculos rectos aut aliquos perficitur, ſit conſcia, tunc nulla ſubſecutura ſit hallucinatio.

Illæ tres hypotheſes phænomeno vertiginis explicando ſufficere videntur pro diverſis circumſtantiis, eo tamen diſcrimine quod ſi bulbus oculi loco moveatur, quoniam ille motus millies in die ſecutus eſt imperium animæ, millies in die connexus eſt cum conſcientiâ illius imperii, adeoque vix fieri poteſt quin hanc connexionem appercipiamus; ſed ſi appercipiamus hunc motum dependere ab animæ imperio, nulla vertigo ſecutura eſt; ergo ab hoc principio vertigo dependere non poteſt.

Motus quidem cryſtallini minimè pendet ab imperio animæ, & omnino inaſſuetus eſt, nec coram ſpeculo in nobis ipſis, nec in aliorum oculis percipi poteſt; ſi itaque accidat, anima ejus non erit conſcia, adeoque inde hallucinatio vertiginem conſtituens oriri poterit.

Verùm eam non eſſe vertiginis omnis cauſam ex eo ſequitur quòd vertigini tactûs explicandæ non ſufficiat, cùm ſupponat oculos apertos & in luce conſtitutos, vertigo verò tactûs etiam oculis clauſis & in tenebris nocturnis accidat.

Supereſt itaque prima theoria quæ utrique vertigini explicandæ ſufficere videtur, quæque proinde fuſiùs eſt examinanda.

Si ranæ vivæ membranam quibus ejus digiti connectuntur microſcopio ſolari ſubjiciamus, videbimus rivulos ſanguinis & lymphæ, quorum alii à corde recedunt, & arterioſi ſunt, alii ad hoc accedunt & venoſi dicuntur, vaſa verò ipſa minimè appercipimus. Aſt ubi animal vel conatu exagitatur, vel pungitur, vel quomodocumque perturbatur, nihil eſt frequentius quàm quod videamus motum ſanguinis progreſſivum in retrogradum mutari, ita ut globuli ſanguinis ex venulis in arterias refluant, & per aliquod temporis ſpatium, v. g. ſemiminutum, per arterias verſus cor retrocedant, priſtinum iter mox recuperaturi, aut inter aliquot oſcillationes in hoc alterno progreſſu, & retrogreſſu hæſitaturi; hoc phænomenum ante viginti annos Philiatris ſæpiùs oſtendi.

Illud autem quod in minimis vaſis cylindricis familiare eſt, in majoribus difficiliùs accidit, quippe in majoribus arteriis vis ſanguinem à corde ad extrema protrudens eò major eſt quò cordi proximiora & majora vaſa ſunt, & non niſi vi majuſculâ ipſi æquali adhibitâ poteſt ſanguis refluere; in minimis verò vaſculis ſanguis ſubſequens non agit in antecedentem, ſed communi eâque exiguâ velocitate ambo procedunt, ita ut illi rivuli velut aquæ gutta in

in tubo vitreo horizontali poſita, ad progrediendum & retrogrediendum æqualiter proni videantur.

In novâ pulſûs theoriâ probavimus pulſationem vaſorum pendere ex eo quod ſanguis ſubſequens cum majori velocitate progredi conetur quàm antecedens, ſicque in antecedentem, & proinde in parietes eum continentes agit, atque ratione contrariorum, ubi nulla eſt pulſatio, conſequens eſt ſanguinis ſubſequentis in antecedentem nullam eſſe actionem, in extremis autem arteriolis microſcopium nullam pulſationem oſtendit.

Hinc ſequitur quod reticulum, quod in retinâ formant vaſa in experimento ſuperiùs allato ſenſibilia, non depingitur in arteriolis ultimis; quippe cùm vaſa hoc reticulum depingentia pulſant, niſi tamen alia ſit circulatio in ranis, piſcibus & meſenterio catellorum in quibus eadem obſervantur, alia verò in oculis hominum, quod vix ullus admittat Phyſiologus.

Nihil itaque veroſimilius eſt quàm quod in eiſdem circumſtantiis in quibus ſanguis per arteriolas minimas animalium prædictorum retrograditur, ſanguis etiam arteriolas retinæ humanæ præteriens refluat.

1. *Vertigo plethorica* Junckeri; *idiopathica* Pitcarnii. B. P.

Ea eſt quæ ſanguinis nimiæ copiæ tribuenda videtur & per plethoram intelligi poteſt; à plethorâ ſcilicet ob molem movendam majorem & affrictus adauctos ſanguinem in ultimis vaſis retardari pronum eſt; ſed ut ſanguis in minimis vaſis retardatur, vis quâ progreditur tantumdem imminuitur, atque vi truſivâ ejus imminutâ facilè ſanguis à minimâ vi huc vel illuc movetur, atque refluere poteſt; ergo à plethorâ intelligitur poſſibilitas vertiginis.

Cognoſcitur vertigo plethorica à prægreſſis, comitantibus, à juvantibus & lædentibus. Prægreſſa, ut ingurgitatio avida, copioſa eſculentorum eupeptorum, cum fame, vis digeſtiva fortior. Comitantia, pulſus plenus, facies turgidula, rubra, ſegnities, laſſitudo, catameniorum, hæmorrhoidum, perſpirationis ſuppreſſio, venarum cutanearum tumeſcentia. Juvantia, vertiginoſi illi manè poſt inediam, vel exercitium melius habent, eruptis catameniis, hæmorrhagiis narium, perſpiratione, clyſmatis, meliùs habent, è contra ab epulis, à ſomnolentiâ, ignaviâ, poſt paſtum pejus habent.

Si plethora ſit magna, & cerebri debilitas, ex vertigine forti ſuccedere poteſt apoplexia, epilepſia vel alius gravis affectus, in quo caſu medicamenta negligenda non ſunt; in fugaci verò vertigine diæta tenuis ſufficit.

Curatio. 1° Imminuenda eſt plethora: 2° Sanguis à capite eſt divertendus: 3° Vaſorum oculi robur eſt denique adaugendum.

Imminuitur plethora 1° victu parciori, eoque fluxiliori, quippe plethoram viſcoſitas ſanguinis facilè comitatur; 2° auxiliis catamenia, hæmorrhoides

revocantibus, phlebotomiâ ex brachio, clyſmatis, imo catharticis, ſed phlebotomia directè ſubitoque idem præſtat.

2° Derivatur ſanguis ad partes inferiores ſitu erecto, capite elatiori, non horizontali, collaris ſolutione, ſeu plenariâ colli & thoracis, cingulorumque abdominis libertate, clyſmatis, phlebotomiâ è talo, lavipedio, frictione extremorum, catharticis.

3° Roborantur vaſa oculi medicamentis tonicis, cephalicis ſpecificis; huc ſpectant potus theiformes ex infuſo florum ſalviæ, lilii convallium, tiliæ, ex decocto chinæ, pauco vino & aquâ ferratâ, potu caffeæ tenuioris; medicamina ſint ſtercus pavonis ſiccum ad ſcrupulum, *Pitcarnio* laudatum, ſuccinum ad grana decem vel ejus tinctura, ſal &c, & quæ ab omnibus celebrantur, kinkina ad ℥ß. bis in die, ſyrupus martialis vel limatura ferri parva doſi diu uſurpanda.

Cavendum in plethoricâ vertigine ab aquis acidulis intus ſumptis, & ſuſpectæ etiam thermales potandæ; vitanda inſolatio, lucubratio, magna lux, animi contentio, capitis pertinax inflexio ſurſum deorſumve, lectio aſſidua; iteratæ purgationes nocent in plethoricâ, magis verò in hyſterica.

2. *Vertigo ſtomachica* Aretæi; *ab ebrietate*, *ingluvie* Riverii; *ſympathica* Pitcarnii. B.

Ea eſt quam præcedunt apepſiæ, nauſea, cardialgiæ, crapulæ, vomitus, oris pravus ſapor, odor, pondus epigaſtrii, tuburcinatio, quæque à cruditatibus primarum viarum ſanguinis maſſam inſpiſſantibus pendere cenſetur, aſt non ideo ſtomachica cenſenda eſt vertigo, quam nauſea non præcedit, ſed ſubſequitur; omnis enim gravis capitis affectus, ut fractura cranii, cephalalgia non rarò vomitionem excitat, etiam ſi ſtomachus priùs benè ſe habeat. Illa ſpecies eſt frequentiſſima omnium, ſi *Williſio* credamus, & comes eſt aſſidua initio morborum acutorum, ut ſynochi cum cephalalgiâ gravativâ.

Curatio exigit 1° ut phlebotomia præmittatur, niſi æger frigeat, pulſus exilis ſit, temperamentum pituitoſum, ſubjectum ſenex, debile &c: 2° ut præmiſſo clyſtere, ſi alvus ſtricta ſit, vomitio cieatur ope tartari vel vini emetici magnâ aquæ tepidæ copiâ diluti, & partitis doſibus ſumpti; ſic pro adulto, uncia vini emetici in tribus aquæ cyathis quovis horæ quadrante aſſumendis ſufficit. 3° Sequenti die catharticum eſt præſcribendum ſatis efficax, additis v. g. tabellarum diacarthami drachmis aliquot in potione communi. 4° Dein ſtomachus uſu caffeæ, cinnamomi, corticis Winterani, kinkinæ, vino rubro, opiatâ Salomonis, roboretur. 5°. In paroxyſmo ſpiritus ſalis ammoniaci, aqua Luciæ, acetum naribus offerantur, extrema fricentur, pennâ fauces irritentur, aquâ tepidâ ad vomitionem pronus excitetur. 6° Demùm ſtomachicis martialia, kinkina, antiepileptica addentur; inter ea laudatur à multis radix doronici pardelianches *Linnæi*, ad ſcrupulum, quæ majori doſi ſuſpecta, niſi tantum in loculo geſtetur, ut funambuli conſueverunt.

3. *Vert-*

3. *Vertigo hyſterica* Etmuller. pag. 36. vel *hypochondriaca ; vertige vaporeux*. B. P.

Eſt ſpecies quam magnæ nervorum ſenſibilitati aut irritabilitati tribuunt Neoterici, vaporibus Veteres, ſpaſmodicis motibus Bagliviani, ſanguinis ſiccitati, nervorumque tenſioni plurimi.

Hæc ſpecies ſtudioſos, meditabundos, melancholicos, ingenio acuto præditos pertinaciter divexat, auſtro flante potiſſimùm hyſtericas, hypochondriacos, epilepticos infeſtat, à metu, curis, terrore facilè naſcitur, remediis evacuantibus repetitis, ſtimulantibus gravibus exaſperatur, anodynis leviter narcoticis, laxantibus, emollientibus cicuratur ; ſummo terrore & angore ea animum percellit.

Novi hyſtericam quæ, ſi templum vacuum ingrediatur, lapſum metuit & vertigine afficitur, minimè verò ſi in media turba ipſi prætereundum ſit : Alteram vidi, cui per vicos progredienti pavimentum videtur inſtar goſſypii cedere & intrò premi, unde continuò lapſum ad anteriora metuebat. Sæpe vertiginoſi caput ſuum quaſi vacillans & non ſatis collo cohærens imaginantur : illa capitis inſtabilitas, necnon idearum confuſio quam Gallicè *étourdiſſement* dicimus, ſunt quando ſola ſymptomata quæ ad hoc vertiginis genus referimus, ubi tamen nulla eſt objectorum nutatio ; ſtuporis torporiſque nomen huic ultimo ſymptomati exprimendo impar eſt ; quam multa ſunt quæ adhucdum ita parùm ſunt cognita, utcumque familiaria, ut nomine proprio careant : talis eſt ſtatus eorum quos *attonitos* vocamus.

Curatio. Strictior diæta non imperanda eſt, ſomnus, quies concilianda eſt, ſtudia, contentiones animi, curæ vitandæ ſunt, inedia in pichrocholis fugienda ; ubi principium morbi non ſatis eſt cognitum, ad ſpecifica & hyſteriæ convenientia remedia confugiendum eſt, temperamentum occultè conſulendum ; ſic in mulieribus hyſtericis frigidis, pituitoſis, adipoſis, pulvis caſcarillæ, cortex Winteranus, caſtoreum, guttæ minerales anodynæ conveniunt cum kinkina & martialibus, floribus calendulæ ; pulvis temperans *Stahlii* ; in ſiccis, macilentis, calidis potiones & pulveres cum nitro, julapia acidulata, ſerum lactis : paucæ guttæ laudani monente *Pitcarnio* ; ab emeticis purgantibus, repetitis catharticis eodem docente abſtinendum ; ſæpè morbus eſt contemnendus & eò gravior evadit quò plura medicamina adhibentur : externa non nocent, ut ſpiritus vini camphoratus ; aqua Reginæ Hungariæ, Carmelitarum, cum ſpiritu cornu cervi cervici vel temporibus admoveantur, hauſtus vini poſt paſtum uſurpetur.

Acidulas ferrugineas potandas ſuadet *Heiſterus* ; balnea & juſcula leviter aperientia tutiora videntur.

4. *Vertigo fugax* Sennert. *Vertigo accidentalis*. B.

Ea eſt quam motu vorticoſo corporis noſtri vel aſpectu corporis in motum acti ex alto potiſſimùm viſi, maximè ſi metus ſit, excitamus ; illa vertigo paucis ſecundis temporis ceſſat : an verò præter durationem impreſſio-

nis factæ in retinâ motus centrifugus impreſſus ſanguini retinæ ex eo latere verſus quod gyramus excitat ſanguinis regreſſum ex arteriolis in ſuos truncos? hoc ſuadere videtur obſervatio eorum qui oculis clauſis gyrantes vertiginem incurrunt; quorſum verò ex hoc vorticoſo motu ſequatur vomitio? an ex illa ſuccuſſione alimenta in ventriculo verſata ventriculum irritant? an inde vomitus marinus in procellis creſcit?

5. *Vertigo ab ictu* J. Sculteti Armamentar.

Ictus capite exceptus, concuſſio à lapſu vertiginem excitant, ob conſtrictam à dolore & ſpaſmo ſubſequente coronam ciliarem, unde refluit ſanguis in arteriolam centralem nervi optici.

Curatur phlebotomiâ repetitâ, & ſi fractura adfuerit, eadem auxilia quæ in apoplexia traumatica conveniunt.

6. *Vertigo à venenis;*

A lolio & ab *opio*, ut docent Ephemerides Natur. Curioſorum: Vide tabulam illuſtr. Buchneri.

A fumo lithantracis & *calcis*, necnon vapore minerarum: Vide Ramazzini de morbis inauratorum, calcariorum, *&c.*

A vino, ſeu vertigo ebriorum. *A cerevisia.* Vide Sennert. de vertigine.

Ex tabaco. Vide Ephemerides Natur. Curioſorum.

Ex *foliis coriariæ* manducatis capellæ vertiginoſæ evadunt.

Mulier, ſumpto juſculo in quo folium hyoſcyami albi fuerat incoctum, patiebatur vertiginem in qua caput collo minime adhærens videbatur, corpus verò in aëre ſuſpenſum exiſtimabatur ſine delirio, quippe ratio ſeu intellectus hanc hallucinationem apprime corrigebat.

7. *Vertigo ovilla*, Boneti ſepulchr. Obſ. 8; Morgagni Index 2 de vertigine.

In ove quæ ſe per intervalla quotidie ſæpe circumvolvebat, nec ſibi caput tangi ferebat, *Valſalva* invenit folliculum aqua turgidum in ſinu cerebri, cujus pars corrupta os ethmoideum carie affecerat, inde in nares exſtillabat ſerum. In decem vertiginoſorum capitibus *Morgagni* ſerum effuſum invenit: inde fonticulorum & pulveris de gutteta uſus indicatus videtur.

8. *Vertigo ſyphilitica*, Frambæſarii Lib. II Conſ. 3; Ettmulleri cap. 8. p. 365.

II. Suffusio; *Scotoma* Heurnii Med. Pract.; *Suffuſio* Latinis; *Hypochyma* Græcis; *la Berluë.*

Genus eſt morbi imaginarii, cujus præcipuum ſymptoma eſt hallucinatio viſûs circa objecta, ita út ſuffuſi ea videre ſibi videantur quæ non ſunt, ut muſcas, colores, ſcintillas, quarum imaginum prototypus extra oculos non exiſtit. *Vide Ophthalmiam* 18*am* & 19*am*.

Differt à vertigine, quòd *ſuffuſio* repræſentet ſubſtantias aut corpora quæ non ſunt: *vertigo* verò modificationem corporum, ſcilicet motum, ita ut in ſuf-

ſuffuſione corpora quæ non ſunt, & in vertigine corporum præſentium motum qui non exiſtit, imaginemur.

Imaginatio eſt facultas percipiendi abſentia; error eſt imaginationis, ſi ea quæ non agunt in ſenſus, actu præſentia exiſtimemus: hoc accidit in ſuffuſione, quâ fit ut videre nobis videamur ſcintillas, telas, muſcas, fulgura, ut actu præſentia, licet abſentia.

Error verò qui circa viſibilia verſatur, *opticus* vulgò cognominatur, iſque vel originem ducit à judicio temerario & præcipiti, ſine vitio cerebri, vel oculi, talis error ad Logicos attinet. Multiplices verò ſunt hujuſmodi errores; ſic ferè omnes exiſtimant, dum navis à terrâ recedit, terram ipſam recedere; in rhedâ agros vicinos retrogradi, qui error vertiginoſus etiam circa motum Solis omnes, exceptis Aſtronomis, occupat. Sunt etiam errores ſuffuſioni affines milleni; ſic baculum aquâ ſemimerſum fractum putamus, turrim eminùs aſpectam non cylindricam, ſed planam, ſolem lunâ non majorem, & utriuſque ſuperficiem planam; plebs in ipſis faciei humanæ varias partes videre ſe putat; ſed hæc à vitio corporeo non pendent, unde ad forum medicum minùs attinent.

Errores verò optici morboſi, vel à vitio cerebri, vel à vitio oculorum potiſſimùm oriri cenſentur; qui à vitio cerebri circa viſibilia verſantur, ſunt ſuffuſiones, vel vertigines gravioribus multis ſymptomatis ſtipatæ, ut ſopore, convulſione, delirio, & ad alia genera referendæ ſunt, ut phrenitidem, maniam, paraphroſynem, melancholiam. Verùm ſi error opticus à vitio oculorum oriundus ſit præcipuum ſymptoma, tunc genus proprium conſtituit, ut vertiginem, vel ſuffuſionem.

Error ab organi externi, non verò cerebri, vitio oriundus vocatur apud *Platerum hallucinatio*, ut à delirio diſtinguatur, cujus principium eſt in ipſo cerebro; adde quod hallucinationem citò & facilè corrigamus aliorum ſenſuum auxilio, ut ope tactûs, auditûs; delirium verò eo modo non facilè tollatur, quia functiones mentis ad eam correctionem neceſſariæ impediuntur à vitio ipſius cerebri, harumce functionum præcipui inſtrumenti: ſic vulgò conſentiunt Medici vertiginoſos & ſuffuſos minimè delirare, qui tantùm hallucinantur; aſt delirant melancholici, maniaci, phrenetici, &c. Errare eſt acquieſcere judicio falſo, quale eſt judicium ſuffuſi, qui percipiendo imaginem muſcæ, inde præcipitanter infert adeſſe muſcam; judicium verò falſum eſt quoties prædicatum non determinabile eſt per notionem ſubjecti; cùm verò perceptio eſt confuſa, ut in ſuffuſione, non datur vera notio quæ diſtinctam ideam involvit; ergo ex umbrâ fuſcâ, vel nigrâ per errorem muſcæ præſentia infertur. Hunc verò errorem facilè corrigit ſuffuſus, cùm manum prætendens in locò ubi muſca percipitur, nec quidquam tangens, ſic ratiocinatur intuitivè: *Contradictorium eſt eſſe muſcam ubi ejus imaginem percipimus, & tangi non poſſe, ſed contradictoriorum alterutrum eſt impoſſibile; poſſibile verò eſt imaginem muſcæ in oculo impreſſam huc ab animâ referri, quæ tangi non poteſt*, & ſic ab errore ſuo liberatur ſuffuſus.

Mirum

Mirum certè eſt, cùm objecta tantùm percipiamus interventu imaginis in retinâ depictæ, eam imaginem minimè à nobis percipi, ſed ad objecta quæ videmus hanc ſenſationem referri; hinc conſuetudine ducti, ubi datur in retinâ imago objecti, licet confuſiſſima, inferimus dari extra oculum objectum huic imagini reſpondens, & ſi quid in ea deficiat, imaginatio cætera ſupplet. Sic ex imagine meram umbram determinatam circularem referente imaginamur adeſſe muſcam, veſpam, vel crabronem, adeoque huic maculæ obſcuræ imaginatio alas, pedes, proboſcidem, aliasque inſecti partes addit. Hæc enim eſt lex imaginationis, ut quoties idea ſimplex menti obverſatur, toties accedant ideæ, quæ priorem concomitari conſueverunt, ut idea loci, temporis ab imaginatione additur omni narrationi indeterminatæ; verbo imaginatio objecta univerſalia non amplectitur, ſed tantùm individua, ſeu undequaque determinata.

Objectum quod imaginatione percipimus tanquam præſens, vocatur *phantaſma*, à phantaſia, ſeu imaginatione; diverſa ſunt phantaſmata in diverſis ſuffuſionis ſpeciebus; præcipuas hìc delineabimus.

1. *Suffuſio myodes; Scotoma* Heurnii de vertigine. L.

Orchides quarum flori inſidere videntur muſcæ, veſpæ, crabrones, ſimiliaque inſecta volitantia, à Botanicis *myodes*, ſeu muſcis ſimiles cognominantur; ea ſuffuſionis ſpecies ſimile quoddam inſectum in aëre præ oculis volitans repræſentat; aſt ſi oculus fixus chartam inſpiciat, citò percipimus hanc muſcam fixam eſſe, nec moveri, niſi moveatur oculus. Calculus dioptricus ſuadere videtur maximam diſtantiam ad quam hoc phantaſma refertur, decem vel duodecim pollices circiter non excedere; notum eſt autem apud opticos objectum non videri in loco ubi eſt, ſed tantùm in foco virtuali, unde radii in oculum perveniunt, aut perveniri cenſentur.

Optimi quoad viſûs aciem, organique pelluciditatem, & figuram oculi, huic morbo ſunt obnoxii; verùm preſbytæ & myopes ab hoc non ſunt immunes. Error fuit opticus veterum Medicorum aſſerere in oculo ſuffuſo ſe percipere quid opaci tanquam cataractæ rudimentum, quod huic phantaſmati principium præberet: error verò ille ex præconceptâ theoriâ oriebatur; hinc factum eſt quod ſuffuſionem tanquam ſymptoma, vel ſpecium, vel prodromum cataractæ plures etiam hodiè habeant, licet experientiæ ſæpius repugnet.

» Interfui aliquando (ait *P. Dechales*, *Opticæ libr. 1 cap. de ſuffuſione*, *pag.* 402) Medicorum ſatis peritorum conſultationi circa morbum
» quem aliquis ex noſtris patiebatur: cùm autem ex ſuis tantùm princi-
» piis loquerentur, nec opticas rationes advocarent, mirum quantùm in
» re alioquin facili hallucinabantur; conquerebatur ægrotans quod ferè
» continuò ſibi obverſari videretur aliquam notam obſcuram inſtar muſcæ
» alicujus volitantis, & omni objecto inſidentis; nihil verò aliud moleſti
» ſibi contingere aſſerebat. Re diu inter eos agitatâ, talis fuit ſententia:
» hujuſmodi notam eſſe rudimentum aliquod cataractæ, quæ pupillæ inſi-
» de-

» deret ; imò aliquis eorum perſpicicior inſpectis diligentiùs ad lucem oculis, ſe in medio pupillæ eam notam videre aſſerebat ; ridebam ego tacitus, nec multùm eos hallucinari dolebam, cùm ex hoc illorum errore nihil mali ægroto contingere prævíderem. «

Hypotheſis horum Medicorum, quales etiamnum hodiè non deſunt, admittebat concretionem quamdam opacam in humore aqueo, (Nuperi verò potiùs in cryſtallino,) quod tamen pupillâ minus ſit, ſecus occultaret omnia objecta. Verùm illa molecula opaca primo intuitu Medicorum facilè cognoſceretur, cùm tamen oculi ſuffuſorum ſint maximè pellucidi; ſecundò hujuſmodi concretio inter cryſtallinum & corneam latens minimè repræſentaret umbram quamdam determinatis limitibus circumſcriptam & opacam; quippe cùm nulla ſit pars corneæ & pupillæ, quæ ex omnibus circumſtantibus objectis non recipiat radios, ſimilis concretio, quæ totam pupillam non obturat, minimè poteſt impedire quin omnia objecta circumſtantia videantur, ſeu nullam objecti cujuſvis partem poteſt occultare, nec proinde notam opacam determinatam referre ; atque id tantùm efficere poteſt, ut paulò minùs clara, ſeu illuminata ſint omnia objecta, cùm ex ſingulis aliquam partem radiorum intercipiat.

Illi certè Medici magis errant quàm plebs quæ hujus morbi cauſam eſſe putat, quòd *æger felis cujuſdam morti adſtiterit*, cùm error eorum faciliùs demonſtrari poſſit, quàm plebis opinio refutari ; ſed quoniam inutilis eſt demonſtratio adverſus eos qui vim ſyllogiſmi demonſtrativi non ſentiunt, quive & Logicam & Matheſim contemnunt, ſatius eſt ad experimenta provocare ; itaque illi vel in oculo artificiali, vel in teleſcopio vitrum objectivum atramento partim offuſcent, vel corpuſculis opacis tegant; dein per tubum cœlum aſpiciant, ac attoniti percipient ſe non minus cœlum in toto ſuo ambitu videre, quàm ſi nihil foret interpoſitum, nec ullas maculas, aut umbras videre.

Alterum facilius experimentum inſtituant ; caput ſcilicet aciculæ corneæ admoveant ; quò propius eſt oculo, eò melius ; illud aciculæ caput nullum objectum occultabit, nil umbroſi aut opaci ante oculum cernet qui id experietur. Si tamen caput aciculæ ad plures lineas removeat, tunc illud & pellucidum ut nebulam videbit, & illud mole maximè auctum apparebit. Iterùm illud caput aciculæ removeatur ultra pollicem, & tunc radiis ab eo reflexis & coloratis videbitur, cujus tantùm umbra priùs conſpiciebatur : confuſa tamen erit viſio uſquequò quatuor circiter pollicibus à corneâ diſſitum fuerit, quia in minori diſtantiâ radii in oculum procedentes, & ter refracti minimè poſſunt, ut par eſt, in retinâ adunari, ſed à cryſtallino divergentes, aut ad ſummum paralleli ad retinam tendunt, cùm ad viſionem diſtinctam neceſſum ſit, ut pone cryſtallinum radii convergant, & focum ſuum in retinâ habeant.

Si calculus dioptricus inſtituatur circa concretum quoddam opaciſſimum in ipſius corneæ ſubſtantiâ hærens, ut leucoma, quæraturque num oculus illud ſit percepturus, vel umbram diſtinguere poſſit, invenietur radios

in retinam denique pertingentes ferè diſpergi tanquam à centro convexitatis poſticæ cryſtallini, adeoque nullam hujus concretionis delineari penè imaginem, nec umbram; ultimus focus eſt ſcilicet in centro ipſius cryſtallini, vel o. 8 lin. ab ejus ſuperficie poſticâ diſtat.

Neceſſum eſt itaque ut ponè medietatem cryſtallini poſitum ſit illud quod radios intercipit, & quò propius erit retinæ, ut in vitreo & retinâ ipſâ, eò fortiùs expreſſa erit illa muſca imaginaria; radii ſcilicet qui incidunt in corneam ex omni hemiſphærii puncto, quod ſtupendum eſt, in ſingula corneæ & pupillæ puncta perveniunt; ſed cùm coni lucis inde procedentes invertantur, quilibet conus à puncto dato hemiſphærii procedens ſenſim ſeparatur ab aliis magis ac magis, ita ut ad retinam perventus apex ab aliis omnibus conis diſtinctus ſit omnino; adeoque ſi quoddam ſit in retinâ punctum, guttulâ v. g. cruoris, tectum, adeoque radiis lucis extrinſecus adventuris impervium, illud retinæ punctum non poterit recipere conum lucis, cujus apex ibi eſt, & baſis in tota corneæ ſuperficie, nec proinde partem objecti cujus radii conum prioris inverſum conſtituunt.

Sit guttula cruoris effuſa in textu retinæ, illa cùm opaca ſit, intercipiet radios ab extra venientes è loco determinato, & ille locus obſcurior, vel nigricans videbitur, eritque diameter illius umbræ 8, 7 vicibus major: docet autem dioptrica quod maxima diſtantia ab oculo ad quam refertur illa imago, futura ſit 122 lineis, ſeu 10 pollicibus æqualis.

Cùm autem magnitudo apparens ejuſdem objecti creſcat prout longiùs ab oculo protenditur imago, ſequitur ſuffuſos eò minorem muſcam viſuros eſſe, quo propiori objecto inſidebit; ita ut ſi librum legant, quò magis ad oculos eum admovebunt, eò minor ipſis apparitura ſit muſca libro inſidens, cùm è contra objecta extra oculum poſita eò majora videantur, quò propius oculis admoventur.

Verùm illa muſca nec noctu, nec in mediocri luce apparebit; cùm enim ideò videatur, quia vicina retinæ loca luce afficiuntur, quæ hujus umbram limitat, ſi illius guttæ ſanguinis umbra non limitetur, ſeu ſi omnia vicina loca æqualiter obſcurentur, nulla muſca videbitur; ergo tunc muſca debet ægris potiſſimùm obſervari, cùm cœlum, vel objecta magis illuminata reſpiciunt.

Ut in levi ecchymoſi intra paucos dies cruor effuſus calore loci reſolvitur, & à vaſis vicinis demum reſorbetur, atque quâ ratione attenuantur globuli, eâdem colorem mutent, ita ut ex nigredine ſequatur lividitas, dein flavedo, adeoque opacitas in dies minor ac minor evadat; ita & illæ muſcæ de die in diem ſæpe evadunt minus opacæ, dein in medio pellucidæ ac denique evaneſcunt.

Si tamen concrementum magis fuerit, ut apud *Boerhaave*, qui illicò vidit umbram nigram pugni magnitudine, non omnino reſolvi poterit totum concrementum, unde umbra imminuetur quidem, ſed nucleus induratus perſeverabit.

Verùm

Verùm poſt aliquot annos anima huic viſioni aſſuefacta vix afficietur, niſi principium renovatum fuerit, & denique licet primum mali principium perſtet, muſca omnino evaneſcet, quod ſequenti experimento elucidabitur.

Notum eſt ex anatomiâ nervum opticum à latere interno ſeu naſali globo oculi inſeri, minimè verò in polo optico; notum eſt ibi coarctari nervi medullam ita ut ejus diameter ſit circiter ſemi-lineæ, quod ſpatium ſubrotundum vocatur *foramen choroideæ*, juxta eos qui choroideam eſſe immediatum viſus organum exiſtimant, ut *Mariotte*, *Le Cat*, *D. Bernoulli*; in hoc puncto debet deficere viſio; notum eſt pariter arteriolam centralem dictam ex axi nervi optici intra oculum ſerpere, ibique pone retinam ramos innumeros, minimos diſpergere: cùm autem truncus illius arteriæ centralis non ſit viſûs organum, radii in illum incidentes nullum objectum debent repræſentare, adeoque idem effectus eventurus ſit, ac ex foramine choroideæ provenire putat *Mariotte*. Talis autem eſt effectus.

Applicetur parieti albo ad oculi altitudinem fruſtulum chartæ nigræ pollicis magnitudine, & in eadem altitudine, ſed ad octodecim pollicum diſtantiam altera charta circularis decem pollicum in diametro cærulea; hoc facto claudatur oculus ſiniſter; ſi charta cærulea ſit à dextris & recedat oculus ad tres pedes à chartâ nigrâ, dùm dexter oculus fixè eam intuetur; tunc oculus qui recedendo utramque chartam nigram ſcilicet & cæruleam videbat, jam cæruleam minimè viſurus eſt, ſed hujus loco parietem album videbit. Hoc experimentum D. *Gauteron*, dein D. *Bernoulli* & *Le Cat* diverſis modis tractarunt, & extenderunt, ſed ad idem omnia recidunt.

Cùm eò devenit oculus, ut conus lucis à chartâ cæruleâ procedens & inverſus in oculo incidat in foramen choroideæ, vel in arteriam centralem nervi optici, evaneſcit charta cærulea: verumtamen hujus loco nulla videtur umbra, nec alterutro oculo aperto & fixo ullam umbram in muro albo percipimus; quia huic umbræ aſſueti ſumus ab ortu, & quæ aſſueta ſunt non percipimus, ſic non percipimus pulſationes arteriarum in auribus niſi multùm creſcant, nec pondus proprii corporis niſi debiliores evadamus, & hujus umbræ loco videmus album parietem, cujus ratio à ſequenti experimento innoteſcet.

Sint duo corpora conjuncta, unum album, alterum nigrum, ſi è longinquo uno oculo cernantur, licet æqualia ſint, album majus videbitur, & ſi corpus opacum ad nigrum accedat, tunc album recedere videbitur. *Vide De Chales Optic. pp. 37, 1, 1.*

Æger ſuffuſus utatur perſpicillo maximè convexo (*Lunette à Cataracte*) vel microſcopio (*loupe*, *biloupe*) & tunc temporis evaneſcet muſca, quia radii fortiores facti, utpote uniti, trans guttulam ſanguinis in retinam agunt, adeoque nulla umbra percipietur.

Curatio à Veteribus tradita inanis eſt, imò noxia; ſuadebant ſcilicet Veteres diverſa collyria vel innocua, ut ſanguinem columbinum, vinum calidum, vaporem aquæ vitæ, oculis excipiendum, vel acria ut infuſum

fœniculi, rutæ, ſuccum chelidonii, euphraſiæ, fel diverſorum animalium, ut reſolveretur concretio quam ex errore theorico in corneâ aqueove humore ſupponebant; in primo caſu inanis, in altero noxia erat curatio, nec medicamina ad principium morbi poterant pertingere.

Si ſanguis in retinâ effundatur, illud accidit utplurimùm ex eo quod maximo ſolis ardore, per iter æſtivum ſub ſole, retina lædatur, ut accidit *Boerhaave;* vel ex eo quod ſanguis fortiùs per febrem ad extrema vaſa impellatur, ut accidit phreniticis, dùm natura narium hæmorrhagiam fruſtra molitur; vel ex eo quod plethoricus ſit æger ob ſuppreſſas hæmorrhoides, catamenia; maximè ſi lucubrationibus, microſcopiorum aut teleſcopiorum uſu, retina fuerit debilitata & veluti inflammata, ut accidit ſæpiùs Aſtronomis, qui vitro diaphano non obſcurato aut colorato eclipſes obſervant. In hiſce caſibus 1° Vena brachii, pedis, aut juguli eſt aperienda, & phlebotomia repetenda: 2° Si à ſolis fervore oriatur malum, oculus ſerò & mane pluries aquâ frigidâ eſt irrorandus, balneandus, ut ſucceſſit *Boerhaave;* balneis etiam ſæpiùs utendum; ſi à lectione nocturnâ ortum ducat malum, ut ſenſibilitas retinæ quæ in hoc affectu maxima eſſe ſolet, compeſcatur. 3° Si plethora concurrat, utatur victu moderato, auxiliis catamenia, hæmorrhoides revocantibus. In phrenitide per hæmorrhagiam narium maximè liberantur ægri ab hiſce phantaſmatis.

2. *Suffuſio reticularis. L.*

In ea ſpecie ægri præ oculis umbras tenues & ramoſas, invicem reticuli inſtar connexas, videre ſibi videntur, eaſque aranearum telæ, lanæ carptæ & ſimilibus objectis comparant.

Hujus verò theoria non magis inclareſcere poteſt quàm experimento ſequenti, quod quiſque capere poteſt. Sit cubiculum anguſtum, magnam quidem lucem reflexam, non verò ſolis lucem directam, accipiens; ſedeat quis in hoc ante murum album luce maximè colluſtratum, atque hunc murum fixè à diſtantiâ unius pedis circiter aſpiciat, ſimulque anhelitum per vices cohibeat; is, ni fallor, percipiet in muro feneſtræ oppoſito, quem cominus reſpicit, reticulum umbroſum, quod per intervalla accedit & recedit; obſcuratur ſcilicet eo ipſo tempore quo arteriæ pulſant, claritatem verò recuperat dum arteriæ contrahuntur; verùm obſervabit ulteriùs filamenta hujus retis eſſe duarum linearum circiter diametro, eorumque margines minus obſcuros axi.

Ex hoc experimento ritè penſitato, ſequitur filamenta hujus reticuli eſſe in retinâ arteriolas, nullas verò venulas apparere, licet venulæ ſint arteriis multò craſſiores, adeoque veroſimile eſt nullas eſſe venulas in retinâ, cùm nulla ſint filamenta quæ non pulſent; ſequitur etiam obſcurari reticulum dum arteriæ pulſant; claritatem recuperare dum non pulſant, licet plenæ adhucdum ſint ſanguine, & modò non turgidæ; denique arteriolas dum non pulſant minimè percipi, ſeu umbram earum ſupra retinam eſſe inconſpicuam licet realem.

Ex hoc experimento & ex theoriâ ſuffuſionis myodis facilè eruitur cauſa.

ſâ hujus phantaſmatis ; ſanguine turgeſcunt arteriæ capitis dum reſpirationem cohibemus , & arteriolæ retinæ febrillis nerveis intertextæ lumen in illas caſurum intercipiunt , hinc umbra veluti reticulata ; arteriæ enim illæ reticulum in retinâ efformant, imò in ovinâ retinâ annulos coronæ ciliari veluti concentricos ſequuntur ; illarum imago eſt 77 vicibus amplior ipſo objecto ; ergo ſi duas lineas in diametro obtineant filamenta imaginis, arteriolarum diameter eſt circirter nona pars lineæ.

Experimentum mihi ſuccedit , quia retinam valdè ſenſibilem habeo , ut omnes ferè, quibus hæc ſuffuſio atque myodes ſolent accidere , atque ideò videntur in hiſce circumſtantiis illa phantaſmata, quia magnâ luce colluſtratus eſt paries , unde clariùs affecta retina clariùs percipit differentiam inter loca umbroſa & colluſtrata , unde non mirum ſi extra has circumſtantias ætoptæ hac ſuffuſione careant. Inde etiam ſit ut ſuffuſi ea filamenta non percipiant niſi in meridianâ luce , & dum cœlum , vel objecta alba intuentur.

A vero longè aberrant illi qui filamenta in cryſtallino aut in corneâ & aqueo humore ſupponunt, quique conſequenter ſcribunt in hujus morbi hiſtoriâ hæc filamenta locum mutare etiam ſi oculus ſit immobilis , ut ipſe exiſtimavit *La Hire ;* hoc enim accidit in alterâ varietate quæ ſedem habet omnino diverſam, ſcilicet in ſuffuſione ſcintillante.

Suffuſio reticulata vel eſt fugax vel permanens : fugax ab arteriolarum retinæ infarctu procedit ; permanens ab errore loci ſeu deviatione ſanguinis in vaſa retinæ lymphatica ſeu ſeroſa procedere videtur ; nec exiſtimandum eſt infarctum merè lymphaticum huic phantaſmati producendo ſufficere, cùm ipſæmet arteriolæ apud ſanos in ſyſtole nullam umbram depingant.

Curatio verò videtur eadem eſſe ac ſuffuſionis myodis; revellendus ſcilicet cruor à ſuperioribus; ſumma retinæ ſenſibilitas eſt minuenda; juvant phlebotomiæ , victus mollis & humectans, clyſmata, balnea repetita, abſtinentia à lucubrationibus, ab uſu microſcopiorum, à viſione aſſiduâ rerum minutarum , & maximè lucis; unde ſibi caveant aurifabri, phrygiones, cælatores, vitriarii, &c, atque ſcriptores, amanuenſes, ſtudioſi utantur perſpicillis foci longiſſimi vulgò *conſerves* , vel etiam vitris planis colore ſubcæruleo , ſubviridi aut flaveſcente tinctis, quæ magnæ lucis ſplendorem mitigent , atque inter legendum & ſcribendum lucem à latere tantum excipiant, aut umbellâ moderentur , ut retinæ ſenſibilitas minuatur.

3. *Suffuſio ſcintillans ; Marmaryge* Hippocratis ; *Marmaryges* quibusdam ; *ſplendores* & *fulgura* Latinis. *Berluë étincelante ou rayonnante.* L.

Hujus ſpeciei tres vel plures varietates ſunt, ſed aliæ fugaces aut aliorum generum comites , quæque proinde ſpeciem ſuffuſionis non conſtituunt ; alia eſt conſtans & præcipuum ſymptoma , quæ propriè ſuffuſio ſcintillans eſt.

a. Inter fugaces eſt *Suffuſio radians* , quæ ſede, ſymptomatis & curâ diſcrepat ab aliis; in hac ſcilicet , cùm objectum quoddam radioſum, at

lampadem, cernimus, prælongi radii lucidi ex ipſo objecto, alii ſurſum, alii deorſum, protendi videntur, ſæpiùs objectum multiplicatur, & ſimul amplum, ſubrotundum atque radiolis minoribus circumdatum videtur. Illud ſymptoma accidit omnibus ſanis, ſi facem multis hexapedis diſſitam noctu palpebris conniventibus reſpiciant, atque ſi caput deorſum inclinent, evaneſcunt radii inferiores; ſi ſurſum erigant, ſuperiores; ſi oculos omninò aperiant, omnes è conſpectu avolant.

Ut eorum ratio intelligatur, obſervandum eſt 1° Corneam humore lachrymali continuò madere, quem ſuppeditat partim glandula lachrymalis, partim verò humoris aquei per poros corneæ tranſudatio jugis; 2° conniventibus palpebris lachrymalem humorem fluere inter palpebrarum limbum declivem non arctè corneæ applicatum, ſed hiantem ſpatiolo triangulari & corneam; 3° aqua illa ibi palpebris adhærens in tumorem aſſurgit, cujus pars jam ipſam corneam pellucidam tegit cùm palpebræ connivent; ergo radii à face promanantes & in illam aquæ ſuperficiem convexam illapſi refractionem patiuntur, quâ non ad axim opticum, ſed verſus ſuperiora retinæ tendunt, ſi de palpebrâ ſuperiori quæſtio ſit, verſus imum, ſi de inferiori agatur; ergo imago flammæ quæ in polo optico pingitur eſt diverſa ab imagine horum radiorum, quorum illi in ſummo, alii in imo retinæ depinguntur, ſed ambo ipſi flammæ cohærent in corneâ & in retinâ; demiſſo capite vel protenſâ manu intercipiuntur radii qui in palpebram ſuperiorem tendunt; ergo radii qui ſunt in ſummo retinæ depicti, repræſentant radios inferiores facis; & viciſſim erecto & retrorſùm flexo capite radii inferiorem palpebram pertingentes non admittuntur in oculum, & evaneſcit eorum imago, quæ flammæ ſuperiora petebat; diductis palpebris monticulus aqueus refringens nullus eſt, nulli proinde facis radii ſupra dicti.

Interea in hac facis magnâ diſtantiâ omnes homines hujus reſpectu ſunt veluti myopes, nam radii ferè paralleli ex hac in oculos irruunt, adeoque juxta leges dioptricæ citiùs poſt cryſtallinum coeunt; ergo ſi aliunde oculus myops fuerit, imago facis magis ac magis confuſa futura eſt, ut patet ex theoriâ amblyopiæ diſſitorum, ſeu myopiæ, atque ex ea theoriâ intelligitur cur flamma diſſita, quæ pyramidalis eſt, videatur circularis & ſimul multò amplior quàm proxima radioliſque circumdata, cùm conus lucis ab eâ in oculum pertingens & inverſus pone cryſtallinum iterum decuſſatis radiis non punctum, ſed maculam in retinâ depingat.

Ea autem ſuffuſio radians eſt ſymptoma epiphoræ, ophthalmiæ humidæ & amblyopiæ, quæ magnam retinæ ſenſibilitatem comitatur, ſeu lachrymoſæ, quippe cùm in his affectibus lachrymæ continuò exundent, non ſolùm illi radii ſurſum deorſumque protendi videntur ad conſpectum facis, ſtellæ, &c, ſed etiam cujuſvis objecti imago interdiu obnubilatur & turbatur à refractionibus quas monticuli aquei per corneam & cilia enati excitant, ut quiſque inter lachrymandum expertus eſt. Quorſum verò faces multiplices videantur, hoc inquiremus dum de ſuffuſione multiplicante agendum erit.

Cura-

Curatio verò petenda eſt à curatione epiphoræ & ophthalmiæ humidæ, quæ ſunt præcipua ſymptomata ; ſuffuſio enim radians abſterſis lachrymis evaneſcit.

b. Altera *Suffuſio* fugax eſt *coruſcans* vel fulgurans, quæ vel à principio externo dependet, ut ab ictu in oculum, vel ab interno, ut à cephalalgiâ, vertigine, phrenitide, epilepſiâ &c.

Notum eſt omnibus quod ſi digito oculus è latere prematur, etiam in tenebris, ex alterâ oculi parte lux vivida videatur, eaque uniformis, ſemicircularis, quæ cum preſſione recedit ; ſi verò alapâ percutiatur oculus, tum lux ſplendidior irradians in toto oculo fulgeat ; quod nares fortiter emungendo, aut etiam ſternutando ſimilis coruſcatio obſervetur.

Quæ ipſe in memetipſo pluries obſervavi accuratiùs referam ; quoties inceſſit me cephalalgia ab auſtrinâ aëris conſtitutione vel à plethorâ dependens, eam per aliquot minuta pervideo, quippè marmaryges hanc prænuntiant ; video ſcilicet, per horæ minuta ſeptem vel octo, etiam oculis clauſis, lineas lucidas quaſi igneas, ſed angulis acutis interſectas, inflexas, pluresque ſimul ſibi parallelas, quæ ſimul ſemicirculum conſtituunt; quod ſingulare eſt in illis lineis, eſt motus tremulus continuus quo agitantur, qui motus eſt multò frequentior arteriarum pulſatione ; nunc verò illi arcus ſcintillant, nunc alii ; circulus ab illis effectus eſt paulò major toto oculi ambitu, & hoc phantaſmate evaneſcente capitis gravitas accedit.

Ut hujus phænomeni rationem intelligamus, obſervandum puto 1° dari in oculo copiam filamentorum nerveorum, quæ reſpectu ad molem partis eſt ferè decies major quàm in ullo alio organo, etiamſi ſolum nervum opticum attendam, & plura nervorum pària ad illum accedentia omittam, 2° veriſimillimum eſt fluidum nerveum eſſe vaporem fluido electrico imprægnatum, adeoque intra oculum plus eſſe fluidi electrici quàm in aliâ corporis parte oculo æquali ; 3° fluidum electricum in oculis potiſſimùm coruſcare, etiam ſine affrictu prævio, apud animalia valdè electrica, quales ſunt feles dum ipſorum pili non niſi hieme & ex affrictu fulgurant vel ſcintillant ; unde credibile eſt ipſos oculos in obſcuriſſimâ nocte lucem objectis videndis præbere ; aſt apud nos illud fluidum minùs activum eſt, nec ſine affrictu aut percuſſione quadam coruſcat ; nec in vitro, ſulphure, aliiſque corporibus electricis id accidit. Nota tamen hanc vim electricam felis, obſervante *D. Dufay*, cum vitâ animalis evaneſcere, ut evaneſcit oculorum ſplendor ; 4° omnia filamenta nervea retinæ, cùm ad *orbiculum ciliarem* devenerunt, efformant ex *Winſlowii* ſententiâ tunicam quæ antrorſùm vitreum amplectitur, & cum tunicâ alterâ cryſtallinum involvente, ac fibris ciliaribus *coronam* ciliarem efformant. Illa verò corona ciliaris terminatur circa annulum ſimilem à *Petito* detectum, celluloſum, vacuum, inteſtinulo valvulis diſtincto ſimilem, quo circumdatur cryſtallinus, qui annulus vocatur *Canalis Toroſus* vulgò *Petitianus* ab inventore, gallicè *canal godronné ;* is facilè inſufflatione detegitur, nec com-

communicat cum capſulâ cryſtallini quæ ſimiliter inſufflatione detegi poteſt; 5º illius canalis Toroſi uſus nullus alius videtur eſſe quàm ut fibras ciliares ſuperimpoſitas attollat in ſemi-circulum, eo fine ut commodiùs poſſint, ſi contrahantur, extrorſum adducere cryſtallinum, ut ad viſionem diſtinctam ſæpiùs neceſſarium eſt; quippe ſi oculus eſſet idem in vivis ac in cadaveribus, quoad diſtantiam cryſtallini à retinâ & corneâ, impoſſibile foret ullum objectum, vel proximum, vel remotum, videri diſtinctè, ſine interventu perſpicilli convexi, ut ex dioptricis probari poteſt.

Veriſimile eſt itaque, quoties quidpiam intueri aut diſtinctè videre volumus, toties turgeſcere canalem Petitianum; à quo verò turgeſcere poteſt canalis, in quo nihil poſt mortem reperitur, in quem milleni tubi nervei deſinere videntur, iique fluido electrico turgidi, niſi repleatur illo fluido nerveo electrico.

Si nullus eſſet in aure internâ aër, nullus ſonus audiretur, cùm ad ſonum neceſſaria ſit aëris vibratio, & ſonus diverſæ frequentiæ vibrationum, diverſos tonos conſtituat; ita veriſimile eſt nullam lucem, nullumque colorem ab oculis videri poſſe, niſi foret in oculis materia lucis, quæ confuſa ſplendet & albicat, in radios verò diverſæ refrangibilitatis ſecreta colores conſtituit. Verùm ut materia ſoni ſine vibratione nullum ſonum edit, ita nec materia lucis ſine vibratione ſplendeſcet, & ut quilibet tonus à determinato vibrationum intra datum tempus numero, ita quilibet color à determinato vibrationum numero pendet, ut putant *Illuſtr. de Mairan*, *Euler*, &c.

Si auctoritate theſis noſtra comprobanda foret, præſtò eſſent Auctores, non modò Poetæ, quibus *lumina* pro oculis continuò uſurpantur, ſed graviſſimi Philoſophi; ſic ex *Ariſtotele* eſt *lumen oculi quaſi portitor*, *qui ſpecies ab extimo lumine ad intimum animæ traducit*; ex *Platone*, *poſtea quàm in vultu luciferos oculos inſculpſere* (Dii) *lumen illis igneum accendere. Galenus*, *de uſu partium*, dicit *ſe ſcripſiſſe Librum de ſpiritu viſivo*, *quod æthereum eſſe & lucidum putat.* Oculos re vera lucem ex ſe in mediâ nocte emittentes habuere plurimi non ignoti homines, ut Caius Marius, Auguſtus Octavius, Tiberius, Albani omnes ex *Plinio*, Aſclepiadorus teſte *Photio*; aſt *Cælius Rhodiginus*, *Cardanus*, *Julius Cæſar Scaliger*, *Fromondus*, *Theodorus Beza*, de ſe ipſis teſtantur, ſe nocturnis tenebris libros perlegiſſe ad lucem ab oculis emiſſititiam; unus ſit pro omnibus teſtis *Illuſtriſſ. D. de Mairan.*

Apud ægros verò nihil eſt vulgatius quàm oculorum ſplendores; multi homines ſomno & nocte ſopiti, ſi inſperatò excitati oculos diducant, manifeſtum intuebuntur ſplendorem; de ſe teſtatur *Th. Bartholinus*; de ægro à ſe obſervato *Galenus*. Aſt in vividis pathematis luxiſſe oculos, ut ab adſtantibus ſplendor cerneretur, teſtatur *Liber Eſtheris* de Aſſuero furore percito. In irâ juxta *Ovidium*, *Oculis quoque pupula duplex Fulminat*, *& geminum lumen ab orbe redit*; in Juliano Imperatore decertante, *Micantia ſidereis*

dereis ignibus lumina notat *Mamertinus.* Felibus œſtro venereo percitis clariùs ardent oculi ; menſe ſcilicet Februario ; quo electricitas fortiùs viget.

Ut itaque ad propoſitum redeamus, veriſimillimum eſt non ex ſimplici fibrarum nervearum oculi vibratione pendere coruſcationem ; cùm ad vibrandum nihil ſit ineptius ipſis fibris nerveis, nihil eſt mollius & flaccidius retinâ quæ pulpoſa eſt & flaccida ; quid igitur lucem emittere poteſt, niſi impetus fluidi electrici in canalem Petitianum per vim intruſi, quod accidit in tuſſi, epilepſiâ, ſternutatione, furore, nec non ejus concuſſio & frictio, ut in alapâ, oculi preſſione.

Unde verò figura circularis hujus luminis qualem deſcripſi, & qualem notat *Cælius Aurelianus* de epilepſiâ, dùm ait, *circulos igneis circumferri oculis ſentiunt ægrotantes*; de quibus epilepticis ait *Hippocrates in Coacis, quibus convulſis oculi intensè relucent, nec apud ſe ipſos ſunt, & diutius ægrotant*; non video quorſum circularis illa radiorum convolutio poſſet excitari, niſi ab ipſo canali Petitiano valvulis interſecto, hujus luminis delineationem ſatis aptè referente. Motus verò tremulus arcuum luminoſorum videtur arguere ſimilem motum in cryſtallino, vel fibris muſculoſis coronæ ciliaris cryſtallinum moventibus ; cilia, palpebræ hiſce velociſſimis motibus tremulis in nyſtagmo ſunt obnoxiæ, qui motus in uveâ *hippus* à *Mauchartio* vocatur.

c. *Suffuſio Danaës.*

Denique vera *ſuffuſio ſcintillans*, quæ permanens eſt, ſic ſe habet ; æger in magnâ luce conſtitutus, utplurimum presbyta, vel oculis nitidiſſimis gaudens, continuò præ oculis obſervari ſibi putat puncta lucida, quæ non huc & illuc volitant, nec à commoto capite agitantur, ut putat *La Hire*, & ejus in hoc exſcriptor *Boerhaave* ; ſed conſtanter ſi oculus immobilis remaneat, deorſum lentiſſimè delabi videntur ; adeoque veluti pluvia aurea præ oculis eaque denſa cernitur ; quæ verticaliter ſemper deſcendit in quâcumque capitis poſiturâ, ſive erectâ, ſive lateraliter inclinatâ ; hoc in me ipſo expertus per annos, obſervavi in aliis potiſſimùm illis qui ſtudio nocturno indulſerant, & in ægrotante qui de eo ſymptomate ad melancholiam ferè per multos annos ſollicitus erat.

Si fides ſit Auctoribus, iidem ferè homines vident ſtrias lucidas, ſinuoſas, quandoque ramoſas, in medio lucentes, in marginibus umbroſas, quas cæteri pro ſuffuſione reticulatâ vagâ habent ; ſed diverſa res eſt, cùm in reticulatâ non locum mutent filamenta, & in axi obſcuriora ſint quàm in margine, contra quàm in hac ſuffuſionis ſpecie à *La Hire* memoratâ.

Re diù perpenſâ nulla alia hujus ſpeciei theoria mihi congrua videtur, quàm theoria *D. Demours*, eximii Ophthalmiatri, quæ ſic ſe habet : 1° Ex poris corneæ à *Winſlowio* notatis, aqua oculi continuò renovanda, continuò exſtillat extrorſum corneam lubricatura ; in ipſis recens mortuis magna elaſticitas globi expreſſionem illam continuat, unde nitorem corneæ tollit humor in pelliculam coactus, quo non reſarcito brevi remolleſcit

globus antea firmiſſimus : 2° Illæ guttulæ minimæ ſcaturientes in ſuperficie corneæ paululum protuberant, adeoque hanc ſuperficiem veluti totidem lentes ſphæricæ exaſperant : 3° Idem itaque debet exoriri effectus ſi retina ſit valdè ſenſibilis, ac ſi vitrum tumoribus minimis exaſperatum (vulgò *godronné*) oculis obverſaretur, ſcilicet punctula totidem lucida, vel magis diaphana debent obſervari quot guttulæ hemiſphæricæ : 4° Verùm hæ guttulæ continuò per corneæ convexitatem deorſum labuntur, & ſic pluvia lucida vel ſcintillans delabi videtur, cùm hujus imago ſucceſſivè percurrat retinam ab imo ad ſummum ; hæc ſunt phænomena à me obſervata.

Si guttulæ ſint uberiores, rivuloſque conſtituant, illos in ramos dividi facile eſt ; illi verò rivuli ramoſi eumdem effectum præſtabunt, ac vitra præ oculis poſita filamentis denſioribus deturpata, Aſtronomis & Opticis inviſa ; lux ſcilicet in axi refracta major erit, in marginibus erunt tenebræ ; ergo reticulum continuò in retinâ depingetur hujuſmodi, ut in axi filamenta luceant obſcuris lineis terminata, atque horum filamentorum ſitum, ordinemque facilè mutari conſequens eſt, quod in ſuffuſione reticulatâ non accidit.

Non poſſum aſſentiri *La Hire & Boerhaave*, qui hujus morbi principium in humore aqueo reperiunt ; nec intelligitur in eâ ſententiâ, cur pluvia aurea vel lucida continuò delabatur in quocumque capitis ſitu. Curatio verò in eo tota verſari videtur ut nimia retinæ ſenſibilitas, ſine quâ ea phantaſmata nulla ſunt, ſimulque animæ melancholica attentio, hoc ſymptoma exaggerans, tollantur.

Suffuſio Danaës accidit ſæpius in uſu extracti hyoſcyami albi, hoc verò finito evaneſcit, ut obſervat *D. Coulas M. D. Reg. Soc. Soc. meritiſſimus.*

4. *Suffuſio colorans.* B.

Ea eſt quæ objecta alienis coloribus infuſcat, excluſo albo & nigro, qui propriè coloribus non accenſentur. Colores verò ſunt ſeptem ; rubrum, aurantium, flavum, viride, cæruleum, indicum & violaceum. Ruber color inhæret radiis minimè, violaceum maximè refrangibilibus ; moleculæ ætheris vel lucis rubrum conſtituentes ſunt omnium craſſiſſimæ, violaceum facientes minimæ ; omnes ſummâ, imò perfectâ elaſticitate præditæ, infinitè parvæ ac ſphæricæ ; numerus vibrationum dato tempore abſolvendarum eſt in illis diametro reciprocus ; hinc tonus, proindeque color, cuique proprius & inhærens. Atque ut tonus determinatus ex aëre externo in internum auris tranſmittitur, propter conſonantiam molecularum ejuſdem ordinis, ita color determinatus in lucem oculo contentam propagatur, atque per nervea filamenta ad animæ ſedem tranſmittitur. De his legi meretur *magni Euleri Diſſert. Mem. de l'Acad. de Berlin* 1754.

Ut percuſſâ fidium chordâ, poſtquam ſonus principalis imminutus eſt, audiuntur à Muſicis toni ejus harmonici tertia, quinta, &c, ita ſi vivido lumine perſtringatur oculus, ut à ſolis directo aſpectu, ſubſequuntur

ſuc-

ſucceſſivè colores in lumine contenti, priuſque confuſi, ſcilicet ruber, luteus, viridis, cæruleus, violaceus, unde quoquò convertat oculos homo magnas maculas ſubrotundas cernit in parietibus & chartis albis.

Verùm ſi corpora quæ inſpiciuntur jam colore quodam infecta ſint, ex diverſa colorum combinatione novi colores exſurgunt; ſic in hoc experimento ſi color cæruleus in corpus luteum incidat, viridis erit macula, ſi in rubrum, purpurea, &c.

Corporum quorumcumque, modò priſmaticis, puriſve coloribus tincta non ſint, ſi trans vitrum priſmaticum triangulare, vel limbum lentis vitreæ acutum inſpiciantur, margines inde cærulei, inde verò rubri apparent, ut docet experimentum vulgatiſſimum. Idem præſtat in oculis cryſtallina lens, ſi ejus limbus, pupillâ nimis dilatatâ, lucem refringat. Idem experiuntur Aſtronomi tùm quando lentem ocularem in debitâ ab objectivâ diſtantiâ non collocant, tùm maximè, cùm apertura diaphragmatis, ſeu annuli chartacei quo vitri objectivi limbus tegitur, nimis eſt patula.

Si in lentem, cujus convexitates ſint ſphæricæ, lumen incidat, quoniam radii rubri ſunt minùs refringibiles una 77 parte quàm violacei, focus non eſt punctum unicum, ſed axis juxta quem radii violacei propiùs, rubri verò remotiùs uniuntur; adeoque ſi ſphæricæ ſint cryſtallini convexitates, colores in oculo ſeparati viſionem turbarent, ut in tubis aſtronomicis; ſed huic incommodo triplici modo obviam ivit ſupremi Numinis ſapientia; primò quidem convexitatem corneæ & cryſtallini non ſphæricam, ſed hyperbolicam fecit, quod peritiſſimi hominum in vitris poliendis, ac fingendis adhucdum præſtare non potuerunt; ea autem eſt hyperbolicorum vitrorum proprietas, ut radios in puncto uniant. Secundò pupillam ita aptè concinnavit, ut apertura diaphragmatis hujus excludat radios à limbo cryſtallini juxta proportionem quam demum invenit Aſtronomorum ſagacitas: 3° Lentem cryſtallinam aqueo humore, aut vitreo, ejuſdem cum aquâ denſitatis involvit, & denique ſummus *Newtonus* vi ſui ingenii, ac nuperrimè *D. Eulerus* hoc artificium ad colores ab imagine abigendos eſſe utiliſſimum cognovere. Vide *Mem. de l'Acad. de Berlin* 1747. Nullum eſt itaque tam ſublime ſummorum hujus ævi Philoſophorum & artificum inventum, quod in humanæ machinæ fabricâ ſummi Numinis ſapientia ante ſæcula non occupaverit, & quò doctior ac peritior homo fuerit, eò ſublimiora & veriora ſcientiarum Mathematicarum & Artium principia in operibus Dei demirabitur.

Guttula cruoris retinæ inſidens & nigricans omnem lucem intercipiet, unde phantaſma obſcurum vel nigrum; verùm ſi dilutus cruor radios rubros tranſmittat, tunc maculam rubram videbit æger, ut omnia trans vitrum inſpecta rubra ſunt.

Lumen candelæ ſebaceæ flaveſcit, unde objecta alba ad illud lumen flava apparent, & cærulea vírideſcunt, luteaque pro albis habentur.

Qui ad ſolem diutiùs libros legunt, illi characteres intenſâ rubedine

tinctos brevi vident: ſi nivem in umbra arborum aſpiciant dum ſol nitet, nix apparet cærulea.

Qui aurigine habent infectos oculos non ideò vident objecta lutea, ſed minùs colluſtrata, quia non ſubitò intenſus ille color oculos inficit, & dein omnia objecta diluto illo colore ſenſim tincta æqualem corporis nativi imminutionem patiuntur, atque ob aſſuetudinem ſenſim inductam nativi coloris, ſi non gradum, ſaltem ordinem ſervare videntur; ſi ſubitò flaveſcerent oculi, ſubitò omnia flava viderentur objecta, ſed brevi temporis intervallo hoc phantaſma evaneſceret ob aſſuetudinem.

Obſervavit *Valſalva* hominem qui continuò præ oculis palatia pulchrè decorata & colorata ſibi obverſari videbat; veriſimile eſt illi fuiſſe combinatam ſuffuſionem reticulatam cum colorante, ſeu pupillam reſpectu cryſtallini fuiſſe nimis apertam, unde oculi ejus veluti priſmata triangularia omnibus objectis iridis cœleſtis colores inſpergebant.

5. *Suffuſio metamorphoſis.* B.

Metamorphoſis eſt figurarum mutatio; figura eſt limes extenſi; limites extenſorum mutantur, ſi ſitus, proportio, numerus, magnitudo partium mutetur additione, detractione, translatione, &c. Videamus itaque potiſſimum mutationes quas imagines objectorum patiuntur in magnitudine, ſitu, &c, ut intelligatur quomodo fiat metamorphoſis illa, quæ ſpecies ſingularis ſuffuſionis eſt.

Objectorum magnitudo apparens eſt 1º ut angulus viſorius tùm interceptus à radiis objecti extrema radentibus & in oculum concurrentibus, ſi viſio fiat unico oculo; tùm ut angulus ab axibus opticis objecti extrema radentibus efformatus; ſimilis enim eſt in oculo angulus imaginem menſurans, cujus magnitudini reſpondet apparens objecti magnitudo. 2º Quò objectum eſt magis diſſitum, eò majus judicatur ſub eodem viſorio angulo; unde judicium de diſtantiâ objecti mutat magnitudinem apparentem. Mutatur magnitudo apparens objectorum tùm in viſu diſtincto tùm in confuſo ſeu amblyopiâ; in viſu quidem diſtincto, ſi utamur vitro concavo aut biconcavo, objecta minora ſimul & diſtinctiora apparent; ſed etiam ſine perſpicillis concavis, ſi pupilla anguſtetur nobis non jubentibus, objecta minora videntur. Sic à ſubitaneo frigore omnia objecta imminuta ſe vidiſſe refert *Le Cat* nativæ magnitudinis probè memor; utplurimùm tamen hanc imminutionem, cùm in omnibus ſimul objectis accidat, non percipimus.

Contrariorum ratione ſi cornea fiat magis convexa, etſi pupilla citra animæ imperium diducatur, objecta majora videntur.

In amblyopiâ nihil eſt frequentiùs quàm augeri objectorum magnitudinem; cùm enim myopes videant objecta interventu imaginis confuſæ, ſed multò amplioris quàm apud ætoptas ſeu aquilinos oculos, conus opticus inter cryſtallinum & retinam terminatus rurſùs dilatatur cùm retinam attingit, illi objecta ampliora cernunt; ſic ſi myops facem accenſam è longinquo reſpiciat, is videt flammam circularem & valdè extenſam. Idem autem

autem accidit presbytis apud quos conus opticus ultra retinam pertingit, adeoque amplâ maculâ retinam inficit; ſic acicula prope oculum collocata, reſpectu cujus diſtantiæ omnes homines ſunt presbytæ, quadruplo craſſior videtur quàm reapſe eſt, quia pone illam radii inflexionem à *Newtono* detectam patiuntur, & ſic angulus à radiis inflexis interceptus major eſt.

Homines qui fixè intuentur objectum proximum confuſè vident ſimul objecta remota & reciprocè; ſi aciem oculorum in remotum dirigant, confuſè propiora cernunt: ergo presbytæ evadunt vel myopes horum reſpectu, ſimulque variam in iiſdem objectis magnitudinem percipiunt. Sic ſi filo ferreo ante pupillam poſito diſtans campanile intueamur, filum ferreum diaphanum & craſſiſſimum videtur; ſi deinceps ad filum dirigamus oculorum aciem, campanile videtur minus quàm antea.

Si in hoc experimento filum ferreum horizontaliter ſitum coram oculo moveatur, campanile & montes remotiores videntur exſultare & ſubſidere viciſſim, radiis per inflexionem ita mutatis ac cùm per lentem refringuntur. Sic cùm trans vitra feneſtræ tuberoſa, nodoſa, prætereuntes cernimus, in illis motus circulares & figuras anomalas miramur.

Si itaque alterutrum lentis cryſtallinæ vel corneæ latus ſimili vitio laboret, eadem metamorphoſis oculis obverſaretur. Novi myopem qui quoties montes in horizonte poſitos intuetur, in certâ poſiturâ montes dextri latèris præruptos & deficientes cernit; in eo verò ſingularis mihi evenit obſervatio, ſcilicet ejus oculi fundum introſpicere datum eſt, non ſecus ac in fele aquis immerſâ, habebat ſcilicet à *D. Leſevre Medico Uzetienſi* arcanum quoddam, cujus ſemigrano corneæ impoſito, ſtatim pupilla mirum in modum dilatata lucem in oculum admittebat & ex ejus fundo reflecti ſinebat: nihil morboſi in retinâ obſervavi, adeoque mihi venit in mentem illud phænomenon in omnibus hominibus evenire poſſe, maximè myopibus ut in experimento Mariotti accidit: non ita facile eſt intellectu cur illa hyſterica *Marcelli Donati*, cui in dextro oculo ſæpe dolenti lumen reſplendebat, ſiniſtro omnia objecta non niſi dimidiata apparebant: Vide *Bartholin. de luce animal. pag. 41.*

In hac ſuffuſione objecta mutantur per emarginationem, vel ſubſtractionem, in alterâ per additionem; ſic ſi reſpiciatur pruna ardens in cineribus, vel carbo nigricans in medio igne, & digitus accedat ad conum opticum ab ipſo objecto procedentem, illius objecti latus videtur extendi, aut elongari verſus digitum. Hinc explicari poteſt obſervatio *Valſalvæ*, qui refert homini librum legenti, licet characteres æquales forent, alios aliis conſtanter majores apparuiſſe.

Denique ſitus objectorum mutatus apparet in experimento ſequenti, ex quo ſignum diagnoſticum tum myopiæ, tum presbytiæ erui poteſt. Candelæ accenſæ aliquot hexapedas diſſitæ reſpiciantur, flamma ea non pyramidalis, ſed circularis & ampla videtur; ſi verò digitus ſenſim ad radios in oculum incidentes à dextris admoveatur, tunc vel latus dextrum flammæ emarginari videtur, vel ſiniſtrum, ſi dextrum objectum in ſitu

inverſo apparet, & homo myops, ſi ſiniſtrum, homo presbyta eſt. *Vide La Hire de diverſis viſûs accidentibus Mem. de l'Acad. R. des Sc.; Le Cat, traité de la vuë, &c.*

Mulier in acceſſibus epilepſiæ non ſolùm diplopia laborabat, ſed etiam ſpectra horrenda, atmoſphæram cæruleo-viridem circa omnia objecta, & ipſa objecta illuminata multoties majora quàm reipſa erant, videre ſibi videbatur, ita ut muſca gallinæ magnitudinem referebat, & gallina bovis volumen adæquaret: uſus caſtorei hanc ſuffuſionem abſtulit, ſed ſequebatur vertigo quæ objecta viridia repræſentabat. *Journ. de Med. Nov. 1760.*

6. *Suffuſio dimidians objecta* Abrah. Vater Diſſertat. de viſûs vitiis 1723. Wittembergæ.

Tres caſus hujus morbi memorat, & theoriam à compreſſione cerebri, ac nervorum opticorum decuſſatione ſuppoſitâ deducit. Vide *Collection Academ. Tom. V. p. 292.*

7. *Suffuſio nutans.*

Illuſtr. Medicus Narbonenſis octogenarius per aliquot dies laborabat ſuffuſione, quâ omnia objecta inflexa, flexuoſa, & in alterutrum latus nutantia ipſi apparebant; ita ut homines obvii ipſi viderentur trunco cruribuſque tortuoſi, ſimulque in alterutrum latus inclinantes, & ad lapſum proni, quos idcirco primâ vice monebat, aut ſuſtentare conabatur; evanuit hic affectus, remanſit verò viſus ſolitò obſcurior.

III. Diplopia; *Suffuſio multiplicans*; *Viſus duplicatus* Auctorum; *Bévuë*; *Double Vuë.*

Eſt hallucinatio quâ idem objectum geminum, multiplicatum, vel multoties repetitum apparet.

Illud ſymptoma ferè ſemper fugax eſt, atque liberè illud patimur, ut in experimentis, idque vel unico oculo, vel binis aſpicientes. Experimenta verò magnam hujus theoriæ lucem feneratura adducam.

Si digito oculum è latere premamus, dum quoddam objectum intuemur, illud geminum illico videtur. Si unico oculo, ſed palpebris ferè clauſis, maximè oculis humidis objectum quoddam exiguum in tenebris præfulgens & diſſitum, ut facem, intueamur, tum ætoptæ, tum imprimis myopes, illud multoties geminatum videbimus.

Similiter ſi chartam luſoriam aciculâ bis perforemus, ita ut foraminula non magis diſtent à ſe quàm pupillæ diametro, atque chartâ oculo uni admotâ, altero clauſo, vel flammam candelæ, vel punctum nigrum in pariete albo apprimè colluſtrato reſpiciamus, ſtatim foramina centies majora videbuntur quàm reapſe ſunt, & quaſi nebuloſa, ſeſeque mutuò interſecantia; tum in ſegmine communi lucidiori, & medio videbimus punctum nigrum geminum, unum altero nigrius; removeatur charta uſquequò punctum unicum, aut flamma unica percipiatur, quod in presbytis quibuſdam vix unquam accidit, ea diſtantia, ſi *La Hire* credamus, eſt ex-

extenſio viſûs diſtincti, ea eſt præciſè juxta ipſum diſtantia, cui debet eſſe æqualis ſemidiameter convexitatis perſpicillorum presbytæ experienti convenientium, & concavitatis perſpicillorum myopi dato eligendorum.

Si verò ulteriùs charta removeatur, iterum objectum geminum apparet; imò ſi tria ſint foraminula, triplicatum; atque ambæ notæ nigræ à ſe mutuò tantò magis recedunt, quò charta ab oculo magis diſtat.

Quamdiu objectum non eſt in diſtantia viſûs diſtincti, imagines binæ cuilibet foramini reſpondentes, & in oculum illapſæ non uniuntur in retinâ, ſed diſtinctis in locis; adeoque polum opticum pro centro non habent, unde duplex videtur imago. Quippe longo uſu edocti ſumus per ſenſum confuſum, eſſe unicum objectum etiam ambobus oculis inſpectum, duplicemque imaginem depingere, quod, cùm intuemur in polo optico, delineatur. Polus opticus eſt ſpatium circulare in fundo oculi, cujus centrum occupat axis opticus; quoties verò objectum quoddam ambobus oculis intuemur, toties, niſi ſit vitium in organis, ita convertimus oculos, ut axis ûterque oculi concurrat in eodem objecti puncto, & longo uſu didicimus, tactu potiſſimùm nos dirigente, duplicem imaginem reſpondere unico objecto, unde quoties in polum opticum incidit imago, toties unicum judicamus objectum; ſed ſi duplex imago incidat in eumdem oculum, & non concurrat in polo optico, tunc videre nobis videmur objectum idem in duobus locis diverſis, adeoque geminum nobis illud videtur.

Si lentis vitreæ biconvexæ ſuperficies chartâ opacâ tegatur, relictis duobus foraminibus diſſitis, lentemque ſoli in camerâ obſcurâ obvertamus, duplex ſolis imago ultra lentem fulgebit excepta in unico puncto quod diſtabit à lente ejus convexitatis ſemidiametro, id eſt, in foco lentis in quo imagines combinatæ unicum objectum repræſentabunt; idem accidit in oculo qui pro lente ſphæricâ poteſt haberi.

Si itaque palpebris conniventibus ciliorum interſtitia veluti totidem foramina luci pervia relinquant, & homo myops vel presbyta fuerit, vel objectum lucidum ultra citrave viſionis diſtinctæ diſtantiam poſitum; nil mirum, ſi objectum ter, quater, quinquies repetitum videatur. Sic *P. De Chales* qui myops erat, cùm hominis faciem reſpiciebat, ſibi videre videbatur quinque, vel ſex ejuſdem vultûs umbras, vel larvas horizontaliter poſitas.

Si ſimul lachrymis, aut lippitudine obducantur cilia, ibique efformentur totidem lentes aqueæ vel convexæ, vel concavæ, minus mirum erit, ſi per totidem lentes objecta multiplicentur, ut lippis accidit; vitra inæqualis ſuperficiei à perſpicillorum fabris dicuntur viſum illudere, ſuffundere, vulgò *berluër*, quia objecta multiplicant & immutant.

Suffuſio multiplicans cum myode in experimento ſequenti à *P. De Chales* propoſito combinatur; ſint candelæ plurimæ ad minimum viginti paſſibus diſtantes ab oculo, caput aciculæ oculo admoveatur, & attentè cernatur, negligenter verò candelæ accenſæ; macula nigricans in ſingulis candelis videbitur; ſed

ſi

ſi candelas attentè intueamur, macula nigricans evaneſcet, nec aciculæ caput videbitur, niſi velut nebula diaphana.

Viſio quæ binis oculis fit, ſi æque vigeant amborum oculorum acies, eſt unâ decimâ tertiâ parte clarior, quàm quæ unico, juxta *Jurini* experimentum; aſt non minùs diplopiæ obnoxia eſt. Longo uſu didicimus clariorem eſſe viſionem, quæ fit ambobus ſimul oculis, modò axes optici in objecto concurrant; planum ambabus pupillis parallelum, in quo concurrunt axes optici, vocatur *planum horopteris*, quaſi viſum terminans; inſcii, velut inviti & non attendentes, dirigimus axes illos ad horopterem, id eſt, ita convertimus utrumque oculum, ut linea pupillæ & cryſtallini centra conjungens in utroque oculo ad idem punctum pertingat: in hoc caſu imago in utroque oculo depicta eſt circularis, cujus centrum eſt polus opticus, ſeu extremum axis optici; in his circumſtantiis utpotè uſitatiſſimis objectum unicum judicamus, licet imago duplex ſit; verùm ſi diſtorto, ope digiti, vel ab alterâ cauſâ, alterutro oculo, axes optici non concurrant in objecti centro, tunc imago objecti non poteſt incidere in polum opticum utriuſque oculi, & objectum in duplici loco collocatum nobis videtur, indeque geminum. Sic ſi idem ſonus non eodem inſtanti, ſed diverſis temporibus ad aurem perveniat, ut echo, duplicem ſonum eſſe judicamus. Oculus dexter cum ſiniſtro non conſpirat, vel quia alteruter ſtrabiſmo laborat, ſeu non obſecundat nutui voluntatis, vel quia non jubetur agere, quia cùm viſu multò breviori, aut debiliori donetur, inutilis eſt ad diſſitorum objectorum intuitum; inde verò fit, ut unico oculo utamur ad intuendum; unus itaque oculus fit otioſus, & quoquo verſus vergat indifferenter; inde ſtrabiſmus, non verò ſemper diplopia.

Si non poſſit ex libertate animæ oculus cum altero conſentire, ſeu ad idem objectum dirigi, illud fit vel quia muſculus alteruter, ut abductor, nimis reſiſtit, vel antagoniſta, ut adductor fortiùs agit; unde oculus æger cum ſano conſpirare non poteſt, & tunc objecti imago in illius polum opticum incidere non poteſt, proindeque imago dextri oculi refertur ad unum locum, ſiniſtri verò ad alium, unde geminum judicatur objectum. Idem poteſt accidere abſque muſculorum vitio, ſi ſcilicet cryſtallinus cum pupillæ plano paralleliſmum ſolitum non ſervet, ut ſi à fibris coronæ ciliaris dextrorſum & ſiniſtrorſum diſtorqueatur; tunc enim axis ejus ſimiliter diſtorquetur, nec poteſt cum alterius axi conſpirare.

Si ſint duæ candelæ multas hexapedas ab oculo diſtantes & horopteris plano parallelæ; in mediâ verò inter illos & oculos diſtantiâ intercipiatur earum viſio per magnam chartaceam tabulam, in cujus tamen medio ſit foramen exiguum unicum, radii per illud foramen ad utrumque oculum ex hiſce candelis poſſunt accedere; dirigatur amborum oculorum acies in candelas, videbis duas candelas, & duo foramina, licet unicum ſit, quia imago candelarum in polum opticum, imago foraminis extra polum incidit; jam verò ſolum foramen fixè intuere, unicum foramen videbitur, quia ambæ candelarum imagines hic coaleſcunt, ita ut ſi vitrum cæruleum coram

unâ,

unâ, luteum coram alterâ candelâ ponatur, in foramine radii utriuſque uniti viridem flammam expreſſuri ſint.

Si anima itaque negligenter objectum quoddam lucidum intueatur, nec ad illud dirigat axes opticos, tunc illius imago in diverſas utriuſque oculi partes illabitur, unde duplicatus viſus, quod accidit ebriis, quorum axes optici in vino natant & titubant; vidi etiam diplopiam in muliere quæ hyoſciami folia manducaverat, necnon in Anglo cæterum ſano, ſed melancholico, apud quem hæc hallucinatio aliquot dies perſeveravit, nec principium verum morbi detegere potui; nullum verò remedium ſuaſi; quippè aliunde præſagiebam fore ut hic error intra breve tempus evaneſceret, ut fieri aſſolet in morbis acutis caput impetentibus; ineunte variolâ, phrenitide hoc ſymptoma rarum non eſt, ob ſpaſmos quibus vel corona ciliaris, vel oculorum muſculi diſtrahuntur. Hæc ſuffuſio fugax eſt, & ea quæ ſtrabonibus initio accidit, ſponte curatur, quia anima errorem viſûs aliorum ſenſuum & judicii interventu corrigit. Qui plura deſiderat, legat eruditam *Diſſertat. J. Klauholdii de viſu duplicato*, Argentorati 1746.

Diplopiæ varietates ſunt ſequentes.

1. *Diplopia pyrectica.*

Eſt ſymptoma febres & pyrexias acutas quandoque comitans in impetu morbi, quoties potiſſimùm delirium, phrenitidemve inducit; tunc enim axes optici irregulariter mutantur, nec ad idem objectum convergunt; imò adeò ſubitò divergunt & moventur, ut æger quandoque ubi unus eſt Medicus, plures ſibi videre videatur; in eo caſu phlebotomiæ & ſedantia quæ delirium tollunt, tollunt & diplopiam; inter ſedantia ſal ſedativum Hombergii cæteris præſtat in hoc caſu.

2. *Diplopia ab ſpaſmo* abductoris muſculi in oculo ſiniſtro Williſ. de animâ brutorum, cap. 15: Vidi in epileptico.

3. *Diplopia à paralyſi* muſculorum unius oculi Plater. obſervat. lib. 1° pag. 132.

4. *Diplopia ab ancyloblepharo* Langii Epiſtol. 7ª libr. 1.

5. *Diplopia à catarrho* Foreſti libr. 2, obſ. 39; Aquilonii Opticæ pag. 346. L. Vide Cephalalgiam 10am.

6. *Diplopia à debilitate* Boneti Sepulchret. obſerv. 22, caſu 43, 44, in morti vicinis & convaleſcentibus.

7. *Diplopia remotorum* Aquilon. Opticæ, pag. 346. Diſſita duplicia videntur, non proxima.

8. *Diplopia à contuſione* Thummig. Act. Suecic. 1721, pag. 230.

9. *Diplopia à terrore* Abr. Vater. diſſert. de viſûs vitiis 1723.

10. *Diplopia à temulentia.*

IV. SYRIGMUS; *Strepitus*, *Fluctuatio*, *Sonitus aurium*; *Tintouin.*

Eſt error imaginationis ſonos, qui extra aurem non ſunt, ſibi repræ-

ſentantis, ſeu hallucinatio ex imaginatione ſonorum, quorum principium eſt in ipſis organis acouſticis.

Variat ratione ſoni & toni; *Bombus* dicitur, ſi percuſſiones, vel ictus interpolatos repræſentet; *Tinnitus*, ſi tintinnabuli preſſè repetitos ſonos acutos referat; *Otonechos*, ſi dùm loquimur ſonus acutus continuus ſit; *Suſurrus*, ſi murmur, graviſque ſonus preſſè repetitus audiatur, ut rotæ, fluminis; vel fortis, ut tonitru, &c; unde videtur nullum ex hiſce nominibus generi deſignando convenire.

Character eſt ſonus importunus & imaginarius, vibrationibus aëris externi non reſpondens.

Cognoſcitur ex eo quod mutato ſitu capitis, obturatis etiam auribus, ſilentibus vicinis objectis, idem ſit.

Cauſa eſt motus vibratorius fluido nerveo acouſticorum organorum impreſſus à principio interno, non ab impreſſione externâ dependens; ejus itaque ſedes in cerebro ad originem nervi acouſtici in oſſe petroſo, in labyrintho, tympano, vel canali auditorio; alius eſt fugax, nullius momenti niſi ad theoriam; alius conſtans & incommodus, ex quo auditus perturbatur; qui eſſentialis, vel accidentalis.

Inaſſueta & impreſſionibus externis non reſpondens fluidi nervei acouſtici agitatio pendet vel à motu expanſivo, aut agitativo aëris interni tympani, labyrinthi, aut à vaſorum ſanguiferorum turgidorum pulſatione, ut in bombo, vel à fluminibus arteriolarum non pulſantium exundatis, aut à retrogreſſu ſanguinis & lymphæ intra vaſa labyrinthi, aut ab ſpaſmodico motu catenæ oſſiculorum, aut ab infarctu corticis cerebri juxta originem nervi acouſtici, aut à pulſatione diſſonâ meatus auditorii cum catenulâ oſſium, juxta Sauveuriana principia.

Concurrunt ſenſibilitas facultatis, & nervorum, ut in hyſtericis in quibus ſenſus eſt acribeia.

1. *Syrigmus à debilitate.* B.

1° A fame ſeu inanitione. 2° A convaleſcentia in morbis, *Riverii.* 3° A veneris abuſu. 4° A Leipothymiâ.

Hujus cauſa eſt motus retrogradus ſanguinis in vaſculis labyrinthi; cùm enim cor debiliùs impellit ſanguinem, minus reſiſtit ſanguis contractioni elaſticæ vaſorum à quâ columella ſanguinis verſus partem minus reſiſtentem mittitur. Adde quòd ſpaſmi carnium hinc inde ſæpe oboriantur in debilibus maximè hyſtericis & hypochondriacis, in quibus regreſſus ille excitatur; nec deeſt ſimilis ſpaſmus etiam in leipothymiâ, ut in verecundiâ.

Curatur illa ſpecies analepticis, tonicis, pulvere de gutteta, demum roborantibus.

2. *Syrigmus criticus.* B.

In acutis bombus inſalubris, & ſonitus aurium lethalis. Si in febre ardente ſonitus aurium cum viſûs caligine, & narium gravitate fuerit, delirium portendit, *Prorheticor.* alioquin hæmorrhagiam prænunciat ex *Coacis.*

cis. Quibus ſanguis è naribus fluxurus eſt, aures tinniunt, is tinnitus perfectâ criſi finitur. *Riverius.*

3. *Syrigmus plethoricus* Frid. Hoffmanni. B.

Eſt vel levis vel gravis, fugax vel continuus. Fovetur 1° a victu lauto opiparo, 2° à vitâ ſimul deſide, ſomnolentâ; 3° Excitatur à capitis inclinatione, ſitu declivi; 4° Suppreſſioni hæmorrhoidum, catameniorum ſupervenit cum facie floridâ; 5° Concurrit maximè cum anarrhopiâ ſanguinis.

Cauſa hujus ſpeciei eſt rivulus ſanguinis fortiùs premens perioſteum labyrinthi. Si manus applicetur tubis antliarum aquam in altum ducentium, fremitus continuus perſentitur, & cùm velociùs fortiùsve agitatur machina à flumine altiori, fortior eſt ille fremitus; talis eſt ſyrigmus qui à plethorâ pendet.

4. *Syrigmus ſibilus; Sifflement d'oreilles.* B.

Sibilamus quando ope linguæ in exiguam rimulam contractæ, vel ope labiorum in exiguum foramen effictorum, aër vel exſpiratur, vel inſpiratur cum velocitate; tunc enim exigua glottis labialis, vel lingualis efformata in vibrationes tantò frequentiores agitur, quò peripheriam minorem illa glottis obtinet. Sibilus eſt itaque ſonus acutus continuus, ſed exilis in aure, qui à tranſitu aëris per exiguum foramen procedere poteſt.

Tuba *Euſtachii* obturata à mutuâ ſuorum labiorum adhæſione reſiſtit preſſioni aëris externi, quando aër internus debitâ elaſticitate præditus renititur; verùm ſi aër internus abſumatur ut fieri aſſolet, tunc preſſione externi diducitur illa exigua glottis, & rivulus aëris cum ſibilo in tympanum influit: ſi verò aër internus expandatur, aëris externi preſſio vincitur, & reciprocè ex effluxu interni fit ſibilus qui reſonat in aure, ut reſonat in ore ſibilus glottidis labialis, ſive aër inſpiretur, ſive exſpiretur.

Poſt unum alterumve minutum ſat aëris externi influit, aut interni effluit, ut nativum reſtituatur æquilibrium, unde ceſſat ſibilus, quem vulgus tribuit maledicæ alterius loquelæ, ſeu quod alteri malè audiamus, *l'oreille me ſifle.*

Errant ergo Neoterici qui Veterum vapores ab omni ſyrigmo excludunt, & pulſationem arteriarum in omnibus incuſant.

5. *Syrigmus ſuſurrus; fluctuatio* quibuſdam, *Brouiſſement d'oreille ou bruiſſement.* D.

Eſt ſonus ita frequenter repetitus, ut rotæ vel curriculi ſtrepitum referat, nec ictus numerari poſſint.

Ille affectus eſt ſæpe diuturnis, ſibilus verò fugax, aſt duplicis eſt ordinis; vel enim eſt *exacerbans* per intervalla, pulſationi cordis ſynchronus; vel eſt *continuus;* utriuſque verò non idem videtur eſſe principium.

Suſurrus uterque differt à ſibilo quòd ſit ſonus gravis, ſibilus verò acutus, exacerbans; differt à bombo quòd bombus ſit intermittens ictibus

 diſtinc-

diſtinctis, ſuſurrus verò ſenſim decreſcat inter quamlibet pulſationem, nec ullum ſit intervallum à ſuſurro liberum.

Suſurri exacerbantis cauſa videtur affrictus undæ ſanguinis majoris intra vaſa labyrinthi projectæ, quæ injectio ſanguinis ideo cordis ſingulis ictibus reſpondet, aſt ictum ut impulſionem vividam non repræſentat, quia in canalem oſſeum inflexum non incurrit, ſed in mollem arteriolam lymphæ tantùm vehendæ deſtinatam & jam à rivulo cruoris dilatatam, unde inaſſueta perioſtei ſuperincumbentis, & acutè ſentientis diſtractio, quæ rivuli murmur aut undas repetitas exprimit; cùm verò unda ſanguinis initio diaſtoles projecti ſit fortior, & ſenſim ad uſque finem ſyſtoles decreſcat, ſuſurrus à prætereuntibus globulis excitatus per intervalla pulſationum cordis creſcit & decreſcit.

In ſtatu ſano vel aſſuetæ vaſculorum ſanguiferorum undæ non percipiuntur, vel rivulus cruoris non tranſit niſi per vaſa patula ſanguifera, in ſuſurro verò lymphatica diducit, vel ſanguifera ſolitò fortiùs titillat: cur verò in febre quâcumque non detur ſuſûrrus eadem eſt ratio, cur in febre quavis non incaleſcant aures, ut in leipothymia; vel genæ, ut in verecundia; vel penis, ut in libidine. De anarrhopiâ fluidorum aliàs agemus.

Suſurri verò continui, ſeu ita frequenter pulſantis ut ictus numerari non poſſint, diverſiſſima eſt ratio; vel enim pendet à principio externo, ut inſecto, verme in meatu auditorio, oſcitatione, aquâ illapſâ, aure digito, manu, conchâ, obturatâ; vel à principio interno, ſcilicet à ſero, pure, muco intra tympanum, vel intra labyrinthum: quomodo verò ea ſuſurrum illum gravis toni & continuum inducant obſcuriſſima eſt ratio, niſi à diſſonantiâ & pulſatione Sauveurianâ procedat.

Dum nocte pacatiſſimâ in lectulo auſcultamus attentiſſimè, ſonum quemdam acutum quaſi grylli tenuiſſimi percipimus, qui vigilantibus non percipitur; ut cùm extra populoſam urbem recedimus ſemileucâ, murmur hujus urbis ſentimus quod in media urbe non percipimus. Continuò ſcilicet vigilantibus vibratur catena oſſiculorum tympani, quæ vibratio cum meatu auditorio harmonica eſt, & non auditur aſſuetis.

Si duo tubi organi eccleſiaſtici conſoni ſonum quemdam lenem edant, jam verò alterutrius tonus imminuatur vigeſimâ aut vigeſimâ quintâ parte, quod fit conſtricto vel partim obturato ejus extremo, imò manu ejus orificio appoſitâ, tunc auditur alter ſonus fortior pulſatorius, ſeu intermittens quem muſici vocant *battement.* Si tubus ſit quinque pedes longus, is centum vibrationes edit in ſecundo; alter vigeſimâ quintâ parte longior non niſi nonaginta & ſex edit, ergo quilibet vigeſimus quintus ſonus utriuſque occurrit quater in ſecundo: unde pulſationes quatuor ſingulis ſecundis, quæ proinde numerari poſſunt, & fortiores ſunt ſono priori; ex his ſequitur,

Si tonus nativus catenulæ oſſiculorum paululum minuatur, tono meatûs eodem permanente, vel reciprocè, debet ſupervenire pulſatilis ſonus, qui quater, quinquies, ſexies, &c, in ſecundo repetitus videbitur continuus 2,

tinuus, aut ita frequens ut pulſationes vix numerari queant; talis eſt ſonitus aurium ex experimentis ſequentibus.

Si oſcitamus, condylus maxillæ premit meatum auditorium, ejuſque tonum minuit; ſi aqua infundatur intra aurem, ejus tonus acuitur, ut accidit ſcypho vitreo; ſi digitus intra meatum inſertus fixus & immotus teneatur, aut manus applicetur auriculæ, idem accidit; nec hoc pendet à pulſatione arteriarum, nec à calore digiti, nec à perſpiratione, aut aëre rarefacto; teſta conchylii, baculus, aqua, &c, idem præſtant. In his omnibus caſibus pauliſper mutatur tonus nativus meatûs auditorii, adeoque diſſonat cum catenulâ oſſium, unde ſonitus fortior, & inaſſuetus, qui proinde auditur.

Idem pari ratione accidit, ſi quavis de cauſâ vel catenulæ tonus augeatur, ut à colapho, ictu, phlogoſi, magnâ attentione noctu præſtitâ, vel ſi ejus tonus à pure, lymphâ, muco remittatur; unde diſſonantia cum meatu. Conſonare organa exigua cum meatu brevi docebimus dùm agetur de theoriâ vocis; ſic perforato palato vox priùs ſuavis evadit diſſona cum glottide, ut norunt omnes.

Si longitudo tubi organi in experimento Sauveuriano ſit ad alterius tubi longitudinem ut 1 ad 6, ad 4, &c, ſexta, quarta quæque pulſatio concurret, ſed cùm centum ſint pulſationes in ſecundo, erunt viginti quinque concurſus in ſecundo, qui ſonum uniformem, minimè verò ſuſurrantem edent, in hoc enim conſiſtit diſſonantia, quod ſoni tam rarò concurrant intra ſecundum temporis, ut fermè poſſint numerari; unde liquet cur dixerim ſuſurrum pendere ab organorum auris diſſonantiâ, quod certè nemo in acouſticis rudis intelligere valet.

6. *Syrigmus cephalalgicus; Paracuſis* Græcis; *Obauditio* Latinis; ab infarctu vaſorum cum vel ſine febre. B.

Eſt ille qui in gravitate aut dolore interno capitis cum obſcuritate auditûs, gravi ſuſurro vel ſonitu accidit, quandoque accedente vertigine, unde metus debilis cophoſeos, epilepſiæ aut apoplexiæ, aut criſis per parotides, hæmorrhagiam: gravis eſt congeſtio, fluxiove in cerebri vaſis, ſi gravis ſit morbus; levior & fugax, ut in vomitione, inſolatione.

7. *Syrigmus à ventriculo* Frid. Hoffmanni; *ab hypochondriaſi* ejuſdem. B.

Obſcura eſt illa ſpecies, quam putat *Hoffmannus* procedere ex ventriculo flatibus diſtenſo, aortam premente & anarrhopiam excitante, vel ab ſpaſmis anarrhopiam inducentibus.

In hac lenia cathartica, dein ſtomachica, ſi bombus ab aneuryſmate pendeat, ut obſervat *Duverney*, à levi exercitio intendetur pulſatio.

8. *Syrigmus catarrhalis; à cauſâ frigidâ, à frigiditate, à perſpiratione ſuppreſſâ.*

Si aqua in auriculam illapſa ſit, pedi uni inſiſtens ſaltet ex ſuaſu *Tralliani.*

Si à frigore ſuſcepto, conveniunt ſuffitus aromatici ex abſinthio, ver-

 benâ,

benâ vel ex baccis lauri, olibani, ſuccini, vapor alkali volatilis cum bombace; fel, eſſentia caſtorei, aqua Reginæ Hungariæ, moſchus, vel goſſypium moſchatum, oleum rutæ, aqua fraxini, vinum album, ſuccus cæpæ, porri cum aqua vitæ, &c, juvant.

A *Platero* laudatur potus ſudorificus, &c, ſternutatoria, &c: Aquarum Bellilucanarum uſum ſuadet in hac ſpecie *Deidier;* frequens capitis pectinatio, imò capillitii viſcoſi deraſio, dein uſus ſcopulæ ad detergendum; pileoli aromatici, &c, electricitas.

9. *Syrigmus ab oxycœâ.* B.

Ab exquiſitiori organi ſenſu, à ſubtilitate auditûs, ab organi ſiccitate, tenſione, agrypniâ, &c: Ab ictu, colapho, unde phlogoſis, otalgia.

In otalgiâ phlebotomia, reſolventia, lac, oleum conveniunt, hæc ſpecies fugax eſt.

In exquiſitiori ſenſu ſæpe ſyrigmus inveteraſcit, per annos perſeverat, & vix unquam ſanatur, maximè, ſi concurrat anarrhopia ſanguinis ſpaſmodica, hyſterica, hypochondriaca, in quo caſu balnea, narcotica, victus emolliens ſuadentur, ut in agrypniâ hyſtericâ.

Syrigmus accidit etiam ab obſtructâ tubâ Euſtachianâ ob aërem internum abſumptum; myringa introrſum ab aëre externo premitur, unde mutatur tonus catenulæ aurium, & cùm ſolvitur obex tubæ, aërque impeditur, ſubitò extrorſum redit myringa cum ſtrepitu quaſi ruptæ veſiculæ, & murmur evaneſcit.

10. *Syrigmus vertiginoſus.*

Singulare eſt ſymptoma, vertiginis quandoque comes, necdum ab Authoribus animadverſus., quo fit ut, dum quis loquitur à dextris, ejus verba videntur à ſiniſtris procedere aut vice verſa: error ille acouſticus eſt cognitus, verùm à vitio interno pendens & morbum fugacem concomitans mihi novus videtur, & ab eodem principio procedit in nervis acouſticis, à quo vertigo in opticis. In illa vertigine quam actu obſervo hoc eſt ſingulare quod objecta nequaquam loco moveri videantur, ſed ægra ſubitò ſibi videtur ita vacillans ut lapſum metuant, ſicut in vulgari vertigine.

Curatio Syrigmi. Omnium ſapientiſſimè ſcripſit *Galenus* de ſonitu in auribus, cùm notavit neutrius affectionis ſcilicet nec ſuffuſionis imaginariæ in oculis, nec ſyrigmi certam cognitionem cauſæ initio affectûs haberi poſſe, non convenit tamen citra cognitionem hujus curationem auſpicari, at ex principiis procatarcticis, ſiquis horum vires norit, conjectare poteſt an ex frigiditate, an ex ardore, an ex exquiſitâ audiendi ſubtilitate fiat ſonitus: potiſſimùm à juvantibus & lædentibus ſpecies dignoſcitur.

De cætero quæcumque à duobus annorum millibus de hoc ſcripta ſunt medicamina *auricularia* dicta, à *Galeno* ſunt tradita, qui ea mutuatur ex *Archigene*, *Apollonio* vel *Andromacho*. In hoc morbo, ut in aliis multis, quorum theoria obſcuriſſima eſt, qui ſolertiùs conjectat, feliciùs curat; qui de theoriâ ſua non dubitat, lectores decipit.

Medi-

Medicamenta auricularia ſunt 1° reſolventia acria, ut ſuccus elaterii, cæpæ, allii, porri, decoctum veratri, hellebori nigri. 2° Mitiora ut decoctum abſinthii, myrrhæ, cum nitro, vel natro, cumino, atramentum ſcriptorium, ſuccus raphani, aloë, mel. 3° Vel aromatica, nervina, tonica ut nardus, caſtoreum, cuminum, hyſſopum, oleum chamæmeli. 4° Vel lenientia, oleoſa, imò narcotica, ut oleum roſaceum, laurinum, amygdalinum, adeps anſerinus, lac muliebre, ſuccus mandragoræ, papaveris, cicutæ. *Riverius* aromaticis & lenientibus ferè uſus eſt, cæteri auctores acria ſtimulantia auri infundenda proponunt; haud dubiè falſâ theoriâ ducti, vapores craſſos eſſe attenuandos rati; à Pharmacis verò auricularibus ſonitum quandoque oriri notat *Galenus*. Cave itaque, ſi non proſis, ſaltem non noceas. *Trallianus*, *Aëtius* tuntummodo *Galenum* exſcripſere.

11. *Syrigmus bombus. Sonitus à plethorâ* Frid. Hoffmanni.

Si pendet à plethorâ tantùm, tunc auditur cùm accedit agrypnia, adeoque facultas audiendi exquiſita creſcit à decubitu, quia ſanguis horizontaliter projectus ſpatium duplo majus percurrit eodem tempore, quàm qui verticaliter aſcendit, ergo quadruplo fortiùs impetit canalem oſſeum carotidis pone aurem inſculpti.

Si pendet à febrili morbo, ſæpiùs præceſſit tenſio membranarum cerebri, capitis dolor, agrypnia, impetus ſanguinis eſt quoquoverſum major, aſt actio in arterias carotides fortior prout infarctus vaſorum capitis majorem ipſi opponit reſiſtentiam; nam actio eſt ut quadratum velocitatis reſpectivæ ſeu differentiæ inter velocitatem virtualem, & velocitatem actualem; creſcit hic bombus aut ſuſurrus in paroxyſmis, creſcit in criſi, tunc autem exſpectatio ſuadetur à *Galeno*: hæmorrhagia narium hunc ſolvit. Si criſis ſit parotidis expanſio, ut vidit *Tulpius*, cataplaſmatis emollientibus, ea eſt adjuvanda: in paroxyſmis phlebotomiis è pede impetus refrænandus, caput pauliſper attollendum.

Si morbus ſit inflammatorius capitis, auris, ut in phrenitide, otalgiâ, eædem indicationes vigent; oleum amygdalarum, lac, laridum inſulſum in aure adhibenda, pediluvia, phlebotomiæ, fomenta laxantia indicantur. Vide *oxycoiam*. Hæmorrhagiam prænunciat tinnitus cum ſuffuſione, narium gravitate, cephalalgiâ, obauditione, baricæâ, delirii prodromis.

V. HYPOCHONDRIASIS; *Hypochondriaca paſſio* Latinis; *Morbus hypochondriacus* Fracaſtorii libr. de Morbo Hypochondr.; *Melancholia hypochondriaca* Moroni Director.; *Hypochondriaciſmus* Huxham; *Ipochondria* Cocchi; Arabibus *Mirachia*; Gallis *Hypochondrie*; Ægri *Hypochondriaques*, *vaporeux*, *malades imaginaires*.

Morbus eſt chronicus quo affectus ſe in mortis periculo verſari ex cordis palpitatione, ructu, borborygmis aut aliis levidenſibus & ſine evidenti principio mutabilibus malis, imaginatur.

Hypochondriacos cognoſcimus ex eo quod mala multigena, nullo evi-

denti

denti principio invicem connexa, ſolo ſæpe ægri relatu cognoſcenda, cum ſcrupuloſa minutiarum attentione, ipſiſque artis terminis, nobis enarrent; quod quæ alii ſpernerent incommoda, ipſi verbis exaggerent, millenis & ſæpe mutatis remediis impugnent; Medicos ſuis querelis alios mox & alios defatigent; de eventu ſolliciti & peſſime ominantes licet voraces, vegeti & functionibus omnibus utplurimum, excepto circa ſuum morbum judicio, bene ſe habentes.

Hallucinatio mentis in eis verſatur circa ſanitatem propriam, quam multò magis perditam reputant quàm reipſa eſt, quamque continuâ ad corporis ſtatum attentione mœſtâ ſcilicet & fortiori, reapſe labefactant, maximè ex eo quod Medicis ſuis diffidentes remedia proprio marte vel inconcinnè adhibeant, ſæpiùs ſuo morbo contraria, ut repetita cathartica, frequentes phlebotomias, clyſmata quotidiana, dùm gulæ imperare neſciunt, aut digeſtionem mœrore, pravâque alimentorum qualitate vitiant. Hinc flatus, ructus, borborygmi, hypochondriorum dolores, nauſeæ, vomitiones acidæ, acres, bilioſæ, atrabilariæ, alvi conſtipatio, ſomni turbulenti; hinc macies, cutis ſquallor, color fuſcus, &c.

Diuturna moleſtaque in nervoſo ac membranoſo ſyſtemate, oſcillatorii motûs perturbatio & diſſonantia videtur *Fracaſſino* hujus generis cauſa & eſſentia. Hallucinatio nobis videtur repetenda ex nimiâ mentis attentione ad corporis valetudinem, tum ob nimiam philautiam, vitæque & voluptatis amorem, tum ob nimiam ſyſtematis membranoſi ſenſibilitatem huic philautiæ conjunctam.

Nervos vibratorio motu gaudere eſt hypotheſis; eorum nativa laxitas & elaſticitatis omnis defectus has vibrationes & conſonantias eſſe fictitias evincunt: in rheumatiſmo, arthritide, tritæophyâ, &c, vibrantur & diſſonant vaſa membranæ ſine hypochondriaſi; in epilepſiâ, eadem ſæpè ſunt cætera hypochondriaſeos ſymptomata ſine ullo habituali mortis metu, ſine ſenſibilitate, deeſt ſola illa animæ fortior attentio ad valetudinem, quæ initio libera eſt, ſucceſſu verò temporis coacta & veluti neceſſaria evadit, ut omnia pathemata quibus indulgemus.

Hæc ægritudo periculi expers eſt, niſi ſucceſſu temporis alias graviores accerſat, aut cum illis ſit complicata; ideò autem eſt contumax, quia unde maximum exſpectandum eſt præſidium, mens ipſa laborat, & errore ſuo morbum facit ac fovet; ægri ſcilicet indocilitas, diffidentia, continua ſollicitudo, non ſolùm digeſtiones lædunt, ſed impediunt quominus levidenſia mala, quæ huic errori anſam præbent, ſanentur appoſitis diuque continuatis remediis, quorum alia animam ſpectant, alia corpus.

Therapeia ex parte corporis exigit 1° victum humidum, cibos facilis digeſtionis horis determinatis, parcâ doſi ſumptos, diù præſertim maſticatos, potu aquæ, vel vini aquati copioſo dilutos; 2° ſomnum multum, vitando veſpertinis horis lectiones, negotia, nuncios quæ animam à ſomno avertunt; exercitium prodeſt jejuno ventriculo ſumptum, ut deambulatio,
ruſti-

ruſticatio, venatio, potiſſimùm peregrinatio, quatenus digeſtioni favent; 3° humectantia, laxantia in genere conveniunt ad ſenſibilitatem nervorum minuendam, & aliqualem fluidorum demulcendam acrimoniam: nihil eſt vulgatius in hoc morbo quàm præſcribere vere & autumno lac, præmiſſis juſculis refrigerantibus & catharſi leni, æſtate aquas minerales leviores, ut Euzetenſes, Aleſienſes; ſerum lactis & balnea, noctu emulſiones cum narcoticis.

Ex parte animæ duplici modo poſſumus attentionem ab objecto hallucinationis removere, & 1° quidem ſermonibus philoſophicis; quippè cùm plures ſint ingenioſi & litterati hypochondriaci quàm ſtolidi & ruſtici, fieri poteſt ut rationum momenta ſentiant; cùm autem nimia philautia, vitæque & ſanitatis nimius amor religioſæ opponatur patientiæ, ac philoſophicæ Stoicorum apatheiæ, hypochondriaci admonendi ſunt virum fortem dedecere hanc levium malorum intolerantiam, atque continuam de hiſce querelam. Si enim ſatis perſuaſi forent neminem ex omni parte beatum eſſe in hac vitâ, niſi qui tædia & labores, tùm animi, tùm corporis eodem animo patitur, ac natus paternâ manu caſtigatus, illi leves ſanitatis alterationes non tanti facerent. 2° Expedit ut aliis fortioribus ideis excitatis, idea morbi ex eorum animâ deleatur; plures viſi ſunt, qui ſuperveniente lite, aut gravi negotio, morbi ſui obliti ſunt, & qui ejus oblivíſci poteſt, ſalvus eſt. In hunc finem nihil convenientius eſt equitatione per loca amœna, tempeſtate ſerenâ, aut quod eodem recidit, peregrinatione, navigatione, ruſticatione; aſt equitatio præſtat cæteris; omni enim inſtanti continuò novis & variis objectis viſus, audituſque percellitur, ita ut ferè impoſſibile ſit animam ab attentione funeſtâ non averti, & aliis cogitationibus non aſſueſcere, in quo magna pars curationis conſiſtit.

Quò homo debilior eſt corpore, eò ſæpè debilior eſt animo, ſeu minus fortis & audax ad adverſa viriliter ſuſtinenda; ea verò fortitudo animi quæ deficit in hypochondriacis, augetur amicorum colloquiis, Medici eos alloquentis ſecuritate & promiſſis; aſt utplurimùm validis medicaminibus corpus enervatur, catharticis repetitis, phlebotomiis importunis debilitatur, unde vis animi perit, & recrudeſcit hypochondriaſis; nihil magis facit ad lætitiam excitandam quàm ſufficiens perſpiratio, obſervante *Sanctorio*; adeoque ejus præcepta diætetica & gymnaſtica ad eam promovendam hìc valent maximè, inter quæ iterùm equitatio cæteris præſtat.

1. *Hypochondriaſis bilioſa* Fracaſſini, ſeu *calida & ſicca*, 1ª *ſpecies*. L.

Species omnium rariſſima, quæ temperamento bilioſo jungitur: Vide ſigna & principia hujus temperamenti in Phyſiologiâ. Æger ſæpiùs conqueritur de cephalalgiâ gravativâ, vertigine, ſyrigmo, dyſpnœâ, palpitatione, doloribus artuum, nephralgiâ, cardialgiâ, bilioſâ colicâ, gaſtrodyniâ, oris amarore, alvi conſtipatione; triſtitia & moroſitas ad audaciam uſque increſ-

 cunt;

cunt, intolerantia eſt petulans; jungitur citiùs macies, pulſus velox, calor, ſiccitas.

Cura. Nocent in hac ſpecie calida & exſiccantia, ut rheum, aloë, amara, martialia. Juvant juſcula refrigerantia ex pullo, lactucâ, endivia, ranis, emulſiones, balnea, aquæ minerales leviores, potus aqueus, nec vitandæ ſunt initio & in paroxyſmis phlebotomiæ.

2. *Hypochondriaſis ſanguinea* Fracaſſini, *calida & humida*, *ſpec.* 2ª. L.

Illa eſt ſpecies quæ plethoræ ſigna conjuncta habet, ut capitis gravitatem, dyſpnœam, à levi motu laſſitudinem, deſuetas narium hæmorrhagias, ſuppreſſa catamenia, mariſcas parcè fluentes, tumidas, famem vegetam, victum opiparum, colorem faciei floridum, &c: rara eſt hæc etiam ſpecies.

Plethora ſecum ſanguinis ſpiſſitudinem importat, utplurimùm vitam ſedentariam, mollem ſequitur. Indicantur itaque 1° ſanguinis miſſiones repetitæ initio, quibus agrypniæ, dolores capitis, artuumque ſubleventur, quæ non adeò in hoc caſu pertimeſcendæ ac in hyſteriâ pituitoſâ & vetuſtâ meritò pertimeſcit *Sydenham*; hirudines etiam pro re natâ mariſcis turgidis applicandæ: 2° Laxantia tùm formâ potûs, tùm formâ clyſmatum optimè quadrant, tùm ad emolliendum & humectandum; peccat enim calore & ſiccitate corpus; alvo laxatâ caput meliùs ſe habet; potu theiformi ſubaromatico ex foliis meliſſæ, menthæ, caprariæ, theæ, fluida diluuntur, urinæ fluunt, ſanguis edulcoratur; præmiſſiſque lenibus catharticis ex mannâ, tamarindis, infuſo levi ſennæ, juſcula ex pullo, pediluvia in paroxyſmis, ac ſedantia proſunt; aſt opiata cum camphorâ & nitro jungenda. In inveterato morbo caſcarilla & chinæ radix periodicos inſultus avertunt.

Hypochondriaci, ſi frequentibus balneis corpora reddantur perſpirabilia, & victu humido utantur, ſani fiunt. *Sanctor.*

Si obſtructa ſint viſcera, adhibeantur pilulæ ex ſapone, rheo, & tartaro vitriolato, cum pauxillo eſſentiæ juniperi, & ſyrupo aperitivo.

Pulveres abſorbentes *Wedelii* cum ſuccino cinnabari, & nitro laudantur, optimè ſpaſmos compeſcunt.

Liquor mineralis anodynus *Hoffmanni* roborat & ſedat.

3. *Hypochondriaſis melancholica* Fracaſſini, ſeu *frigida & ſicca*, cap. 3. pag. 329.

Solida ſunt rigida, vaſa minima anguſtiora, pinguedo deficit, ſiccum eſt corpus, ſanguis craſſus, alvus ſicca, digeſtiones flatuoſæ, nephralgiæ, colicæ, ructus accedunt, hepar difficilè permeatur, mens anxia, moroſa, triſtis, mores ſeveri, ingenium acre, ætas virilis; ſpecies hæc frequentiſſima.

In hac ſpecie præter phlebotomiam parcam ſuadet corporis inunctiones, fomenta emollientia, balnea tepida, oleum amygdalarum alvo lubricandæ aptum ad uncias tres quâvis die, in decocto chamæmeli, vel in juſculo; dein catharticum lene ex caſſiâ cum rheo, alternis diebus ad tres vel plures vices; tinctura rhei, cum ſale tartari, in decocto fumariæ, agrimoniæ, & ſi

ſint

ſint obſtructiones, in decocto foliorum ſaponariæ, chelidoniæ; vaſis deobſtructis ad ſedantia, paregorica deveniendum, pilulæ de cynogloſſo cum nitro & camphorâ, nitrum cum cinnabari & ſuccino, pulvis Hanoverianus Marchionis in aquis tiliæ, pæoniæ, calendulæ, ceraſorum nigrorum; Lac cum decocto chinæ, cochleariæ, fumariæ mixtum & ebullitum hujuſve loco juſcula ex pullo, ranis, cancris, hordeo, oryzâ repetenda ſunt.

Raſuræ cornu cervi unciæ quatuor, cum aquæ libris viginti poſt digeſtionem ebulliant per ſex horas, adde carnem duarum teſtudinum & gallinæ junioris, coquantur, dein expreſſâ colatura cum lactis libris octo, aquæ naphæ unciâ una, florum borraginis, bugloſſi, foliorum cochleariæ, naſturtii aquatici ana manipulo ſemiſſe deſtillentur in balneo mariæ; doſis unc. x. ſervetur reliquum ad uſum.

Diæta aut ſemidiæta lactea etiam maximè congruit; aloetica, martialia, aquæ acidulæ fortiores, pillulæ Becherianæ, Stahlianæ minus conveniunt.

4. *Hypochondriaſis pituitoſa* Fracaſſini cap. 4. pag. 338. L.

Eos aggreditur qui frigidi ſunt & humidi.

In illis ſolida mollia minus elaſtica, ſanguis effœtus, bilis iners, circulatio tardior, pathemata languida, pulſus mollis, calor minor, pallor, ſomnuſque major, minor audacia, major debilitas corporis & animæ. Si verò ob ærumnas, lites, dedecus, anima debilior evadat, minùs conſtans ſit & facilè dejiciatur, inde mœror, languor, triſtitia, quæ digeſtiones peſſumdant; inde cruditas, vaſorum infarctus, flatus, aliaque ſymptomata hypochondriaca.

Hæc ſpecies exigit præmittenda cathartica amara, ſtomachica, ut rheum, aloëm, ſennam; reſpuit phlebotomiam; exigit tonica ex marte, rheo, cinnamomo, macis; clyſmata carminativa ex chamæmeli, menthæ, anethi, carvi, fœniculi decocto, pilulas *Quercetani*, *Hermanni*. Curantur etiam illi hypochondriaci itinere, navigatione, venatione, muſicis concentibus, potiſſimum equitatione; huc conferunt aquæ ſulphureæ de Bagnols, St. Laurens, Cauterets, quæ tonum fibris & fluiditatem lymphæ conciliant; huc pertinet proceſſus ad hyſteriam à *Sydenhamo* commendatus ſuppreſſis lacticiniis & balneis.

5. *Hypochondriaſis hyſterica* Fracaſſin. pag. 351 part. 3. *Hypochondriaſis muliebris* ejuſdem. L.

Cognoſcitur ex ſignis conjunctis hypochondriaſeos & hyſteriæ, ſcilicet quod à levibus pathematis, ut terrore, repulsâ, tædio ortum ducat, maximè apud mulieres puerperio, diarrhœis, phlebotomiis debilitatas; quod in paroxyſmis ſpaſmi cutanei, palpitationes, carus hyſtericus, aſphyxia hyſterica, dyſpnœa, angina, dyſphagia, colica hyſterica, gaſtrodynia, globus abdominalis, urinæ limpidæ, copioſæ, oſcitationes, riſus & fletus ſine causâ evidenti accedant & recedant. In therapeiâ diſtinguendi ſunt morbi hyſterici

 bre-

breves, vel acuti, de quibus jam egimus, ab hyſteriâ habituali, in quâ non actu datur ullum ſymptoma grave.

In ſtatu habituali reſpicienda ſunt catamenia; ſi enim parciùs aut nullatenus menſibus prægreſſis fluxerint, ille fluxus reſtituendus eſt, aut ſupplendus phlebotomiâ; in hunc finem in calidis aquæ acidulæ, equitatio, aqua ferrata, uſus croci; in frigidis limatura martis, juſcula aperientia cum rheo, radicibus aperientibus ſunt advocanda.

Menſtruis benè procedentibus ſerum lactis, balnea, aquæ acidulæ, juſcula emollientia, exercitium ſuadenda.

Si verò acuti morbi accedant, vide illas ſpecies in ſuo genere.

6. *Hypochondriaſis phthiſica* Fracaſſini part. 3. cap. 3. C.

Hujus combinationis duo exempla refert auctor; phthiſis verò hypochondriaſi accedens ea eſt quæ ab hæmoptyſi ortum ducit; ſigna obſcura non ſunt: Remedia verò edulcorantia, diluentia, lacticinia cum equitatione ægrum ſublevare poſſunt, non ſanare.

7. *Hypochondriaſis aſthmatica* Fracaſſini part. 3. cap. 4. L.

Hanc ſpeciem comitatur aſthma vel convulſivum vel humidum vel mixtum.

Cùm aſthma convulſivum eſt, ſuadentur phlebotomiæ in paroxyſmo, hirudines ano applicandæ, unctiones pectoris, pediluvia; extra paroxyſmum balneum pro remedio ſingulari habetur, oleum amygdalarum vel ſeminum peponis, ſerum lactis, paregorica frequentia, lac aſininum.

In aſthmate humorali abſtinendum à balneis, phlebotomiâ, aliiſque laxantibus; reſolventibus inſiſtendum, ut croco, camphoræ ſuffumigiis ex ſaccharo, olibano cum pauxillo cinnabaris, vaporibus humectantibus ex decocto verbaſci, althææ, nymphææ inſpirandis; intùs cathartica lenia, ut manna in decocto tuſſilaginis, eryſimi, ſyrupus violarum, dein inciſiva bechica, ut extractum enulæ, ſcabioſæ, ireos, ſperma ceti, crocus, flores ſulphuris, benzoinum, ſal volatile ſuccini, cornu cervi; imò ſi viſcoſa ſint ſputa, gummi ammoniacum in aceto ſcillitico, fuligo præparata, olibanum.

8. *Hypochondriaſis calculoſa* Fracaſſini part. 3. cap. 5. C.

Nephralgia calculoſa accedit ſymptomatis Hypochondriaſeos, ut gaſtrodyniæ, hypochondriorum tenſioni, borborygmis, alvi conſtipationi, urinis tenuibus, ructibus acidis.

Curatur oleo amygdalarum, balneo aquæ dulcis, phlebotomiis & leni cathartico præmiſſis extra paroxyſmum, potu diluente, aquis acidulis; dein inter ſpecifica adhibetur raſura ſaponis cum tartaro vitriolato, terebinthinæ ope in pilulas redacta, ſuperbibendo decoctum ſaxifragæ tridactylitis & millefolii.

9. *Hypochondriaſis tympanitica* Fracaſſini part. 3 cap. 6.

Ut plurimùm inteſtinorum cavum flatus replet; alia verò tympanitis eſt indo-

indolens, alia doloribus atrocibus ſtipata; rursùs hypochondriaſis quam comitatur eſt pituitoſa, vel eſt bilioſa, aut melancholica.

Ubi tympanitis eſt dolorifica, oleum ſeminum lini melius eſt oleo amygdalarum, paregorica parca doſi ſunt adhibenda, ſtomachica & diſcutientia intus ſunt neceſſaria, quæ aromatica, ſpirituoſa & volatilia ſint; poſtea aquæ martiales ſulphureæ & in pituitoſo temperamento chalybeata & corroborantia; extùs verò fomenta ex vino, radice bryoniæ, ireos, floribus chamæmeli, ſeminibus carvi, aniſi; cerata reſolventia, faſciæ ventrem comprimentes, clyſteres carminativi cum melle ſolutivo, philonio romano.

At cùm dolores abſunt, cathartica ex mannâ, ſennâ, tartaro proſunt ſuperbibendo aquas Tetucianas: pilulæ aloeticæ, rheum, mercurius dulcis, dragrydium, pilulæ Becherianæ conveniunt, dein tinctura rhei, extractum baccarum juniperi, decoctiones calami aromatici, infuſa menthæ, pulegii, corticis aurantiorum.

10. *Hypochondriaſis algida.*

Non rari ſunt hypochondriaci qui præter flatus, conſtipationem, mariſcas, ſubſultus convulſivos dum potiſſimùm ſomnus accedit, pulſationes, borborygmos in hypochondriis, vertigines, cephalalgias, pectoris conſtrictiones, &c, conqueruntur potiſſimùm, tum æſtate, tum hieme, de frigore continuo inprimis capitis & catarrhis, ita ut veſtibus hibernis media æſtate ſe cooperiant, unde fervor ſanguinis qui frigoris ſenſationem non tollit, niſi obortâ ſudatiunculâ; hinc ſudores, præſertim nocturni, quibus emaciantur: ſenſatio verò illa frigoris eos ducit ad thermas calidiſſimas quarum duciis morbus intenditur; friguſque minime ſublevatur, cùm illud pendeat à cutis erethiſmo: hic morbus eſt pertinaciſſimus, eum vidimus ortum ab intempeſtiva & largiori hydrargyroſi ſine syphilide.

Indicantur & proſunt reapſe lacticinia, balnea frigidiuſcula, juſcula emollientia, equitatio, ſucceſſiva veſtium imminutio. Hæc ſpecies exiguo mortis timore eſt ſtipata, ita ut inter algorem & Hypochondriaſim anceps ſit.

VI. Somnambulismus; *Noctambulatio*, *Noctiſurgium*; Græcis *Noctegerſia*, *Hypnobateſes* & *Nyctobaſis*; *Maladie des ſomnambules*; *Ægri Noctambuli*, *Somnambulones*; Græcis *Nyctobatæ* & *Hypnobatæ*.

Eſt dormientium ea hallucinatio quâ ſe vigilare putant, omnia vigilantium munia exſequuntur & ſe diverſis periculis exponunt.

Somnus ſanus eſt ille ſtatus quo omnes tùm ſenſationes tum imaginationes ſilent, & feriantur, omneſque motus liberi ſuſpenduntur; in *ſomnio* verò ſano ſola viget imaginatio, omnes ſenſationes ſunt obſcuriſſimæ, & motus omnes, ut in ſomno, exceptis vitalibus, feriantur, demùm in *vigiliâ* & ſenſatio & imaginatio, ut motus liberi exercentur. Hinc patet quid

Cc 3 ſit

ſit *ſomnambuliſmus*, ſomnium ſcilicet in quo omnis ſenſatio feriatur, ſed imaginatio vividiſſima eſt, unde motus artuum arbitrarii exercentur, ut in vigiliâ.

Differt itaque ſomnambuliſmus à vigiliâ per ſenſuum omnium feriationem; ſomnambulo ſcilicet nec videt, nec audit, nec guſtat, nulla eorum quæ præſentia ſunt appercipit, de cætero eoſdem ac vigilans actiones exercet.

Daturne in encephalo centrum quoddam ad quod omnes nervi ſenſiferi pertingant, quodque ſit infarctum ita ut nulla ſenſatio fieri poſſit? verùm nervi motui artuum deſtinati ſunt ſimul omnes ſenſiferi; quo pacto itaque fieri poteſt ut idonei ſint ad motum, dùm ad ſenſum inepti ſunt? an anima attentionem ſuam retrahit ab organis ſenſiferis, ut oculis, auribus, cute, &c, & tota attendit ad motus fibrarum medullarium cerebri, qui imaginationes excitant? nonne ſimiliter in apoplexiâ & caro retrahit ſuam attentionem ab organis ſenſiferis, ſed eo diſcrimine quod nil agat in artubus apud apoplectas, agat verò per muſculos artuum in ſomnambulis? æger ab utriuſque morbi inſultu rediens anteactorum omninò inſcius eſt. Sic apoplecta, ſyncopticus, ſomnambulo, epilepticus poſt inſultum æque ignorat quæ in ſe peracta ſunt, ac ſi non exſtitiſſet toto illo ſuæ vitæ ſpatiolo, aut ad ſummum obſcuriſſimam quorumdam ideam ſervat, ut à ſomnio, ſi inſultus leviſſimus fuerit.

Si ſenſationes obſcuriſſimæ ſint in noctambulonibus, reciprocè imaginatio vividiſſima eſt, unde fit ut multò ingenioſiùs & ſagaciùs munia ſua perpetrent quàm vigilantes; dormiendo ſcilicet ſcholaſtici noctambulones & themata ſua accuratiùs, & carmina ſua rectiùs componunt; murorum ſtructores excelſa tectorum tutiùs obambulant quàm qui vigilant, aſt non ſine periculo in his circumſtantiis à ſomnio ſuo excitantur; difficulter autem excitantur; ſopor enim ſomnambulonum multò altior eſt ſomno ſanorum, licet levior ſopore catalepticorum.

1. *Somnambuliſmus vulgaris.* L. P.

Eſt illa ſpecies in quâ homo ſopore excitabili detinetur, unde differt à cataleptico ſomnambuliſmo.

Duo verò ſunt hujus gradus; levior ſcilicet eſt ille quo detenti è lecto non exeunt, ſed ſe movent & loquuntur, inter quos ſunt qui enſem diſtringunt & vibrant, ſclopetum explodunt quaſi hoſtes aut latrones impugnandos haberent, non ſine magno & ſui & vicinorum periculo. Alii verò è lecto exſiliunt, ſe veſtibus induunt, lampadem accendunt, claves inquirunt, fores reſerant, vinum è dolio extrahunt, aut quid ſimile patrant, quin evigilent; alii feneſtræ inſident & calcare equum, cui ſe impoſitos putant, exagitant; ſunt qui flumen tranant; alii ea omnia oculis apertis faciunt, nec tamen expergeſiunt. Illi verò ſe diverſis periculis exponunt, maximè ſi imprudenter & inopportunè excitentur. Infortuniorum exempla vide apud *Fabricium Hildanum centur.* 2. *obſerv.* 84 & 85.

In-

Inſultum determinant ebrietas, cœna largior, cibi flatulenti, duri, tegumentorum copia, decubitus ſupinus capite depreſſo, uſus opii, ſemen cannabis, ſtudium poſt cœnam, ſomnus initus ante digeſtionem peractam.

Ex his intelligitur quibus cautelis præcaveri poſſit inſultus; verùm ſi affectus ſit hæreditarius, aut ab ortu congenitus, difficile eſt eum eradicare. Profuit in ſene ſomnambulone repetita electriſatio, referente *Illuſtr. Maffeyo;* prodeſt etiam cupam aquâ plenam lecto admovere ita ut è lecto ſurgens balneo frigido excitetur; prodeſt etiam ſi amicus noctambulum ſe fingat & verum noctambulum verberibus proſequatur; interea cancellis feneſtræ claudendæ ſunt, ne ſe præcipitem det æger, ut ſæpe accidit.

De hoc morbo vide *diſſertat. Zwingeri; Obſervations curieuſes du P. Bougeant, tom. 3 pag. 256; Theſim D. Gaſtaldy*, &c.

2. *Somnambuliſmus catalepticus: Catalepſis delirans* Act. Acad. Upſalienſis anno 1742 pag. 41. & Hiſt. de l'Acad. R. des Sc. 1742.

Eſt ſpecies quæ paroxyſmo catalepſeos incipit & altero terminatur. Vide *Catalepſim.*

Medicus Ripeſaltenſis ſuam conjugem meæ curæ commiſerat; ea 24 annos nata, menſtruata, contumeliam à ruſtico paſſa, incidit in morbum periodicè recurrentem, à levi animi turba recrudeſcentem, cujus paroxyſmi ſemi-horam vel horam durabant; ea ſubito omnem ſenſum amittebat, ut in catalepſi delirante, ſed eo diſcrimine quòd ſomnians pergebat, muſſando, geſticulando, vel loquendo, ſui animi ſenſa ab initio ad finem manifeſtare; tunc in lecto ſedens hoſtem ſuum videre ſibi videbatur in Chirurgo cubiculum ingreſſo, & in ipſum inſiliebat; tum umbram ſui corporis in muro oppoſito pictam cernens, & pro vario candelæ ſitu fugientem inſequens, iraſcebatur in illam, intereadum maritum alloquentem nec videbat, nec audiebat, nec quovis modo puncta aut laceſſita ulla ſenſûs ſigna edebat. Hi paroxyſmi per plures menſes redibant; fruſtrà ubertim ſanguis ipſi miſſus eſt, fruſtrà balnea, refrigerantia adhibita ſunt: Monſpelii procul ab objecto iræ ſuæ meliùs ſe habuit, multò rariùs recurrebant paroxyſmi, imò ambulando, animum recreando tantùm, convaluit. In ipſis paroxyſmis digiti, manus, artus, impreſſum ſitum retinebant quod in ſimili morbo nuper deſcripto ab *Illuſtriſſ. Lorry D. M. Pariſ.* notatum non video. Hic morbus omni ævo fuit, ni fallor, obvius, ſed à nemine obſervatus, antequam ejus hiſtoriam conſignarem; vid. *Mem. de l'Acad. R. des Sc.*; aliud etenim eſt videre, aliud obſervare.

ORDO

ORDO SECUNDUS.

Morositates.

MOROSITAS eſt voluntatis aut noluntatis depravatio. Moroſus, Gallicè *Bizarre*, *capricieux*, *volontaire*, eſt ille qui ſine ratione quodpiam conſtanter appetit quod ipſi bonum reale non eſt, aut averſatur quod malum apparens eſt tantummodo, licet realiter bonum ſit.

Bonum dicitur quod nos ſtatumve noſtrum perfectiores reddit, *malum* verò quod imperfectiores: perfectus eſt homo cujus omnes actiones & diſpoſitiones tendunt directè ad unum optimum finem, ſeu ad eum propter quem à Summo Numine creatus eſt. Media verò ad eum finem obtinendum apta ſunt totidem fines priori ſubordinati ad quos tendere debent ejus actiones & diſpoſitiones; qui enim vult finem, media ad ipſum ducentia velit oportet. Finis ultimus eſt haud dubiè felicitas æterna, fines verò intermedii ſunt bona animi, bona corporis & bona fortunæ, ex quorum concurſu felicitas temporalis etiam obtinetur.

Quidquid agimus, illud finis alicujus gratiâ ſuſcipimus, & quod nos ad agendum determinat *motivum* eſt ſive rationale ſive erroneum: ratio exigit ut bonum majus minori anteponamus; qui itaque minus majori, breve diuturno, fugax conſtanti bono anteponit, is motivo minùs recto, adeoque erroneo duci ſe patitur; atqui qui motivo erroneo ductus vehementius quid cupit aut averſatur, is moroſus eſt, quippe minus bonum majori, aut quod eodem recidit, quidpiam quod malum eſt bono anteponit, ſeu malum reale pro bono judicat. *Hippocrates in aphoriſmis* vulgò bonum reputat quod à majori malo nos liberat licet ingratum ſit, ſic amputatio brachii in ſe quid malum eſt, & dolorificum; ſi verò brachium ſphaceloſum ſit, & ejus amputatio ad vitam ſervandam ſit neceſſaria, ea pro bonâ meritò habetur. Suavitas quam à ſaccharo deguſtato percipimus quid bonum eſt; verùm ſi inde progerminent vermes morbo gravi anſam daturi, ſacchari eſus malus habendus eſt, cùm ſuavitas conſtans quæ à ſanitate exſpectatur, ſit quid melius ſuavitate fugaci ex eſu ſacchari percipiendâ.

Ideò itaque erramus in appetitu, ſeu moroſi ſumus, quòd de objecti cujuſdam bonitate aut pravitate perverſè judicamus, quod v. g. bonum minus majori anteponimus, ut ſenſibile intellectuali, fugax conſtanti. Id verò procedit ex eo quòd objectum non ſatis cognoſcamus & noſmetipſos ignoremus; id enim bonum ſolummodò cenſendum eſt, quod nos perfectiores aut minùs imperfectos reddit, ergo quid nobis deficiat priùs cognoſcendum eſt quàm eorum, quorum indigemus, cognitionem adipiſcamur;

mur, ſeu id ſolum appetere decet quod reſpectu noſtri & in datis circumſtantiis bonum eſt, licet in aliis circumſtantiis fortè nocivum eſſet. Sic medicamentum emeticum quod ſano noceret, in quibuſdam morbis & circumſtantiis ejus morbi optimum eſt, & ejus averſatio erronea cenſenda eſt ac moroſa, cùm veroſimile eſt, quod ab ejus omiſſione vitæ periculum immineat, & ab aſſumptione ſanitas reſtituatur.

Bona *ſenſibilia* ſunt voluptates ex ſenſationibus perceptæ, ut voluptas quæ à fame, ſiti, libidine expletâ exſurgit; illæ nobis ſunt conceſſæ, ut ad individui ſuſtentationem & prolis generationem dato tempore invitemur; qui verò eam voluptatem pro fine ſibi proponit, quæ tantum eſt medium ad bonum majus aſſequendum, ille voluptuoſus, helluo, vinolentus aut libidinoſus habendus eſt; ſed illi errores, quatenus ſanitati directè non nocent, ſunt tantùm errores *morales*; non verò moroſitates, quæ medicorum curam expoſtulant, licet pluribus morbis anſam præbeant.

Ut hallucinationum, ita & moroſitatum duplex eſt principium, alterum corporeum quoddam vitium, alterum verò animæ ipſius error; ſic libidinis morboſæ, ſeu ſatyriaſeos principium eſt ſeminis acrimonia, fibrarum nervearum ſenſibilitas major; aſt ſeminis acrimonia ipſa poteſt pendere ab uſu condimentorum gulæ placentium, liquorum ardentium; ac ſenſibilitas genitalium nimia poteſt intendi à laſcivis ideis & phantaſmatis ſæpiùs animæ oblatis & volutatis; ergo à cauſis *materialibus* & à *moralibus* non raró pendent hi morbi; proindeque auxilia utriuſque generis ad hos curandos ſunt adhibenda, errantque Medici qui auxilia moralia ita contemnunt, ut nullam in inſtitutionibus artis eorum mentionem faciant. Errat maximè *Boerhaave*, & Materialiſtis favere videtur, cùm in definitione morbi nullam animæ mentionem eâ ratione injicit, *quia corporis ſtatum determinatum idem*, ait ille, *animæ ſtatus individuè comitatur;* unde ſequeretur nullum eſſe animæ imperium in pathemata, nullamque moralium auxiliorum in arte medicâ utilitatem, quod certè quotidianæ experientiæ refragatur, cùm ex ipſo *Boerhaave Aphor. 104*, *quædam auxilia ex mente repetenda ſint*, *ut quæ magnos affectus*, *ratiocinio*, *excitamento contrarii affectus*, *vel divertendo*, *ſopiunt*, & hac arte nimium ſanguinis impetum retundunt. Status itaque corporis ab animâ mutatur, nedum ſtatus animæ corporis conditionem ſemper & individuè comitetur.

Moroſitates aliæ ſunt pathematis vividis, aliæ verò triſtibus, languidis potiſſimum ſtipatæ. Pathemata *vivida*, ut ira, gaudium, cupiditas, pendent utplurimum à fibrarum nervearum robore, tenſione, elaſticitate nimiâ, fluidique nervei activitate; pathemata *languida*, ut metus, animi deliquium, tædium, inappetentia, frigiditas, qualia obſervantur in noſtalgiâ, picâ, moroſi, amneſiâ, videntur pendere ab imminuto tenore medullæ cerebri & fibrarum nervearum, inde in organa diſtributarum, fluidorumque vappiditate, inertiâ.

Ad utrum ex hiſce principiis moroſitas pertineat, docent prægreſſa; etenim ſi morbum præiverint curæ mordaces, vigiliæ, lucubratio-

nes, victus opiparus, uſus ſpirituoſorum, aromatum, condimentorum, veriſimile eſt fibras, ſiccitate, elaſticitate, ſenſibilitate peccare; ſenſibilitas cum mollitie & tenuitate fibrarum ponit earum *teneritudinem*, qualis in infantibus, puellis, hyſtericiſque obſervatur; hinc animi mobilitas, inconſtantia, judicii levitas, ad delirium, metum, deſperationem proclivitas. Medicus blandiens, crepundias offerens, ſpem promiſſis erigens, cardiacis debiles, caſtoreo hyſtericas, vino convaleſcentes reficit.

Senſibilitas nimia fibrarum cum harum firmitate & robore *irritabilitatem* conſtituit, qualem in maniacis, irâ percitis, ferocibus, ruſticis, phreniticis obſervamus. Plethora commota, febris acuta, vini uſus, dolor ſummus, commotiones animi tunc excitant, quas phlebotomiâ, victu molli, refrigerante, ſomno, quiete, tenebris, ſilentio, narcoticis, extra febrem balneis, fomentis pacare opus eſt. Quanta ſit illa irritabilitas in hydrophobis, in cephalæâ diſcruciatis? In otalgiâ, vel levis ſuſurrus; in arthritide inceſſus ſupra pavimentum; in ophthalmiâ minimus lucis radius dolores, gemitus, anxietates ægri ingeminant.

Anima debilitatis ſuæ conſcia timori, puſillanimitati, deliquio, mœrori ſe totam tradit; infirmatum tenorem medullæ cerebri incuſant Auctores quidam in omnibus animi morbis, ut *Kloeckhoffius*: aſt meritò quidem in ipſis affectibus, maximè cùm videamus hanc puſillanimitatem, mobilitatem animi, pronitatem in riſus & mox in lachrymas, deliramenta, imaginationis ludibria ſupervenire, puerperis largas hæmorrhagias paſſis, mulieribus morbo chronico, catharticorum repetito uſu debilitatis, viris delicatulis quos ærumnæ, ſtudia acriora, vita ſedentaria, prodiga ſeminis ejectio, ptyaliſmus ab hydrargyroſi, &c, infirmarunt.

Illis conveniunt analeptica, quæ jacturas reparent, victus ex eupeptis, uſus vini, quies ſumma animi cum exercitio moderato corporis, in locis amœnis, animum divertentibus ab objecto mœroris, abſtinentia ab omni medicamine evacuante, uſu prudenti opii.

In curâ ægritudinum animi, quæ ferè ſemper cujuſdam boni ſenſitivi cupiditate foventur, aut mali ſenſitivi averſationem habent comitem, hoc tenendum Medico, penes nos eſſe, niſi affectus ſit vehemens, illas cupiditates moderari, mentem ad alia bona revocando, ideas novas prioribus oppoſitas excitando; ſic videmus bona phyſica minori in pretio eſſe apud eos qui bona intellectualia, ut virtutem, pietatem, ſcientiam ſectantur; Medicus ergo cupiditatum & voluptatum ſenſitivarum contemptum inſpiret ægris, earum noxam, inſtabilitatem, effectus ſanitati etiam funeſtos enumeret; ſi verò hac arte dolorem, mœrorem ægri non minuat, ad alterius boni cupiditatem ægrum incitet; ſic erotomaniâ affectum amicorum conſortio, conviviis, ludis, theatro, venationis, muſices illecebris à priori curâ dimoveat.

» Ægro corporeis voluptatibus merſo in memoriam revocare decet,
» hominem natum eſſe qui ſummæ voluptati conſequendæ ſtudeat, quæ
» complectatur uſum bonorum omnium ſingularium quorum quiſque ca-

» pax

» pax eſt; interea locum longè principem tueri bona menti magis » propria.

Apprimè tamen attendendum eſt, alios hujuſce claſſis morbos à pravâ organorum diſpoſitione pendere, quæ medicaminibus tantùm poteſt reſtitui, ut pica ab acido in ſtomacho latitante, nymphomania ab acrimoniâ ſeminis; alios verò quos cauſæ morales producunt, ut pica, quæ ad pallorem pulchritudinis cauſâ conciliandum excitatur, nymphomania, quæ imaginationis libidinoſæ & voluntatis ad voluptatem pronæ effectus eſt; harum verò cauſarum combinatio in eodem morbo frequentiſſima eſt, unde & phyſica & moralia remedia ſimul indicantur.

VII. PICA; *Picaceus appetitus* Rod. a Caſtro Libr. 3; *Citta* Cl. Linnæo, *Picatio* Barbaris; *Cizza*, *pitta*, *malacia*, ac *chitteſis* Græcis; *Appétit dépravé*; *goût bizarre*; *appétit bizarre.*

Pica eſt alimentorum conſuetorum averſatio, cum inaſſuetorum, ſaniſque inſalubrium appetitu.

Duplex itaque ſymptoma picam conſtituit, averſatio ſcilicet & appetitus; primum vocatur propriè *cacoſitia*, & *apoſitia*, Latinis *cibi faſtidium*, quod ſi ſolum ſit, & ſeorſim ab inaſſuetorum appetitu, vix genus diverſum à *nauſeâ* eſt, aut ad *anorexiam* proximè accedit; verùm ſæpiùs conjungitur cum abſurdorum appetitu; qui enim aſſueta alimenta averſatur, is ferè neceſſario ad inaſſueta recurrit; dico inaſſueta, alia enim ſunt inſalubria ſanis, ut calx, carbones, acetum, araneæ, pediculi; alia licet minimè ſanis inſalubria, ita copioſè, intempeſtivè & ardenter appetuntur, quod apud gravidas accidit, ut ſi his frui non poſſint, graviſſimè angantur, fœtus earum nævis ſingularibus notentur, obſervante *Hippocrate.* Novi mulierem quæ ardentiſſimè appetit, dùm gravida eſt, panem craſſum nigricantem; alteram quæ noctu ſurgit, ut decem haleces crudos voret; dantur quæ per novem menſes tantùm limonibus victitarunt; mitto loqui de iis quæ carnem humanam è vivo homine dentibus avulſerunt; nec defuerunt etiam ſcatophagi, teſte puellâ, (de quâ *Zacutus Luſitanus*, *centur.* 304 *libr.* 3.) quæ oleto denegato, anxietate quâdam vexabatur, & cor ſibi lancinare ſentiebat. *Vide* etiam exemplum in *Ettmullero*, de *Picâ*, ſeu *Malaciâ*, *pag.* 88.

Ideò averſamur quædam alimenta, vel quia deguſtata malè ſapiunt, vel quia ſumpta ſtomacho diſplicent; malè ſapiunt, quia perverſa eſt ſalivæ craſis, quâcum miſcentur alimentorum moleculæ, antequam papillas linguæ feriant; ex hac verò miſcelâ exſurgit ſapor ingratus; verùm idem accidit eadem de ratione in ſtomacho, in quo licet non detur guſtus, datur tamen tactus, aut ſenſus obſcurus, qui moleſtè fert actionem alimentorum ſimili ſalivâ, aut ſucco vitiatorum: hinc averſatio in organo digeſtionis, ut in organo guſtûs; tunc autem homo alimenta vulgaria reſpuens quærit inaſſueta, & aliquali inſtinctu fertur in ſalem, humum, haleces, ſuccum

limonum, &c, uſquequò gratum cibum, aut potum invenerit. Vidi mulierem gravidam, quæ per menſem integrum animo ſuo revolvebat quid appeteret, & noſſe non poterat; appetebat autem anxiè quid ſibi omninò ignotum; datur itaque certè individui licet ignoti cupiditas, quidquid vulgare adagium contradicat; ſic canes ignotum ſibi gramen primâ vice appetunt, & detectum avidè vorant; ſic recens nati lac ignotum appetunt, ut puberes venerem.

Potiſſimæ ſpecies picæ mihi videntur ſequentes.

1. *Pica infantilis; Pica des enfans.* L.

Nihil eſt vulgatius quàm infantes trimi, quadrimi, cacochymi, potiſſimùm apud plebeios, qui humum, & murorum mortarium pugillatim & clam devorant per menſes & annos; non ſecùs ac aves pulveratrices, ut gallinæ, in ſterquiliniis lapillos, arenulas eligunt, quibus indigent ad trituram alimentorum in ſtomacho cartilagineo juvandam; illi verò infantes debili ſunt ſtomacho, & ad aceſcentem ſaburram prono; nativo itaque quodam inſtinctu ducuntur ad abſorbentia terrea, quæ hunc acorem corrigant aſſumenda, ita ut natura in hoc ſibi remedium quærat, ut quærit apud canes in gramine eum in finem vorando, ut vomitu rejectum viſcoſam ſui ſtomachi ſaburram everrat.

Quoniam verò ea medicinâ naturalis inſufficiens eſt, ars medica ſuppetias ipſi ferre debet, adeoque cathartica, amara, tonica, ut rheum, aloë, vel ſenna in infuſo amaro, antiacido, ut abſinthii, centaurii minoris, chamædryos debent præſcribi; dein ſtomachica vitium ſalivæ & ſucci gaſtrici corrigentia præſcribuntur, ut pulvis cachecticus *Hartmanni* ex oculis cancrorum, limatura ferri, pulvere cinnamomi, ſaccharo, &c. Huc pertinet Pica à ſcabie retropulſa. *Ettmuller. Colleg. conſultat. caſ.* 3 : *Ephem. Nat. Cur. Dec. I. A. I. Obſ.* 83.

2. *Pica Chloroſiantium*; *Pâles couleurs.* L.

Eſt illa quæ puellis puberibus, non menſtruatis, aut malè menſtruatis, cum pallore, animi ſæpè mœrore, ſolitudinis amore ſupervenit. Excrementitius ille cruor ſuperfluus non retinetur in corpore, quin inde circulatio tardior evadat, quin ſerum ſuperfluum pravam craſim, ſæpiùs pituitoſam & viſcoſam, imprimat ſalivæ & ſuccis digeſtivis ab eo mutuatis; inde inſipida eſt ſaliva, iners, fatua, linguam non titillans; inde inappetentia, alimentorum conſuetorum averſatio, & condimentorum neceſſitas; uti cogimur ſale, aceto, ſucco limonum condire, quæ ſunt viſcoſa, adipoſa, inſipida ad hoc ut guſtui arrideant; ita chloroſiantes condimenta appetunt alimentorum inſtar, eaque avidè vorant, ſive liquida, ut acetum, oleum, muriam, liquores ſpirituoſos; ſive ſolida, ut piper, ſal, haleces, &c, hiſque mirificè delectantur; prima poſſet dici *pica abſorbentium*, iſta verò *pica condimentorum*.

Docet autem experientia quod reſtituto martialium ope catameniorum fluxu, & roborato ſtomacho, ac ſolidorum aliorum tono, vitioſa hæc ſaliva

& ſaburra non ampliùs generetur, genitâque per catharſim expurgatâ, utplurimùm hic morbus ſanetur.

Ad melancholiam verò dimittimus moroſitates illarum, quæ non alimentis, ſed ſingularibus viſûs, odoratûs objectis delectantur, ut numerandis vitrorum quadratis, tabulatorum tigillis, ſcalæ gradibus, odorando pulveri, qui verrendo cubicula ſpargitur.

A veneno ſcabiei repulſæ, hiſtoria *Etmulleri;* à veneno etiam plicæ, ſeu trichomatis induci picam *Stabelii* obſervationes docent; à primo verò inducitur prima ſpecies; à ſecundo quænam inducatur ignoro.

3. *Pica Malacia; Envie de femme groſſe.* L.

Malacia, Latinis mollities, effœminatio, eſt habitus ſuis cupiditatibus indulgendi etiam ratione refragante; *Malacos* Græci vocabant, quos Galli *Enfants gâtés* nuncupant, quod de utroque ſexu, & quavis ætate dicimus, quoties ob molliorem vitioſamque educationem, pueri ſuis voluntatibus præfractè adhærent, nec rationi aures præbent.

Itaque picæ illa ſpecies quæ malacia eſt, propriè ab illo animi vitio procedit; à prioribus ratione originis diſcrepat, & licet gravidis mulieribus familiaris ſit, non minùs ſexus virilis, & potiſſimum ætas puerilis, hac pluries afficiuntur.

Illæ cupiditates non ſolùm circa alimenta abſurda, aut inaſſueta verſantur, ſed etiam circa alia quævis objecta. Puer Monſpelienſis malaciâ corruptus, languidus, gemebundus, omnem cibum recuſabat, & tantummodo vicini cujuſdam pſittacum noctu dieque ſibi dari cupiebat prece & pretio; mater gnati vitam ab hujus pſittaci eſu pendere exiſtimans, pſittacum ſibi comparat, occidit, & aſſatum filiolo chariſſimo offert; iſte verò vehementius ejulans clamat ſe velle pſittaci cantum audire; talis eſt malacia; talis erat morbus ejus fœminæ quæ piſtoris humerum manducare ita vehementer ardebat, ut quovis pretio maritus coactus fuerit ab illo piſtore obtinere, ut conjux duobus morſibus ſibi ſatisfaceret, & ægritudini ſuæ alias inſanabili hoc remedium optaret. Plura exempla apud *Sennertum* ſunt obvia. Quare verò gravidæ hac malaciâ ſæpè detinentur, duæ poſſunt afferri rationes; prima eſt vitium ſalivæ tùm à ſeminis virilis aurâ infectæ, tùm à ſuppreſſis catameniis, ut in chloroſi, vitiatæ; altera ratio eſt moralis, recens nuptæ molliùs à parentibus educatæ, mariti & non rarò totius familiæ, prolem avidiſſimè exſpectantis, blandimentis ita vitiantur, ut quidvis ſibi licitum eſſe perſuaſum habeant, & ob averſationem ciborum aſſuetorum à primâ cauſâ ortam, continuò animum ad alia inquirenda verſent, cupitiſque utut abſurdis præfractè potiri velint; tanta autem eſt hæc cupiditas, ut in proverbium abierit *nihil gravidæ denegandum eſſe*, ex repulſâ fœtum ejus objecti cupiti notas geſtaturum; atque hoc mirum eſt quod ab alimentis illis inaſſuetis, aliàs ſæpè noxiis, vix unquam illæ lædantur; malacia verò non ſolùm primis quatuor menſibus graviditatis, ſed non rarò ad finem ejus extenditur, totoque illo tempore viſcoſum mucum, inſipidum, aut nauſeoſum manè & jejuno ventriculo quaſi tuſſiendo eructant ex faucibus

& ſtomacho, ſalivam mucoſam ſaporis fatui, eamque copioſam excernunt, animo debiles, delicatulæ, faſtidioſæ, molles ſunt; ad hoc genus morbi juxta *Cælium Aurelianum* attinet etiam horrenda cupiditas, quam maltachiſmum vocat.

Pica gravidarum differt ab aliis, 1º quòd gravidæ edulia inaſſueta, ſed non abſurda vorent; 2º quòd nunc iſtud, nunc illud appetant; 3º quòd ab his vix unquam lædantur.

4. *Pica abſcorbuticorum.* L.

Sunt plures qui medicamina ſibi convenientia appetunt, quos Medici inter picantes numerant; eorum verò plurimi appetunt alimenta antiſcorbutica, acrimoniæ ſanguinis ad putre & alkalinum vergentis antidota, fervori ſanguinis extinguendo apta. Sic novi puellam quæ edentula erat à vitio ſcorbutico, quæque per ſex menſes & ultra pomis tantùm clam veſcebatur, quo certè cibo vix quidpiam aptiùs ad ſcorbutum ſanandum. Novi nobilem fœminam quæ hemiplegiâ imperfectâ ſcorbuticâ laborans toto anno invitis remediis à Medico præſcriptis pejus habebat; autumno verò rure degens pyra immatura à Medico prohibita in cibum frequenter adhibens, robur & ſenſum partium recuperabat: ſcorbutus autem adeo obſcurus erat, ut ipſum Medicus ordinarius non ſuſpicaretur; aſt deinde filii duo & maritus ſcorbuto perierunt. In hunc cenſum revoco bene multos qui ſimili acrimoniâ ex fervore ſanguinis affecti limones, aurantia vorant, acetum affatim bibunt, ſimiliaque quibus olim Medici conſuetorum inappetentiam, pallorem, obſtructiones tribuebant; cùm meo judicio ea eſculenta & potulenta ægritudinis latentis ſunt medicamina, quorum tamen uſus arte medicâ meliùs quàm à naturâ dirigi poteſt. In morbis chronicis pauci ſunt qui ſpem ſanitatis recuperandæ non foveant ſumptis verè ceraſis, vel autumno manducatis uvis, nec diffitendum eſt quin hæc ſint ipſis non raró ſaluberrima medicamina.

5. *Pica voluntaria*; *Envies bizarres.* L.

Ea eſt quæ ab amicarum conſilio contrahitur; puellæ ſi quidem plebeiæ & ruſticæ non paucæ ab amicis quandoque ſuadentur nihil eſſe aptius ad album & decorum colorem ſibi conciliandum quàm carbonibus, pulvere, muriâ, aliiſque abſurdis uti, unde ſtomachus labefactatur, obſtructiones generantur, catamenia ſupprimuntur, & aſſuetudo ſenſim invaleſcit, quâ talia etiam ſordidiora deinceps vorare coguntur. Puella mihi faſſa eſt ſe olim delectatam eſſe latrinarum cruſtâ muris adhærente: hæc eſt pica ſcatophagia *Helmontii p. 271. Zacutus* noverat puellam quæ per inſcitiam cum oleti ſui pauxillum deguſtaſſet, ſenſim magnæ copiæ aſſueverat, ita ut jam totâ vitâ eſſet ſuaviſſimum alimentum, quo non poterat ſine ægritudine carere; altera ſalis libras duas multoties intra diem ingerebat, unde inciderat in diarrhœamillioſam, à quâ pica, à parentibus objurgata, & ſumpto lacte caprino chalybeato, convaluit, *Zacut. Luſitan. Centur. 3ª obſerv. 104 & 116.* Notum eſt Hottentotos totâ die in vorandis propriis pediculis occupari; hic uſus apud eam gentem invaluit, ut apud alios locuſtis veſci, de quo

quo affectu videatur *Malis in Claſſe X.* & hiſtoria itinerum de Hottentotis & Acridophagis.

Maxima pars Auctorum tribuit picam vitio humorum ventriculi, vel ſalivæ; aſt haud dubium eſt quin etiam error judicii & voluntatis primariò incuſandus ſit, non verò in omni ſpecie, ſicut contendit *Diemerbroeckius Anat. lib. 1. cap. 6.*

Stratagemate utendum eſt ad curandam picam, ſcilicet miſcenda cum iis quæ appetunt medicamina amara, aut emetica, aut cathartica, quæ picantes ab horum eſu deterreant.

6. *Pica ſimulata.*

Vidi duos circulatores qui ut fucum facerent plebi, queſtûs ſui gratiâ, pluries in die ſeptem, vel octo lapillos nucis ferè magnitudine, alter totidem, & præterea notabilem copiam ſaxi cochlitis, quo urbs Monſpelii ſtructa eſt, vorabant; ipſe commoto alterius abdomine calculos illos exploravi; an vomitu eos rejiceret non potui certò comperire, videbantur tamen calculi in inteſtinis, & ultimus lithophagus pro homine fero, ſeu ſylveſtre prædicabatur, ac lapidibus & aquâ vitæ tantùm victitans; ſed quid non mortalia pectora cogit lucri utcumque exigui cupido! Dantur etiam vitrivori, cultrivori, ſeu qui ſcyphos vitreos, cultellos, &c, vorant non ſine periculo, ut admirationem adſtantium excitent.

VIII. BULIMIA; *Faim canine.*

Ineptè, ut advertit *Doctus Menjotius*, vertitur hoc verbum per *famem bovillam*, quo magna fames propriè Græcis ſignificatur, *Boulimiaſis*, *Boulimos* & *Cynorexia* Græcis; *Phagedæna* Cælii Aureliani, non Galeni; *Lycorexis* quibuſdam; *Boliſmus* Gordonii; *Palulimos* Plutarchi Symp. *Fames canina*, *lupina*, *bovina* Scholaſticis. *Ægri* vocantur *Famelici.*

Bulimia eſt fames nimia reſpectu virium digeſtivarum ſtomachi, ſeu appetitûs majoris alimentorum copiæ quàm quæ digeri poſſit.

In fame ſanâ eam copiam alimentorum ſumimus, quæ in paſtuum intervallis digeruntur; in anorexiâ vel minima fit ciborum etiam delectus, ſeu guſtus conſulitur attentè antequam cibus ingeratur, & hic ciborum delectus *appetitum* gallicè dictum à fame diſtinguit; in Boulimiâ nullatenus conſulto appetitu, vel breviſſimis vel ſolitis intervallis plura appetuntur, & ingeruntur, quàm quæ digeri queant.

Quantitas alimentorum quæ quotidie potu aut cibo ingeritur eſt circiter vigeſima quinta pars ponderis hominis, ſi ſanitate fruatur; hujus dimidia pars urinæ, altera perſpirationis viâ exhalat, excepta vigeſimâ parte aſſumpti quæ ſub formâ fecum amandatur. Hieme non major eſt quantitas aſſumptorum quàm æſtate; ſed major eſt tantùm ratio ſolidi ad liquidum aſſumptum. Monſpelii adoleſcentes circiter 72 uncias, ſcilicet 46 in prandio, 26 in cœnâ aſſumunt: ratio media eſculenti ad potulentum eſt 1 ad 2.

1. *Bou-*

1. *Bulimia canina; Cynorexis* Græcis; *faim canine.* A.

Eſt ea ſpecies in quâ magna alimentorum copia appetitur, ingeritur, & indigeſta vomitione rejicitur.

Pendet ab ſpeciali acrimoniâ ſuccorum digeſtivorum & irritabilitate ſtomachi, unde ſenſatio moleſta, quæ cibis ſedatur paulisper, unde fames; ſed illi ſucci digeſtivi nec ad molem aſſumptorum diſſolvendam pares ſunt, nec ſtomachus nimis irritabilis ſufficienti tempore aſſumpta retinet, unde vomitio indigeſtorum.

Vigente hieme in locis nive conſperſis hic morbus ſæpiùs accidit, maximè ſi victus ex cibis acribus concurrat; morbus hic, ſi quartanæ, aſciti, aliiſque morbis chronicis ſuperveniat, funeſtus eſt.

Curatur per medicamina ſedantia & acrimoniam corrigentia; cathartica & emetica facilè dyſenteriam aut choleram excitant, niſi ſint mitiſſima, & non nauſeoſa; anteponantur itaque aquæ acidulæ, tamarindi, caſſia. Corrigentia ſunt vel abſorbentia, ut creta, oculi cancrorum, corallia, fortè etiam alkalina, ut oleum tartari aquâ multâ temperatum, maximè ſi ad acidum vergant rejecta; vel ſunt oleoſa pinguia, ut butyrum, ſerum lactis, lac ipſum, oleum recens amygdalarum: demùm narcotica irritabilitatem ſtomachi ſopiunt, ut vinum meracum, theriaca, crocus, laudanum, & ſi fas eſt, *Geſnero* innuente, utendum leviſſimo infuſo ſeminum Belladonæ in vino. Pilulæ ex aloë optimè ſucceſſerunt *Foreſto*; ambra griſea ad grana quinque vel ſex *Riverio* laudatur.

Boulimia morbus eſt chronicus lienteriam, atrophiam, aſcitem demùm inducens.

2. *Boulimia cardialgica; Fames bovilla* Scholarum; *Boulimus* Ettmulleri, *faimvalle* Hippiatrorum. A.

Eſt ſpecies boulimiæ quæ potiſſimùm cardialgiam, imò frequentes ſyncopes inducit, in quâ ægri paucis alimentis ſunt contenti, ſed ea utcumque pauca non digerunt, & continuis leipothymiis vexantur; prægrandis appetentia, quia intenſa eſt cupiditas ciborum; interea pauco alimento ſatiabilis in cibi faſtidium & leipothymiam brevi deſinens; ſic definitur à *Menjotio diſſert. de Bulimo.*

Aggreditur eos qui per nivoſa loca iter faciunt, ut *Bruti* ac *Cyri* militibus accidit. Definitur ab *Avicennâ* fames membrorum cum ſatietate ventriculi; pendet ſcilicet ab inanitione corporis, & ut aiunt, venarum ſectione; interea dùm ventriculus malè ſe habet, illicò ſatiatur, nec ingeſta valet digerere. Juxta *Hoffmannum* eſt perpetua leipothymia ortum habens ex magnâ fame, ſeu ex magnâ ciborum indigentiâ, conſentitque *Galenus.*

In hac boulimiâ ſtomachus irritabilis eſt, dolet & facilè convellitur, unde celer aſſumptorum immutatorum egeſtio, ſeu lienteria huic ſæpe ſe comitem addit; hinc quidam ſcholaſtici lupinam famem vocarunt ſeu Lycorexim, ſed fruſtrà diſtinctam ſpeciem faciunt.

In boulimiâ iſtâ analeptica, cardiaca & antiſpaſmodica indicantur; cardiaca

diaca quidem dùm urget animi deliquium, in quo caſu vinum offæ mixtum laudatur, nec non theriaca: pro analepticis juſcula ex pullo, oryzâ, cum capite papaveris; panatellæ tenues ex micâ panis & carne pulli, jus vituli cum micâ panis, piſces, gelatinæ, amygdalarum lac; teſtudinum juſcula *Hecqueto* arrident, deinde verò lacticinia, denique laudanum. Multi mirantur, pauci intelligunt cur *Hippocrates* phlebotomias repetiit in hoc morbo, donec æger atrophus, & famelicus exſanguis fieret; an Gaſtritis imminebat?

3. *Boulimia verminoſa* Tralliani. *Morbus Epidemicus Saraguſæ fames dictus* Foreſti libr. 21, obſerv. 28. D.

Hæc ſpecies fovetur à lumbricis, tæniâ, aliisve inſectis in ventriculo hoſpitantibus, cibum quidem paucum ſuffurantibus, ſed pabulo ſuo ventriculum irritantibus, inde oris fœtor ſingularis, febricula, nauſea, dolores vagi, punctorii, in abdomine, rubores fugaces faciei, cardialgia ex reptatu lumbricorum in œſophagum ad nares uſque, diarrhœa, ſtridor dentium, ſopor, ejulatus, &c: boulimia ante paſtum eſt intenſior, ea pro vermis ætate ac magnitudine urgentior eſt ac tæniam maximè deſignat. Vide hiſtorias in *Zacuto Luſitano libr. 2 Medicin. princip. Schenckii libr. 3, obſerv. 27.*

Infiniti Saragoſſæ moriebantur hoc morbo, cùm demùm ope boli armenæ vermes copioſi ejecti ſunt, & ſalus reſtituta eſt. Numquid abſorbens illud acido - dulce vermium pabulum correxit; Alii curati ſunt amaris, aloeticis, quidam ſyſimbrio aquatico, cujus ope tæniam rejecerunt. Oleum nucum recens quovis mane ſumptum ad uncias quatuor, ſuperbibendo vini Hiſpanici hauſtum tæniam ſæpiùs enecat.

4. *Boulimia eſurigo; Voracité.* L.

Eſt ſpecies famis intenſæ, quæ vix eſt morbus. Ægri duplum, imò triplum conſuetæ ciborum copiæ ſumunt & digerunt; quod accidit gravidis, vegetis, & guloſis, nec non adoleſcentibus exercitatis, ut venatoribus, militibus fame exinanitis. Mihi ab hemitritæo olim revaleſcenti per menſem accidit illa boulimia, quâ ex macie ſummâ citò in corpulentiam mutabatur meus habitus, interea dùm perſpiratio mea odorem moſchi intolerabilem referebat. Hoc morbo diù vexabatur *Rondeletius* condimentis nimis uſus. Laborabat etiam miles, cui ad anorexiam curandam abſinthium præſcripſerat *Riverius.* De uſu kinkinæ in Tertianâ famelicâ vide *Ramazzinum Conſtit. ann. 1690 nº 10.*

5. *Boulimia addephagia* Nenteri tabul. 174, cap. 8.

Eſt fames ſumma & voracitas infantum circa quartum annum & ultra cum atrophiâ, ſæpe diarrhœâ, pallore, abdominis intumeſcentiâ ſeu phiſconiâ, virium imbecillitate, carnium flacciditate; quæ quidem verminoſis affectibus ſæpe ſtipatur, aliàs verò ſine illis eos infeſtat, & niſi regimini debito adſtringantur, in diverſos morbos conjicit.

Ea addephagia Rachitidem etiam comitatur. Vide curam phiſconiæ in-

fantum & rachitidis, quæ repetenda ab uſu martialium, rhei, cinnanomi, chinæ, &c.

6. *Boulimia convulſorum* Muller. de morbo ſpaſmodico diſputat. Halleri tom. 1, pag. 79.

Non ſolum in convulſione epidemica Brandeburgenſi anni 1741 in ſtatu morbi aderat fames canina intenſa tanta ut in ipſo convulſionum paroxyſmo ægri digitorum miniſterio deſtituti eſculenta in ſtragulis poſita inclinato corpore labris & ore brutorum inſtar avidè deglutirent; ſed etiam in epidemia convulſiva à *Williſio* & in altera à *Buddæo* enarrata, imò in eclampſia typhode quam *Sennertus* refert ad annum 1597, quæque cum prioribus & raphania convulſione idem morbus eſſe videtur; in harum altera lumbrici quidem vomitu rejecti ſunt; verùm reſtat inquirendum num ab alio principio hæc boulimia repetenda ſit, an fuerit effectus tribuendus ſecali rubiginoſo? Illa boulimia referente *Sennerto* lupina erat, ſeu cum diarrhœa. Boulimia quidem convulſionem raphaniam ſubſequens ſeminibus raphaniſtri pani commixtis hodie tribuitur.

7. *Boulimia ab acidis*, Mercurialis de ingenti fame p. 365.

Cognoſcitur aciditate oris, corroſione ſtomachi, vomitione pituitoſa, acida, ſitis carentia, habitu corporis melancholica; Curatur refrigerantibus, abſorbentibus, ſale tartari.

IX. Polydipsia; *Soif exceſſive. Sitis morboſa* Bonet. Sepulch. Tom. 2.

Eſt potulentorum appetitus immodicus.

Procedit à ſenſatione ſiccitatis aut ſalſedinis & fervoris in ore, ad quam ſublevandam potulentis indiget natura. Interea prava bibendi conſuetudo, potiſſimùm extra menſas, huic ſymptomati anſam præbet, qui mos pueris & puellis ſæpe familiaris dum cubitum eunt, ipſis multa incommoda procreat, digeſtionique potiſſimùm officit, unde pallor, chloroſis.

Polydipſia rarò morbus eſt, ſæpius tantum morborum aliorum eſt ſymptoma ſecundarium ſeu minùs præcipuum, unde varietates ſequentes deſumuntur.

a *Polydipſia febrilis; ſitis febrilis* Boerhaave *Aphor. 613; ſoif des fébricitans.* B.

Sitis intenſitas ſub pari ſenſibilitate eſt in ratione ſiccitatis, fervoris, & ſalſedinis ſalivæ; verùm in febribus potiſſimùm acutis bilioſiſque, ut in tritæophyâ ardenti, in tertianâ duplici, ubi maxima perſpiratio, catharticorum uſus, diarrhœa bilioſa, aqueum laticem ſanguinis abſumpſere, eſt magna ſalivæ ſiccitas; ob tritum continuum vaſorum, & extricationem partium ignearum & alkaleſcentiam cruoris eſt magnus fervor in paroxyſmis; denique ob principiorum ſalinorum vehiculo deſtitutorum concentrationem, eorumque copiam ſenſim in febre creſcentem, ut probant *Langrishii* experimenta, eſt maxima ſalſedo; non mirum ergo ſi febres acutas ea polydipſia

dipſia comitetur, bibendique neceſſitas urgeat ad ſanguinem diluendum, fervorem temperandum, acrimoniam demulcendam.

Si ſubitò ſine ratione evidenti ceſſet ſitis in illis morbis, ſignum eſt ſentiendi facultatem feriari, quod à paraphroſyne, comate, aut debilitate ſumma poteſt oriri, ſed vulgò à paraphroſyne febrili oritur. Si ſenſim ſine ullo delirii ſigno, cum pulſûs minori frequentiâ ſedetur ſitis, ſignum eſt paroxyſmum febris fervoremque mitigari, & ex cruore jam reſoluto ſeroſum laticem, ex glandulis oris ſalivam, ſegregari.

Remedia ſunt 1.º quæ ſiccitatem tollunt, adeoque ſalivæ, ſanguiniſque viſcoſitatem diluendo minuunt, ubi calidâ præſtant frigidis ſalivam coagulantibus; huc aqua formâ potûs, vaporis, fomenti, gargariſmatis, epithematis, &c, maximè verò aqua in qua vegetabile quoddam ſaponaceum, nitroſum, decoctum vel infuſum fuerit, ut decoctum hordei, avenæ: 2.º quæ fervorem extinguunt, ut acida, vegetabilia, qualia acetoſa, oxalis, ribes, limones, aurantia, granata, poma, ceraſa, ex quibus ſyrupi, aquæ, gelatinæ parantur, nec non foſſilia, ut nitrum, ſal prunellæ, acidum ſalis, ſulphuris ad gratam aciditatem, in magnâ aquæ copiâ: 3.º quæ acrimoniam demulcent, ut emulſa, farinoſa, decoctum hordei, cremor oryzæ, emulſiones ex ſeminibus cucurbitarum, lactucæ, papaveris, ſerum lactis.

Si ſumma debilitas concurrat cum ſiti, conveniunt vinum, acetum, cereviſia, aqua vitæ & ſimilia; quoniam verò ſitis imperat potum hîc neceſſarium, ea non eſt narcoticis ſupprimenda; ubi verò tuſſis adeſt, licet acuta ſit febris, ut in pleuritide, ſitis exigua eſt vel nulla, non minus potûs diluentis ſumma eſt neceſſitas.

b. *Polydipſia hydropica.* C.

Ea eſt quæ aſcitem, phlegmatiam, hydrothoracem, nec non quæ diabetem, hydropemve ad matulam comitatur; quæque procedit ex aqueo latice ſanguinis amiſſo, vel in cavum quoddam derivato, vel ſudoris lotiive formâ excreto.

In hiſce morbis ſitis intenſitas ſequitur ſalivæ ſiccitatem, ejuſque acrimoniam; acrimonia verò ſiccitati reſpondet, quippe principia ſalina, ſero deſtituta, concentratiora, adeoque fortiora evadunt.

In ſiti aſciticorum compeſcendâ cavendum eſt ne copioſo potu aqueo, inerti, ſolidorum laxitas & extravaſalis ſeri copia creſcant, adeoque vel illa ſitis viriliter toleranda, aut fruſtranda eſt. Sitim fruſtrantur, & temperant fruſtula fructuum acidorum linguæ impoſita, gelatinæ ſeu rob ceraſorum, cydoniorum, groſſulariæ, limonum, ſyrupi de agreſtâ, de limonibus, globus plumbeus ore detentus, ptiſanæ leviter aperientes ex radice graminis, acetoſæ, fragariæ.

In ſiti à diabete, dyſuriâ, ſerum lactis acidulatum, lac cum aquâ calcis mixtum, indicatur.

c. *Polydipſia fluxuum.* L.

Fluxus in quibus polydipſia frequentior & intenſior eſt, ſunt dyſenteria, diabetes, diarrhœa bilioſa, ptyaliſmus, ephidroſis immodica, &c.

Dyſuria à veſicantibus excitat polydipſiam. Nil tam citò poſt adhibita veſicantia ſupervenit quàm ſitis cum linguæ ariditate, quæ quandoque tanta eſt, præſertim in ægris adulti temperamenti & mente non alienatâ, ut quibuslibet remediis temperari vix poſſet, præterquam continuo aquæ gargariſino; durat hæc ſitis ita vehementer per triduum circiter, prout ſcilicet ſeriùs aut citiùs, parciùs aut uberiùs acres cantharidum ſales è maſſa ſanguinis fuerint ſeparati; deinde ſenſim remittit; eamque appellare ſolet *ſitim veſicantium Baglivi de incommodis ab uſu veſicantium cap.* 2.

In Iſchuriâ ob miſcelam urinæ cum ſanguine ſupervenit ſitis inexplebilis cum ardore ſummo, linguæ ſiccitate, unde loquela impedita; deinde paraphroſyne cum tremore ſitim extinguit & mors in promptu eſt: ſedatur hæc ſitis potu nitrato & medicamentis iſchuriam tollentibus, ut balneis, ſemicupiis, fomentis.

d. *Polydipſia à veneno; a morſu dipſadis* ex Lucano; *à calce vorata.* A.

X. ANTIPATHIA; *Antipathie.*

Eſt quorumdam objectorum tanta averſatio, ſæpiùs nativa, ut ex eorum guſtatu, odoratu, viſu, tactu, vel auditu homo graviſſimas leipothymias, vomitiones, ſpaſmos, ſimiliaque ſymptomata patiatur.

Harum averſationum vel motiva quædam cognoſcuntur, vel nulla; prioribus accenſeri poſſunt averſationes rerum quæ perniciem afferre poſſunt, vel quæ ſenſibus injucunda vulgò ſunt. Sic horror cadaverum, operationum chirurgicarum, ſuppliciorum reis inflictorum, ſanguinis effuſi ex naturali commiſeratione oritur. Sic horror gladii nudi quo *Jacobus primus* Anglorum Rex laborabat, tonitruum qui diarrhœam & leipothymias multis incutit, procellarum, ſerpentum, aranearum, oritur à metu nimio quidem, ſed tamen excuſabili, rerum verè noxiarum, aut quæ vulgò noxiæ cenſentur.

Antipathia etiam caſei, anguillarum, panis, vini, fragorum, ovorum apud eos qui quondam ab eorum uſu malè habuerunt, v. g. qui lac nutricis caſeoſum, congrumatum, cum ſuo gravi damno quondam hauſerunt, qui ab his cibis inopportunè aut copioſè aſſumptis aut vitioſè præparatis læſi fuerunt: hæc, inquam, averſatio, utcumque nimia, ex confuſâ anteactorum memoriâ & metu ſimilium damnorum intelligi poteſt.

Verùm ſunt aliæ antipathiæ quæ non niſi ex ſingulari, ut aiunt, hominis idioſyncraſiâ ſolent deduci; ſeu, ut clariùs loquar, quarum nullum motivum, niſi divinatione quadam cognoſcitur, ut antipathia felium, murium, roſarum, ranarum, &c: an effluvia ex his manantia cum humoribus hominis ea exhorreſcentis combinata quidpiam tertium conſtituunt, quod ipſis nocivum & venenatum eſt, uti mercurius cum acido marino chimicè junctus conſtituit ſublimatum corroſivum? an aniles fabulæ mentem.

tem infantis præoccuparunt circa horum objectorum nocumenta, ut accidit multis circa ſagas, larvas, lemures, objecta merè imaginaria, & circa venenum veſpertilionum, ſerpentum vulgarium, ſcarabæorum, &c, quæ omni noxâ carent?

Antipathia humana Zwingeri diſſertat. 1a.

Licet ſint antipathiæ odorum, colorum, ſonorum, ſaporum, &c, quarum plurima exempla congeſſit *Ill. Auctor* in hac diſſertatione, parvi refert eas ſigillatim diſtinguere, cùm ſimul concurrant, & qui v. g. caſei ſaporem odit, ejus viſum non toleret & odorem utcumque latentem incredibili narium ſagacitate detegat & abhorreat. Ex his antipathiis vita hominum ſæpe miſera milleniſque incommodis obnoxia evadit, adeoque illæ prævertendæ ſunt; & ſi fieri poſſit, ſanandæ. In puerili ætate hæ antipathiæ ſæpius oriuntur, & creſcente ratione plures evaneſcunt. Puer qui caſeum impenſè oderat, ita ut ex paucis ejus granis cibo alteri jucundo permixtis & deglutitis ferè in convulſionem incideret, deinde ætate maturior ſenſim huic non ſine ſummâ animi contentione deguſtando aſſuevit; & hodiè illum avidè deglutit.

In ſexu fœmineo horror tonitruum, operationum chirurgicarum, quorundam medicaminum difficillimè ſuperatur, quia præjudicia ab animis nullâ philoſophiâ imbutis vix eluuntur, ſed ſi maturè phyſices ſtudio incumbamus, ſi rationem excolamus, facilè intelligemus non magis à fulminibus quàm ab aliis periculis vulgò prætervifis, ut à domuum ruinis, timendum eſſe. Si operationum chirurgicarum in quibuſdam caſibus utilitatem, imò neceſſitatem cognoſcamus, ab illarum aſpectu minùs turbabimur. Si ſerpentes, ſalamandras, bufones manibus tractare audeamus, illa paſſere minus eſſe noxia experiemur, & ſic ridiculo illo terrore liberabimur.

XI. NOSTALGIA, dicitur à Græco *Noſtein* redire, & *algeia* mœror; *Philopatridomania* Harderi; *Pothopatridalgia*, *Noſtomania* Zwingeri Diſſ. 3; *Noſtraſſia* quorumdam; *Heim-Wehe* Helvetis; *Maladie du païs.*

Eſt genus moroſitatis quo peregrini ad parentes & patriam ſuam reverti tam intenſè cupiunt, ut reditu denegato, mœrore, agrypniâ, anorexiâ, aliiſque gravibus ſymptomatis divexentur.

Noſtalgia ſimplex eſt vel complicata, utraque aggreditur juvenes molliùs in parentum ſinu educatos, qui primâ vice peregrinantes, vel adverſam fortunam, vel morbum incurrunt, & amicis orbati patriæ ſuæ delicias mente revolvunt, earumque deſiderio tantò majori tenentur quò pejus habent, ut ſi à ſociis pro rudibus habiti illis ludibrio ſint, ſi ob linguæ, morumque differentiam, ſoli vivere cogantur, hinc alto mœrore detenti omnem ſocietatem fugiunt, nemini ſuæ ægritudinis cauſam declarant, anorexiâ, pervigilio, aſtheniâ, aliiſque gravibus ſymptomatis extenuantur.

1. *Noſtalgia ſimplex.* D.

Eſt illa quæ nullo morbo gravi accedit, licet ſymptomata diverſa ſecum adducat, ſcilicet mœſtitiam, ſolitudinis amorem, taciturnitatem, cibi & potûs averſationem, virium proſtrationem, febriculam veſpertinam. In Noſocomio Monſpelienſi pluries obſervata eſt in corpore Noſtalgicorum una aut altera macula liveſcens. Vidi puerulum mendicorum filium, cujus proinde patria erant tantum trivia & viæ publicæ, qui parentibus ſuis orbus hoc morbo laborabat. Rariſſimè Philiatri Monſpelienſes hunc morbum experiuntur, quia in numeroſâ amicorum ſocietate, facilè parentum ſuorum obliviſcuntur, quandiu voluptatibus ſectandis eis copia ſufficit. Apud milites Helvetos, cùm à patriâ exceſſerunt, frequens eſt hic morbus, & olim eâ de cauſâ plurimi caſtra deſerebant; erat autem cantilena Helvetiæ delicias revocans, quæ ipſos in hunc affectum deducebat, quam deinceps repetere ſub capitis pœnâ prohibitum eſt. Hanc vide apud *Zwingerum.*

Curatio ex auxiliis moralibus ſolùm eſt repetenda, ut ex amicorum conſuetudine, ludis, theatris, comeſſationibus, ſufficienti nummorum copiâ; ſed ſi paulò gravior ſit morbus & illis remediis reſiſtat, unicum auxilium eſt reditus in patriam; licet enim ægri proſtrati, debiles, vix è lecto ſurgere poſſint, cùm certa ſpes eſt ſe in patriam reverſuros eſſe, mox meliùs habent, vires reſumunt, & in ipſo itinere ſæpe ſanantur: pauperculi verò quos è noſocomiis educere & apud ſe recipere non poſſunt parentes, aut qui parentibus orbi ſunt, ferè omnes hoc morbo moriuntur, atque auxilia chirurgica & pharmaceutica ſaltem inutilia ſunt, evacuantia verò omnia ipſis noxia.

2. *Noſtalgia complicata.* A.

Eſt illa quæ ſynochum, tertianam, tritæophyam, vel aliam febrem comitem habet, in cujus quidem curatione ſumma virium conſervandarum debet haberi cura. Si quis ex febrium paroxyſmis nauſeâ, vomitu, anorexiâ, concluderet ſaburram continuò præſentem, & è primis viis eliminandam, is potius animam foras ejiceret quàm totam quam fingit ſibi ſaburram. Ad kinkina confugiendum eſt; emulſiones cum ſufficienti narcotici doſi veſpere ſunt exhibendæ, & non ſolùm proxima ſpes redeundi in patriam ipſis facienda eſt, verùm etiam utcumque æger ſit debilis, & febri correptus, vel rhedâ, vel lecticâ ad parentes ſuos eſt dimittendus, quippe hic ſolus itinerationis apparatus proximus plus valet ad morbum abigendum quàm omnia remedia vulgaria; ſunt etiam qui perſpectâ libertate patriam ſuam repetendi, ex hoc ſolo illicò convaleſcunt, & noſtalgiâ liberantur, licet patriam ſuam non repetant, ſaltem ægri ferè in medio itinere vires, & paulo poſt ſanitatem recuperant.

3. *Noſtalgia ſimulata*, De Meyſerey Malad. des Armées, nº 25, p. 109.

Dignoſcitur dolus ex pulſûs robore, æqualitate, faciei nitore, colore ſano, fame, metu diætæ tenuis, phlebotomiæ & catharſeos averſatione; ex

ex cognito motivo vero quo militiam effugere cupiunt & miſſionem impetrare.

XII. PANOPHOBIA; *Thorybos* & *phobos* Hippocrat. Aphor. 24, S. III; *Panicophobos* Herodoti Lib. VII; *Pavor nocturnus* & *pavor in ſomno* Sennert. cap. 8 de morbis infantum; *Panophobia infantum*; *Pantophobia* Morgagni Epiſt. VIII. 28; *Conturbatio*, *conſternatio*; *Terreur panique*; *Frayeur nocturne*. Ægri *Pantaphobi*, & *Omnipavi* Cælio Aureliano Acut. Lib. III, cap. 12.

Hic morbus eſt infantibus lactentibus familiaris, dùm ſomno ſepulti febricitant, ſudant, gemunt, aut evigilando clamant, tremebundi, perterriti, & ferè convulſi ob phantaſmatum terrificorum aut ſpectrorum in ſomno viſorum imaginationem.

Hic morbus, ſi gravior evadat, eclampſiam aut epilepſiam poteſt inducere. Accidit etiam juvenibus pueris, qui aniles ſervarum fabellas de larvis & lemuribus noctu vagantibus avidè exceperunt, quique deinceps vel dormiendo, vel in tenebris ſoli has ideas refricando ſummo terrore percelluntur. De Cura vide *Tiſſot Avis au Peuple* § 522.

In lactentibus hic morbus ferè ſemper pendet à ſaburrâ ventriculi, ſeu à lacte vitioſo copioſiùs aſſumpto, & ideò præſcribuntur levia cathartica, ut oleum amygdalarum, ſyrupus de roſis ſolutivus, vel etiam opus eſt ut ipſa nutrix alumni loco purgetur: verùm crediderim id ſæpius evenire à ſtragulis denſioribus aut ab aëre calidiori circa cunas undique clauſo & non renovato, quo quidem nihil eſt aptius ad febriculam excitandam & ſanguinem verſus caput determinandum; memini me nunquam ſomniis iiſque terrificis magis divexari ſolitum fuiſſe quàm cùm ſtragulis aggravabar, aut cùm ſubitò nocte tempeſtas ſerena & aquilonaris mutabatur in calidam, humidamque, auſtro flante.

1. *Panophobia verminoſa* Benivenii. A.

Eſt pavor infantum nocturnus à vermibus oriundus; materies verminoſa ſanguinem inſpiſſat, quo, ſi in cerebri vaſis hæſerit; inſomnia poſſunt excitari; maximè verò terrifica phantaſmata à reptatu vermium intra œſophagum aſcendentium ac quaſi præfocantium determinari poſſunt, unde præter cathartica & abſorbentia debent anthelmintica præſcribi.

2. *Panophobia hyſterica; Terreur panique de vapeur.* L.

Nihil eſt vulgatius hoc ſymptomate apud hyſtericas, & hypochondriacos, ſi baculus delabatur, ſi fores ex improviſo pulſentur, ſi ſuſpenſo pede quis earum cubiculum ingrediatur, illico terrore, palpitatione cordis, pallore, lipothymiâ corripiuntur: a fortiori verò non ſolum ſi tonitrua explodantur, ſi coruſcent in cœlo fulgura, ſed ſi offerat ſe viſui aranea, veſpertilio, ſcarabæus, ſcorpius, illæ præ metu fere animo linquuntur. Duo ſunt itaque horum terrorum principia; primum eſt ea nervorum ſenſibilitas & teneritudo quæ à leviſſimâ impreſſione lædatur, qualis eſt in otal-

giâ

giâ ſenſibilitas nervi acouſtici, ita ut vel minimo ſono dolor auris intendatur, vel in retinâ inflammatâ quam lux minima inſtar fulguris irritat. Secundum principium eſt philautia exquiſita ſeu vitæ & voluptatis amor nimius, ita ut vel minimam læſionem perpeti neſciant, vitæ voluptatibus affluenti aſſuefactæ & molliùs quàm par eſt educatæ: Hanc ſenſibilitatem adaugent debilitas corporis à morbis prægreſſis, à ſanguifluxibus potiſſimùm, ærumnæ, ſollicitudines, animi contentiones; auxilia verò ſunt eadem ac hyſteriæ.

3. *Panophobia phrontis* Hippocratis; *La Maladie appellée Souci* ou *Terreur panique*, Le Clerc, hiſtoire de la Médec. pag. 176. L.

Ægri inquieti ſunt admodum, cœtus & lucem fugiunt, obſcuritatem amant, cuncta verentur, tumet his extrorſum diaphragma, timent vel leviſſimum ſui corporis attactum & dolent; inſomnia terribilia patiuntur, præcordiis quaſi infixam ſpinam ſentiunt & identidem vel mortuos, vel objecta terrefacientia ſibi videre videntur. Hæc ſpecies hypochondriaca vel hyſterica videtur.

4. *Panophobia à rabie*, Morgagni Epiſt. VIII, 27. A.

Ea eſt quæ à viru hydrophobico latente dependet, quæque non circa aquam & aërem, ſed circa omnia objecta verſatur.

Senex vegetus, qui ante tres menſes cane rabioſo demorſus fuerat, viginti diebus antequam hydrophobia corriperetur & biduo poſt moreretur, minis & verberibus à quodam exceptus, ex eo tempore cepit miro atque inſolenti timore agitari, ut non modò quidquid increparet ſemper contremiſceret, ſed & quicumque ignotus occurreret proditorem continuo eum putaret, & ſi quò poſſet aufugeret aut latebras quæreret; ad hæc luminis & aquæ demum horror acceſſit, cùm in noſocomium importatus eſt, in quo biduum vixit. Inventus eſt ad ſummum pharyngis quidam rubor; arteriæ erant inanes, pulmones poſticè gangrænoſi, ubique ſanguine nigro turgidi; cerebrum non ſiccius ſolito.

XIII. Satyriasis; *Satyriaſmus* P. Æginetæ; *Priapiſmus* vulgi; *Satyriaſe.*

Eſt morbus viris proprius, cujus præcipuum ſymptoma eſt effrænis impudenſque veneris cupiditas cum libidinoſâ penis tentigine.

Differt à priapiſmo, ſi *Aretæo* fidem adhibeamus, quòd ſatyriaſis ſit morbus acutus, intra ſeptem dies ægros è medio tollens, & libidinis voluptate ſtipetur erectio; verùm dantur ſpecies chronicæ ab illâ multùm diverſæ, quæ non niſi initio libidinis ſenſum inferunt, deinceps verò moleſtiſſimæ evadunt, adeoque ad priapiſmum proximè accedunt; de his judicent qui plures obſervationes habuerint.

1. *Satyriaſis acuta* Aretæi cap. 12, lib. 2. A.

Satyri Baccho ſacri arrecto pene figurantur. Eſt autem morbus qui laborantis penem excitat, erigitque, atque ob Dei figuræ ſimilitudinem

Saty-

Satyriaſis nuncupatur; eſt autem inexplebilis coëundi appetitus; verùm neque, ſi ad veneris opus accedant, quidquam juvantur, neque multo, aſſiduoque concubitu ſedatur arrectio. Convulſiones autem omnium nervorum fiunt, & tendinum diſtenſio & inguinum, partiſque ejus quæ inter inguina & femen eſt, (*plechada* Græcis dictæ) genitalium prælerea inflammatio & dolor; in facie rubor ineſt, & ſudor roſcidus, porrò ipſi ægri ſeſe incurvant & comprimunt; quieſcunt triſtes, utpotè calamitatem ſuam gravatim ferentes; quòd ſi hominis verecundiam id malum ſuperet, turpiter admodum linguâ intemperantes efficiuntur; intemperantes quoque in alvo (flatibus) exonerandâ, in venerem laſcivientes, menteque indecenter titubantes, nam ſe continere nequeunt; ſiti laborant, pituitam largiter evomunt, quoniam labris ſpuma inſidet, ut hircis libidinoſis, quin etiam haud abſimilis odor eſt; lotium poſt longam retentionem effunditur album, craſſum, genituræ ſimile: alvus reſolvitur, coſtæ & axillæ ſponte pruriunt, ac titillantur; convelluntur, à cibis abhorrent; ſed cùm eos aſſumunt, rapaciter aſſumunt; conturbantur: ſin ad interitum ægritudo ſpectat, inflantur, venterque in tumorem effertur; tendines & lacerti omnes contenduntur, ægrè admodùm corpus movetur, membra contrahuntur, arteriæ parvo motu, debili, inordinatoque agitantur; hæc omnia quandoque diſcutiuntur, ſi alvus conturbata multas pituitoſas, bilioſaſque humiditates ejecerit, eaſdem quoque vomitus non abſque diſcrimine effuderit; nempè medela non vacat diſcrimine; ea per ſomnum profundum longiſſimumque præſtatur, ſiquidem refrigeratio & reſolutio, ſtuporque nervorum multus ſomnus eſt, ſtupor verò ac refrigeratio ſatyriaſi medetur. Id morbi genus vere atque æſtate potiſſimum ſævire conſuevit; inter ætates verò adoleſcentia & juventus ei maximè patet, præcipuèque illi omnes quorum natura in venerem prona eſt. Acutiſſimum id malum triſte fœdumque eſt; nam plerumque in ſeptimâ die ægrum conſumit. Hactenus *Aretæus*.

2. *Satyriaſis chronica* Cheynæi de natura fibræ pag. 71. C.

Differt à priori quòd contumax ſit, ac diuturna, menſes plures imò annos perſeverans, & quòd ſenes à venere alienos aggrediatur. Rarus quidem morbus eſt, ait *Cheynæus*, de quo vix quidquam meminit ſe legiſſe, & quo laborantes tres tantùm ægros vidit; qui morbus non junioribus & libidinoſis, ut prima ſpecies, accidit, ſed infirmis, debilibus & laxæ fibræ hominibus, tardè & imperfectè alimenta concoquentibus, hypochondriacis, flatulentis, animoque dejectis: rarò interdiu, ſed nocte præcipuè, ſtatim atque ſtragulis incaluerunt, invadens, quo tempore vehementem penis inflammationem & tenſionem ſentiebant, quaſi quis eum manu vi avellere conaretur; nec libidinis tamen œſtro ciebantur, intenſiſſimo dolore omnem laſcivæ cupidinis ſenſum excludente, cujus ſpecies eorum animis odioſa, nedum grata obverſabatur.

Unicum iis doloris levamen erat lecto exſilire, frigidoque ſe objicere aëri, unde ſtatim ſubſidebat inflatio; inde ſomni interruptio, appetitus

ciborum digeſtioque languidior, unde intra paucas hebdomades illi ſpectris potiùs quàm hominibus ſimiles, ſomni capiendi cauſâ, quidvis facere aut perferre parati ſunt, interea opiata & omnia calefacientia morbum augent.

Curatio ab emeticis lenioribus inchoabatur, dein lactis, ſulphuris, æthiopis mineralis & cinnabaris antimonii longo ſex menſium uſu cum florum benzoini, & ſalis cornu cervini parcâ doſi; victus erat tenuis per longum tempus, tres ſcilicet vel quatuor carnis unciæ & vinum Briſtolienſi mixtum ac pauxillum ſingulis diebus concedebantur; poſtremo kinkinæ, corticis aurantiorum, & vitrioli martis aliquot grana præſcribebantur cum modico exercitio, & frequenti in frigidam immerſione; horum uſu intra biennium duo priores ægri ſanati ſunt; alter remedia recuſans diutiùs ægrotavit, per intervalla à victu pleniori facilè in ſatyriaſim relabens.

Nemauſi monachus ætate provectus & caſtus hoc morbo diutiſſimè laboravit, curvato corpore incedens & triſtis, nec à peritiſſimis medicis levamen notabile experiebatur. A camphora aliquid ſpei affulget.

3. *Satyriaſis venerea* Cheynæi de fibræ naturâ pag. 71. L.

Intelligit Auctor ſymptoma gonorrhϾæ virulentæ quod per ſe morbum non conſtituit, & curatur phlebotomiâ, potu emulſionato, narcoticis, ptiſanis lenientibus, mucilaginoſis, fomentis emollientibus, nitro, ſemicupiis, &c.

4. *Satyriaſis hydrophobica*, Cælii Aureliani.

Eſt & aliud ſymptoma multò gravioris morbi, ſcilicet hydrophobiæ obſervatum à *D. Rivalier Medico Lauſanenſi* apud *Boneti Sepulchretum*, & Græcis etiam cognitum.

In Hydrophoborum cadaveribus cavernoſa penis corpora inflammata bis notavit *Ill. Morgagni Epiſt. VIII* & *LXI*: nec non *Ill. Brogiani* venenum hydrophobicum ſenſit eſſe affine ſemini veſicularum imò & proſtatarum, quippe hoc venenum in mulieribus nymphomaniam excitaſſe viſum eſt: Vide *Ill. van Swieten Comm. de Rabie.*

5. *Satyriaſis neogamorum* Hatté de Journ. Med. Fevr. 1755.

Eſt ſpecies diverſa à præcedentibus 1° quod iſta aſſiduo coeundi deſiderio frequentiſſimaque erectione & ejaculatione ſtipetur; ita ut æger per plures menſes, ter vel quater in die coeat: 2° quod inde ſucceſſivè marceſcat debiliſque & macilentus æger evadat, demumque in lumbaginem 16am delabatur.

XIV. Nymphomania; *Metromania* Sorani & Ill. Aſtrucii de morbis mulierum; *Nymphotomia* & *Symptoma turpitudinis* Mercati; *Melancholia uterina* Nenteri; *Hyſteromania* Boecleri Diſſert. 8; *Theligonia* Ill. Linnæi de Tænia; *Furor uterinus* & *Tentigo* Latinis; *Andromania*, *Nymphocluia*, *Gynaicomania*, *Entelipathia* paucis; *Fureur uterine.*

Eſt hujus generis character in fœminis effræne veneris deſiderium.

Ra-

Ratione audaciæ & impudentiæ differt ab Erotomaniâ ſeu melancholia amatoriâ ; an ratione ſexûs, adeoque organorum diverſorum, genus diverſum ſit à ſatyriaſi, judicent alii.

Metromania eſt vox æquivoca & muſomaniæ ſynonymica, unde minùs arridet. *Nymphomania*, quaſi mania clitoridis, vox eſt uſitatiſſima apud eos qui nomina conſarcinata, ſeu è plurimis diſtinctis verbis compoſita repudiant, quale eſt *furor uterinus*.

Hujus morbi gradus ſunt diverſi pro diverſis generibus à *Sennerto* habiti.

1. *Nymphomania ſalacitas* Sennerti de virginum morbis. L.

Huic expoſitæ ſunt virgines cum pubertatis ætatem attigere, temperamento calido præditæ, lectionibus laſcivis, cantilenis feſcenninis, adoleſcentum illecebris captæ, potiſſimùm quæ ſub ſeverioris matris legibus aut cœnobiorum clauſtris diutiùs vixere, quæ turpi maſtupratione incendicula veneris excitavere ; in illis autem cupiditas à feſtivâ alacritate, amaſiorum provocatione incipit ; denegata verò venere, depoſito pudore, verba laſciva blanditiis erga viros admiſcent, aut limis oculis, geſtibus ſollicitant procos ; interea domi mœrent, gemunt, anorexia, agrypniâ vexantur, marceſcunt ; idem accidit junioribus viduis, maritum impotentem aut frigidum expertis, nec puerperii labores paſſis.

Quæ verò pudori litant, maximè quæ virtutem & religionem cordi habent, illæ ob acrimoniam ſeminis & ſanguinis ac organorum genitalium ſenſibilitatem ſimili ſed tacitâ veneris cupiditate incenduntur & eò ardentiùs ac miſerabiliùs flagrant, quò ardorem ſuum tegunt accuratiùs ; inde mœror, agrypnia, anorexia, macies, pollutiones frequentes, quæ averſas à levibus culpis animas multùm cruciant ; novi puellam hujuſcemodi quæ ad ſui confeſſarii ſenis & putidi pedes proſtrata & acerrimè ſuam calamitatem deplorans, interea hiſce invitis ſeminis profluviis erat obnoxia, à duobus annis his miſeriis cruciata & caſtimoniam mentis intemeratam ſervans : immane erat veneris deſiderium ſenſitivum cui conſtanter reluctabat voluntas.

Certum eſt matrimonium eſſe præſtantiſſimum in ſalacitate remedium, fruſtràque non raro auxilia medica adhiberi, ut phlebotomias repetitas, refrigerantia, potum humectantem, lenia cathartica, balnea, ſerum lactis, antivenerea ut nymphæam, portulacam, emulſiones, &c : hæc, ait *Zacutus*, etſi proficua, profuere nihil, & virgo his malis vexata demùm in puteum ſe præcipitare cogitabat, cùm demum maritus cui nupſit juvenis, robuſtus, & officio ſuo ſtrenuè defungens ac cui tanquam ſanguiſuga illa adhærebat, optimam ipſi medelam attulit ; brevi enim ea puella effloruit, revixit & priſtinæ ſanitati reſtituta fuit : *Zacutus Luſitanus de furore uterino obſerv. 84, libr. 2.*

2. *Nymphomania furibunda ; Satyriaſis muliebris*, Amat. Luſ. Cent. VI, Obſ. 97. *Fureur ultérine.* A. C.

Eſt alter gradus hujus morbi in quo omni depoſito pudore, nymphomaniacæ notos, ignotoſque ad venerem ſollicitant, pudenda etiam denu-

 dant,

dant, & ex denegato coitu dictis aut pugnis recuſantes malè habent; quæ priùs erant caſtæ & decenter educatæ jam obſcœna verba proferunt, obvio cuique ſui copiam faciunt, atque laſſatæ potiùs quàm ſatiatæ recedunt; illis non raro ob attactus impuros clitoris multum excreſcit, & irritatur, quod in regionibus calidis ſolemne eſt; frequens eſt ſeminis ejectio, vulva intumeſcit, & hiat, ardor eſt in abdomine, urina pauca & rubra: atque ſi hæc calamitas caſtis & monialibus accidat, tunc ob præfocatum mœrorem & occultatam diutiùs mali cauſam ægrotant miſerrimè, vel aut tarantiſmum & dæmonomaniam ſimulant, aut inſaniunt eo fine ut rus foras è cœnobio dimittantur, milleniſque in eo caſu utuntur ſtratagematis, aut demum ſe laqueo ſuſpendunt.

Similem morbum in feminâ viro utente obſervavit *Matthæus de Gradibus conſil. 80*, quæ ſtatim atque à viro conceperat, libera erat ab illo furore; aſt verò ſi intra unum aut alterum annum non conciperet, furioſa evadebat, ex appetitu veneris cum ventris ſonitu, delirio, tremore, &c.

Hunc verò morbum deliriis non accenſeo, quia delirium non eſt præcipuum ſymptoma, ſed veneris effrænis cupiditas.

Cadavera oſtendere clitoridem tumidam, ovaria ſolitò majora, tubas Fallopii clauſas.

Præter remedia antiaphrodiſiaca laudatur à multis uſus cicutæ; verùm quod genus plantæ hoc nomine intelligatur dubium eſt. Vide infra *Paraphroſynem à conio.*

3. *Nymphomania fervor uteri* Sennerti de furore uterino. L.

Eſt alius affectus prioribus cognatus, quem *matricis fervorem* Antiqui appellarunt, quando nimirum univerſa uteri ſubſtantia incaleſcit, cum dolore, lumborum gravitate, horripilatione, faſtidio, urinæ ac fecum ſuppreſſione, & fœmina coitum vehementer appetit, ſed ob dolorem venere uti pertimeſcit.

Differt ſiquidem hic affectus à prioribus, quod nec à ſeminis acrimoniâ, nec à libidine morali procedat appetitus venereus; ſed tantùm à phlogoſi, aut fervore uteri ejus ſenſibilitatem adaugente.

In hoc quidem caſu præter phlebotomias, victum refrigerantem & humectantem, potus nitroſi, emulſiones, balnea, injectiones emollientes in vaginam, fomenta, ſimiliaque proficua ſunt.

4. *Nymphomania pruriginoſa; Pruritus uteri* Sennerti libr. 4 part. 2 ſect. 1 cap. 2; *le Prurit de l'uterus.* L.

Non ſemper uteri, ſeu potiùs vulvæ pruritus veneris appetitum effrænem conciliat; adeoque ille pruritus eſt à nymphomaniâ ipſâ diverſiſſimus; verùm quandoque hujus libidinoſæ cupiditatis principium eſt, potiſſimùm cùm clitoridem obſidet materies herpetica acris, mordax, in fœminâ aliunde ad venerem pronâ; cùm autem hæc cupiditas nec à ſeminis acrimoniâ, nec à depravatâ voluntate; ſed à ſede diverſâ affectâ dependeat, diverſum eſſe affectum viſum eſt Medicis, ut *Sennerto.*

Curatio eadem eſt ac herpetis.

XV.

XV. TARANTISMUS; *Il Carnevaletto delle Donne* Baglivi; *Œſtro di ballare; le Tarantiſme, le Janon.*

Eſt morbus in Apuliâ endemius, cujus præcipuum ſymptoma eſt inexplebilis ſaltandi, aut choreas agendi cupiditas: dicitur Tarantiſmus à Tarantulâ, & ægri *Tarantati*, quia invaluit opinio hunc morbum à Tarantulæ morſu excitari, quod *Baglivus* judicat; nuper verò *Ill. Serao Academiæ Neapolitanæ à Secretis* inficiatur.

Romæ capta ſunt experimenta cum Tarantulis: horum morſus dolorem excitat, dein tumorem liveſcentem, paucis poſt diebus cruſtâ nigricante obſitum; accedit ſomnolentia, cardialgia, vel cordis oppreſſio, & deinde dolores in ſingulis corporis articulis; ſed nunquam ſaltandi vel neceſſitas, vel cupiditas demorſos inceſſit; hos diaphoretica vulgaria ſanant.

Tarantiſmus ante ſæculum decimum quintum à nullo Auctore memoratur, licet tarantulæ multò ante forent cognitæ; in Siciliâ, Melitâ, Africâ regionibus Apuliâ calidioribus ſunt multæ Tarantulæ, nullus verò Tarantiſmus, ait *Ill. Serao*, cui contradicit *S. Gervaſius.*

Apuli habitant ſub cœlo calido & ſicco, ſunt ingenio acuto, imaginatione vividâ, temperamento melancholico, amore muſices, ſeu muſomaniâ inſignes; Tarantorum plurimi fatentur ſe à nullâ Tarantulâ demorſos unquam fuiſſe quantùm meminerint; ſolus *Baglivus* ſcorpio Apulo, cæteri omnes ſoli Tarantulæ hunc morbum adſcribunt ob præjudicatam opinionem, ut Aſtrologi aſtrorum influxui bella & epidemias tribuunt.

1. *Tarantiſmus Apulus* Baglivi de Tarantulâ. A.

Eſt morbus apud Apulos endemius, quem morſui Tarantulæ ob præjudicatam opinionem tribuunt, cujus præcipuum ſymptoma eſt ſaltandi, aut choreas agendi, & modulamina muſica audiendi effrænis cupiditas.

Occaſionem huic morbo fortè præbuit olim ſucceſſus muſicorum ſonorum ad excutiendam ſomnolentiam quam morſus Tarantulæ excitat; inde orta apud plebem opinio adhucdum vigens, muſicæ ineſſe eam vim quæ venenum Tarantulæ per ſudores à ſaltu excitatos abigat; verùm & citra tarantulæ morſum, ac ſcorpionis vulnus hic morbus, fervente cœlo, homines ad hanc veſaniam prædiſpoſitos, quâvis datâ occaſione invadit.

Morbus ille chronicus eſt cum paroxyſmis acutis quolibet anno recurrentibus; paroxyſmus incipit à mœrore, ſolitudinis amore; quandoque furor, ululatus, veſtium indecora abjectio, in cœno volutatio, quorumdam colorum, ut nigri averſatio, aliorum amor, accedunt; omnes ab inſtrumentis muſicis pulſatis, potiſſimùm à modulaminibus velocioribus, è ſomno & profundâ mœſtitiâ excitati, per triduum & ultra ſaltant ad ſudorem uſque, arborum ramos manu geſtantes & exagitantes, à diſſonantiis, aut ingratis modulaminibus pejus habentes, alta ſuſpiria trahentes; imò, ſi defuerit illud auxilium, in caro morientes: ſecus à ſonis harmonicis & ſibi gratis convaleſcentes uſque ad annum ſequentem; nam eo

tempore quo primùm affecti ſunt, paroxyſmus revertitur; quovis anno eumdem morbum experiri ſolent, & ſi non ſaltaverint, toto illo anno aurigine, anorexiâ, febriculâ, anxietate cordis, aliiſque ſymptomatis vexantur.

Varietates hujus morbi, ſi *Baglivo* fides ſit, ſunt repetendæ à diverſis inſectis, quorum morſui tribuitur hic morbus.

a. *Tarantiſmus à Tarantulâ albâ* mitior eſt; ex morſu dolor ventris pungens, diarrhœa, pruritus.

b. *Tarantiſmus à Tarantulâ ſtellatâ* pejor; inde dolor acutior, pruritus, capitis dolor, ſtupor, gravitas, horror totius corporis.

c. *Tarantiſmus à Tarantulâ uveâ* peſſimus; inde ſymptomata ſtellatæ, & præterea tumor ingens, & dolor partis demorſæ, ſpaſmus, ſudor frigidus, aphonia, nauſea, meteoriſmus, &c.

d. *Tarantiſmus à Scorpio Apulo* Baglivi.

Demorſi non vitis palmites, ſed enſes nudos geſtare volunt.

e. *Tarantiſmus ſimulatus* Baglivi, cap. 7. *il Carnevaletto delle donne.*

Non à ſolo Tarantulæ morſu occaſio præbetur huic morbo, ſed etiam à chloroſi, ut obſervat *Baglivus cap. 7.* Multæ chloroticæ, ait ille, eadem ferè patiuntur ſymptomata, quæ Tarantati, & conſueto more ſingulis annis ſaltando à chloroſi, & hyſteriâ immunes omnino evadunt.

Romæ, licet Tarantulæ deficiant, mulieres ac potiſſimùm hyſtericæ & moniales Tarantiſmum non rarò ſimulant, ſive amoris igniculis, ſive jacturâ rei familiaris, ſive aliorum malorum his propriorum tædio afficiantur; ob aſſiduum mœrorem in melancholiam & deſperationem abeunt, eademque ratione omni muſices concentu & choreis delectantur ſummoperè. Citharistæ verò ſimulantes à veris Tarantatis dignoſcunt, ex eo quod veri Tarantati, vel leviſſimum citharistæ errorem in modulamine, & diſſonantiam acutiſſimorum inſtar muſicorum percipiunt, non verò qui Tarantiſmum ſimulant, aut qui à Tarantulâ demorſi non ſunt, ut cum *Baglivo* loquar; nec enim magis eſt ſimulatus qui a chloroſi, hyſteriâ, melancholiâ, nymphomaniâ, &c, pendet, quàm cui Tarantulæ morſus occaſionem præbuit, ſi *illuſtr. Serao* fidem adhibeamus.

2. *Tarantiſmus enteneaſmus; Enthuſiaſmus* Galeni; *Saltus Valentini*, ac *Saltus Viti* Fel. Plateri; *Chorea S. Viti* Sennert. Libr. I, P. II, cap. 17. non verò Sydenhami; *Ægri Enteraſtici* Herodoto.

Eſt furor ſaltandi quem divinitùs immiſſum putant *Guillerinus Hiſtor.*, *Vincentius Bellovacenſis*, *lib. 26*, *cap. 10*, quem narrant anno 1012 ſexdecim viris & tribus fœminis accidiſſe ex imprecatione ſacerdotis, eo quod in cæmeterio choream duxiſſent. Similem morbum cauſis phyſicis tribuendum narrat *Fel. Plater. in obſervat. libr. 1* de fœminâ Baſileenſi, quæ per menſem ferè ſine intermiſſione ſaltavit; imò cùm ſedere cogeretur, geſtu, motuque corporis inquieto corpus veluti ſaltans agitabat.

In Circulo Sueviæ juxta Ulmam eſt templum Sancto Vito dicatum; eò multæ concurrunt mulieres circa Feſtum hujus Sancti quolibet anno menſe Maio, ibique ſaltu cum perturbatione mentis nocte dieque ſe exercent,

donec

donec ecſtaticorum inſtar corruant, qua ratione ſibi reſtitutæ ſanitati videntur, & nihil per annum ſentiunt; ſecus membrorum inquietudine, tenſivis artuum doloribus, unà cum laſſitudine ſpontaneâ, & capitis gravitate torquentur, donec anno ſequenti organum muſicum quod in eorum gratiam hoc Feſto pulſatur, audiant: Hæc teſtis refert *Gregorius Horſtius obſerv. lib.* 2. Similis eſt puellarum multarum apud Gebennenſes phantaſia, aut furor, cùm Divæ Mariæ Feſtum recurrit, & eas ad aliquod Sacellum unâ aut alterâ leucâ diſtans cum amaſiis & ſociis ineundum invitat animi recreandi, ad fidium ſonos liberè ſaltandi, & longè à cuſtodibus genio ſuo indulgendi pruritus; illa delectamenta ſub velo devotionis licita tam ardenter appetunt plures, ut ab iis denegatis ægrotent; expertus loquor, his enim feſtis interfui.

Paulò gravior erat affectus quem propè Courtray in Flandriâ obſervavit *Nicol. Tulpius* (*obſerv. libr.* 1.) Homo erat verè miſer, volaticus & irrequietus, qui noctes ac dies curſitabat, ſubſultu tam pernici, & agitatione tam perenni, ut ſudoribus difflueret, nec niſi inevitabili dormiendi neceſſitate preſſus quieſceret.

Huc referatur inquietudo & œſtrum ambulandi ac ſaltandi, quo plures tum viros, tum fœminas exagitatas vidit *Williſius*, ut graviores moleſtias & lipothymias alioquin invaſuras effugerent. *Williſ. de morbis convulſivis*, *cap.* 7.

Vide quæ de melancholiâ ſaltante inferius referentur.

3. *Tarantiſmus muſomania.*

Eſt veſanus muſices amor, unde denegatâ hac voluptate mœror, languor, quandoque furor & inſania; conceſſâ verò tranquillitas, lætitia animi, ſanitas. Si muſices cupiditas effrænis eſt, atque ſanitatem lædat, *muſomania* eſt; hic muſices amor omnibus ferè innatus videtur, cùm infantes in cunis vagientes, irrequieti, inſomnes, mirificè ab harmonicâ cunarum agitatione ſubleventur; hoc teſtantur de curâ doloris arthritici *Bonetus*, iſchiadici *Athenæus*, epilepſiæ *Chryſippus*, phthiſeos *Deſault*, aliique innumeri referunt, circa quod legi meretur egregium opus *Lud. Roger Doct. Monſpel. de vi ſoni & muſices jatricâ* anno 1758. Ipſe non dudum inviſi adoleſcentem, qui in febre gravi quotidie remittente à cephalalgiâ veſpertinis horis in paroxyſmo revertente non levabatur, niſi ſono tympani bellici, quod ut pulſaretur amicos rogabat, à quo quidem ſono adſtantes ferè capite dolebant; ille tamen adoleſcens minimè muſomaniacus eſt, cùm bene valet; ad hanc ſpeciem attinet inſania illa epidemica, ſed fugax Abderitarum, quâ perciti fuere, dùm agebatur Andromeda Euripidis, ex quâ exeuntes velut inſani ïambica canebant, vociferabantur, & tripudiabant perſeum imitantes, referente *Luciano*. Si ſole ſub ardenti, ut in amphitheatris Veterum, Tragædiæ noſtræ *Opera* dictæ luderentur, non minor excitaretur apud nos veſania, nec deſunt hujus corybantiaſmi exempla quotannis dum Saturnalia celebrantur, necnon apud Taraſconenſes, & Aquiſextienſes, cùm dies feſti ipſis ſanctiſſimi revertuntur.

Huc attinet obſervatio muſomaniaci relata *Hiſt. de l'Acad. R. des Sc.*, *ann.*

ann. 1707, *pag. 7.* Quidam Muſicus hemitritæo detentus, ſeptimâ die delirio correptus fuit, clamans, territus, lachrymans, inſomnis decimâ die, paululùm remittente delirio, quæſivit ut in cubiculo ſuo fieret concentus; acceſſere amici inſtrumenta muſica afferentes, & ad primos ſonos æger exhilaratus, præ gaudio lachrymas fudit, febris expers fuit toto concentûs tempore, quo finito recidit in priorem languorem; iterato remedio par fuit ſucceſſus; imò deficientibus muſicis, cantilena cujuſdam vetulæ ipſum ſublevavit; demùm poſt decem dies repetiti concentus eum ſanavere.

Similis ferè priori eſt obſervatio facta Aleſiæ, & *in Hiſt. de l'Acad. R. des Sc.* relata *anno 1708.* quidam choreæ Magiſter gibbus, nomine Maſſon, ſimili morbo acuto laborans cum delirio, ſuaſu D^ni^. de Mandajors, Acad. Reg. Numiſmatum Socii, qui antecedentem hiſtoriam legerat, idem remedium adhibuit; ridebant adſtantes quod fidicen ad ægrum furioſum accerſeretur, & variis ſonis eum obtunderet, cùm æger, contra omnium exſpectationem, tranquillitatem recuperans, in lecto corpus erigere, & dulcedine ſoni captus modulamina brachiorum & capitis motu imitari cœpit; poſt horæ quadrantem quo duravit ille concentus, æger, antea à ſomno alieniſſimus, placidè obdormivit, ſudavit, & ſanus evaſit.

4. *Tarantiſmus Tingitanus*; *le Janon.*

St. Gervais in libro cui titulus eſt *Mémoires hiſtoriques*, refert apud Africanos, Tuneti ſcilicet, endemium eſſe Tarantiſmum ſpontaneum, ſeu à nullius inſecti morſu dependentem, mulieribus potiſſimùm familiarem, quo ad ſaltandum, & choreas agendas impelluntur, & huic morbo nomen eſt *le Janon*; hos quidem motus tanquam convulſivos Auctor reputat; verùm veroſimile eſt, eos ejuſdem generis, ac quos verè tarantati apud Apulos edere ſolent.

In oppido *Donzere* dicto apud Delphinates idem mos invaluit in curando anthrace, ac olim in oppido *Roquecourbe* juxta Caſtres, ſcilicet inciſo tumore, & appoſito ſale, aceto ac pipere, æger ad ſaltandum & choreas ducendas per biduum, tintinnabulorum ſono, & amicorum exemplo incitatur.

XVI. HYDROPHOBIA; *Hydrophobie*, *Rage.*

Eſt morbus cujus præcipuum ſymptoma eſt incredibilis potulentorum omnium averſatio.

Rabies, Græcis *lyſſa*, eſt apud lupos & canes morbus cujus præcipuum ſymptoma eſt vim ſibi aliiſque inferendi effrænis cupiditas; Lupi ſcilicet rabidi obvios omnes mordent, ſed non ideò ſunt hydrophobi; conſtat ſcilicet repetitâ apud Gallo-provinciales experientiâ, canes luposque rabidos bibiſſe, manducaſſe, flumen tranaſſe, ut olim Marologii & bis Forolivii obſervatum, adeoque nec cibum nec potum averſari; aſt in homine, quem canis lupusve momordit, præcipuum ſymptoma eſt aquæ, aëris,

ris, lucis averſatio, cui rariſſimè ſupervenit bibendi cupiditas. Rabiei ſpecies plures aſſignari poſſent, ut *rabies canina* quæ morſu propagatur, & in homine eſt hydrophobiæ accidens; *Rabies maniaca*, *Rabies dæmonomaniaca*, quæ ſunt accidentia maniæ, vel dæmonomaniæ, nec diverſum ab illis genus conſtituunt.

1. *Hydrophobia vulgaris; Phrenitis latrans* Damocratis; *Aërophobia*, *Pantophobia* Cælii Aureliani; *Rabies Canina* Boerhaave; *Hydrophobia contagioſa* Brogiani de Venenis pag. 102. Ægri *Hydrophobi*, *Phugydri*, *Aquifugæ*, *Rabioſi* &c.

Ille morbus, Græcis prætervifus, truculentiſſimus, ſæpiùs ex animalis rabidi morſu communicatus; raro ſponte febribus ſuperveniens, unicum utplurimùm lethalem & brevem paroxyſmum obtinet, verùm ejus venenum diu & circiter quadraginta dies in corpore latitat antequam evolvatur; contagioſus eſt, ſalivæ ſcilicet interventu per morſum, linctum, baſia, à corpore in corpus tranſmittitur à canibus, lupis, felibus antea demorſis, aut ſpontaneam hydrophobiam patientibus.

Hujus hiſtoriam in *diſſertatione quæ anno 1748, præmium Academiæ Toloſanæ reportavit*, fuſè tradidi; idcirco hîc paucis ſumma capita attingere ſufficiet.

Venenum hydrophobicum duplici materie conſtat, unâ fixâ, mucoſâ, alterâ volatili; utraque in glandulis ſebaceis faucium, œſophagique paratur, colligiturque, ſive venenum ſalivam immediatè affecerit, ut accidit celebri *Baldo*, qui caniculam rabidam oſculatus eſt antequam eam occidendam mitteret, necnon his quos in facie lupi ſauciant; ſive venenum aliis partibus infuſum fuerit, quod morſu, imò linctu evenit, modò tamen dentium mucus & ſaliva non deterſa omnino fuerit, ut accidit cùm trans veſtes craſſas, lanatas, quiſpiam à cane mordetur; ſaliva venenum infert vulneri utplurimùm craſſum, quod ibi loci fovetur, exaltatur, reſolvitur per menſem & ultra, vulnere interea cicatricem citò inducente, & præmorſo, niſi æger timeat eventum, bene ſe habente: ſi verò venenum immediatè ſalivam infecerit, illud intra paucos dies evolvitur, & hydrophobia accedit, ut accidit illis qui in facie vulnus acceperunt; inde enim lachrymæ, ſaliva ducuntur citò ad œſophagum. Apud eos verò qui in locis ab œſophago diſſitis morſum paſſi ſunt, venenum non evolvitur, niſi poſt menſem & ultra, rariſſimè poſt annos; tunc verò vulnus antea ſanatum dolet, rubet, intumeſcit; ardent partes demorſæ, linctæ; æger ferè ſemper oblivioni mandatum infortunium ſuum in mentem revocat; imò refricatio hujus veneni evolutionem accelerat; inde utplurimùm mœror, triſtitia, cibi & potûs negligentia; tunc autem ſive timeat, ſive non, anginæ quædam ſpecies eum divexat, potum, utcumque ſitiat, deglutire recuſat, ſalivam etiam ſuam horret; incredibili quâdam antipathiâ, adverſus omnia liquida ori, aut etiam oculis oblata, afficitur, cujus rationem ipſe non intelligit; nulla hactenus in pulſu mutatio, nullum virium detrimentum; æger, ſi animo miti ſit, & ingenuè educatus, maximè verò ſi

infans, placidè potum renuit, lac à nutrice oblatum recuſat, fruſtra bibere conatur, cibi etiam lobulos raptim & cum ſummâ difficultate devorat, & nemini minitatur; ſi verò ruſticus, aut minùs mollis indolis, diriora patitur ſymptomata, maximè ſi diram quæ imminet mortem, & quæ de rabidis vulgò feruntur non ignoret, is ſcilicet quâdam obvios omnes mordendi prurigine tenetur; quotquot videt, tot fingit amphoris armatos hoſtes, qui eum ad bibendum cogant: ægri ad aquæ, aut amphoræ nomen exhorreſcunt, ſalivam longè exſpuunt, imò vel minimum flatum aut ventum pertimeſcunt, raro febricitant, rariùs delirant, plurimi devotas preces ad Deum fundunt, ſimulque amicos monent ut ſibi conſulant, ut manibus vincula injiciant, ut à morſu & ſputo ſuo caveant, & intra unum, alterumve diem convulſi, turbati moriuntur.

Paulò poſt obitum ſecta cadavera horrendum fœtent, venter intumeſcit flatu, ichor viridis ſtomachum notat, maculæ atrorubræ œſophago ſunt inuſtæ, cruor fluxilis paucus in venis, viſcera ſicca, arida ſunt, nec mirum, cùm per biduum, triduumve æger omni potu abſtinuerit. Animalium rabidorum carnes comeſtæ, exceptâ fortè gulâ, aliis hydrophobiam intuliſſe non conſtat; jecur ipſum pro hydrophobiæ antidoto multis laudatur; veneni ergo ſedes in œſophago fixa videtur.

Phænomena intelliguntur, ſi ibi loci ſupponamus humorem calcis vivæ inſtar cum ſalivâ & aquâ aſſumptâ efferveſcere aptum, & cujus energia cauſtica dilutione extricatur; hinc dyſphagia atrox, nauſea, gingivarum pruritus, exſpuitio, &c.

Si itaque hydrargyrum, affinitate quâ gaudet, adhæreat muco faucium, & illius excretionem promoveat, illud hujuſce veneni in his glandulis præparationem impediet, exaltationem à morâ pendentem arcebit, eliminationem promovebit, fortè huic adhærendo illud concentrabit, ut acidum marinum ſublimati corroſivi corrigit hydrargyrum, involvit in aquilâ albâ.

Multiplici obſervatione à viginti retro annis conſtat homines à rabidis demorſos, maturo & conſtanti hydrargyri uſu ab hydrophobiâ antequam accedat immunes evadere; hoc docent obſervata clariſſ. *Deſault Burdigalenſis*, *Darluc Forolivienſis*, *Fratris du Choiſel Jeſuitæ*, qui in Pontichery trecentos hac methodo ſervavit; mea demùm pluries à quatuordecim annis repetita; cùm ante hocce inventum neminem verè hoc veneno infeſtum convaluiſſe vulgò creditur.

Ex diverſis hydrargyri præparatis, formâ turbith, cinnabaris, &c, præſtantiſſima eſt pomata vulgaris Neapolitana, cujus drachma quantociùs vulneri & viciniæ eſt inungenda; imò ſi tempus urgeat primâ vice ſemiuncia, dein ſingulis diebus ægro è balneo exeunti iteranda eſt inunctio unius, alteriusve tantum drachmæ, quod repetatur per quindecim, vel viginti dies, ita ut æger ad ſummum pauca ſputa, plura quàm pro ſolito more ejiciat; ea verò ſervatis ſervandis, ſub victu refrigerante & humectante, vitando aërem frigidum, diro huic morbo præcavendo ſufficiunt.

ciunt. Plura vide apud *Ill. Van Swieten*, *Commentar. in Aphor. Boerhaave.*

In acceſſu hydrophobiæ moſchus ad gr. xvj datur cum ſucceſſu, cum vel ſine cinnabari gr. XXIV & aqua vitæ; ſudorem & ſomnum procreat. Hungari ſuadent ſcrupulum ſcarabæi Maialis vorandum ad ciendam hæmaturiam quam in hoc morbo ſalubrem dicunt. *Heiſterus* pejus adhuc conſilium ſuadet ut vulnus recens ore ſugatur. Scarabæus Maialis eſt *Meloe proſcarabæus Linnæi.*

2. *Hydrophobia ſpontanea.*

Ea eſt quæ citra ullum contagium oritur potiſſimùm in hemitritæi ſpecie quâ affectos *phreniticos Brachypotas Hippocrates* nuncupat; paucæ verò ſunt hactenus hujus morbi hiſtoriæ, de quibus videſis *Journ. de Med. de Vandermonde.*

Hanc *Lycanchem* Græcorum eſſe putat *Ill. Brogiani;* oritur autem vel ſine morbo prægreſſo, ut bis vidimus Monſpelii, vel à calore itineris referente *Du Laurens*, vel à commotione capitis, *Journ. de Med. Fevr. 1755*, cum cephalitide ab ictu capitis, *Eſſais d'Edinbourg*, a potu aquæ frigidæ æſtuante corpore *Kochlerus* à *Morgagnio* citatus, vel ſupervenit in acceſſu epilepſiæ quam fugacem bis vidit in ſuo ſervo *Ill. Vandellius Mutinenſis Archiater*, ex epilepticæ filiæ morſu matrem in hydrophobiam incidiſſe teſtatur *Malpighius*, & *Journal de Medecine Avril 1761*, in typho hydrophobiam ortam refert *Salmuth Cent. 2*, *Obſ. 52*, necnon *P. Borellus Caſtrenſis Cent. III*, *Obſ. 38*, in cynanche morbilla fugacem referunt *Act. Ac. Nat. Cur. T. 3*, *Obſ. 205*, in peripneumonia *Journal Encyclopedique*, *T. 13*, in amphimerina cynanchica & in gaſtritide, *Eſſais d'Edinbourg*, *T. I.*

Datur itaque alia primaria, alia, ut aiunt, ſymtomatica & deuteropathica. Spontaneam eſſe periculi plenam teſtantur aliquot obſervationes; interea quæ gaſtritidi ſupervenit uberrimis phlebotomiis ſanata fuit; hydrophobiam ſpontaneam & periodicè recurrentem quæ lethalis fuit citat *Mead*: fugaces & ſymptomaticæ illæ hydrophobiæ, ut quæ paroxyſmum epilepſiæ, quæ anginam comitantur, periculi expertes viſæ ſunt; qua methodo tractari debeant ſola docebit ſerior experientia; an contagioſa ſit per morſum? hoc duæ obſervationes ſuadere videntur. Quidam, nomine Matthæus, cùm anatem amore percitum vexaret, ab illo demorſus fuit in labiis, collo, pectore; partes inflammatæ & citò gangrænâ affectæ fuerunt, unde mors; ipſe furor itaque morſus quaſi venenatos excitat.

Collatis fere omnibus Recentiorum ſcriptis de therapia hydrophobiæ, nequaquam aſſentiri poſſum *Illuſtribus Viris Nugent* & *Le Camus*, qui litus mercuriales, tot curis celebres, toties & feliciter adhibitos, dimittere volunt: experientia, quæ ſola Practicos ducere debet, docuit ab anno 1747 ex quo methodus *Cl. De Sault Med. Burdigalenſis* in noſtra Diſſertatione ob præmium Academiæ Toloſanæ fuit latius ebuccinata, quadringentos ſaltem homines ab animalibus rabidis demorſos, quorum ferè

nullus antea hydrophobiam & mortem effugiſſet, à litu mercuriali in tuto fuiſſe collocatos, cùm unicum citetur à Neotericis exemplum mulieris quæ ope antiſpaſmodicorum ab hydrophobia libera evaſit; illud autem exemplum, ſi non pro litu mercuriali, ſaltem pro mercuriali medicamine, cinnabari ſcilicet pluries repetitâ, æquè militat ac pro antiſpaſmodicis: Illa quidem mulier jam ad hydrophobiam devenerat, quod mirum, cùm ab ea convaluerit; ſed præter duo exempla à *Cl. De Sault*, totidem à *Jeſuita du Choiſel* citata *Journ. de Med. Aouſt 1756*, aliquot hydrophobias ſuperatas, ſeu horrorem aquæ, ſpaſmos furorem, hydrargyroſi ſublatos videre *Clariſſ. Darluc, Cavalier Medici Gallo-Provinciales* in ægro dicto *Beuf*, & in Johanne Delphinate, qui ſimiliter convaluere, & in quatuor rabidis quos curabat *Clar. Hoin Chirurgus Divionenſis*, qui tamen deinceps obiere.

Vera methodus curandæ hydrophobiæ conſiſtit in ea mercurii adminiſtratione citò poſt morſum inſtitutâ, & quindecim ſaltem diebus continuatâ, antequam menſis à morſu elapſus ſit, cùm æger in facie vel capite læſus eſt, & per menſem perſeverante in caſu morſuum partes extremas afficientium; quippe docet obſervatio, ut in *noſtra Diſſertatione* olim monuimus, multo citius à morſu ſupervenire lethalem aquæ metum, cùm facies vel caput vulneratum eſt, quàm cùm manus & pedes; terminus hydrophobiæ in primo caſu, obſervante *Ill. Darluc*, eſt ut plurimum unus menſis, aſt in ſecundo ad tres menſes & ultra extendi conſuevit. Qui itaque in primo caſu ultra dimidium menſem caruerunt litu mercuriali aut parciorem adhibuere, in tuto minimè ſunt; atque ſi tunc temporis brevitatem temporis ſuperſtitis velimus iterata & largiori mercurii doſi vindicare, metus eſt ne æger ab hydrophobia ſanatus, febre, ſudore, ſpaſmis, ptyaliſmo, viſcerum & capitis inflammatione correptus, dein pacatè, ſeu citra ullam rabiem & aquæ horrorem moriatur, ut ſexies factum eſſe novimus, tum in Gallo-Provincia, tum in Burgundia; cùm autem æger ſerius implorat auxilium Medicum, neceſſum eſt parum tutum, ſed unicum quod ſupereſt remedium tentare; ea lege *Sapientiſſimus D. Darluc* magnam pomatæ Neapolitanæ copiam fecit quatuor ruſticis in facie à lupa rabida demorſis, vigeſimo quinto à morſu die, quibus itaque hydrophobia proximè imminebat; inter quos duo, qui totum corpus hydrargyro ſibi inunxerunt procul à Medico, in furorem acti, & poſt triduum uberrimo ptyaliſmo medio in nemore expurgati, tamen contra omnium ſpem convaluere, ut ſcripſit ad me *D. Cavalier*.

Altera lex eſt ut, cùm ſufficiens tempus ſuppetit, & primis à morſu diebus accerſitur Medicus, more *Cl. De Sault, Du Choiſel, Bertrand Maſſilienſis Medici*, quem uſque ſecuti ſumus & olim deprædicavimus, exiguâ doſi pomatæ Neapolitanæ, ad drachmam ſcilicet, alternis diebus, interpoſitis ſi commodum ſit balneis, illinatur, ut hydrargyrus pacatiſſimè omnes corporis mæandros pervadens, ſine tumultu & inflammationis metu, venenum ubique extinguat, quod in ſyphilide curanda duplo tamen majori doſi, ob prægreſſas præparationes ægri, inſtituere conſuevimus, adeo-

adeoque ea lege ut ſenſibilem ptyaliſmum vitemus, quo ſcilicet fit ut hydrargyrus citius quàm par eſt extra corpus delabatur. Quicumque has duas regulas ſecuti ſunt, nullo excepto, ut ut demorſi in facie vel capite, quantum mihi hactenus notum eſt, evaſere. Huic methodo inſiſtens poſt laudatos Authores, multoties vidi à canibus, ab aſina rabida, à fele rabida demorſos à periculo liberatos eſſe; & quod majus eſt, non ſolùm à canibus & in artubus, ſed etiam à lupis rabidis & in facie, demorſos quamplurimos curavit & ſanavit *Ill. Darluc*, qui neminem hujuſce conditionis ultimæ demorſum unquam vidit ſine litu mercuriali ſanatum; vidit autem duas hydrophobiæ epidemias, in quarum prima anno 1747 viginti ſeptem homines, & in ſecunda duodecim anno 1751 demorſi ſunt Forolivii in Gallo-Provincia, præter multos alios ſporadice hoc viru contaminatos.

Uſus turpethi mineralis, panaceæ, aquilæ albæ, forte & ſpiritûs antivenerei, certè utilis eſt, ſed multò minus tutus, ſaltem uſus turpethi, quàm litus mercurialis; hydrargyri moleculæ quæ à vaſis cutaneis accedunt ad maſſam ſanguinis vaſa omnia minima prætereunt; ſi verò viâ chyli ad cor accedant, inde ob gravitatem ſpecificam maximam, juxta hydraulicæ leges, vaſcula tantùm majora in axis majorum directione poſita, lateralibus inſalutatis, penetrant: & turpethum minerale, utpote emeticum energeticum, ſtomacho inflammationi proximo, niſi maturè, & ad granum unum in mulieribus, aut duo tantùm in viris, more *D. Bertrand* adhibeatur, nec pluries repetatur, poteſt inferre ſtrages non hactenus cognitas, qualis eſt paraplegia lethalis quater obſervata in hac methodo. Quod antiſpaſmodica ſpectat, ut moſchum, camphoram, opium, ſuccinum, ea parcâ doſi præſcripta minimè ſpernenda ſunt, maximè cùm ſuperveniente aquæ horrore nullum aliud ſupereſt perfugium; aſt multò tutiùs in prophylaxim, quàm ea medicamina, adhibetur hydrargyroſis.

Hydrophobis in furore conſtitutis oculi noctu lucent, ut felibus, quod *Ill. Darluc* teſtatur, & ultra mediam noctem Brunellæ hydrophobæ opem ferens *D. Cavalier Medicus* Forolivii obſervavit; inde roboratur quam olim tradidi de fluido nerveo electrico ſententia, meaque de hydrophobia theoria, quæ admittit in hoc morbo fluidum illud in phoſphoricam activitatem exaltatum.

Numquid ea activitas phoſphorica fluidi nervei à vehementi affrictu concitatur in œſtro epileptico, venereo, phrenitico, in fervore febrium ardentium, in phlegmaſiis ſupra citatis? nonne epilepſia parva eſt in œſtro venereo, quo vigente hieme excandeſcunt feles, quo tempore leviter fricatæ ſcintillant undique, & oculis ſolito intenſius lucent; æſtate pluries accidit hydrophobia ſpontanea luporum quam tempeſtatibus temperatis ob calorem, quo fluidum nerveum magis electricum evadit, modò ventus auſtrinus deſit: vigente hieme lupi hydrophobi etiam evadunt, nec non feles, ob vim electricam tunc temporis vehementiorem. Sed de his in hypotheſium ſphæra contentis hîc agere locus non eſt.

ORDO TERTIUS.

Deliria.

RAtio eſt facultas percipiendi nexum veritatum univerſalium ; inde homo dicitur animal rationale , quod cùm ætatem ſufficientem attigit , capax eſt hunc veritatum nexum percipiendi , ſeu quod idem eſt propoſitiones generales veras & abſtractas ex pluribus individuis concretis obſervatione compertis valet efformare : *Intellectus* enim quo pollet homo eſt facultas abſtractum in concretis pervidendi , ſeu ideas generales efformandi , cùm bruta nil cernant niſi in individuo ſeu in concreto , unde veritates univerſales, quales ſunt elementa ſcientiarum , capere nequeunt.

Ratiocinari eſt ex duabus propoſitionibus terminum communem habentibus, tertiam elicere; hoc præſtant homines etiam in rebus intellectualibus , ut circa virtutem , vitium , ſanitatem , ægritudinem genericè ſumptas ; bruta verò bonorum vel malorum ſenſitivorum ideam ſenſu retinent, & ſimilia in ſimilibus circumſtantiis exſpectant , quæ exſpectatio eſt quid analogum humanæ rationi , & vulgò *inſtinctus* dicitur aut *ſenſus communis* , nam ſenſus ſeu facultas percipiendi impreſſiones objectorum præſentium fere ſufficit cum memoriâ , ad hanc ſimilium eventuum exſpectationem.

Moroſi hoc inſtinctu minimè deſtituuntur , bona & mala ſenſitiva non ſolùm percipiunt, ſed & quædam præ aliis impenſè appetunt , & proſequuntur , atque in hoc errant quod organorum extra cerebrum poſitorum vitio ſeducti, bona hæc ſenſitiva intellectualibus multò majoribus anteponant, ut nymphomaniacæ illecebras veneris caſtimoniæ , famelici alimenta temperantiæ, denique pro bonis ſummis & realibus exigua & apparentia ſumant ac proſequantur ; interea ex eo ſolo inter deliros non numerantur , quia animæ ſedes , ſcilicet cerebri medulla , non vitiata eſt , adeoque ipſis cupiditatibus morboſis reſiſtere poſſunt , ac ratione quâ pollent , ac libertate quâ fruuntur , errorem ſuum corrigere potis ſunt; verùm deliri cerebrum habent læſum tùm in toto tùm in parte , nec proinde ipſis poſſibile eſt ſuum errorem agnoſcere , nec agnitum emendare ; illi quorum encephalus totus afficitur ferè ut maniaci inconcinnè de pluribus diverſiſſimis objectis judicant & errant ; melancholici verò , quorum medulla cerebri in parte tantum vitiata eſt , de uno aut altero delirii ſui objecto peſſimè judicant , in aliis ſæpe rectè cogitantes , ingenioſi & acuti.

Præterea moroſi quidpiam bonum eſſentialiter & conſtanter appetunt , aut malum averſantur quoddam præfractè , & in hoc moroſitas conſiſtit ; ſalvum

ſalvum tamen remanet ratiocinium, niſi delirium cum moroſitate complicetur; aſt delirantes etiamſi quædam avidè appetant, aut ſine ratione averſentur, interea plures circa indifferentia errant, ut qui ſe cereum, figulinum, vitreum caput geſtare, ſe Reges eſſe, aut equos, aut Deos reputant; illi de his aliiſve ſubjectis abſurda, minimèque ſibi cohærentia deblaterant, aut multa perpetrant quorum motivum in ſanorum mentem nunquam ferè venire poteſt: ſic maniacum vidi, qui per quadraginta dies cibum & potum recuſabat, ſolo tabaci fumo contentus, nec ſuæ abſtinentiæ ullum motivum afferebat; idem filiæ ſuæ trienni pollicem cultro abſcidit, nec eadem die hujus vel meminerat, vel pœnitebat, & ſciſcitantibus aliena omninò reſpondebat.

Fingite concentus cujuſdam Rectorem & Præſidem, qui non ſolùm diverſorum inſtrumentorum ab aliis pulſatorum ſonos percipiat, ſed etiam quos ipſe in clavicymbalo aut organo eccleſiaſtico pede, manuve producit, regiſtris, ut aiunt, omnibus eductis; ille ſi mentis compos, liber, & nullis aliis negotiis diſtractus, ſonorum harmoniam, & ſi quæ ſit, minimam diſſonantiam facilè percipiet, omnium partium actionem ſapienter moderabitur & diriget; talis eſt anima in ſtatu ſano, dùm præeſt machinæ humanæ rectè conſtitutæ; verùm ſi inſtrumentorum, quibus utuntur ſocii, chordæ ſint malè ad concentum aptatæ, vitioſæ, inſtrumentaque ipſa malè diſpoſita, ſive inſtrumenti cui præeſt regiſtra quædam ſint clauſa, ut ſi organa auditûs, memoriæ, imaginationis ferientur, aut ipſe aliò diſtractus, impoſſibile eſt rectum & jucundum concentum fieri: deficiente præſidis regimine, omnia confundi & perperam miſceri neceſſum eſt.

Talis eſt confuſio in regimine actionum liberarum apud delirantes, licet plures ex actionibus naturalibus, v. g. vitales pacatè & concinnè exerceri pergant, quæ ſcilicet non actualem præſidis ſyſtematis nervei attentionem exigunt, ſed veluti ob longam ejus aſſuetudinem ab ipſo inſcio fiunt, ut fidicen inſcius capite & pede menſuram denotat, interea, dum modulaminibus diverſis excitandis eſt intentus.

Delirium à *Boerhaave* definitur *ortus idearum non reſpondens objectis externis, ſed internæ cerebri diſpoſitioni*; à *Pitcarnio inſomnium vigilantium.* Hallucinatio error eſt qui à vitio cerebri non pendet, ſed à pravâ organorum externorum diſpoſitione, ut in vertigine, ſuffuſione, & error ille differt à moroſitate, ut picâ, ſatyriaſi, quod non notabilem & conſtantem ſecum inducat appetitum vel averſationem: delirium verò pendet à vitioſo cerebri ipſius ſtatu, & non niſi conſequenter ad ejus vitium ipſi hallucinatio aut moroſitas ſæpius adjungitur.

In ſtatu ſano animæ, qualem depinximus dum de concentûs præſide agebamus, omnes actiones & ideæ, indeque pendentes appetitus & motus, determinantur, & à circumſtantiis externis, & à ratione ac memoriâ veritatum, vel præceptorum univerſalium cuſtode; unde fit ut omnia rectè percipiamus, abſentia imaginemur, præteritorum recordemur, futura prævideamus, omnia bona malave ad recti judicii ſtateram libremus, ſicque omnes

ideæ

ideæ & actiones ab his principiis internis & ſimul externis determinentur. Verbo, datur conſenſus inter externas circumſtantias, & notiones acquiſitas boni & recti; unde determinatur quid in quâvis circumſtantiâ ſentiendum, appetendum, & agendum ſit.

Deeſt ille concentus in omni veſaniâ, nam *hallucinati* imaginantur & percipiunt quæ non ſentiunt; *moroſi* loco voluntatis ab appetitu ſenſitivo diriguntur; *deliri* brutorum inſtinctu, non regimine rationis, ducuntur, & fiunt ſimiles equis & mulis quibus non eſt intellectus, ipſis etiam pejores, ſi ſimul gravibus pathematis aut moroſitatibus agitentur. In amentiâ ferè nulla ſunt pathemata, nec triſtia, nec hilaria; in melancholicis triſtia ſunt, in maniacis vivida ad audaciam & iracundiam vergentia.

In phrenitide, paraphreneſi & cephalitide pyrexia acuta inflammatoria eſt, unde differunt hi morbi à veſanis quibuſcum ratione delirii conveniunt; in his morbis eſt infarctus vaſorum corticalium & medullarium cerebri aut cerebelli, atque impetus ſanguinis in ea vaſa & inde orta nevrolymphatica excitat medullarium fibrarum pulſationes, diſtenſiones inſolitas objectis externis non reſpondentes, inde ideæ inconcinnæ, hallucinatio, moroſitas & delirium, quod ſedato ſanguinis impetu, reſoluto vaſorum infarctu, utplurimùm cum ipſâ pyrexiâ intra aliquot dies evaneſcit.

In paraphroſyne etiam fugax eſt utplurimùm delirium, febris cujuſdam ſæpè comes, aut veneni effectus. Verùm in maniâ, melancholiâ & amentiâ, conſtans, diuturnuſque eſt error mentis, nec à fugaci fluidorum vitio, ſæpiùs verò à ſolidorum ipſorum labe dependens, unde medelæ difficultas ſumma: morotrophia his ægris non ſanandis, ſed tantùm ferè cuſtodiendis & nutriendis dicata, hanc difficultatem ſatis teſtantur.

Ratiociniis, monitiſque Philoſophicis hos veſanos aggredi foret operam oleumque perdere, aut ſurdo canere, quos ad medicamina, vel alimenta neceſſaria ſumenda minis & verberibus cogere non raro opus eſt. Hi ſoli ſunt ægri apud quos morbus non eſt moleſtia, ſeu qui ſuam ægritudinem non ægrè ferunt, nec de eâ conqueruntur: non mirum itaque ſi ad ejus ſanationem concurrere recuſent, forteque Medicis fauſtum eventum ſortitis reſponderet maniacus, ut reſpondit ille, de quo *Horatius*: *Pol me occidiſtis amici.* Interea adeò triſtis eſt ac turpis ille morbus, ut, ſi non ægrum, ſaltem parentes, amicos & cives omnes ſibi obſtringat Medicus, qui inſanum ad rationis viam reducit.

XVII. Paraphrosyne; *Delirium* Latinis; *Temulentia* Platero; *Mentis alienatio;* Gallis *Délire*, *tranſport au cerveau*, *aliénation d'eſprit.*

Eſt fugax & ſæpe febrile delirium, unde à maniâ, melancholiâ, aliiſque morbis conſtantibus diverſum, nec non à phrenitide, paraphreneſi, ſynocho & typho, quorum ſæpe comes eſt, ut pars à toto diſcrepat.

Oritur

Oritur utplurimùm ex tali vitio cerebri quod valet certas æſtheterii (*a*) fibras diſtrahere, ſuccutere, unde determinatæ in mente exſurgunt ideæ objectis externis non reſpondentes, ex quibus tamen omnes appetitus & actiones determinantur.

Verè ſomnium eſt vigilantis; ſomno detenti minimè poſſumus phantaſmata quibus detinemur abigere, & errorem corrigere; aſt ſtatim atque evigilamus viſis & auditis objectis ambientibus, atque iis cum objecto ſomnii collatis errorem noſtrum agnoſcimus dùm ſani ſumus. Verùm in paraphroſyne nec omninò evigilamus, ſed tanta eſt impreſſio facta in emporio, ut eam inde exortam ideam minimè abjicere poſſimus, unde eâ ideâ vehementer percuſſi, conſequenter appetamus, averſemur, judicemus, & actiones omnes dirigamus; nemo eſt qui inter ſomniandum, terrore v. g. percuſſus, ſi expergefiat, paululum has ideas non rejicere poſſit; verùm ſi ſomno iterùm indulgeat, illa phantaſmata nobis invitis iterùm menti obverſantur; ita ut pluries hanc luctam inter ſomnium & libertatem intra horam experiatur. Si itaque febricitans talem in vaſis ſanguiferis infarctum patiatur, ut certam ideam altè infixam non poſſit amovere, quæque impreſſiones forinſecùs advenientes ſuperet, is fruſtrà objecta externa percipiet, ea prætervíſurus aut mox in inſomnium etiam interdiu relapſurus, atque ille paraphroſyne laborare ſeu delirare dicitur.

1. *Paraphroſyne temulenta*; *Delirium ex narcoticis*, *venenis dementantibus*. *Temulentia* Plateri. B.

Eſt illud delirium quod ex liquoribus fermentatis, ut vino, cereviſiâ, horum ſpiritibus immodicè hauſtis, formâ potûs, vaporis, balnei, clyſmatis, &c oritur. Horumce ſpirituum energiâ fluidum nerveum in cerebro mirè exagitatur, inde millenæ ideæ turmatim exortæ in animâ; verùm ex illis quædam ſunt cuique magis familiares; quæ proinde nos magis afficiunt & delectant, iis proinde fortiùs adhæremus & acquieſcimus, unde cujuſque mores & ingenium in temulentiâ declarantur; iracundus exardeſcit, amaſius ſuſpirat, nullus à circumſtantibus objectis quibus vix afficitur ad ſimulandum determinatur, unde vulgò dicitur: *In vino veritas*.

2. *Paraphroſyne à venenis*. D.

Datura Methel. Du Guid Edimburgenſis, *Diar. Medic. Novembr.* 1757.

Decoctum trium fructuum in lactis pintâ jejunè hauſtum à robuſto ſexagenario induxit ſequentia ſymptomata.

Illicò vertigo & vacillatio ut in ebrietate, ſenſuum omnium obſcuratio, nulla nauſea, lectum æger petit; lingua & os aridiſſima, balbuties;

(*a*) *Æſtheterium*, ſeu ſenſorium commune, eſt, ut multi exiſtimant, *corpus calloſum* cerebri, quod animæ ſedem eſſe dicunt.

ties; immobilis fuit, muſſitavit, delirare viſus eſt in geſtibus, genubus flexis, brachia tendens, & aliquid inquirens; oculi graves, triſtes; dein aphonus, tranquillus, ſine pulſu, artubus reſolutis, per ſex, ſeptem horas ſtupidus, dein furibundus ſe jactabat in lecto, infinita ſigna adſtantibus non intellecta edidit, tranquillus dein ac eodem veſpere omninò ſanus evaſit.

Datura ſtramonium, ſeu pericarpiis erectis, in Occitaniâ vulgaris, ſuppeditavit decem ab hinc annis latronibus venenum, quo nefarii per aliquot annos uſi ſunt; ſemen ſcilicet contuſum in vino infundebant, ſed quâ doſi neſcio; majori ſcilicet qui bibunt venenum, pereunt, & plures ſic interemptos vidi vel audivi; minori doſi paratum vinum ore aſſumptum intra pauca minuta hominem ſomno tradit, quo tempore à furibus ſpoliatur, dein intra paucas horas ſomno excuſſo, æger veſanus, demens, millenis minimè injucundis deliriis agitur, mutus utplurimùm & geſtibus appetitus ſuos demonſtrans, ſine nauſeâ nec cardialgiâ, deinde per multos dies oberrat phantaſmatis ſuis detentus, hilaris, ac demùm ad rationem redit, ſed debilis ad progreſſum & veneri impar; hæc in pluribus vidi, viderunt etiam Senatores Præſidialis Monſpelienſis, qui hos nefarios morte damnarunt. Carnifex Aquiſextienſis ſumpto olim hoc veneno per noctem in cæmeterio choream agebat, & ejuſdem urbis canidia morti fuit addicta quod puellas ſic dementatas ganeonibus tradidiſſet. Hoc criminis genus apud Orientales familiare eſt, docente *Acoſta*. Plura videſis apud *Garidel Hiſtoire des Plantes de Provence.*

Hyoſcyamus niger radice, flore, foliis, ſimiles effectus inducit. Mulier Monſpelienſis ejuſque maritus radices illas pro radicibus ſcolymi manducaverant; veſpere poſt quadrantem horæ guttur fuit conſtrictum, vox extincta, dyſuria acceſſit, amauroſis fugax, riſus ineptus, continua loci mutatio per dies duos, dein cephalalgia, debilitas, quæ cuncta emeticis, cathartici ſque ceſſere. Vidi ſimiles effectus foliorum in juſculo decoctorum in alterâ muliere.

Sumptis *hyoſciami nigri foliis decoctis* ſuperveniunt vertigo, ſtuporque velut à temulentia, poſt tres horas delirium febrili ſimile, pulſus irregularis, color faciei ſæpe mutatur, oculi torvi, pedum gravitas. Liberantur ægri aſſumpto ypecacuanha cum aqua calida & oleo, ſi evomant, ſecus verò ſi ſudore diffluant & copioſe mingant; quidam per menſem adhuc laborant aſtheniâ, gaſtrodyniâ gravativâ, torminibus ventris, cephalalgia, vertigine. *Tranſ. Philoſ. 1752 à D. Stedman.*

Coriaria Niſſolii, *Act. Acad.* vulgò *redoul*, cujus baccæ epilepſiam creant, foliis etiam nocet hominibus, & hoc ſingulare obſervavi in muliere Monſpelienſi, quæ decoctum foliorum ejus in juſculo aſſumpſerat, quod ſcilicet ſe in medio aëre conſiſtere fermè putaret, nec lecto inſiſtere; viſus erat obnubilatus: hæc per biduum.

Solanum hortenſe baccas diverſicolores producit, quarum ſeptem vel octo in offâ comeſtæ, quod ruſtici montium vicinorum ludibrii cauſâ quandoque faciunt,

faciunt, ſimilem paraphroſynem aut temulentiam inducunt. De effectibus atropæ Belladonæ, vide *Carum.*

3. *Paraphroſyne ab opio.* Collect. Acad. tom. 3. pag. 676. à Chriſt. Schelhammero. B.

Tribus granis & ſemiſſe, totidemque croci, deglutitis à viro circa noctem mediam, vir 1° per horæ quadrantem ſomno tumultuoſo, inſomniiſque turbato, irrequieto indulſit; 2° evigilavit ore ſicco, & cum loquelæ, articulationiſve impedimento; 3° poſt horam caput ſtupefactum & vertiginoſum; 4° tunc ſibi videbatur ipſe in aëre ſuſpenſus, & omnia circumrotari; 5° progredi coactus titubabat, ægrè procedebat, ſtupor ſenſim decreſcebat, aſt artuum torpor identidem ſubitò augebatur; 6° penes ſe non erat omnino, & ſuæ exiſtentiæ vix conſcius erat, quæſitis tamen ſatis aptè reſpondebat; 7° poſt ſemi-horam ſenſibus orbatus fuit, excepto viſu & auditu, ſic acetum nullâ acrimoniâ præditum, ſpiritus volatilis ſalis ammoniaci inodorus, tactus ferè nullus, ipſi videbantur; 8° manuum tamen ſuarum genis applicatarum frigus ſentiebat; frigebat autem poſt ſemi-horam toto corpore maximè extremis artubus, inde ſtupor muſculorum, & progreſſus impeditus, unde ad hypocauſtum excalefactus fuit, & ambulare coactus ne moreretur, ſic progrediens obdormiſcebat ſomno obrutus; 9° horâ tertiâ matutinâ ratio priùs obnubilata emicuit, pulſus priùs vix ſenſibilis ſurrexit: tunc ſomnus ipſi conceſſus fuit, ſed huic indulgens æger turbabatur, ſui impos erat ſtatim ab oculis clauſis; judicio liberiori facto, ipſe ſomnum à ſe arcebat, à quo timebat; 10° horâ quartâ matutinâ, ſumpto potu ſpirituoſo vires recuperavit, & in omnibus artubus formicationem brevi ſenſit, repetitis frictionibus ſtupor ſuperficiei corporis evanuit, ſenſuſque in eâ reſtitutus; 11° finita hac ægritudine æger faſſus eſt ſuas toto hoc tempore ideas tantùm vagas, & cognitionem ſtatûs ſui non niſi confuſas fuiſſe, licet præteritorum clara remaneret memoria; 12° addebat quòd oblato ſibi lectoque libro lecta non intellexerat, oculoſque ſuos quater majores ſibi apparuiſſe, ita ut metueret ne aſpicientibus horrendus videretur; hujus autem narcotici operatio poſt ſex horas omninò evanuit, & valetudo tunc integra reſtituta fuit.

Ex hac egregiâ obſervatione multa ad pſychologiam perficiendam deduci poſſunt corollaria. Facultas attendendi ad objectum ſeu ideas divagantes recolligendi ab opio turbatur, impeditur, quidam præ aliis ſenſus obſcurantur, memoriâ tamen vigente; tactus videtur eſſe duplex, uno obſcurato quo corpora diſtinguuntur, alter quo percipitur frigus, clarè ſentit: imaginatio qua æger in aëre ſuſpenſus ſibi videtur, ſumptis aliis venenis, ut hyoſciami imo coriariæ foliis orta, ſingularis eſt.

Ab atropâ Belladonâ. Vide *Obſ.* D. *Dumoulin*, *Medici Cluniacenſis*, *Journ. de Medec. Août* 1759. *pag.* 119.

Nota. Paraphroſynes diverſi tantùm gradus ſunt *delirium*, *furor* & *rabies.*

Delirium eſt primus gradus in quo ægri pacatè & tranquillè verba effutiunt,

tiunt, aut ineptias agunt. *Furor* eſt paraphroſyne cum audaciâ, vultu truculento, voce altâ, geſtu expedito, ſæpè minaci. *Rabies* eſt paraphroſyne cum inſanâ ſibi aliiſve nocendi, imò vim inferendi, cupiditate, eſt itaque ultimus gradus delirii.

In eâdem morbi ſpecie datur nunc delirium, nunc furor, nunc audacia; ſic in hydrophobiâ caninâ, vidi puellam, quæ pacatiſſima erat ad mortem uſque, tantummodò aquam horrens, ejuſque averſationem ſuperare omnimodò tentans: vidi puerulum à fele demorſum omninò hydrophobum qui morum ſuavitatem ad mortem uſque ſervavit, adeoque immeritò *hydrophobiæ* à multis ſynonyma dicitur *rabies*: cùm dentur & rabioſi non hydrophobi, & hydrophobi minimè rabioſi.

In phrenitide tum legitimâ, tum febrili idem æger nunc pacatè delirat, nunc in paroxyſmo furit, nunc verò ſi irritetur rabidus evadit; malè itaque *phrenitis* per *furorem* vertitur, utcumque furor in phrenitide, ut in maniâ, frequenter accidat.

Rabies itaque non eſt genus morbi, ſed accidens, quod maniacis, hydrophobis, melancholicis, dæmonomaniacis, aliiſque ſupervenire poteſt.

4. *Paraphroſyne a conio* Linnæi; Conion Græc. Galen. A.

Cicuta major C. B., Cicuta Matthioli eſt *conium* Linnæi; vulgò confunditur cum cicuta aquatica Wepferi. A conio, ait *Galenus*, illa fit amentia, quæ à Græcis ipſis *conion* appellatur.

Folia illa aſinis tantummodò carum procreant, ita ut non tantùm ſtupidi, ſed prorſus mortui videantur, ac ruſtici illis ſæpè pellem detraxerint, qui in medio opere expergefacti ſunt, non ſine magno excoriantium terrore & ſpectantium riſu.

Aſt hominibus radices, teſtante ipſo *C. Bauhino*, manducatæ poſt tres vel quatuor horas rationis jacturam faciunt, ita ut ægri, quos viderat, huc & illùc per domum in tenebris vagarentur, amentiâ & furore ducti: unde adeò capite parietès impetiverant, ut manè occurrentibus vicinis, lividam, cruentam, ac horrendam oſtenderent faciem. Idem accidit Monacho, qui hujus folia petroſelini vice in juſculo incoxerat, ille per plures menſes modò amentiâ, modò furore agebatur; hos omnes ſanavit *C. Bauhinus*, *Comment. in Matthiol. de cicutâ, pag. 988.*

Venenum verò quo Socrates olim extinctus eſt, creditur eſſe ſuccus non conii, ſed cicutæ *Linnæi*, quam *ſium erucæ folio Tournefortius* nuncupat: Venenum multò periculoſius, cùm homines citò perimat; illud verò cum opio permixtum fuiſſe, monet *Theophraſtes*; unde mors placida: ſic Socratem ſumpto toxico oculos fixos, torporem & gravitatem expertum eſſe dicitur.

An conium illud extus genitalibus applicatum ad ſatyriaſim ſanandam valeat, ut plures de cicutâ allatæ teſtantur hiſtoriæ, ignoramus; certum eſt hujus extracti uſum internum hodiè vulgatiſſimum illis viribus non eſſe præditum.

5. *Para-*

5. *Paraphroſyne magica. Delirium magicum* Kempfer. Amœnit. faſciculo 3. pag. 651. A.

Apud Indos frequens eſt uſus electuarii magici ex ſemine daturæ, opio & polline cannabis præcipuè conflati, additis pro lubitu aromatis, quæ ferociam corrigant, & vitales ſpiritus roborent. De directione Pharmaci ad diverſa pro lubitu inducendum phantaſmata, multa referuntur admiranda, ſed partim incredibilia, partim fabuloſa, ut maritum excœcari, dùm adulter ejus torum conſcendit. Aſt plura vidit ipſe *Kempferus*, ut ſequentia. In Malabariâ pro compeſcendo Idolo cui annonæ caritatem aut tempeſtatem tribuunt, virgines multæ, pulchræ, comptæ è templo Brachmanum comitatu eductæ in publicum prodeunt; cùm verò ex Bibliis Gentilibus verborum formulam Sacerdos prælegit, puellæ tripudiare, ſubſultibus crebris, inconditis, & gradatim vehementioribus corpus fatigare, torquere artus & oculos, ſpumare & horrendas actiones edere; opinante populo illas irâ agitari ab inductis dæmonibus, ſeu geniis quibus obſidendæ offeruntur; hæc dùm aguntur, cymbala, tympanaque lætum reſonant, populo voce & ſuſpiriis applaudente; laſſatas Brachmanes reducunt in templum, cubare jubent, & propinato pharmaco quod prioris vim retundat elapſâ horulâ menti reſtitutas oſtendunt populo, ut turba Gentilis liberatas à geniis videat, & idolum (*Wiſtnu*) credat conciliatum.

Ipſe *Kempferus* in convivio amicorum bolum electuarii à Benjanis oblati, accepit & alii accepere, hoc hauſto omnes repleti ſunt & perfuſi incredibili gaudio, riſu, cachinnis, amplexibus ſolùm explicando, nocte accedente equos conſcendunt, & tunc ſibi viſi ſunt cum pegaſo volatu per nubes ferri, iridibus circumdari; apud ſe perventi, lupino appetitu oblata voravere, poſtridiè ſaniſſimi mente & corpore fuere.

Bethel dicitur medicamentum quoddam maſticatorium in univerſâ Indiâ uſitatiſſimum, quod à plebe & magnatibus continuò maſticatur; componitur verò ex foliis piperis Bethel *Linnæi*, fructu ſeu nuce *Cycadis* areca dictæ, & calce oſtrearum calcinatarum; hæc in trochiſci formam folio Bethel involvuntur; hoc ſalivam prolicit, labia rubore ſanguineo tingit, gratum halitum ori conciliat, gingivas roborat, & areca licet exiguâ doſi addita, cerebrum leviter inebriando ſpiritus demulcet & exhilarat. *Kempferus* verò Bethelem nunquam potuit mandere, quin anxietates, ſudorem frigidum & vertigines, æque ac à tabaci fumo, experiretur.

Indi etiam tincturâ opii tabacum inficiunt, ut fumus ipſis uſitatiſſimus caput vehementiùs turbet.

6. *Paraphroſyne febrilis* Patholog. Meth.; *Delirium febrile* Boerhaave aphor. A.

In febribus acutis, potiſſimùm ſynocho, typho, tritæophyâ, aliiſque, cùm vis cordis ſit adaucta, ſanguiſque rectâ ferè viâ à cordis ventriculo ſiniſtro impulſus ad carotides immittatur, inde ad cerebri vaſa cum impetu ruat, ea vaſa fortiùs impetit quàm vaſa ejuſdem à corde diſtantiæ ſed fre-

quentioribus & acutioribus angulis inflexa, ut docent leges Hydrodynamicæ à *Michelotto* traditæ, à nobis verò per experimenta firmatæ (*Diſſert. de Medicam. ſpecific. actione*) inde vaſorum cerebri infarctus, ſeu major affrictus ſanguinis intra illa vaſa fluentis, inde fibrarum cerebri affrictus, & ideæ objectis externis minimè correſpondentes, nec à voluntate corrigendæ; inde delirium, inde ſtupor mentis ad neceſſitates ſolitas appetendas, inde anorexia, adipſia, aſthenia, languor circulationis, ſecretionum omnium, inde typhi ſymptomata. Aperto cadavere inveni pluries vaſa piæ meningis cruore turgida; ante delirium adeſt pulſatio temporum, ſeu impetus vehemens carotidis intra oſſa cranii decurrentis, in formam *S* incurvatæ, ibique fortiùs impetentis; præcedunt pervigilium, ideæ vividæ, promptæ, pathemata varia, vox inſolita, audax, oculi truces, ſimiliaque. Pulſus dein oborto delirio paululum tardior quàm antea, reſpiratio rara, magna, ſuſpirioſa, quia anima non percipit neceſſitatem frequenter reſpirandi, pulſus accelerandi &c: ex delirio ſequitur quandoque, aucto infarctu, carus, convulſio, pejoraque ſymptomata.

Sæpiùs delirium paroxyſmos remittentium aut acceſſus intermittentium comitatur, his ceſſantibus ceſſat, ſecùs in vigore continuarum obſervatur, & quandoque per longum tempus perſeverat. Vide *Phrenitidem calenturam*.

Ut huic occurratur, ſi febris ſit vehemens, phlebotomiæ ex brachio, pede, collo inſtituendæ, in hæmorrhoidariis hirudines mariſcis admoventur, catamenia ſuppreſſa pediluviis, ſi fieri poteſt, revocantur, alvus clyſmatis laxa ſervatur, juſcula tenuiora conceduntur eo fine ut impetus ſanguinis in caput factus, retundatur. Aſt initio typhi caſtrenſis & carcerum pulſus parvus eſt & à phlebotomiâ magis deprimitur ac delirium accedit cum majori aſthenia.

7. *Paraphroſyne à pathemate* Plater. B.

Carolus VI. Galliæ. Rex inſolationem paſſus, & à quodam ignoto de periculo traditionis monitus, in delirium furioſum adactus fuit, ſpectra gladiis armata ſibi fingens, omnes adſtantes impetivit, percuſſit, per triduum mentis impos fuit.

Novi plures homines qui laudano tùm liquido tùm ſolido aſſueti cùm deluſi à me & ſumptâ pilulâ ſucci liquiritiæ laudano tinctæ in locum opii, ut ab eo deſueſcerent, in delirium incidebant cum pulſu parvo & virium languore. Novi Chirurgum qui aſſuetus aliquot drachmas opii deglutire, eò paupertatis redactus ut opium emere non poſſet, delirabat cum furore, & aſſumpto opio reſipiebat.

Qui vino, aquæ vitæ, ſimilibuſque aſſueti ſunt, ſi ab eis interdicantur ob febrem obortam, aut vulnus acceptum, pejus habent, delirant cum pulſu parvo, frequenti, ſiti, cephalalgiâ; quæ omnia evaneſcunt, ſi vinum, aqua vitæ ſimiliaque cupita concedantur: horum exempla lege, *Eſſais d'Edinbourg Tom. VI, artic. 46, par Alexandre Monro*, quibus conſtat libram aquæ vitæ per ſingulos dies epotatam fuiſſe non ſolùm impunè, ſed cum ſucceſſu

ſucceſſu à vulneratis, qui hoc potu deſtituti furebant & pejus habebant, hoc aſſumpto à febre, delirio, aliiſque ſymptomatis immunes evadebant; erant autem illi ægri potatores vini ſtrenuiſſimi.

8. *Paraphroſyne puerperarum* Moriſot Deſlandes apud D. Puzos, Traité des Accouchemens, Préface pag. 44. A.

Delirium apud puerperas vel eſt hyſtericum vel apoplexiæ prodromus. Hyſtericum incipit à cephalalgiâ, ſed aliis hyſteriæ ſignis, præcipuè habituali mentis ad hyſteriam diſpoſitione, ut levitate, ſenſibilitate, vividitate, meticuloſitate, diſtinguitur; illud potu antihyſterico cardiaco tolli quotidiè videmus.

Verùm delirium obſcurum, per intervalla recurrens, licet lochia fluant, ſi ſuperveniat ſubitus capitis dolor quaſi à mallei ictu, ſi aurium tinnitus, convulſio faciei accedant, ſæpiùs in carum vel apoplexiam lethalem terminatur, maximè ſi officioſi adſtantes, abſtinentiam & cerebri vacuitatem incuſantes, cibum copioſiorem gravidæ obtulerint.

9. *Paraphroſyne calentura* Philoſoph. Tranſact. Stubbes n. 36. Art. 2; Collect. Academ. Tom. I, p. 140. A.

Differt à phrenitide calentura ex eo quòd ſit ſine pyrexia ulla, pendeat à ſaburra & vomitione ſanetur; fugax eſt delirium, juxta tropicum navigantibus familiare, ſubitaneum, lætum; in medio mari folia, arbores aut ſimilia ſibi videre videntur, interea ni caveant adſtantes in mare ſe projiciunt, nullus calor immodicus, lingua nitida eſt. Curatio; præmiſſo emetico, quo ſolo ſæpe delirium evaneſcit, præſcribitur diæta mediocris, & ſequenti die una aut altera phlebotomia.

10. *Paraphroſyne febricoſa*, Vandermonde Journ. de Med. Mars 1757. p. 195. A.

Alternis diebus adoleſcenti ſuperveniebat delirium quod catharticis, phlebotomiis, veſicatoriis, ſanguiſugis per duos menſes reſiſtebat, æger apyretos fermè, ſumma aſthenia proſtratus erat, venere exhauſtus; uſu verò kinkinæ feliciter profligatus fuit morbus.

11. *Paraphroſyne critica*, Preyſinger cap. 2. de diagnoſi. A.

Ea eſt quæ imminentem in acutis criſim denotat, coctione prægreſſa cognoſcitur, reliquiſque ſignis criticis præſentibus die critico, brevique ſubſequente evacuatione aut metaſtaſi critica ſedatur.

12. *Paraphroſyne hyſterica*, Ill. Lorry de Melancholia T. I. p. 78.

Eſt delirium, ſeu inſomnium vigilantis, per vices recurrens, ita ſimile ſomnambuliſmo cataleptico mulieris Ripeſaltenſis, ut in hiſtoria ab *Ill. Lorry* tradita, nil præter flexibilitatem artuum cercam deficiat, ut idem morbus ſit. Mulier ſcilicet parùm menſtruata, nondum Lucinæ labores experta, animo linquebatur, ſine ulla convulſione feroci, ſed obſcura primùm loquela dein claris diſtinctiſque vocibus aliquem è præſentibus alloquebatur, eum videbat, ejus vel minimos geſtus obſervabat, cum eo de quavis re poterat loqui, ſed uni ideæ intenta ad eam omnia revocabat; nullum alium adſtantem videbat aut vociferantem audiebat,

quodi

quod vix credibile pluries vidi, non ſine ſtupore ſummo; hujus verò facti teſtes multi ſuperſunt; inexpectatâ morte mater ei abripitur, tum primùm cepit cum mortua imo ſepulta matre quaſi præſenti colloqui, ei tanquam interroganti reſpondere, hanc ſuppliciter exorare ut de ſanitate ſua curam ſuſcipiat, hunc vel illum medicum, utpote præſtantiorem accerſat; de futuro matrimonio, quæ tamen dudum nupta erat, ſaniſſimè & puellæ ad morem modeſtè loquebatur; objiciens plura, refellens alia, & quaſi in ſinum matris ſecreta multa effundens: uno verbo rectè omnino, imò & ingenioſè, de omnibus loquebatur, niſi quod circa tempus & præſentiam matris erraret. Illa mulier cæteroquin ſana erat, niſi quod ad minimum horreret ſtrepitum, ad viſa & audita expaveſceret amens. Illa demum in phthiſim lapſa eſt, aſt ubi primùm febricula oborta eſt, evanuit omnis tumultus nerveus. Hæc *Ill. Lorry.*

Mulier Rupiſaltenſis ſimiliter in acceſſu ſomnambuliſmi, omni ſenſu deſtituta, ita ut puncta, vellicata nihil ſentiret, alloquebatur nunc ſuum maritum, ut ut abſentem, nunc alium quem adeſſe imaginabatur, geſtu, tono vocis, oculis apertis, ut in ſtatu ſano pacato, loquelam comitantibus, ut bis obſervavi per ſemihoram; imò, ut narravit ejus conjux Medicus, cùm quidam Chirurgus eo tempore cubiculum ingrederetur, ea, quæ maritum præſentem nec videbat, nec audiebat, percepit Chirurgum quem hoſtem ſuum reputabat, & illo viſo maxima ira commota eſt; & quod ipſe non ſemel obſervavi, durantibus hiſce acceſſibus, modò pauliſper quieſceret, velut motitabunda, ſi flecterem ejus digitum, manum, brachium, vel extenderem, illæ partes ſtatum impoſitum retinebant, uſquequo geſticulandi neceſſitas eos artus à ſtatu cataleptico dimoveret: finito acceſſu nihil eorum quæ ante acta fuerant reminiſcebatur.

Huic affinis erat morbus puellæ decem annos natæ, pallidulæ, malique habitûs, quæ, referente *Ill. Lorry*, in quotidianas convulſiones inciderat, in quibus per plures horas ſuper lectum proſtrata, ſenſibus amiſſis, celerrimè, ſine ulla intermiſſione loquebatur, ingenium ætate majus oſtendens in dictis; ſedula mater miſellæ frontem comprimens eam ſublevabat, quâ preſſione ceſſante illicò convulſiones repetebant; feriantibus autem cæteris ſenſibus tanta erat tactûs ſubtilitas, ut ſi altera mulier huic preſſioni frontis ſolerter miniſtraret, ægra irata adverſùs matrem ſuam debaccharetur, uſquequò priſtinam ſtationem mater reciperet. Sunt certè in his morbis, ut in catalepſi ſomnambulæ phænomena, quæ non facilè crederet qui horum teſtis non fuit; nos autem quod vidimus teſtamur, ut pſychologia quondam perfectior evadat.

XVIII. AMENTIA; Græcis *Paranoia*; Latinis etiam *dementia*, *fatuitas*, *vecordia*; Gallis *Imbécillité*, *bêtiſe*, *niaiſerie*, *démence*. Ægri *amentes*, *dementes*, *imbecilles animo*, *fatui*.

Eſt ineptitudo ad rectè ratiocinandum, & judicandum: differt à mo-

ros

roſi ſeu ſtupiditate mentis, quia amentes objectorum impreſſiones ſentiunt apprimè, non verò ſtupidi; aſt amentes eas non attendunt, non curant, ſed quaſi omnino indifferentes prætermittunt, harum conſequentias flocci faciunt, harum minimè ſatagunt; infantes minimè dementes ſunt, etiamſi graves & ſerias res prætermittant, quippe frivolas & pueriles magni faciunt & crepundias ſuas attentè ac ſollicitè curant; amentes verò omnia perinde negligunt, rident, cantillant, in iiſdem circumſtantiis in quibus ſani de fame, ſiti, frigore gemebundi conquererentur; minimè iracundi, audaces ut maniaci, nec triſtes conſtanter & meditabundi, ut melancholici.

1. *Amentia ſenilis*, *delirium ſenile*; *Etat d'enfance*; *Radoterie*: Græcis *Parageraо*, deliro; *lerema* & *paralemera*, à *lereo*, nugor, ineptio, unde fortè *delirii* etymon. L.

An propter rigiditatem fibrarum ſenibus familiarem, illi minus ſenſibiles ſunt objectorum impreſſionibus, inde res etiam momentoſas pro nihilo & nugis habent, nihili ſatagunt?

2. *Amentia ſeroſa* Fabricii Hildani Centur. 4, obſerv. 10 de Hydrocephalo; Wepfer. exercit. de apoplexia hiſt. 4. C.

Licet hydrocephalus internus & laxitas cerebri moroſim & ſoporoſos affectus ſæpiùs excitent, non minùs ſæpe obſervatæ ſunt copioſæ aquæ in cerebro amentiam cientes, & ex *Kerkringio* lanium expertum citante, oves fatuæ, quæ nec edendi nec bibendi ſentiunt ſtimulum, poſt mortem apertæ, nil cerebri habere, ſed hujus loco tantùm aquam continere compertæ ſunt, & hæc eſt *fatuitas ovina Kerkringii obſ. anatom.* 46.

3. *Amentia à venenis* Raii hiſtor. Plantar. de ſtramonio pag. 707; J. Bauhini hiſtor. Plantar. de Hyoſcyamo; *Croco* Barrere obſerv. anatom. 3, p. 54, edit. 2, 1753; *à transfuſione ſanguinis*, Dionis. L.

Poſt varia ſymptomata ab aſſumptis radicibus ſeminibuſve harumce plantarum ut ab uſu opii non raro ægri amentes evadunt, ut retulimus dum de paraphroſyne; illa verò venena ſanguinem diſſolvere conſtat (ex obſervatis *ill. Hambergeri Diſſ. de Narcoticis*) qui ſanguis potiſſimum cerebri vaſa ingurgitat.

4. *Amentia à tumore* Plateri obſerv. lib. pag. 13.

Bonecurtius olim ſtrenuus miles ictum capitis paſſus poſt tres annos mente imbecillus evaſit, adeò ut nihil ſecundum rationem ageret, cibum nec peteret, nec per vim intruſum caperet, lectum non niſi coactus adiret, nec niſi interrogatus verba quædam, quæ ad rem minimè pertinebant, proferret: ſtillabat è naribus pituita aquea copioſa; ad menſam obdormiſcens ſedebat. Apertâ calvariâ inſignis tumor globoſus ſcirrhoſo-fungoſus, porri magnitudine, ſupra calloſum cerebri corpus inventus eſt, aqua etiam in ventriculis cerebri inventa.

5. *Amentia ab hydatidibus* Panaroli Pent. 1, obſ. 17. L.

Utrum à veſicis lymphâ turgidis, utrum à ſero ex illis effuſo pendeat

 mor-

morbus, dignoſcere difficillimum & inutile, cùm nec inde diverſa curandi methodus innoteſcat.

6. *Amentia microcephala* Willis pharmac. rationalis. L.

A ſolito minori cerebri capitiſque mole parvitatem ingenii, judiciique imminutionem deducunt quidam Philoſophi, verùm conſequentia non videtur legitima, licet verum ſit quod apud hominem moles cerebri majorem relationem obtineat ad molem corporis quàm in ullo alio animali, ut oſtendit in *Act. Societ. Reg. Monſpelienſis Doctor Arlet.* In microcephalis organa omnia imaginationis non eſſe evoluta veroſimile eſt. Exemplum ejuſce amentiæ præbet puellula Noſocomii generalis, quæ *ſimia* vocatur ob capitis parvitatem & cum ſimiâ quamdam ſimilitudinem.

7. *Amentia ex ſiccitate* Boneti Sepulchret. Tom. 1, p. 260. L.

Civis Leodienſis poſt paraphroſynem furibundam fatuus & veluti repueraſcens evaſit: illi poſt obitum ſicciſſimum cerebrum atque in ſummâ parte digitis friabile, flavedine citreâ undique tinctum, inventum eſt.

Nota. Tres puellæ quæ hieme ſæviente iter in rhedâ faciebant, domum reverſæ per quatuordecim dies fatuæ evaſerunt; *Bartholinus* pelle vervecina calente ſingulis caput obvolvi curavit, eaſque reſtituit.

Quidquid itaque fibrarum medullarium cerebri flexilitatem tollit, ut ſiccando, coagulando, refrigerando, illud ſenſibilitatem exquiſitam adimere videtur, ſimulque rationem; verùm quæ nativam flexilitatem minuunt, ſeu ultra modum relaxant, ſenſibilitatis etiam nativæ multum detrahunt, unde mentis functiones tollunt.

8. *Amentia moroſis*; Græcis *Anoia*; Latinis *ingenii ſtupor*, *tarditas*, *ſtupiditas* Williſii cap. 13; *Stupidité*, *bêtiſe*. Ægri *blenni*, *bardi*, *ſtolidi*. L.

Eſt facultatis imaginandi, proindeque judicandi debilitas, tarditas, abolitio, ſine delirio, quæ an differat ab amentiâ ſeroſâ dubium eſt. *Vide Amneſiam.*

Magnum autem eſt diſcrimen inter amentes, & ſtupidos: amentes ſatis promptè imaginantur & memoriâ non carent, ſed malè judicant & ineptiendo, pleraque ſiniſtrè aut ridiculè agendo riſum adſtantibus movent: aſt ſtupidi imaginatione & memoriâ carent, nec bene nec celeriter capiunt dicta; non nugando ac geſticulando, ſed bardè & inſulsè ſe gerunt, ſunt hebetes, obtuſi.

9. *Amentia ab ictu.* L.

Vide apud *Borellum Centur.* 2, *obſ.* 73.

10. *Amentia rachialgica*, Cl. Bonté Journ. de Med. Nov. 1761, p. 317. L.

Ea ſuccedit Rachialgiæ, potiſſimùm melancholicæ.

11. *Amentia à quartanâ.* L. Vide Sydenham. Sect. I Cap. 1.

Eſt ea quæ febribus intermittentibus, curatis per phlebotomias & catharſes repetitas ſupervenit. Hanc ſpeciem paſſus eſt Monſpelii meritiſſimus Anatomicus ſexagenarius, qui per tres menſes rationis uſum recuperaverat

uſu.

uſu extracti de hyoſcyamo albo, cujus drachmam demum quotidie vorabat, ab hoc verò coactus abſtinuit, cùm in urbe hoc medicamentum deficeret: initio profuerat etiam uſus Diaſcordii juxta *Sydenham* mentem præſcriptus: hic morbus erat ſine furore & audacia, potiùs cum lætitia, unde ad maniam non attinet, contrarium innuente *Sydenham*.

12. *Amentia calculoſa*, Kerckringii Spicil. Obſ. 36.

Is in ſemiſtulti ſeu amentis cerebro loco glandulæ pinealis quæ deerat invenit calculum piſiformem ſero ventriculi innatantem. An à ſero, an à calculo amentia penderet? Calculos in cerebro repertos narrant *Ephemerid. N. C. Dec. I, Ann. I, Obſ. 26, Dec. II, Ann. I, Obſ. 33 & 131.*

XIX. MELANCHOLIA, ſic dicta à *melaina* nigra, & *chole* bilis; Hippocrati Aphor. 21 & 56 lib. VI *Mania* dicitur; Gallicè *Manie*, *Folie*, *Tic*, non *Mélancholie*, quæ mœrorem tantùm involvit, non delirium. Ægri vocantur *Melancholici.*

Character. Melancholici dicuntur qui uni potiſſimùm cogitationi conſtanter affixi circa ſemetipſos aut ſtatum ſuum delirant, de cæteris objectis ritè ratiocinantes.

Qui vertigine, tinnitu, ſuffuſione laborant non uni ideæ conſtanter inhærent, & eorum error non à cerebro, ſed à cujuſdam ſenſûs organo dependet, unde à melancholicis differunt.

Qui noſtalgiâ, hydrophobiâ afficiuntur, quâdam cupiditate, vel averſatione continuò exagitantur, cùm melancholicis objecti cujuſdam amor, vel averſatio non ſint eſſentiales.

Qui addunt melancholiam eſſe cum mœrore & triſtitiâ, illi omnes ſpecies ſuâ definitione non includunt, cùm ſint veri melancholici moroſi dicti qui felices ſe reputant: Maniaci verò de plurimis aut omnibus objectis promiſcuè delirant, & apud eos non ſola imaginatio, ſed ipſa ratio vitiatur.

A phrenitide, cephalitide, paraphroſyne differt melancholia, quod eſt chronica, & apyreta; illi verò morbi acuti ac ſæpe febriles; ab hypochondriaſi & hyſteriâ quod ab interni cerebri vitio, non partium cæterarum culpa deducendum ſit delirium.

Non perverſè ratiocinantur melancholici, ſed à principio falſo cui conſtanter inhærent conſequentias ſuas rectè ſæpiùs deducunt. Inclytum melancholiæ exemplum præbet fabula romanenſis Don Quichotte à Michaele Cervantes ingenioſè ſcripta. Origo itaque hujus morbi eſt fortior & conſtantior attentio ad unam ideam, neglectis inde aut prætervifis cæteris circumſtantiis, unde non reſpondent actiones liberæ hiſce circumſtantiis, ut in mente ſanâ fieri debet, ſed huic objecto cujus idea totam mentem detinet.

Galenici humorem atrabilarium, nigrum, fuliginoſum; *Williſius* fluidum nerveum vitriolicum vel acetoſum; Mechanici fibram nerveam cerebri magis tenſam incuſant, ſed hæc omnia ſunt gratuita.

1. *Melancholia vulgaris* Michael Engelman diſſert. de melancholiâ 1754. L.

Novi Medicum qui ſanatus à ſynocho in eo delirabat quod ſe veneno affectum eſſe à pharmacopola crederet. Parochum, qui divitiis affluens ſe paupertate preſſum exiſtimabat; lecto affixus ut veſtibus parceret, omnia ſua munia intermittens, de cætero rectè ratiocinans. Novi mulierem quæ à domo ſua vel minimùm recedere non poterat ſine metu inexplicabili. Fuere qui ſibi caput vitreum; alii ex glacie confectum putabant, & conſequenter ad hanc opinionem ſe gerebant. Ludimagiſtri non pauci à puerorum educandorum curâ dementantur; viri ingenioſi, Poetæ celebres, ut *il Taſſo*, artifices præclari inter Pictores, Muſicos, &c, huic morbo fuere obnoxii. A zelotypia plures inſaniunt, unde ſpecies eſt apud *Williſium* melancholia zelotypa. Inter errores melancholicos accuſandus eſt qui olim vigebat epidemicè, *Punctum honoris* dictum, quo ad ſingularia certamina provocabatur honoris vindicandi gratiâ; quidam ſe teſtam putans timebat ne allideretur à vicinis: *Galenus.* Alter ſe gallum gallinaceum putans, cantum & alarum plauſum galli imitabatur; *idem.* Alter timebat ne Atlas gravatus ſibi mundi onus imponeret: *idem. Abenzoar* narrat quemdam ſe mortuum eſſe affirmantem.

Grimmius vidit alterum qui pedes ſuos ſtramineos eſſe credebat. *Trallianus* mulierem adducit, quæ digito orbem ſuſtinere imaginabatur.

Schad alteram, quæ nihil edere voluit, quia ſe pauperem putabat; Nemauſi vivit puella, quæ ſibi aſſidere continenter putat centurionem, quem odit, & qui ipſam rapturus eſt, qui centurio ante decem annos ipſi concubitum propoſuerat.

2. *Melancholia amatoria. Erotomania* Patholog. Method. *Amor inſanus* Sennerti. L.

Ea ſpecies à ſatyriaſi & nymphomaniâ in eo diſcrepat, quòd erotomaniaci non impudenter objecti amati amplexus cupiant, ſed è contra illud pro numine venerentur, omnibus ejus nutibus obſequioſi ac quaſi devoti, vitam in perfectionum illius admiratione ducant, ejus abſentiâ contriſtati, præſentia exhilarati, alimenta, ſomnum, negotia ſua parvi faciant; verbo, ſuam amaſiam eodem modo colant quo Dom. Quichotte ſuam Dulcineam. Hoc delirio Ariſtotelem ipſum affectum eſſe, & ad thura ſuæ conjugi offerenda inductum, ferunt. Hoc laboraſſe ferunt Poëtæ celebrem Orphæum, qui ut conjugem ſuam recuperaret, tartara ſubire non dubitavit; quò enim non deducit inſanus amor? Salomon ad idololatriam uſque amore deſipuit. Lucretius philtro & amore dementatus, ſibi violentas manus intulit. Taſſo, alter Italorum Virgilius, Principis mulieris amore captus, per quatuordecim annos deſipuit.

Diſſimulatus amor cognoſcitur ex coloris ſubitâ mutatione, & pulſûs acceleratione ad conſpectum aut nomen objecti amati, quo ſigno *Galenus* & *Eraſiſtratus* hunc morbum celatum dignovere.

Si melancholicus amor cœlebs ſit, optimum eſt remedium hunc cum amaſiâ connubio jungi; ſi verò matrimonio locus eſſe non poſſit, auxilia moralia

ralia omnium ſunt efficaciſſima, inter quæ 1° preces & jejunium cæteris omnibus præſtant, teſte Evangelio; dein 2° gravium virorum monita, circa hujuſce veſaniæ dedecus, funeſtas ſequelas, ſanitatis ſcilicet, fortunæ, temporis, honoris detrimentum. 3° Longum iter ſuſcipiendum, ut monet in hiſce peritus *Ovidius*; omnia quæ objecti amati memoriam refricant abjicienda. 4° Otium fugiendum: *qui vis ſanari, res age, tutus eris.* 5° Vitia objecti amati detegenda, exaggeranda:

Exige quòd cantet, ſi quæ eſt ſine voce puella,
Non didicit chordas tangere, poſce lyram:
Turgida ſi plena eſt, ſi fuſca eſt nigra vocetur,
Et poterit dici ruſtica, ſi qua proba eſt.
6°. *Hortor & ut pariter binas habeatis amicas,*
Alterius vires ſubtrahit alter amor.
Intrat amor mentes uſu, dediſcitur uſu.
Qui poterit ſanum fingere, ſanus erit.

7° Fugienda alimenta quæ ſemen adaugent, ut chocolata, piſtaciæ, pinei, victus lautus, piperata, &c: vinum verò ea doſi quâ curas abigit, prodeſſe poteſt.

Huic aliiſque animi morbis ſanandis ac prævertendis, adeoque felicitati etiam temporali aſſequendæ nil aptius eſſe ſummi numinis amore, argumentis geometricâ ſoliditate præditis, fuſè evincit *Ill. Cheynæus*, *Cap. VI de animi affectibus*, *n° 21*: ex hoc amore etenim, pergit ille, ad perfectionum Dei imitationem nos componeremus; & inde odium, malitia, luxus, libido, ignavia, aliaque mentis vitia, morborum corporis fœcundi fontes exareſcerent.

3. *Melancholia religioſa* Cheynæi, de ſanitate tuendâ, pag. 200; *Melancholia ſuperſtitioſa* Proſper. Alpin. de morbis Ægypt. Foreſti, libr. 10, obſerv. 24. Williſ. cap. 11, pag. 245. C.

Conſiſtit in alto mœrore & immodico judiciorum Dei metu, ſimulque defectu dulcis illius fiduciæ, quam ejus paternæ clementiæ debemus.

Illa utplurimùm melancholia accidit illis qui fractum infortuniis animum aut corporearum voluptatum tædio affectum, voluptatibus quas verè ſuis cultoribus ſpondet Religio, recreare cupiunt. Hominis verè pii eſt Deum præ cæteris omnibus diligere, infortunia tanquam merita pœnitentiæ inſtar accipere, & viriliter, ut bona, & ad noſtram perfectionem à Deo immiſſa, ſuſtinere, interea de optimi Patris nos tunc caſtigantis miſericordiâ minimè dubitare, eique in lætitiâ ſervire. Melancholici è contra veræ religionis ignari, quo ſe vertant neſcii, fluctuant incerti, indociles, ſuperſtitioſi & meticuloſi ſunt nonnunquam, & ad ultimam deſperationem rediguntur; alii ut inter Sanctos à plebe habeantur, ut narrat *Alpinus* de Ægyptiis, in locis aſperis vivunt, miſerias mundi prædicant, divitias, voluptateſque ſpernunt; cœlibes quidem honeſti, religioſi vivunt, ſed à verâ religione longè abſunt; horum corpora nigra, ſqualida, gracillima, mumiis arefactis ſimilia ſunt; ſuos ſic diabolus habet martyres.

Hanc melancholiam avertunt non qui imaginationem ſpectris, phantaſmatiſque terrefaciunt, ſed qui potiſſimum optimis veræ religionis documentis mentem imbuunt.

Vidi delirium in muliere piâ de ſuâ ſalute deſperante, quæ eò devenit, ut dimiſſis domeſticis ad trabem cubiculi ſui laqueo ſe ſuſpenderit. *Luſitanus* verò ſuum ægrum hoc artificio in rectam rationem revocavit. Angelus quidam aut ejus perſonam agens amicus detractis priùs tegulis, læva accenſam facem gerens, dexterâ gladium, melancholicum noctu evigilavit, eique omnium quotquot patraviſſet ſcelerum veniam à Deo datam denuntiavit, unde æger ſecuritati & ſanitati redditus eſt.

4. *Melancholia argantis. Melancholia ægrorum imaginariorum* Franciſci Chicoineau Archiatrorum Comitis, in Diſſertatione, an ægrotantes imaginarii ſolâ diverſitate idearum ſanandi ſint? anno 1713. *Maladie imaginaire.* L.

Ægri imaginarii, quos bellè deriſit Moliere, ſunt illi qui corpore bene valentes ſe ob momentaneos affectus in mortis periculo verſari conſtanter judicant, unde mœſti, queruli, omnes Medicos ſuis conſultationibus divexant, vel de ſorte ſuâ deſperantes ſolitudini ſe addicunt, ubi indeſinenter deflent; vel ad abigendum morbum, pravum quoddam & damnoſum vitæ genus eligunt, & gravioribus malis inde ſe exponunt. Differt ab hypochondriaſi hæc melancholia, quòd nullo morbo corporeo laborent melancholici illi, aſt multiplici laborant hypochondriaci, ut flatulentiâ, ructibus acidis, ſpaſmis, qui ſimul hanc melancholiam ſibi adjunctam habent, unde vulgò, ſed immeritò, confunduntur.

Imaginarii ægroti nunc ſe tales præbent quales ſunt, & cum vultu florido, viribus integris, indefeſſâ loquacitate, de vertiginoſâ & fugaci cephalalgiâ, de fictitiis in capite aut pectore ſymptomatis, tanquam promptam ſibi mortem allaturis, de debilitate ſummâ, fortiſſimè, eloquentiſſimè per totam diem conqueruntur, vel ſi ab eo quem conſulit ſe deridendum fore expertus metuat æger, ille ſe firmum intrepidumque mortis contemptorem ſimulat, atque brevi ſtylo, vociſque ſono familiari, ſymptomata ſua enumerat, ita ut veram eſſe ægritudinem facilè incautus exiſtimet, ſed ſi facilem aurem præbeat auditor, jam narrator perſonam fictam diù non ſuſtinet, & ad luctus, mœroremque ſuum revertitur.

Itaque hoc ſigno potiſſimùm imaginarius morbus cognoſcitur, quòd dùm melancholicus de graviſſimis capitis, cerebrique læſionibus conqueritur, ut de turbâ, vertigine, vaporibus, hæc diſtinctè, eloquenter, nitidè depingat; cùm ſummam debilitatem ſe experiri affirmat, illud pectoris, vociſque robur exhibet, illum vultum & colorem præfert, quæ cum ſtatu depicto minimè conſiſtere poſſent.

Sunt qui ut curas abigant, rationem exuere conantur, & idcircò ſe vino, veneri, ignaviæ, ludo, vel alicui vehementi affectui ſe dedunt. Sunt qui moroſi, contentioſi, deſperabundi, millies mutatis & Medicis & remediorum generibus, morbum ſuum obſtinatè ſilent, interrogati renuunt, mortiſque

mortiſque certæ, ut putant, & imminentis formidinem altâ mente recondunt, iique utplurimùm inſanabiles ſunt, & ad maniam vergunt.

Huic morbo divites, otioſi, lautè viventes, ingenioſi; rariſſimè verò pauperes, laborioſi, negotioſi, hebetes, obnoxii ſunt; pueri nunquam, raro ſenes, ſæpius ætatis conſiſtentis viri ac mulieres.

Prædiſponunt ortus à parentibus hypochondriacis, ſtudia immodica, educatio effeminata.

Excitant verò hunc morbum acres & attentæ meditationes circa ſuam valetudinem, philautia nimia, pulſûs ſui frequens exploratio, levis Anatomiæ & Medicinæ cognitio, medicaminum ab incauto Medico ſuaſorum uſus, quæ omnia ideam morbi imaginarii excitant, revocant, fovent.

Curatio hujus morbi frequentiſſimi & pertinaciſſimi ingenioſum & prudentem exigit Medicum, qui eò tantùm collimet, ut animi attentionem à morbo dimoveat, alioque diſtrahat; verùm difficillimum eſt perſuadere illis ægrotantibus morbum ab imaginatione læſâ, à præjudicatâ opinione pendere: ſæpe Medicus, ut eò deveniat, ægri erroribus aſſentiri ſe fingat, ut fortiùs eos errores impugnet; imò ægrum aſtutè debet adducere ad ea, quæ ideas novas à morbo longè remotas excitant, adeoque ab omni medicaminum genere eum dimovere: ſuadeantur itaque feſtiva ſpectacula, amicorum colloquia, ludicræ concertationes, exercitia corporis jucunda, ut ambulatio, cantus, concentus Muſici, venatio, ſed potiſſimùm peregrinatio facta equitando, vel vectura ex navi, rhedâ, concurrente ſimul ſobrietate: & denique ſi ea omnia inutilia fuerint, utile erit ægro, ſi, gravi quodam ſuperveniente negotio, vitæ, honoris, fortunæ diſcrimine, priorem ideam dimittere cogatur.

5. *Melancholia moria* Nenteri, Tabul. 171; Horat. Epiſt. 2, lib. 2, *Moria* Eraſmi, Boileau, Deſpreaux, Satyre 4, vers 103. L.

Eſt ea ſpecies læta & jucunda, in quâ ſe cæteris hominibus feliciores exiſtimant ægri, alta quæque ſpirant, & ſe Principibus, Regibus, imò Diis pares autumant.

Fuit homo ignobilis Argis,
Qui ſe credebat miros audire tragœdos,
In vacuo lætus ſeſſor, plauſorque theatro,
Hic ubi cognatorum opibus, curiſque refectus,
Expulit helleboro morbum, bilemque meraco,
Et redit ad ſeſe: Pol me occidiſtis amici,
Non ſervaſtis, ait, cui ſic extorta voluptas.

Hæc facetiùs reddidit Gallicè *Deſpreaux*, *Satyr. 4.*

Alexander adulatorum encomiis deluſus, ſe Deum putaverat; verùm accepto vulnere ex cruoris effuſione ſuum errorem agnovit, quippe Deos, non cruorem, ſed alterum liquidum in venis habere pronunciaverat *Homerus.*

Scholaris quidam per vicos currens, clamabat ſe Gallorum Regem anno 1503. Qui ſe Jovem exiſtimarent inventi ſunt, ut Salmoneus, curru ſupra

pra pontem æneum agitato, tonitrua imitans; *Virgil. Æneid. lib. 6.*

Vide ſimile exemplum à daturâ excitatum, & temulentis familiariſſimum, ubi de Paraphroſyne & Dæmonomaniâ.

6. *Melancholia attonita* Bellini, de Melancholia, pag. 380. L.

Vidi in Noſocomio generali veſanum quadragenarium, qui dudùm demens conſtanter tacebat, per multum tempus immobilis & velut ſtupidus, per ſeptem dies cibum & potum renuebat, & cum minis eum coegiſſem ad ſorbendum juſculum, ipſe juſculum aliquandiù in ore vel œſophago detentum, voluntariò rejiciebat. Cadavere aperto inveni omnia exſucca, ſanguinem viſcidum, & cerebrum maximè firmum ac compactum.

In hac ſpecie æger loco non movetur, imò nec ſitu; ſedens nunquam aſſurgit, ſtans nunquam ſedet, jacens vix unquam ſe erigit, nec pedes agit, niſi ab adſtantibus promoveatur, & loco pellatur; hominum frequentiam non fugit, interrogatus non reſpondet, licet dictis animum advertere videatur; monita nihil curat, ac ſi ſurdus eſſet, objectis viſui & tactui non attendit; quaſi cogitabundus & cogitatione aliarum rerum diſtractus dormit, vigilat per intervalla, cibum ori admotum comedit, potum haurit. Rariſſima morbi ſpecies nec à *Sennerto* viſa, ſed à *Jano*, *Medico Electoris Saxoniæ* ſemel in viro triginta annos nato, obſervata: is judiciorum Dei terrore percuſſus, per quatuor menſes autumno & hieme hoc morbo laboravit, & demùm ad ſe rediit. Deſcriptio verò optimè quadrat cum deſcriptione meâ mox memoratâ.

Architectus Barcinonenſis, 37 annos natus, mœrore ob ærumnam affectus, incidit ante annum in melancholiam attonitam: is continuò timet & patriam fugere meditatur, inquiſitionis metu & conjugis odio motus: is conſtanter ſilet nullique interrogationi reſpondet, nec geſtu, nec voce; raró ſignis manus aut oris mingendi vel alvi deponendæ neceſſitatem indicat, audit tamen & intelligit; minis coactus manducat & bibit, aſt dein inceptum paſtum vix intermittit; unam aut alteram horam noctu dormit, reliquo tempore immotus manet, oculis apertis; pulſus bene ſe habet, vires conſtant. Fruſtrà phlebotomiæ, veſicatoria toti capiti admota, emetica, aquæ Bellilucanæ potæ & irrigatæ, nec non ptiſana ſudorifica &c. adhibita ſunt. Suaſimus uſum moſchi, camphoræ, balnea frigida, remedium *Ill. Locheri*: & veroſimile eſt inſitionem ſcabiei in ſimili caſu feliciter tentatam cæteris præſtantius fore remedium.

7. *Melancholia errabunda* Bellini, Montalti, &c. *Leucomoria* & *paſſio hydrolcos* Græcis. *Cutubuth* Arabibus. *Chalrab* quibuſdam. L.

In hac æger, ne per horam quieſcere neſcit, ſed cogitur hùc & illùc continuò vagari, neſciens quò vadat; timidior eſt omnibus melancholicis, hominum frequentiam fugiens, noctivagus, per ſepulchreta, per ſolitudines; nec ſcit unquam quid fugiat, quid quærat, quid velit. Corpus ſiccum & aridum, oculi concavi, ſine lachrymis, exſucci, ſitis aſſidua, lingua

gua arida, color corporis citrinus, ulcera non raró in cruribus, quæ non conſolidantur.

A tribus annis hoc omnino morbo laborat mulier ſeptuagenaria Monſpelienſis epileptica, ex quo ad curandam epilepſiam ſumpſit per triduum magnam doſim hepatis lupini exſiccati, illa non quidem hominum conſortium fugit, nec ulceribus tibiarum afficitur, ſed de cætero omnino quoad colorem, habitum, & quietis intolerantiam, eſt optimè à *Bellino* depicta. Inquietudo eſt, & veluti tædium intolerabile, quo fit ut continuò locum mutet, ſui ipſius pertæſa, ſecum habitare minimè valens, triſtiſſima, ſiti continua, & oris ſiccitate divexata, macilenta, de cætero timida, minimè delirans, rariores & multò minores epilepſiæ inſultus patiens, ſed melancholiâ illâ errabundâ miſeriùs multò divexata, quàm quis facilè crediderit; juſcula refrigerantia, ptiſanæ nitratæ, aliaque in caſum fuere adhibita; & miror quòd à tanto malo nondùm erepta fuerit.

Rariſſima eſt etiam hæc ſpecies, & à nullo Neoterico obſervata aut recognita, niſi *Ephemer. Natur. Curioſ. Decad.* 2 *ann.* 5 *append.*

8. *Melancholia ſaltans* Mezeray Hiſtoire de Charles V.

In Hollandia viguit anno 1373 morbus epidemicus, quem *choream Sti Joannis* vocaverunt; plebei hoc tentati veſtibus abjectis & nudi, floribus coronati, reſtim ducentes, per vicos & templa ſaltando, cantando, currebant uſquequò plures anheloſi humi procumbebant; ita intumeſcebat illis abdomen, ut plures crepuiſſent, niſi vinculis coercita foret ea intumeſcentia. Malum in adſtantes nimis attentos ſerpere credebatur, & diaboli operationibus tribuebatur, unde ad exorciſmos confugêre multi. Huc attinet *Anteneaſmus* mirabilis *Guillerini*, *Specul. hiſtoriar*: Huc *Enteraſtici Herodoti*; *Membrorum ſaltuoſa diſpoſitio* Arabum.

9. *Melancholia hippantropica* Patr. le Comte, Lettres édifiantes, &c, Zoantropicæ varietas. L.

Sinenſis quidam perſuaſus fuerat à Sacerdotibus ſeu Bonzis, fore ut ſua anima migratura eſſet poſt mortem in corpus veredi, juſſa Imperatoris in Eliſios campos tranſlaturi; eum proinde hortabantur ad rectè currendum, abſtinendum à morſu, calcitratione, &c. Bonus ille ſenex turbulentos ſomnos vix capiebat, cùm ſe ephippio inſtructum & fræno, jam ad veredarii flagrum profecturum credebat; aſt expergefactus ſudore diffluens, num equus eſſet an homo dubitabat. Converſus in Chriſtianam Religionem, reſipuit.

10. *Melancholia Scytharum* Hippocrat. de aëre, aquis, &c. L.

Divitiores apud Scythas erant illi qui equitando mercari ſoliti erant; cùm autem nullis ſtapedibus uterentur, crura pendula erant, & genitalia diù compreſſa, unde ineptitudo ad generationem, quo perſpecto contriſtati ſe à Diis afflictos hoc morbo reputabant, & in mulieres converſos: unde muliebria veſtimenta induebant, colum ac fuſum tractabant, à plebe ſuperſtitioſâ ſimul colebantur, metuente ne quid ſimile à Diis pateretur; pauperes verò, utpotè minimè equitantes, ab hoc morbo erant immunes.

Cura Scythica erat larga, & ad animi deliquium facta miſſio ſanguinis ab arteriâ aut venâ temporali, quâ ulteriùs debilitati pejus habebant.

11. *Melancholia Anglica*, vulgò *Tædium vitæ.* Lege Comœdiam D. Greſſet, cui titulus eſt *Sydney.* C.

Puellæ Mileſiacæ quondam delirio ſingulari actæ tantâ mortis cupiditate ardebant ut turmatim ſe laqueo ſuſpenderent, nec motivum quiſquam agnoſcebat; tandem ſapientis civis conſilio Senatus Edicto juſſit, ut quæ prima ſuicida reperta foret, ea mortua omninò nuda in mediâ plateâ exponeretur: quo decreto illicò puellarum furori finis factus eſt: *Plutarchus*, *des vertueux faits des femmes*, *Tom. I.*

Simili melancholiâ actæ mulieres Lugdunenſes, referente *Primeroſio*, ſe turmatim aquis immergebant, & iis ſuffocatæ peribant.

Apud Anglos etiam frequens eſt ſuicidium ob tædium vitæ, quo capti languidi, mœſti, omnium remediorum pertæſi, res ſuas componunt, teſtamenta ſcribunt, amicis per epiſtolas dein tranſmittendas valedicunt, & deinde laqueo, veneno, vel alio modo vitæ ſuæ finem imponunt; quod criminis genus admittunt illi qui religionem omnem exuerunt, & ita debili ſunt animo, ut ærumnas vitæ humanæ ſuſtinere nequeant: apud Gallos hoc ſcelus lege prævertitur, quâ ſancitum eſt ut ſuicidarum cadavera carnificis ductu in crate pœnariâ per vicos & compita trahantur.

Pluribus maniacis melancholicis ſuicidium familiare eſt; aſt melancholia Anglica in hoc diſcrepat ab aliis, quòd ſine ullo furore, aut gravi ærumnâ, ex ſolo vitæ tædio tranquillè mori decernant; quod Chiliarcha Townshend ſolo voluntatis imperio coram Medico Cheynæo exſequebatur, poſt mirum ſuæ velúti voluntariæ reſurrectionis ſpecimen.

12. *Melancholia zoantropia. Lycaon* Aetii. *Galeantropia*, *lycantropia* Auctorum. L.

Domus cujuſdam religioſæ omnes puellæ ſingulari laborabant melancholiâ, quâ percitæ quâvis die determinatâ horâ, ſe feles eſſe reputabant, & felium vocem imitando concentum efformabant: Refert *D. Raulin*, *des maladies vaporeuſes.* Vide *Singultum epileptico-maniacum* huic morbo affinem.

Lycantropum ſe vidiſſe teſtatur *Foreſtus*; plurium hiſtoriam refert *Schenckius.* Galeantropum ipſe vidi, qui canis aſpectum horreſcebat.

Verùm notari meretur artificium quo quidam ſanati ſunt melancholici, qui ſcilicet ſe ranas in ventriculo geſtare putabant; aſſumpto ex juſſu Medici emetico ſanati ſunt, clàm immiſſis ranis in craterem in quem vomitu rejectæ colligebantur materiæ; alii qui in capite cuniculos ſe habere exiſtimabant, factâ inciſione cruciali, & exhibitis cuniculis cruentatis quaſi ex vulnere extractis, ab errore ſuo liberati ſunt.

Qui lupo vel cane rabido demorſi ſunt, ab hoc delirio non ſunt immunes, quo lupum aut canem ululatibus ſuis imitantur, teſte *Cælio Aureliano*, & aliis; verùm rarum eſt illud hydrophobiæ ſymptoma.

Artificio quodam *Zacutus Luſitanus* ſanavit olim melancholicum, qui ſe perpetuò frigere arbitrabatur; & vidimus hic Gratianopolitanum ſimili deli-

rio per annos etiam calidiſſimos detentum ; ipſum ſpiritu vini madidâ pelle lanigerâ cooperuit, & accenſo ſpiritu per ſemi-horam calefecit ad combuſtionem uſque *Luſitanus*, unde lætus & tripudians ſe jam nimis calere exclamavit æger, atque brevi convaluit melancholicus.

Quidam ne omninò caput ſe habere putabat ; ad quem ſanandum *Philotimus* excogitavit pileum plumbeum, à quo gravatus caput ſe habere intelligeret : *Aëtius*.

Duos lycantropos ſe vidiſſe teſtatur *Donatus ab Altomari*, qui per aviā vagabantur, cadavera humana, aut partes eorum ſecum geſtantes ; de cætero luridos, ſiccos, aduſtos, ſitientes eos depingit, ut lucomoriam omninò referant.

13. *Melancholia enthuſiaſtica* Pauli Æginetæ. *Enthuſiaſmus*. Ægri, *numine afflati*. C.

Quidam verò etiam putant ſe ab aliquibus poteſtatibus majoribus impeti, & futura prædicere, velut numine afflati, quos etiam privatim *numine afflatos* nominat *Paulus Ægineta*. *Paracelſus* exiſtimabat ſe in acinacis capulo ſuum azoth, ſeu genium ſuum gerere. Mulieres fatidicæ, quibus ſtipat erraibant Gebennenſes fanatici, ſe cœlitùs afflatas putabant, futura prædicere, abſcondita cognoſcere ſe jactitabant ; has verò prophetias non priùs edebant quàm epilepſiæ paroxyſmum ſimulatum paſſæ forent ; itaque humi proſtratæ, mirum in modum ſe exagitabant, & ad ſe reverſæ futura prædicebant. Mirabilia ſimiliter prædicant de enthuſiaſtis, qui *convulſionarii* hodiè dicuntur. Vide *Hecquetum*, *Naturaliſme des convulſions*.

Forolivii *D. Cavalier M. D.* vidit quatuor hydrophobos, qui mortis ſuæ diem, imò horam, prædixerant, & prædictâ fermè horâ animam efflarunt ; Vidi ipſe Taraſcone ſexagenarium qui ante menſem mortis ſuæ determinatum diem prædixit, & epiala dein correptus die prædicta occubuit.

14. *Melancholia phrontis* Hippocratis ; *phrontis nouſos chalepe* Lib. II. de Morbis ; *Curæ gravis morbus*, Foëſii pag. 486 ; *Maladie ſoucy*. Le Clerc Hiſt. de la Med.

Viſcera veluti ſpinarum aculeis pungi videntur, anxietudo ipſum invadit, lucem & homines refugit, tenebras amat, metus corripit, ſeptum tranſverſum exteriore parte intumeſcit, ad contactum dolet, expaveſcit, in ſomnis terriculamenta & formidanda cernit, quandoque & mortuos : morbus hic interdum plurimos vere prehendit. Veratrum huic propinato & caput purgato ; poſt capitis purgationem catharticum exhibeto, poſtea lac aſininum : cibis quam pauciſſimis, niſi infirmis fuerit viribus, utatur, iiſque frigidis & alvum laxantibus, non acribus, non ſalſis, non pinguibus, neque dulcibus : calidâ non lavet, neque vinum bibat niſi multâ aquâ dilutum, neque ſe exerceat, neque deambulet ; quæ cùm fecerit, temporis ſucceſſu morbo liberabitur, at niſi diligentem curam adhibueris, ad mortem uſque comitatur. Hactenus *Hippocrates*.

Hic morbus rectè intellectus eſt melancholiæ ſpecies non rara, in hoc diverſa à cæteris quod æger minimè deliret, niſi ſummus profunduſque mœror

ror ſine cauſa evidenti accedens delirium dicatur; mœror ille ſponte accedens eſt ſpina viſcerum metaphorica; æger quotannis hoc prehenditur & per menſem unum alterumve inſomnis, inappetens, ſolitudinis amans, debilis, omnem coetum refugit, atque hujus morbi cauſam ſe ignorare fatetur, apyretus ſtans, continuo cogitans, timet ne aliis faſtidium moveat, domi ſe continet. Cura Hippocratica minime mihi arridet quoad helleboriſmum & abſtinentiam ab ambulatione, à balneo; de cætero feliciter adhibetur.

XIX. DÆMONOMANIA. *Démonomanie, rage.*

Eſt delirium vel ſincerum vel ſimulatum, quo magi, ſagæ, maleficiati, ſæpiùs præſtigiatores ſe tanquam dæmone obſeſſos aut poſſeſſos oſtendunt.

1. *Dæmonomania ſagarum.* Delrio Diſquiſit. magicæ. L.

Eſt delirium eorum qui ſe arte diabolicâ & pacto cum dæmone convento, quid miri præſtare poſſe exiſtimant, indeque auctoritatem apud idiotas ſibi conciliant.

Tales ſunt illæ vetulæ, quæ faſcino recens nuptos ligare, morbo infantulos tum afficere, tum liberare ſe poſſe imaginantur. Paſtores qui ſe, ſuoſve arietes cum ridiculis cæremoniis dæmoni devovent, ut gregem reſiduum à lupis eripiant, ut monetam volantem ſeu inamiſſibilem obtineant; quæ omnia in faſcinatis & faſcinantibus ſunt vera deliramenta, quibus puerorum & credulorum animos deludunt aniles fabulæ, maximè ſi philtra & venena dementantia concurrant. Certum eſt enim quod oleum ex ſeminibus daturæ elicitum temporibus illitum, vel peſſarium podici noctu inditum, hæc ſomnia prædiſpoſitis excitent. Simili peſſario ex ſeminibus ſtramonii & ſebo paſtor Gallo-Provincialis, referente *Gaſſendo*, ſe muniebat cubitum iturus qualibet die Sabbati, unde ſomniabat ſe ad impurum dæmonum cœtum viâ camini deveniſſe, & ibi hirco præſidi litaſſe: *vide* quæ *de paraphroſyne magicâ* diximus. Hunc morbum in Pomeraniâ familiarem dicit *Hoffmannus. Rufus*, Auctor ſæculi ſecundi, primus hujus morbi meminit.

Fuere qui ſe diabolum in viſceribus gerere, qui cum eo decumbere, conventicula celebrare adeò ſibi perſuaſerunt, ut in ſuppliciis contra ipſos olim decerni ſolitis, id ad ultimum vitæ ſpiritum affirmaverint: *Vide Act. Med. Berolin. Decad.* 1. *volum.* 4. & *Ephem. Natur. Curioſ.* paſſim.

2. *Dæmonomania, Vampiriſmus* Tournefort Iter in Indias Orientales.

Vampiri activi ſunt vel paſſivi. Activi ſunt quidam præſtigiatores, qui ob fines ſibi cognitos cadavera recens ſepultorum exhumant, & vulnerant, atque eorum cruorem tertiâ die utplurimùm putrefactum, adeòque fluidiſſimum effluere ſinunt, & vulgò ſuxiſſe dicuntur: paſſivi ſunt illi, vel vivi vel mortui, in quibus talis ſcena luditur; horumce præſtigiorum rumore commoventur ita populi, ut urbem deſertam inde factam viderit *Tournefortius.* Plura videſis in Vampirorum hiſtoriâ non dudùm evulgatâ.

3. *Dæmonomania ſimulata. Corybantiaſmus* Encyclopediæ, T. 3; Hiſtoire des Diables de Loudun, 1636; Bayle, Diction. ad Broſſier.

Conſtat

Conſtat ex Evangelio olim plures homines, ſummi Numinis permiſſu, à diabolo obſeſſos fuiſſe, unde Sancta Eccleſia Catholica ad eos liberandos exorciſmis uti conſuevit; verùm non minùs certum eſt plures malitiâ aut moroſitate ſingulari ad ſimilem obſeſſionem ſimulandam frequenter induci, quod apud adoleſcentulas & vitæ religioſæ addictas ſæpiùs obſervatur: illæ ut quamdam turpitudinem vitæ occultent, iſtæ ut ſanctimoniæ famam ſibi concilient, quædam ut aliis impunè noceant, imò ut de ſe magnum rumorem ſpargendo credulos ludibrio habeant.

Præſtigia quibus utuntur ſunt diverſiſſima; aſt ſæpiùs futura prædicere, abſentia proſpicere, linguas ignotas intelligere, morbos anomalos potiſſimùm convulſivos experiri, vires portentoſas exerere; ad aquæ luſtralis aſperſionem, rerum ſacrarum aſpectum cruciari, ululare. Eò autem aſſurgit plurimorum vafrities & malitia, ut non ſolùm plebi, ſed etiam & Sacerdotibus & Medicis imponant illæ præſtigiatrices, ut ferro & igne probatæ ſuas fraudes confiteri vix cogantur, adeòque ad eas confundendas neceſſum eſt ut à viris acuti ingenii diverſis modis ſummâ cum aſtutiâ examinentur, circa quæ vide quæ de epilepſiâ ſimulatâ diximus.

Celebris eſt hiſtoria Urſulinarum Lauduni apud Pictones. Monachi hujus urbis oderant parochum Urbanum Grandier, virum paulò elatioris animi, & dotibus tùm animi, tùm corporis ſuperbientem; illi has religioſas induxerunt, ut aſſererent ſe à Granderio faſcinatas, & ejus afflatu diabolum ſuſcepiſſe: quid non religio potuit ſuadere, maximè ſi cum amore repulſo ad hunc perdendum parochum & Magnatum & Monachorum invidia conſpiraverint; eò demùm devenit furor, ut igne damnatus ſit parochus, atque cùm Sacerdos impius, qui eum ad ſupplicium deducebat, crucifixum ferreum candentem oſculandum huic miſero præberet, is renuentis parochi metus pro ſignis diabolicæ poſſeſſionis plebi venditabat.

Interdùm pro dæmonomaniâ verâ ſumitur delirium febrile, cujus erroris exemplum præbuit monialis Pariſina candore & pietate inſignis mihi cognita; hæc Theologicis Doctrinis imbuta, Latinam Linguam clam addidicerat, & nuper à fratre ſuo eruditiſſimo elementa Græcæ Linguæ ſecretò pariter hauriebat; hanc invaſit ſynochus, caputque tentavit, unde delirans hæc virgo ſermones græcos & latinos miſcuit, quos priùs ipſi ignotos exiſtimabant cæteræ moniales; hinc faſcinatam & obſeſſam judicarunt, uſque quò frater ejus rure reverſus delirii Græci & Latini rationem reddidit.

Dæmonomania ſimulata detegitur dolis pro re natâ diverſis. Sic *Ill. de Haen* ſanctæ Crucis imaginem involutam dæmonomaniacæ ſimulanti applicans ad contactum, vel aquam communem, quam luſtralem eſſe fingebat, aſpergens, vidit eam decipi & ſuam fraudem prodere: tunc autem eam nefariam toties aquæ amphoris injectis irrigari juſſit, quoties ſua præſtigia iteraret. Alter verò Medicus in ſimili caſu phlebotomias ſimul ex pede & brachio ad ſyncopem uſque præſcribebat, ut nefariam præſtigiatricem plecteret; alii verberibus dæmonem abigere tentarunt.

Minimè aſſentimur *Friderico Hoffmanno*, aliiſque Medicis Germanis, qui

uno ore cum plebe Gallicâ contendunt magos & ſagas hodie dari, qui verè diabolo obſeſſi & poſſeſſi & ab illo inſtigati patrant mirabilia. Dæmonomaniæ ſinceræ ſigna plura ab *Hoffmanno* tradita ſunt; 1° non ſolùm horrendæ vociferationes, geſtuum deformationes, admirandæ & inſolitæ corporis motiones; ſed 2° mirificæ convulſiones ſubitò ſine prævio morbo accedentes: 3° Blaſphemia, verbi divini abuſus, obſcœnitas verborum: 4° Rerum ſecretarum & præſertim futurarum notitia & revelatio: 5° Peregrinarum linguarum ſcientia: 6° Robur inſolitum: 7° Singularium rerum ut crinium, ſilicum, &c, vomitio, ex oculis, aure rejectio cum horrendis ventris torminibus &c. Dudùm Senatus Gallici, qui magos & ſagas igne damnabant, hodiè tanquam miſeros inſanos dimittunt, niſi eorum maleficia, blaſphemationes, aliaque malitiæ ſpecimina plectant. Non dubitamus tamen quin olim Deo permittente à Dæmonibus plures obſeſſi fuerint, verùm cum *Sancto Athanaſio* putamus, *ex quo tempore verbum Dei apparuit ſpectra hujuſmodi & ludibria ceſſaviſſe.* Et omnes pythoniſſas, magos, ſagas, faſcinatos, vel morbo à cauſis phyſicis orto laborare, vel eſſe deceptos aut impoſtores qui parùm cautos ſuis præſtigiis deludunt. Ridemus itaque credulitatem *Bodini* & dolemus ſortem tot millium veſanorum quos ſæculis elapſis, referente Nicolao Remigio, Senatus Burdigalenſis, Rothomagenſis, Toloſanus flammis addixit, qui in morotrophio tantùm erant cuſtodiendi.

Præſtigia mira videbis *Journ. de Med. Avril 1757.* p. 244, de muliere ventriloqua ſonum tympani flatubus abdominis imitante, & *Mars p. 165* de puella ex cujus corpore paſſim acus innumeræ extrahebantur.

4. *Dæmonomania à vermibus* Cardani. L.

Plura ſunt exempla ægrorum qui prò dæmoniacis habiti lumbricis & tæniis tantùm exagitabantur, & triſmo, tetano, delirio, aliiſque miris ſymptomatis vexabantur; plebs autem dæmoni, ſagarumque faſcino tribuit illa ſymptomata dira, quorum nexum & cauſam non intelligit, ut convulſiones, clamores, diſtorſiones, deliria quibus obnoxii ſunt verminoſi; ea verò omnia catharticis, emeticis & anthelminticis feliciter auferuntur.

5. *Dæmonomania fanatica*, vide Diſſertationem ſub præſidio D. Rideux Profeſſ. Monſpel. ventilatam: An fanatiſmo verbera?

Quot furores, incendia, bella, cædes excitaverit multoties falſus erga Religionem tùm veram, tum falſam zelus, plures teſtantur hiſtoriæ. Primi fanatici Helvienſes ſolo ſuo afflatu catapultarum ictus, quibus crudeliter turmatim trucidabantur, eludere ſe poſſe putabant; miſerabile delirii genus.

Fanatiſmus ad incredibilia faſcinora millenos noſtrâ ætate compulit, & ad patibulum, ignemve deduxit; ita ut peſtis nulla majores ſtrages ediderit: lege hiſtoriam Fanatiſmi D. Brueys Monſpel. Ideo hæc refero ut omnes perſuaſum habeant fanatiſmum inter veſanias & deliramenta eſſe numerandum.

6. *Dæmonomania hyſterica.* Obſervatio D. *Deſcottes* D. M. Argenton en Berry 1760. ad me ſcribentis.

Duæ famulæ viginti annos natæ, amiciſſimæ, verè hyſtericæ, antihyſtericis, ut caſtoreo, rutâ, nec non terebinthinâ ſumptis, ab hyſteriâ meliùs habuere.

habuere. Verum ſingularia phænomena per ſex menſes exhibuerunt, quæ vulgò obſeſſioni tribuuntur. 1° Scilicet diverſis domibus ſejunctæ altera alterius nec non ſua accidentia ſuoſque paroxyſmos præſagiebat ante quatriduum triduumve: 2° Diverſorum animalium vocem, ut canis, felis, gallinæ ſatis aptè imitabantur: 3° Portentoſam exhibebant memoriam & ingenium ſolito vividius, quo nominibus fictis ſingulos adſtantes deſignabant & ludibrio habebant: 4° In profundum ſoporem delabebantur, è quo nec vellicatæ, punctæ, uſtæ excitari poterant: 5° Verùm ſpontè excitabantur clamantes ſe in quâdam parte, ut femore, tibiâ vehementer lædi, perſtringi, & pars aſſignata livida, læſa unguibus videbatur, quam tamen tetigerat nemo ex adſtantibus. 6° Triplici ſtadio peragebatur paroxyſmus, in primo mentis compotes peracta in mentem revocantes rubeſcebant & dolebant; in altero delirabant, convellebantur & quatuor robuſtis viris vix coerceri poterant, atque ventura quoad paroxyſmi futuri tempus, durationem, aliaque præſagiebant, denique in ſoporem delapſæ ſenſuum omnium abolitionem experiebantur, è quo tamen ſomno hora & minuto quod prædixerant, excitabantur, ſæpè è lecto procul exſilientes & clamantes: *Bone Deus! quis mihi femur vel tibiam crudeliter perſtrinxit*, &c.

Per ſex menſes quotidiè hæc ludebatur ſcena, nec quidquam inde roboris, habitûſve detrimenti paſſæ ſunt, hodie verò adhucdum languent, & lipothymias, catameniorumque ſuppreſſionem patiuntur, meumque de illis conſilium expetunt Medici.

Multa ſunt in hac hiſtoriâ, quæ nimiæ adſtantium credulitati, & harum ſycophantarum præſtigiis tribuenda videntur. Interea non minus eſt mirum quod ſine ullo motivo cognito ruſticæ talem egerint Comœdiam, ſi Comœdia fuerit: mirum etiam quod ſimilis imaginationis vis ſimiles effectus in aliis ſubjectis ediderit, quos vide relatos in catalepſis hyſtericæ & catalepſis ſomnambulæ hiſtoriâ. Quoad imitationem vocis animalium, hanc olim juxta Aleſiam obſervavit *D. Gibert D. M.* in melancholico qui horâ primâ pomeridianâ ſingulis diebus ſimili paroxyſmo tentabatur, nec ab hac horâ declinabat vel minimùm paroxyſmus, licet horologia de induſtria retardarent, aut accelerarent obſervatores.

Suaſi balnea, ſerum lactis, & in paroxyſmo ſyrupum de karabe, ſal ſedativum, &c. Anno 1765 quo hæc ſcribo eas ſanatas & nuptas eſſe accipio.

7. *Dæmonomania Indica*, Kempfer. amœnit. faſc. 3. pag. 650; *Rage de l'Hamuk.*

Viget apud Indos Nigritas abuſus opii execrabilis ad efferandum animos ad homicidiorum patrandorum audaciam, dùm vel vitæ ſuæ, vel injuriarum pertæſi ſe devovent morti per ultionem & mortes aliorum oppetendæ; eo fine opii bolum deglutiunt, ex quo intentionis idea exaſperatur, turbatur ratio, & effrænus redditur animus, adeò ut ſtricto pugione, inſtar tigridum rabidarum excurrant in publicum, obvios quoſvis ſive amicos, ſive inimicos trucidaturi, donec ipſi ab alio perforati proſternantur. Actus hic voca-

vocatur *Hamuck*, apud incolas Javæ & ulterioris Orientis crebro ſpectabilis. Vocabuli ſonum ibi horret quicumque audit; nam qui vident homicidam, illi vocem *Hamuk* ſummopere exclamant, monituri inermes ut fugiant, & vitæ ſuæ proſpiciant, dùm ad extinguendam belluam accurrere] debet quiſquis armatus, & cordatus eſt.

8. *Dæmonomania Polonica.* Stabel. Hiſt. 4. de plica Polonica.

Ea eſt quæ à viru trichomatis repulſo ortum ducit, ſeu à plicâ reſectâ, vel ab illâ non evolutâ; Fœmina quinquagenaria plethorica fortiſſimo corripiebatur furore maniaco, cum ſummâ agrypniâ, convulſionibus, inconſuetis borborygnis; jungebantur blaſphemationes, robur inſolitum, aliaque ſtupenda ſymptomata per annum ſine intermiſſione eam diſcruciantia & diabolicæ obſeſſioni adſcribi ſolita.

Remedia antimaniaca fruſtranea ſunt, nec cedit morbus niſi evolutioni plicæ, quam, poſt annum in caſu citato applicatum capiti lycopodii decoctum, intra aliquot dies excitavit; aliâ vice cùm hæcce mulier iterum plicam imprudenter abſcidiſſet, exorta eſt cephalæa cum doloribus rachialgicis & phantaſiæ depravatione, rurſuſque cum plica capitis ſeſe explicuiſſet ea ſymptomata deſierunt.

9. *Dæmonomania à Cardiogmo*, Morgagni Epiſt. XVIII. 19.

Talis cenſebatur eſſe morbus ab *Harveio* & à *Morgagni* obſervatus, qui tamen pendebat ab aneuryſmate aortæ aſcendentis; alii eum hyſteriæ, alii etiam veneficio adſcribendum putabant: ægri capite antrorſum inclinato reſpirabant faciliùs: vide *Harveium de circul. exercit.* 3.

XX. Mania. A Græco *Mainomai* inſanio, furo. *Furor* & *inſania* Latinis. Gallicè *folie* & *manie*, licet ultimo nomine (à *majomai* cupio) intelligamus etiam vehementem quamdam cupiditatem, ut muſomaniam, argyromaniam &c. Ægri *maniaci*, *inſani*, Gallicè *fous*, *maniaques.*

Genus eſt morbi chronici, apyreti, quo non ſolùm ægri circa quævis objecta indiſcriminatim delirant ob imaginationis vitium, ſed etiam ob ratiocinationis depravationem cum audaciâ & robore, brutorum more ſe gerunt.

Differt ab amentiâ per audaciam, robur & furorem à levi oblatâ causâ redeuntem; amentes verò ſunt mites, pacati, nemini nocent, niſi vehementer incitentur. Differt à melancholiâ per delirii univerſalitatem; non enim uni objecto conſtanter infixi delirant, ſed ſucceſſivè nunc de uno, nunc de alio objecto ſunt ſolliciti; præterea melancholici rectè & acutè ratiocinantur ex præconceptâ opinione, conſequentias rationales educunt, aſt maniaci perversè etiam judicant. Differunt à dæmonomaniacis ut à melancholicis. Hydrophobi ferè omnes judicant, adſtanteſque monent, ut ſibi caveant, dicentes non penes ſe eſſe ut abſtineant à morſu, conſputatione, è contra maniaci pravum nocendi, evadendi deſiderium cautè diſſimulant; para-

paraphroſyne, hydrophobia, phrenitis intra paucos dies terminantur, aſt mania menſes, annoſque perdurat.

Maniaci ſæpiùs omnem cibum obſtinatè recuſant, & tamen robur inſolitum conſervant, vix dormiunt, continuò mente plures ideas revolvunt, muſſitant, clamant, inſidias adſtantibus ſtruunt, obvios quoſque, etiam parentes, natos, quandoque ſine ullo cognito motivo percutiunt, trucidant, vinciri eos neceſſum eſt ne ſibi vel aliis manus violentas inferant, frigoris & caloris patientiſſimi ſunt, veſtes ſuas dilacerant, mediâ hieme nudi humi jacent, nec multùm refrigerantur, balnea frigida ſuſtinent, inviti tamen; quidam ingenio acutiſſimo prædíti mirè deblaterant, ſæpiùs delirant; plurimi quidem quoddam objectum ſui odii aut amoris ſæpius in animo verſant, verùm non illi ita affixi ſunt quin ad alia divagentur; atque millenis vividiſſimis, præcipitibus, confuſis ideis noctu diuque agitantur; mores à maniâ mirè mutantur; mulier antea pia & modeſtiſſima accedente maniâ verba ſcortis & bajulis familiaria impudenter effutit; qui priùs erat mitis & amicus jam torvis oculis, voce ferâ loquitur, & ex horum ſymptomatum ſyndrome, licet à plebe confundi & iiſdem morotrophiis incarcerari ſoleant, diſtinguuntur maniaci & melancholici.

Mania continua eſt vel periodica; continua ea eſt quæ nunquam intermittit, licet remittat quandoque, verùm illud diſcrimen non in curandi modum, ſed in prognoſim influit; quippè continuæ ſanandæ multò minor ſpes eſt quàm periodicæ maniæ.

Mania periodica eſt, quæ per intervalla revertitur, illa vel ſæviente hieme quod frequentiùs accidit, vel æſtate recurrit; tum continua tùm periodica ſunt ſæpiùs hæreditariæ; dantur etiam regiones in quibus multò frequentiores ſunt: Junio & Decembri mania frequentior: *Huxham.*

Mania ex quartanâ *Sydenhami* ad dementiam potiùs attinet quàm ad hoc genus, ni fallor.

1. *Mania à pathemate;* Locheri de mania; *à melancholia*, Preyſingeri ſpec. I; *à terrore* Locheri; *ab amore*, Ephem. N. E. Dec. II; *ſine materia*, Locheri cap. 2 p. 73. L.

Maniaci ut plurimum à magno quodam animi pathemate, ut amore, metu, ſpe laborare incipiunt. *Mead* refert quod in Noſocomio mente captorum Londinenſi multò plures inventi ſint quos dira auri cupido huc deduxerat, licet jam divites, quàm quos paupertas divexarat.

Metus tartari & judiciorum Dei plures ad inſaniam ducit, maximè cùm à concionibus vehementibus eorum quos *Miſſionarios* vocant per octiduum, ut fieri ſolet, mentes commotæ fuerunt. Vidi Religioſam quæ inſanivit & demùm ſe trucidavit, cujus menti infixa erat opinio ſe à ſuis ſociis propter peccata, quæ admiſerat aut admiſiſſe putabat, laqueo ſuſpendendam fore; & mulierem honeſtam quæ ſimili metu percuſſa ſe ſuſpendit, exanimavit; puellam quæ amaſii ſui perfidiam non ſuſtinens eodem modo vitam terminavit; virum qui zelotypiâ furens conjugem & ſe ipſum jugulavit; mulierem præclaram, quæ recens puerpera circa religionis ſuæ veritatem dubia

movens in maniam incidit & per decennium nuda quadrupedium more in ſuo cubiculo gradiens Nabuchodonozoris ſpeciem apprime referebat ; verùm licet à melancholico delirio ortum habuerit hic morbus , non minùs ſucceſſu temporis videtur mania alterius generis quàm melancholia , ob robur , audaciam & idearum vividarum varietatem.

Maniaci utcumque audaces ſint reapſe metu maximo quodam ad inſaniam ferè omnes ducuntur , & licet à pluribus adſtantibus ſe regi minimè patiantur , attamen à quodam minaci bajulo , vel milite fuſtem & vincula gerente , ita domantur , ut ſupplices & meticuloſi ſtatim obſecundent , quod neceſſarium eſt in curâ. Caveant autem ſibi cuſtodes , nam maniacus nunquam dormit & cuſtodem , ſi poteſt , malè habet atque inſidioſè impetit , ita ut per longum tempus ſapientis perſonam agat , ut ſuum finem aſſequatur. Qui cibos renuunt & continuò vigilant ſibi animo , metum inanem infixerunt , ne ſcilicet ab amicis toxico mixto cum cibis , aut alio modo inter dormiendum trucidentur , ſed de ſui metûs objecto , de ſpectro quo terrentur , ne verbum proferunt.

Sanguis maniacorum viſcidus ſeroque exutus , fibræ verò muſculares firmæ , rigidæ cenſentur.

Mania ſtatim atque ægrum alio morbo ut phthiſi , aſcite laborantem afficit , ab aliis morbis , quod mirum dictu , liberat , ut obſervavit *Mead* : nec peſtem ipſam patiuntur maniaci.

Cura. Nihil magis prodeſt maniacis ſanandis quàm victus mollis , refrigerans , humectans ; phlebotomiæ largæ & repetitæ ex brachio , pede , jugulo ; potus laxans , diluens , frigidus , copioſus ; balnea per menſem bis in die repetita in aquâ frigidâ , caput ipſâ irrigando. *Valſalva* plures maniacos ſanavit emulſionibus & ſyrupo de papavere , abſtinendo à gravioribus narcoticis. Furorem mire compeſcit camphora ad ſcrupulum data in cochleari aceti , obſervante *Tralles* & *Ill. Lieutaud* , quod bis in die iteratur , inde ſudor & ſomnus , pluresque ſanati maniaci.

Narcotica verò ſæpe delirium intendunt. In tenebris detinendus maniacus , atque ſufficienter cibandus , vinculis coercendus ; cùm verò omnis cura tanquam fruſtranea omiſſa eſt quandoque datâ tempeſtate ratio revertitur ſuperſtite memoriâ factorum , & ad recidivam diſpoſitione ; ſi catamenia vel hæmorrhoides fluere deſierint , illi effluxus revocandi ; cathartica fortia præmiſſis diluentibus non ſunt omittenda ; acida , nitroſa , ſerum lactis , emulſiones , fructus refrigerantes , clyſmata emollientia & ſimilia proſunt.

2. *Mania lactea. Dépôt laiteux ſur le cerveau.* Puzos , 3. Mémoire. Hippocrat. de mulier. morbis L. I c. 45. L.

Eſt ſpecies maniæ quæ circa decimum à partu diem cum delirio febrili mulierem aggreditur , dein ſenſim evaneſcente febre , perſeverat , atque jure tribuenda venit lactis retentioni , ejuſque ſtaſi in cerebro. Vide *Ill. van Swieten Comm.* 1127.

Rarus eſt hic morbus , & utplurimùm inſanabilis , ipſumque initio ab hyſteriâ diſtinguere difficile eſt , quippe omnes moroſitates , averſationes abſurdæ ,

dæ, à quibus incipit, facilè tribuuntur hyſteriæ, quam puerperæ plures incurrunt; interea ſucceſſu temporis ex delirio apyreto conſtanti, & initio à parciori lactis & lochiorum fluxu, cognoſcitur.

3. *Mania ab hemicraniâ.*

Ea eſt quam dolor conſtans ſinuum frontalium ab inſecto in ipſis latente infert; ſic *Conrad. Schneiderus, de oſſe cribriformi, pag.* 440, recenſet ruſticam quæ mente abalienata & maniaca evaſerat, quæ rejectâ ex naribus erucâ hiſpidâ ab hoc morbo convaluit.

Antonius de Pozzis, in Ephem. Nat. Curioſ. Decad. 1 *anno* 4 *obſerv.* 37. refert ruſticum qui cùm ſub arbore dormiiſſet, per ſex menſes maniacus fuit, & erucam nigram, longam, piloſam, à tabaco aſſumpto per nares excrevit, ſicque convaluit.

Cùm œſtrum ſubivit nares boum, aliorumque pecorum, ut in eorum ſinubus frontalibus ova ſua deponat, non rarò illi in maniam aguntur, imò cervi rangiferini à ſolo metu circumvolitantis & avidè inſequentis œſtri furunt, & triginta leucas intra paucas horas excurrunt, obſervante *Ill. Linnæo* in Lapponiâ.

In oppidulo *Gange* dicto, homo quidam dolore capitis dudùm divexatus eò inſaniæ devenit, ut ſibi caput effringi vellet, atque eum in finem ex altiori feneſtrâ ſe præcipitem dederit, ſed fruſtrà, cùm fortè in prætereuntis aſini corpus incidiſſet: quapropter ad aliud tempus ob proximorum jurgia rem diſtulit, atque altera vice reapſe ſibi caput effregit, unde, fortè è ſinubus copioſo pure dimanante, convaluit, ut à fide dignis viris audivi.

4. *Mania metaſtica*, Locheri de Mania. I. *ab ulcere ſiccato*, Amati Luſit. Cent. II cur. 67; *à reſecta plica*, Fr. Hoffmanni de delirio p. 263, Ephem. Nat. Cur. *à repreſſo herpete*, Locheri ibid. *à menſtruis retentis*, *à ſemine retento*, Schenckii fol. 157; *à repreſſa ſcabie*, *à graviditate*, Ill. Lorry Part. I cap. 7.

5. *Mania à venenis*, Ephem. Nat. Cur.; *à belladonæ baccis* Dec. II ann. 10 Obſ. 118; *à daturæ ſemine*, Dec. III ann. 3 Obſ. 170.

Vidi inde ortas paraphroſynes fugaces, non maniam.

6. *Mania periodica*, Ephem. Nat. Cur. Dec. III ann. 3 Obſ. 33. L.

Eſt ſpecies per totum diem tantum durans, ſole recedente intermittens, quæ *ſolaris* dicitur; datur lunaris quæ quovis plenilunio revertitur *Eph. Nat. Cur. Cent. IX. Obſ.* 12.

7. *Mania vulgaris*, Locher de Mania. cap. 3 pag. 61. L.

Eſt mania cum materie. *Vide Authores.*

8. *Mania hyſteralgica*, referente D. C. D. M. M. anno 1766.

Virgo quadragenaria, quæ olim ſanguinem vomuerat, deinde verò pus cum cyſtidum fragmentis ano ejecerat, ab octodecim menſibus obnoxia eſt, per paroxyſmos noctu redeuntes, doloribus uteri & vicinarum partium, ita atrocibus, ut ea, licet benè morata & pudiciſſima, juret, blaſphemia fundat, deliret, genitalia manibus aut quolibet obvio inſtrumento vel contrectare, vel dilaniare conetur; nedum ſit ullus veneris appetitus, quod quis

facile

facile crederet, hujus eſt ſumma averſatio, tantus horror ut viros maxime oderit; voluptas nulla, pollutio nulla: ea obvia quæque morſu impetit: tranſacto paroxyſmo ſcrupulis agitatur, dolet animo, metuens ne peccaverit.

Adhibita ſunt remedia omnigena, edulcorantia, diluentia, deterſiva, ſedantia, nitroſa, balnea innumera ſubfrigida per horas octo, ſerum lactis, aqua pulli, lac aſininum, laudanum, ſal ſedativum; ptiſana demum camphorata aliquandiu ſublevavit; ſuſpicio eſt alterius ſuppurationis internæ, unde paroxyſmus.

ORDO QUARTUS.

VESANIÆ ANOMALÆ,

Seu

Morbi prioribus affines.

PHantaſia eſt facultas objecta abſentia ſibi repræſentandi; ejus actio vocatur *imaginatio*, ea in ſomniando ideas claras & vividas excitat, unde æquè percellimur à phantaſmatis ſeu ideis imaginariis, dum ſomniamus, ac ab ideis ſenſationum; verùm id non accidit ex claritate & vi abſolutâ phantaſmatum, quippe quæ multò minor eſt quàm vis ſenſationum; ſed ex eo quod anima ab objectis externis non diſtracta, fortiùs ad ea phantaſmata attendat, unde qui imaginari profunde vel attendere volunt interdiu, illi ab aliorum conſortio remoti longè ab ſtrepitu in loco obſcuro meditantur: anima eò fortiùs percellitur ab ideâ quò paucioribus ideis ſimul diſtrahitur, ſeu quò majorem ſuæ attentionis partem illi tribuit, & quo fortior eſt impreſſio eam excitans.

Docet autem experientia ideam longâ attentione, fortique meditatione clariorem fieri, quæ neglecta obſcura foret: ſic memoria ſtudio, & repetitione ejuſdem ideæ roboratur, maximè ſi conjungantur ideæ cum loco, litteris, aliiſque ſignis ad memoriam acquirendam facientibus.

Lex eſt imaginationis, ſi qua ſimul percepimus, & unius perceptio denuò producatur, imaginatio producit etiam perceptionem alterius. *Wolf. Pſycholog. Emp. 116.*

Memoria eſt facultas ideas reproducendi, & reproductas recognoſcendi. *Wolf.* Ea verò tribuitur flexilitati fibrarum medullarium cerebri, quæ inſtar chartæ pergamenæ plicas & impreſſiones retinet; verùm ea theoria eſt merè fictitia, & ſatius eſt in his tenebris nullam theoriam, quàm falſam amplexari.

Ad ratiocinandum proindeque ad judicandum neceſſaria eſt imaginatio & memoria. Si quis albedinis ideam abſtractam, adeòque imaginariam non retineat,

tineat, is utrum hæc charta quam cernit alba ſit, vel alterius coloris judicare non valet; inde fit ut qui imaginatione carent, ut ſtupidi, ſomnolenti, illi nec diſcurrere valeant, nec qui memoriâ deſtituuntur, valent ratiocinari, ſaltem circa objecta quorum ideas non poſſunt in mentem revocare; his de cauſis evidens eſt cur inter morbos hujuſce claſſis oblivio & amentia referantur; cùm hæc vitia ſecum inferant judicii depravationem, aut ſpeciem erroris quæ lethargicis valdè familiaris eſt; quod ſcilicet neſciant quid dicant, quid appetant, quia eorum obliti ſunt quæ petiere, antequam reſponſum accipere poſſint: ſive ſenſationes à fibrarum nervearum vibrationibus repetas, quod falſum videtur, ſive à fluidi nervei electrici refluxu, requiritur ex parte machinæ fibrarum cerebri libertas, flexilitas, cui collapſus, laxitas, obſtructioque opponuntur, & ex parte fluidorum mobilitas, fluxilitas, tenuitas, puritas, unde videre eſt cur à venenis, vaporibus narcoticis, cerebri vulneribus, obſtructionibus, aliiſque vitiis, imaginatio, memoria, acumen, ingenium, libertas aliæque animæ facultates lædantur.

XXI. AMNESIA; *Latyphroſyne* Græcis; *Oblivio morboſa* Auctorum. *L'oubli.*

Eſt morbus qui tollit facultatem ideas in mente reproductas recognoſcendi, ſeu memoriæ eſt abolitio aut imminutio. Ideò recognoſcimus ideas quæ in animâ reproducuntur, quæque ideò illam olim vel antea affecerunt, quia ſatis vividæ ſunt & ſociis claris ſtipatæ; ſi verò obſcuræ ſint, tum ideæ principes, tum earum ſociæ, aut ſolùm alterutræ, tunc illas recognoſcere non poſſumus: ideam autem quam antea habuimus iterum habere, hoc ad memoriam non ſufficit, neceſſum eſt ut cognoſcamus nos eam antea habuiſſe; ſic ſi quis dum legit Ciceronis librum non recognoſcit ſe eum olim legiſſe, ille hujus antiquæ lectionis recordari non dicitur. Quoniam omnis idea imaginaria ſupponit præegreſſam ideam ſenſitivam ſeu ſenſu acceptam, & non ſentimus niſi individua, ſeu concreta pluribus ſimul ideis ſociis ſtipata; idea imaginaria ſocias ſecum olim perceptas in mentem revocat, niſi obſcuriores evaſerint, ergo obſcuratio idearum eſt quod oblivionem producit; obſcurantur ideæ à gravibus animi pathematis totam animi attentionem alio divertentibus, à ſomno & ſopore morboſo, à paralyſi organorum ex quibus ideæ illæ natæ ſunt, à morbo quovis ſoporoſo, ut caro, apoplexia, epilepſiâ, nec non à ſyncope; qui enim ex his morbis reſurgunt, ignorant omnino quid paroxyſmi tempore peractum fuerit, & ſe ne quidem cogitaſſe, aut quaſi non extitiſſe aſſeverant.

Cognoſcitur initio amneſia ex eo quod obliviosi non ſibi cohærentia loquantur, niſi monoſyllabis utantur: *Vide hiſtoriam amneſiæ in Ephemerid. Nat. Cur. Dec. I Ann. III Obſ.* 198.

In curandâ amneſiâ attendendum an juvenis, an ſenex ſit homo; in ſenibus medicamenta ſpirituoſa, cephalica, calidiora conveniunt: in juvenibus,

bus, diluentia, analeptica magis proſunt, & memoriæ læſio à veneris abuſu ſæpè dependet.

1. *Amneſia à Venere*, Salmuth Cent. I Obſ. 6; Ettmuller de memoriâ læſa, L.

Res eſt conſideratione digna quod uſus veneris nimius memoriam maximè debilitet, & quod aphrodiſiaca, aromatica, ſpirituoſa, ſatyracea ad memoriam roborandam conducant, ſi tamen cum horum uſu veneri litemus, memoria in totum abit: ſi verò veneri parcamus, inde confirmatur.

Uſus ambræ, adeòque cocolatæ, optimè prodeſt ad amneſiam curandam, ut & aqua magnanimitatis, quam ingrediuntur formicæ; item confectio alkermes & anacardina, licet hæc ultima ſuſpecta ſit. Apud ſenes uſus theæ in hoc morbo valdè laudatur; hæc autem omnia medicamina vi quadam inebriante pollent, ambra ſcilicet, anacardia & thea Sinenſis recens.

2. *Amneſia ſenilis.* Etmuller. ibid. Collect. Acad. T. III p. 165. L.

Non omnes ſenes obliviosi evadunt, ſed maximè illi quorum vita anteacta multis curis aut ſtudiis ſubtilioribus non fuit defatigata; qui ſcilicet lautè & ignaviter vixerunt in deſidiâ & voluptatibus; Docti verò & negotioſi utplurimum judicium & memoriam diutiùs ſervant.

Præter uſum theæ commendantur in hoc morbo folia betonicæ, ſalviæ, lavendulæ, roris marini, roſarum petala; nux moſchata, piper, galanga, cyperus, caſtoreum, thus &c, infuſa in ſpiritu vini quo humectantur nares, tempora, &c; ninſing & genſing ſpecifica cenſentur intùs ad ſcrupulum.

3. *Amneſia traumatica* Schenckii obſerv.; Horſtii, lib. 2 obſ. 7, Hildani centur. 3 obſ. 1. L.

Ea eſt quæ à capitis percuſſione, vulnere aut ictu quovis ortum ducit; ea initio phlebotomias & auxilia alia contuſis convenientia exigit: Extus reſolventia ſpirituoſa, balſamum Commendatoris, aquam vulnerariam &c: hæc ſpecies ſæpè ſanabilis eſt.

4. *Amneſia plethorica; à ſuppreſſis hæmorhoidibus* Zacuti Luſitani lib. 1. obſerv. 47. prax. admirab. *à lochiis ſuppreſſis* Salmuth. cent. 1. obſ. 72. L.

Auxilia à principiis illis ſatis indicantur. *Horſtius* vidit hanc ſpeciem cum ſtultitiâ ſucceſſiſſe illis, qui poſt longam inediam comedere inceperunt.

5. *Amneſia à pathemate* Schenckii obſerv. & Ephem. Natur. Curioſ. L.

Ex metu & terrore ſubitis quandoque memoria abolita eſt, nec non ex vehementi triſtitiâ.

6. *Amneſia cephalalgica* Act. Acad. Par. 1711. L.

Ex diuturno capitis dolore, gravativo, memoria ſæpè aboletur, nec non à cephalalgiâ febrili.

7. *Amneſia à temulentia* Williſii de moroſi.

Eſt ea quæ ab ebrietate, ab opio, à philtris, ſeu venenis dementantibus ortum ducit.

8. *Amneſia febriſequa*, De Meyſerey T. 2 n. 243.

Eſt oblivio quæ poſt febres acutas accedit; ægri vires analepticis reficiantur,

tur, dein veſicatoria vel fontanella adhibeatur; cathartica etiam utilia ſunt, necnon exercitia fortiori, demùm ad thermas confugiendum eſt.

XXII. Agrypnia; Latinis *pervigilium*, *vigiliæ immodicæ*, *vigilium morboſum*. Gallis *inſomnie*.

Eſt pervigilium immodicum ex quo vires imminuuntur, anxietas, inquietudo, cephalalgia, aliaque moleſta ſymptomata oriuntur.

Vulgò duas tertias nycthemeri partes vigilamus, ſeu in ideis claris ex parte animæ, & in aptitudine ad motus liberos exercendos ex parte corporis, vivimus; altera pars tertia ſomno dicata eſt, ſeu quieti corporis & animæ, in quâ ſcilicet torpent omnes artus, & jacent minus apti ad motus muſculares, ſenſatione orbati, dum tamen, ſi inſomnia adſint, ideæ imaginationi oblatæ ſunt clariſſimæ, ideæ verò præſentium objectorum obſcuriſſimæ vel nullæ ſunt, motuſque vitales pacati, regulares, exercentur.

Cùm in vigiliâ vires ab actionibus animæ & corporis continuò abſumantur, eæque ſomno & quiete debeant reparari, evidens eſt quod à longiori pervigilio robur debet ſenſim imminui, hinc laſſitudo, anxietas, continua ſitûs mutatio, perceptiones præſentium objectorum continuò nos afficiunt, attentionem detinent: hinc capitis gravitas, moleſtia animæ, mœror, tædium, & quandoque typhomania.

1. *Agrypnia Arthritica* Boneti Sepulchret. obſerv. 1.

Somno carere qui doloribus vexantur, mirum non eſt, & ea non eſt ſpecies de quâ agitur, ſed eſt ſymptoma omnium dolorum comes; Ex acrimoniâ arthriticâ oriundum pervigilium, atque ex ſiccitate ſanguinis ſero ad exteriora continuò fluente ſuſtentatum exhibet obſervatio præſens. Poſt diram colicam arthriticam homo uſus veſicatorio, incidit in pervigilium nullis remediis domatum, quo occubuit, ſero quidem continuo ex veſicatorio affatim effluente, & tamen aperto cadavere ventriculi omnes cerebri aquâ limpidâ repleti videbantur.

2. *Agrypnia à pathematis*, Willis, de animâ brutor. p. 2. Sennerti Species 5a.

Monſpelii mulier adoleſcens quæ à ſicariis maritum ſuum omninò trucidatum, & ſe ipſam pro mortuâ derelictam viderat, exin per tres pluresve menſes ſomno indulgere non poterat; quoties enim oculos claudebat, dormiendi deſiderio victa, toties cruenta illa ſcena oculis ejus ſe ſiſtebat, ſtrictos ſicariorum gladios, conjugem morientem, ipſique brachia tendentem, ſe ipſam gladiis confoſſam videre ſibi videbatur, & perterrita, ſudans, febriens evigilabat, ita ut metu horumce phantaſmatum ſomnum horreret. Similia exempla refert *Williſius*.

Uſus ſum in hoc caſu non narcoticis, ſed emulſionibus, julepis refrigerantibus &c.

3. *Agrypnia hyſterica* Willis, de anima brutorum part. 2. Cap. 5. L.

Taliter affectis, ut hypochondriacis, hyſtericis, quoties clauſi oculi ſomnos-

nos invitant, accidunt cordis tremores, ſubſultus & conſtrictiones, cum animi deliquiis & reſpiratione impeditâ; aut viſcerum intumeſcentiæ, ardores, præfocationis ſenſus, aliaque ſymptomata pro hyſtericis vulgo habita, ſuccedunt; alii in cruribus & brachiis tendinum ſubſultus, ſpaſmos, tantaſque experiuntur membrorum inquietudines & jactationes, ut ægri haud plus quàm equuleo torti dormire poſſint.

In hoc caſu *Williſius* craſim fluidi nervei vitriolicam eſſe contendit, & veſicatoria laudat ad ſerum acre educendum, ſed errat maximè; & tutius eſt ſanguinis ſiccitatem & acrimoniam, præmiſſis phlebotomiis, ſero lactis, emulſionibus, acidulis aquis, lacticiniis, balneis temperare, & dein ad hypnotica confugere, interpoſitis lenibus catharticis ad viam his medicamentis parandam.

4. *Agrypnia cephalalgica* Boneti Sepulchret. Tom. I. de Vigil. Obſ. 2 & 3.

Poſt contumaces capitis dolores cum febre & vigiliis, morte ſuccedente, obſervarunt Auctores, vaſa piæ meningis ſanguine atro referta, ipſas meninges tumore phlegmonode diſtenſas, puniceas, nigras, gangrænoſas; ſanguinem fluxilem, nigrum è cerebro exſtillantem; quandoque ulcus, ſerum copioſum in ventriculis, ut ex obſervatione 4a, 5a, 6a. ſequitur.

5. *Agrypnia ex pancreate* Bonet. Sepulchr. obſervat. 8.

Mercator, quoties dormire conabatur, incidebat in leipothymiam cum ſudore frigido faciei; de cætero benè valens. Incuſatus eſt ventriculus, adhibita cathartica, cardiaca incaſſùm.

Eo mortuo pancreas inventum eſt abſceſſu tentatum, quod etiam in obſervationibus *Tulpii*, *Riverii*, *Hyghmori* in hoc morbo incuſandum venit.

6. *Agrypnia à dolore* Sennerti Spec. 3.

Omnis ſenſatio fortior & moleſta, ut dolores omnes, omne deſiderium vehemens, ut ſitis, fames, pica, tabacomania, libido, amor, mingendi, dejiciendi neceſſitas, uſquequo expletum ſit deſiderium, ſomnum tollunt.

Difficultas reſpirandi, tuſſis in hydropicis, aſthmaticis, hydrothorace, ubi ſitum ſomno commodum æger ſervare non poteſt, ubi expectorandi neceſſitas urget, ea omnia ſomnum abrumpunt; idem producit omnis ſenſatio vivida, ut lux, ſtrepitus, tactus corporis duri; verùm tamen leve frigus ad auroræ exortum, ſonus lenis, qualis ſuſurrus rivi, pluviæ & ſimilia, ſomnum invitant.

7. *Agrypnia ab indigeſtione* Sennerti; *à vermibus primarum viarum* Horſtii; *ructationi aſſiduæ ſuccedens* Williſii.

Qui ſe in cœnâ ingurgitant utplurimùm poſt primas ſomni profundi horas evigilant cum calore, anxietate, ſudore, febre, & vix ſomnum iterum capere poſſunt.

8. *Agrypnia febrilis* Sennert. Spec. 1a. *Pervigilium febrile* Boerhaave, Aphor. 708. Riverii, de ſymptom. febr. putrid. cap. 2. A.

Non modò febris poteſt ſomnum turbare ratione moleſtæ ſenſationis, ut ſitis,

ſitis, caloris, doloris; ſed etiam à vehementi oſcillatione arteriarum cerebri, ejuſque phlogoſi; hinc enim cephalalgia pulſatilis, ſeu pulſatio importuna.

Curatur quiete muſculari corporis, pace mentis, abſentiâ lucis, ſtrepitûs, objectorum ideas vividas excitantium; frigore modico; aëre humido; victu blando, molli, potu farinoſo, leni, emolliente: ſuſurro leni, aſſiduo, grato, blandè tinnulo; medicamentis farinoſis, ſuboleoſis, humectantibus, demulcentibus; odore vegetabilium ſoporiferorum, uſu anodynorum, paregoricorum, narcoticorum; præmiſſis quæ inflammationi curandæ valent, ut phlebotomia, potu nitroſo, &c: Succus & aqua lactucæ hîc præ cæteris laudantur.

9. *Agrypnia ſenilis* Henrici ab Heers Diſſert. Langii, lib. 1. epiſt. 26. de vigiliis ſenum. L.

Quæ ſenibus familiaris eſt agrypnia vix narcoticis eſt impugnanda, quibus ſcilicet narcotica iſchuriam non raró inducunt, & diverſis modis ab *Heèrs* recenſitis nocent. Optima quæ in hoc caſu conveniunt remedia, ſunt vinum pauló majori doſi ſumptum, & analeptica ſtomachica, ſpirituoſa, ut ambara.

Senum vigiliæ, quæ ſi non excedant, ipſis minùs nocent quàm juvenibus; videntur pendere ex eorum ſanguine ſicciore & acriore, nec non ex curis & ſollicitudinibus, quæ vino abiguntur.

10. *Agrypnia critica*, Preyſinger Claſſ. I. B.

Ea præcedit maximè hæmorrhagiam narium, ſi cognitionis ſigna præceſſerint, atque alia hæmorrhagiæ præſagia comitantur, ut capitis dolor, cervicis tenſio, oculorum rubedo, narium pruritus &c.

11. *Agrypnia ab inſectis.*

Inſecta, forte dicta quia nos inſectantur, magis importuna ſunt noctu *cimex lectularius*, qui morſu, reptatu, fœtore irrequietos nos reddit; *pulex communis* qui vellicat & ut cimex vaſa ſanguinea pungit, cruorem extra vaſa fundit, unde macula rubra virulentia non carens; *culex pippiens* ſuſurro & punctura ut culex pulicarius nos vexat; ſordidos etiam ingrate titillat *pediculus humanus* capillitii hoſpes, *pediculus pubis* qui ſcortis familiaris & à pube ad cilia & ſupercilia ſæpe reptat; *aſilus calcitrator* qui interdiu tibias roſtro tanquam ſubula perfodit; *muſca domeſtica* quæ turmatim ædes ingreſſa per æſtatem, auſtrino potiſſimum coelo, vultum, manus, importune laceſſit & pomeridianum ſomnum interrumpit.

Unguento mercuriali illitis lectulorum compagibus ligneis, aut iis ſpiritu antivenereo *Swietenii*, decocto plumbaginis, lotis, abiguntur cimices: odore tanaceti, abrotani idem efficitur, pulvere tabaci, hordei cauſtici vulgò *cevadille*, ſeminum ſtaphiſagriæ pediculi enecantur; pulex veró non niſi frequenti linteorum mutatione & ſagaci venatione exterminatur. Quoad culices eorum in cubicula ingreſſus arcetur ſedulâ feneſtrarum per diem clauſura, arboribus à domicilio remotis, nocturna luce in cubiculis abſtinendo, lectulum tela ſericea inſectis impervia involvendo. Lappones pice fusâ, Ame-

 ricani

ricani ſucco Bixæ vulgo *Rocou* corpus ſuum obducunt ut à culicibus & muſcis ſe defendant. Muſcæ capiuntur ſi ſalicis faſciculi in camera ſuſpenſi fuerint, dein ſacco involvantur, dum muſcis onuſti ſunt; ſi mel arſenico, ſublimatove corroſivo, napello infectum ipſis offeratur: aſt ſatius eſt interdiu clauſis feneſtris ædes obſcurare; inſecta enim illa tenebras fugiunt.

CLASSIS

CLASSIS NONÆ SYNOPSIS.

FLUXUS.

CHARACTER. Fluxus ſunt morbi quorum præcipuum ſymptoma eſt exitus inſolitus cujuſvis fluidi ſolidive è corpore.

ORDO I. SANGUIFLUXUS eſt ſanguinis, vel ſanguinolentæ materiæ ejectio ſine alvi fluxu.

I. HÆMORRHAGIA, (*Hémorrhagie*) fluxus ſanguinis è naribus.

II. HÆMOPTYSIS, (*Hémoptyſie*) ſanguinis expectoratio cum tuſſi ſine pyrexiâ acutâ.

III. STOMACACE, (*Affection ſcorbutique*) fluxus ſanguinis è gingivis ſæpiùs fœtidis, putridiſve.

IV. HÆMATEMESIS, (*Vomiſſement de ſang*) ſanguinis rejectio ex œſophago cum vomitorio conatu.

V. HÆMATURIA, (*Piſſement de ſang*) ſanguinis, fluidive rubri per vias urinarias emiſſio.

VI. MENORRHAGIA, (*Perte rouge*) ſanguinis per uterum aut vaginam fluxus vitioſus.

VII. ABORTUS, (*Avortement*) fœtûs immaturi, ſæpiùs cum menorrhagiâ, ex utero excluſio.

ORDO II. ALVIFLUXUS eſt materierum in primis viis contentarum vitioſa per os aut anum rejectio.

Dividuntur in ſanguinolentos & feculentos.

1°. *Alvifluxus ſanguinolenti.*

VIII. HEPATIRRHŒA, (*Flux hépatique*) eſt alvi fluxus per inferiora ſanguinolentus, nec ater, nec torminoſus.

IX. Hæmorrhois, (*Flux hémorrhoïdal*) eſt fluxus cruentus, ex podice, vel recto mariſcis ruptis obſito.

X. Dysenteria, (*Dyſenterie*) eſt frequens, torminoſa, ſæpè teneſmodes, fecum cruentarum per inferiora dejectio.

XI. Melæna, (*Maladie noire*) eſt fluidi atri per ſuperiora, vel inferiora frequens rejectio.

2°. *Alvifluxus non ſanguinolenti.*

XII. Nausea, (*Nauſée*) eſt inanis vomendi conatus, & flatûs tantùm per os emiſſio; affinis eſt aërifluxibus.

XIII. Vomitus, (*Vomiſſement*) ſeu frequens vomitio, eſt palpabilium materierum, non cruentarum, facta per os, œſophagumque rejectio frequens.

XIV. Ileus, (*Paſſion iliaque*) eſt atroci circa epigaſtrium dolore, ſeu gaſtrodyniâ, alvi conſtipatione, & feculentæ demùm materiæ vomitione, notatus.

XV. Cholera, (*Cholera-morbus*) eſt ſyndrome ex vomitu, diarrhœâ & gaſtrodyniâ ſæpè cum ſurarum crampo.

XVI. Diarrhœa, (*Diarrhée*) eſt excrementitiorum humorum frequens, vel intempeſtiva dejectio.

XVII. Cœliaca, (*Paſſion céliaque*) eſt albeſcentium, aut chilacearum materierum dejectio.

XVIII. Lienteria, (*Lienterie*) eſt celer ſtatim à paſtu facta ingeſtorum, vix mutatorum dejectio.

XIX. Tenesmus, (*Teneſme*) eſt muci pauci frequens dejectio cum intenſâ dejiciendi cupiditate, & aſſiduo conatu.

ORDO III. Serifluxus, eſt fluidi cujuſvis, ſed non ſanguinolenti, nec alvini effluxus.

XX. Ephidrosis, (*Sueur*) eſt ſudoris quantitate, qualitate, intempeſtivitate peccantis effluxus.

XXI. Epiphora, (*Larmoyement*) eſt vitioſus ex oculis humoris lachrymalis, ſebacei, vel purulenti effluxus.

XXII. Coryza, (*Coryze*) eſt humoris ſeroſi, mucoſive è naribus effluxus ſine ozænâ, ſæpiùs cum gravedine.

XXIII. Ptyalismus, (*Ptyaliſme*) eſt ſalivæ uberior, frequentiorve rejectio, aut deſtillatio.

XXIV. Anacatharsis, (*Expectoration*) eſt muci, puriſve è pectore facta per os cum tuſſi rejectio.

XXV. Diabetes, (*Diabete*) ſubita poſt paſtum potulentorum cum magnâ ſiti, per urinæ vias, emiſſio.

XXVI.

XXVI. Enuresis, (*Incontinence d'urine*) involuntaria, doloris & ardoris expers, mictio.

XXVII. Dysuria, (*Ardeur d'urine*) difficilis & dolorifica, ſæpiùs ardens, urinæ immiſſio.

XXVIII. Pyuria, (*Piſſement de pus*) eſt purulentæ, albeſcentis, aut viſcido-mucoſæ materiei mictio.

XXIX. Leucorrhœa, (*Fleurs blanches*) eſt ſeroſo-flavæ, vel puriformis materiæ ex utero delapſus.

XXX. Gonorrhœa, (*Gonorrhée*) eſt ſtillicidium fluidi ſeminalis, vel puriformis ex urethrâ, aut ex vaginâ.

XXXI. Dyspermatismus, (*Sorte de ſtérilité virile*) eſt tarda, vel debilis ſeminatio in actu conjugali facta, indeque ad generationem inſufficiens.

XXXII. Galactirrhœa, *Ecoulement de lait*) eſt ſtillicidium lactis ex mammis.

XXXIII. Otorrhœa, (*Ecoulement de l'oreille*) eſt fluxus ex auris cavo, ambitu, aut parte poſtica.

ORDO IV. Aerifluxus, eſt flatûs, halitûſve vitioſa emiſſio.

De *Nauſeâ* vide Alvifluxus. De *Tuſſi* vide Anhelationes.

XXXIV. Flatulentia, (*Ventoſité*) eſt morbus flatuum per inferiora, vel ſuperiora emiſſione frequenti, & borborygmis ſtipatus.

XXXV. Ædopsophia, eſt flatuum per urethram, vaginam, vel uterum emiſſio.

XXXVI. Dysodia, (*Puanteur*) eſt miaſmatum fetidorum exhalatio.

Nota. In hiſce morborum characteribus non tradimus eorum definitionem, ut exiſtimant plures Philiatri, qui characterem cum definitione confundunt; ut rectè definiatur quodvis genus, referendum eſt præcipuum ſymptoma, ſed non omittenda alia quorum concurſus ipſum genus conſtituit; in charactere verò quem tradimus, ſufficit præcipuum ſymptoma, cujus ope in datâ claſſi & dato ordine hoc genus ab aliis ſufficienter diſtinguitur.

CLASSIS NONA.

FLUXUS,

SEU

MORBI EVACUATORII.

QUæ debent intra corpus humanum aliquandiù retineri, ut, quibus deſtinata ſunt uſibus, inſerviant, ſi citiùs, frequentiùs, uberiùs quàm par eſt ejiciantur, vitioſam evacuationem conſtituunt.

Evacuatio eſt itaque morboſa, ſi continenda ad ſanitatem utilia, aut tardiùs, rariùs, dato tempore ejicienda, uberiùs, maturiùs, difficiliùs importunè foras amandentur, atque hæc *fluxus* nobis vocantur. Quæ effluunt ſunt vel *ſolida*, ut fœtus, ſecundinæ; vel *peregrina*, ut calculi, inſecta; vel *fluida* ordinaria, ut ſanguis aut humor; vel *vitioſa*, ut pus, ichor: humores verò ſunt vel *excrementitii*, ut fex, urina, ſudor; vel *recrementitii*, ut ſaliva, bilis; vel *reparantes*, ut chylus, lac, ſemen, vel demum flatus, &c.

Viæ per quas fiunt evacuationes, ſunt vel ordinariæ, ut os, nares, urethra, anus; vel inſolitæ, ut vulnus, ulcus.

Morbi evacuatorii dividi poſſunt in *ſanguifluxus*, cruoris effluxu notatos; *ſerifluxus*, lymphæ, urinæ, ſudoris, muci, ſimilisve fluidi evacuatione inſignes; in *alvifluxus*, & demùm *aërifluxus*, ut in flatulentiâ, &c.

Fluxus ſunt vel activi vel paſſivi. Activi dicuntur quos natura proritat, ſive materiei morbificæ, ſive medicaminis ſtimulo ſollicitata, ſive conſentiat, ſive diſſentiat voluntas; ſic activa eſt fœtûs excluſio. Paſſivus eſt fluxus quem potentiæ animatis corporibus propriæ non excitant, qualis eſt

fluxus ſanguinis ex vulnere, humoris amnii ex utero, urinæ ex veſicâ, cujus ſphincter eſt reſolutus.

Theoria. Fluidum in veſicâ contentum, effluit quoties vix expultrix quæcumque fuerit, vires quibus intra veſicam retinebatur, ſuperat, adeoque cauſa effluxûs eſt vis expellentis exceſſus ſupra retentricem, ut loqui amant Veteres.

Vires autem quarum actione expelluntur fluida, è ſuis conceptaculis aut vaſis ſunt, vel ex parte fluidorum, vel ex parte vaſorum, & partium adjacentium: fluida enim ſive contenta poſſunt niti in exitum vel ratione 1° Gravitatis ſuæ; ſic ex recto cadaverum, ex veſicâ paraplegicorum, ex ore ſalivantium, ex vulnere liquida, ſi loci declivitas permittat, propriâ gravitate prorumpunt: 2° Rarefactionis energiâ; ſic flatus in inteſtinis vel in ventriculo expanſi propriâ elaſticitate, tùm ano, tùm cato explodun-tur: 3° Vi propriâ, ſi quæ continentur animata fuerint, ea poſſunt partim exſilire, ut fœtus ex utero, inſecta ex œſophago, ano, &c.

Continentia verò poſſunt agere in contenta, eaque foras expellere, 1° vi muſculari vel voluntariâ, ut vis linguæ & labiorum ſalivam exſpuit; vel naturali, ſive coactâ, ſive ſpontaneâ, ſic coacta per dolores natura fœtum ex utero propellit, ſpontè verò ſalivam appoſito jucundo cibo in oris cavum prolicit; coactè hydrophobus vicina conſpuit; ſpontè & cum voluptate alvus pigra exoneratur: 2° Vi elaſticâ; ſi priùs parietes receptaculi continentis fuerint diſtenſi & minuatur orificiorum reſiſtentia; ſic puncto tympanitici, aſcitici abdomine, etiam poſt mortem, fluida contenta ejiciuntur.

Principia effluxuum frequentiſſima ſunt 1° in contentis moles adaucta; ſic urinæ moles intra ſex horas collecta pondere ſuo moleſtiam creat, ex quâ ad mictum ſollicitamur: 2° Acrimonia; ſic ſeminis fervidioris ſtimulus naturam ad ejus emiſſionem proritat, & calculi in veſicæ collo vellicantis ſtimulus cogit ad evacuandam ſæpiùs veſicam: 3° in continentibus vitioſa conſuetudo voluntariè acquiſita facit ut ſalivam utilem exſpuant melancholici: 4° Pathema animi lachrymas exprimit in mœſtitiâ, urinam in iræ defervеſcentiâ, feces in terrore, ſudorem in ſummâ anguſtiâ, vomitionem excitat in abominatione: 5° Natura quò ſe vertat neſcia & ſummo periculo perturbata conatus ſpaſmodicos, anomalos exerit, unde vomitus hyſterici, ſpumæ epilepticorum, aliaque ſimilia molimina: 6° Senſibilitas nimia, ſive conſueta, ſive à phlogoſi oriunda anſam præbet conatibus excretoriis; ſic inflammatus ventriculus omnia vomitu rejicit, etiam blandiſſima; ſenſibilis nimium, &, ut aiunt, delicatulus, ad nomen rei fœdæ nauſeat.

Effluxibus paſſivis anſam præbent 1° quæcumque orificia nativa dilatant; ſic reſoluto ani ſphinctere feces effluunt; vel 2° quæ orificia inaſſueta cudunt, ut vulnerantia, rodentia, ſuppurantia.

A verò longè aberrant Neoterici qui principium effluxûs paſſivi, pro cauſâ effluxûs cujuſvis incuſant, nec attendunt ex ſolutione, vel ruptione venæ non neceſſariò ſequi ſanguinis effluxum, quod barbitonſoribus ipſis notum eſt.

eſt. Sectâ enim venâ ſanguis non effluit niſi præmiſſâ ligaturâ vena ſanguine diſtendatur aut contractione manûs, tuſſi, vis expellens intendatur.

Diabroſis eſt eroſio vaſorum vel receptaculorum facta à cauſis phyſicis, ut ab energiâ puris, ichoris, putredinis; ſic à diabroſi vaſorum pendet puris effluxus.

Rixis ſeu ruptio eſt ſolutio continui facta à preſſione mechanicâ contentorum in continentia ſive à diſtenſione ab intùs extro vergente; ſic crepant clauſtra abdominis in herniâ ventrali, vaſa ſanguifera à ſanguine congeſto rumpuntur, unde hæmorrhagia.

Diæreſis eſt ſolutio continui à cauſa mechanicâ extus agente, ſecante, vulnerante, ut in phlebotomiâ, amputatione, paracenteſi.

Anaſtomoſis eſt orificiorum nativorum diductio, unde fluxus juvatur, vel augetur; ſic intruſo cathetere, intruſâ candelulâ diducitur urethra, unde fluxus urinæ vel enureſis.

Diapedeſis eſt diductio fibrarum mutuò decuſſatarum parietes vaſis vel receptaculi conſtituentium à vi fluidi diſtendentis; ſic veſica ſuilla, per tubum ejus orificio adaptatum, recipiens aquam ex aliquot pedum altitudine ſuperincumbentem, diſtenditur & per fibrarum intercapedines aqua undique tranſudat; ſic cyſtis fellea bile vicinum colon inficit; ſic fœdus ſtercoris halitus per inteſtina in hernioſis diſtenſa tranſudat.

Omnis effluxus vel ſimpliciter *evacuatorius* eſt, vel ſimul *revulſivus*, aſt nunquam *derivativus*. Evacuatorius dicitur quatenus molem fluidorum corporis humani imminuit; *Revulſivus* quatenus ſtipatur conſtrictione aliarum partium è quibus fluidum exprimitur, & ſic minor eſt in vaſis ita contractis fluidi copia quàm fert nativa illorum diameter.

Effluxus evacuatorius cujuſcumque fluidi cæterorum fluidorum molem ſenſim minuit, quia cùm omnia corporis vaſa invicem communicent & nitantur in ſui contractionem, detracta alicubi fluidi mole & reſiſtentiâ, cæteræ partes faciliùs contrahuntur, & verſus partem minus renitentem ſuum emittunt fluidum uſque ad æquilibrium: ſic detracto per menorrhagiam uterino ſanguine ſanguis pone ſequens ex arteriis hypogaſtricis & ſpermaticis abundantiùs in uterum affluit, nec tantumdem per venas cognomines reſtituitur maſſæ, unde parcior in cor reverſa moles parciùs cuique parti diſtribuitur; hinc minuitur mutua fluidorum & ſolidorum preſſio, minuitur pondus, ſenſus moleſtus ex hac preſſione oriundus, laxantur ſolida, fluida, ſi eadem vi protruſa fuerint, faciliùs provolvuntur in ratione imminutæ reſiſtentiæ; hinc plurima in plethoricis commoda: aſt in ſanis vitioſa exſurgit laxitas, debilitas, mentis languor, cutis pallor, frigoris ſenſatio, & mala hinc plurima.

Effluxus revulſorius eſt, ſi quædam pars contracta fluidis ſuis exoneretur, & ſic minori proportione recipiat novum fluidum quàm fert ejus vaſorum conſueta capacitas; ſic *fiſtuloſis* ulceribus veſicæ apertis cùm urina quâ datâ portâ effluit, ita conſtringitur urethra ut ne minimam urinæ guttulam tranſmittat; ſic vomitu habituali, ita coarctantur inteſtina ut quadruplo minorem

rem acquirant diametrum & alvus pertinaci conſtipatione claudatur ; ſic in hæmoptyſi febrili non raro frigent & contrahuntur partes extremæ cùm cruor in pulmones ſaucios uberiùs influit, ille ab artubus revelli videtur.

Praxis. Fluxus ſunt vel ſalubres & critici, vel inſalubres & noxii, quod diſcrimen ex æquâ & juſtâ Medici penſitatione repetendum eſt, nec enim omninò inſalubris cenſendus ille qui vires ægri detrahit, niſi tantùm detrahat ut ad ſuperandum morbum & vitam protrahendam non ſufficiant, quæ ſuperſunt. Salubris cenſendus eſt ille effluxus ex quo rationabiliter ſperandum eſt fore ut gravior morbus avertatur aut auferatur ; nulla itaque effluxus quantitas abſoluta ſalubris aut inſalubris pronuncianda eſt cùm vel minima debilibus lethalis & maxima robuſtis, plethoricíſque ſalubris eſſe queat ; Medici prudentis eſt accuratè perpendere num fluxum intendere & prorogare, num ſiſtere, num verò naturæ committere debeat ? quod pro diverſis morborum generibus, ſpeciebus & pro diverſis ægri circumſtantiis variat ; in genere effluxus paſſivos, intempeſtivos, uberiores, ſiſtere opus eſt ; criticos, activos, difficiles, parciores, aſſuetos ſæpè juvare & proritare convenit ; moderatos activos in robuſtis cùm non evidentia rationum momenta nos huc vel illuc determinant, ſatius eſt naturæ committere ; provocant verò effluxus omnia principia ſuperiùs expoſita, ut quæ augent fluidi molem, acrimoniam, receptaculi preſſionem, erethiſmum orificii, vel ſphincteris laxitatem, debilitatem ; hinc verò liquet etiam quibus auxiliis ſiſti vel imminui poſſint qui ſiſtendi ſunt vel imminuendi. Auxilia verò ſunt gymnaſtica, diætetica, chirurgica, vel pharmaceutica ; quiete mentis & corporis ſedantur omnes effluxus quos muſculoſa contractio promovet ; aſt ſomno ſudor & catamenia uberiùs fluunt ; poſitura quæ gravitati liquidi fluxuri velificatur eſt vitanda ne affluxu liquidi vis expultrix irritetur ulterius.

Alimenta quæ intendunt vitium fluidi, unde fluxus procedit, ut ſtimulantia, condimenta, ſpirituoſa in hæmorrhagiis activis fugienda, atque vegetabilia parum nutrientia in plethorâ cæteris ſunt anteponenda. In effluxibus paſſivis mira præſtant vincula, faſciæ, ligaturæ, turundæ, torcularia, ſi ad originem mali hæc auxilia perveniant : in certis caſibus phlebotomiæ revulſivæ, vincturæ nimiùm à Veteribus laudatæ ; medicamenta quæ vaſorum conſtrictionem & fluidorum coagulationem inducendo valent effluxus cohibere *adſtringentia* nuncupantur. Ea intùs & extùs adhibentur impari ſucceſſu, feliciùs ſemper ubi loco affecto immediatè applicantur, infeliciùs cùm eluctanda ſunt vaſa chylifera, ut ad partem læſam deveniant, maximè ſi ſtomachus irritatus & malè ſe habens ea reſpuat & ab illis lædatur, quod ſæpiùs accidit, adſtringentia in fluxibus hæmorrhagicis paſſivis tutiſſima ſunt ; aqua ſtiptica D. Matte quâ imbuti plumaceoli vulneribus, naribus, hæmorrhoidibus applicantur ; lamina boleti igniarii vulgo *amadou* quæ amputatis, vulneratis partibus feliciter apponitur ; lintea carpta quæ recens ſectis abſceſſibus, ulceribus exſiccandis induntur ; ſtupæ pulvere vitrioli, colcotharis, aluminis, ſanguinis draconis onuſtæ, quæ exciſis partibus ad cohibendum ſanguinem ſuperimponuntur ; *crepitus lupi*, cujus pulvere aſper-

guntur ; huc & nummularia , muſci quercini , uſnea , geranium Robertianum , millefolium pertinent.

Adſtringentibus tutiora ſunt in fluxibus activis internis , quæ vel naturæ conatus moderantur , ut anodyna , narcotica , ut in dyſenteriâ , teneſmo , vel quæ principium morbi tollunt , ut cathartica in diarrhœis , vel quæ utrumque ſimul præſtant , ut mucilaginoſa in tuſſi , dyſuriâ , teneſmo ; tum & abſorbentia , nec non quæ conatùs naturæ aliò divertunt & materiem morbificam ab inteſtinis derivant , ut ſudorifica in diarrhœâ ſeroſâ.

Nuper *clariſſimus Medicus Univerſitatis Monſpel. Doctor Theophilus de Bordeu* inventis *Don Solano* & *Nihell* ſua de pulſu critico addidit , & ex pulſu diverſos fluxus præſagiendi modum docuit : contendit ſcilicet , ut fluxus ita & pulſus alios eſſe ſuperiores , alios inferiores ; *ſuperior* pulſus ſeu qui fluxus ex naribus , gutture , œſophago &c , prænunciat in morbis acutis , cognoſcitur ex pulſatione ſeu diaſtole identidem duplicatâ ſeu bipartitâ , *Dicrotum* pulſum dixit *D. Solano. Inferior* pulſus denunciat fluxus alvinos , hæmorrhoidales , uterinos , urinoſos &c , & cognoſcitur ex pulſationibus magnitudine & ordine inter ſe inæqualibus cum aliquali ſubſultu ; huc pertinet pulſus *inciduus* qui ſudorem præſagit ; omnes pulſus critici ſunt evoluti , non contracti , & dividuntur in ſimplices , compoſitos & complicatos , de quibus auctor ipſe conſulatur.

Omnes ferè fluxus ſunt periodici , paroxyſmis per intervalla recurrentibus , exceptis fere gonorrhœa , galactirhœa & leucorrhœa , quæ continuæ ſunt.

ORDO PRIMUS.

SANGUIFLUXUS.

SUNT illi quorum ſymptoma præcipuum eſt materiæ cruentæ , vel ſanguinolentæ , aut rubræ effluxus : *Hippocrati* Phleborrhagiæ *de diæta l. 4 n. 86.*

Pulſus , qui ſanguifluxus criticos prænunciat , eſt fortior initio , & magis renitens quàm qui alios fluxus præcedit , vel comitatur : eſt autem ſimul dicrotus ſi ſuperior , ſubintermittens ſi inferior , ex *clariſſ. de Bordeu.*

Theoria. Cruor in arteriis , venis & corde ita continetur , ut per excretoria vaſa ipſis arteriis continua , & extrorſum patula non poſſit amandari , tùm quia reſiſtit ratione viſcoſitatis ſuæ quæ impedit quominùs in adeò minutas guttulas dividatur , quæ poſſint tam anguſta vaſa ſubire , tùm quia non ſufficienti cordis vi pellitur , ut ea vaſa diducere , & in minutias reſolvi , ſeu ſubdividi queat. Unde , ut ſanguis è vaſis ſuis effluat , neceſſum eſt ut vires truſivæ augeantur , vel ut reſiſtentiæ ex parte ſanguinis & vaſorum imminuantur , vel utrumque ſimul accidat.

Vires

Vires quibus potiſſimùm ſanguis truditur ſunt altæ & veloces cordis contractiones, quales fiunt in exercitiis violentis, febribus ardentibus, unde hæmorrhagiæ, necnon niſus muſculorum quaſdam partes ambientium, ut niſus ad fœtum expellendum, ad feces ejiciendas, quibus hæmorrhois, menorrhagia, ſimileſque ſanguifluxus vel excitantur, vel renovantur.

Principia niſus cordis ſollicitantia ſunt ut plurimùm, 1° plethora quæ vaſculoſum ſyſtema moleſtat ſuo pondere, infarcit, & obſtruit ſuâ viſcoſitate, unde qui opiparè lautèque vivunt, qui liquoribus ſpirituoſis, ferculis nimiùm conditis & ſucculentis utuntur, his malis ſunt ſæpiùs obnoxii. 2° Infarctus & ſtaſes quarumdam partium, ut uteri in mulieribus quadragenariis, podicis & hepatis in otioſis, unde hæmorrhois; capitis in pueris inſolationem expertis, unde hæmorrhagia narium: 3° Fervor & ſpirituoſa craſis ſanguinis vaſa titillans excretiones ſanguinis etiam ſollicitat, maximè verò acrimonia ſcorbutica.

Vires quibus ſanguis intra vaſa coercetur, ſunt 1° vaſorum integritas & clauſura, 2° ipſius ſanguinis viſcoſitas.

1°. Arteriæ omnes firmiter ſtructæ ſunt, at quarum majus rixis periculum immineret ab impetu ſanguinis, ut in arteriis majoribus, harum nativa firmitas tanta eſt, ut preſſionem ſanguinis vigeſies majorem quàm in ſanitate conſuevit eſſe, citra rupturam poſſint experiri, obſervante *Haleſio*; verùm à vulneribus per diæreſim factis ea tenacitas poteſt ſuperari; ſic calculis commotis vaſa renalia lacerantur, unde hæmaturia; ingeſtis hirudinibus vaſa ventriculi ſauciantur, unde hæmatemeſis, vel hepatirrhœa, &c.

2°. Vaſa minima vim quidem habent ſufficientem, quâ transfluenti ſanguini ea debiliſſimè prementi reſiſtant; aſt illis obſtructis tunc integra preſſio cordis in ſanguinem illa ſubeuntem fertur in eorum parietes, adeòque ſufficit ad eos vel rumpendos, vel ſaltem diducendos, inde hæmorrhagia per rixim, vel per anaſtomoſim, ſi nulla diapedeſis obtineat; hinc iterùm patet quare infarctus ad hæmorrhagias dupliciter conferat. *Vide theoriam pulſûs.*

3°. Vaſa tùm majora, tùm minora à purulento, ichoroſo, ſphaceloſo, carioſo, cancroſo, ſcorbutico, &c, viru poſſunt erodi; inde verò hæmorrhagiæ magnæ vel parvæ; quandoque ruptis anevryſmatibus ſubitò lethales oriuntur; anevryſmata ſic rupta ſemper inveni, intùs cartilagineis quidem lamellis incruſtata, ſed in punctis nigris, ſphaceloſis hiantia.

4°. Viſcoſitas nativa eſt maxima parum à Medicis perſpecta; ſed ſi decies eluantur vaſa & viſcera aquâ puriſſimâ continuò renovatâ, ultima lotura etiam viſcida eſt, ut ex ſapone diſſoluto viſcidior non ſit; hæc viſciditas robuſtis, ſanguineis major, debilibus, cachecticis minor, in quibuſdam morbis putridis, malignis, minima; eâ ſublatâ quid obſtat quominùs cruor vaſa ſecretoria ſubeat, ut experimenta docent fieri in pulmonibus ſatis elotis, ut ſudor ſanguineus & hepatirrhœa ſuadent.

Praxis. Cauſa morbi indicat ut principia conatus cordis & vaſorum ſollicitantia, ipſique conatus auferantur, ſimulque ut reſiſtentiæ ex parte ſan-

guinis & vaſorum reſtituantur, augeantur, ſi ſanguifluxus imminuendus ſit, vel ſiſtendus, ſeu ſit inſalubris.

Ea verò auxilia cæteris ſunt anteponenda, quæ pluribus ſimul indicationibus ſatisfaciunt, ſive indicationes ſint ritè perſpectæ, ſive per conjecturam ſubodoratæ.

Sanguifluxûs principium eſſe plethoram commotam judicamus ex cauſis plethoræ in pathologiâ recenſitis, & ex ſignis velocitatis ſanguinis.

Ingeſta ſucculenta copioſa, vires digeſtivæ magnæ cum vitâ otioſâ; ſuppreſſio catameniorum, hæmorrhoidis, verna tempeſtas, ætas juvenilis, color floridus, calor intenſus, pulſus plenus, ea omnia indicant phlebotomiam repetitam initio morbi factam, victum tenuem ex vegetabilibus, cremoribus, quietem animi & corporis, potum refrigerantem, ſubadſtringentem; ſponté ceſſant hi ſanguifluxus, & ægrum ſublevant ſæpiùs.

Si ſanguifluxus oriatur à fervore, velocitate fluidorum, indicantur etiam iteratæ phlebotomiæ, quies, potus acidi, inter quos nullus præſtantior ad ſiſtendam hæmorrhagiam quàm aqua Rabel parcâ quantitate, aut ad gratam aciditatem immixta aquæ fontanæ; conveniunt etiam infuſa ex floribus roſarum, decocta foliorum plantaginis, polygoni, radicum ſymphiti, biſtortæ, quæ vi refrigerante ſimul & adſtringente utrique indicationi ſatisfaciunt.

Si verò ſanguinis diſſolutio, acrimonia ſcorbutica hæmorrhagiæ anſam præbeant, parciùs vena ſecanda eſt, ſed acida, acerba cum incraſſantibus, edulcorantibus ſunt præſcribenda, quò pertinent catechu, ſanguis draconis, fungus melitenſis, hypociſtis, balauſtia, acacia vera, & radices tormentillæ, biſtortæ, ſymphiti, folia vincæ, geranii, equiſeti, anſerinæ, agrimoniæ, ſaniculæ, ex quibus variæ formulæ parari poſſunt. Si quando ſanguifluxum ex quâcumque parte foveat febris cum indiciis putredinis primas vias infeſtantis, ut cum linguæ ſorditie, oris amarore, cardialgiâ, nauſeâ, & præmiſſis phlebotomiis natura viam monſtret, ipſamet emetica, ſed prudenter ſunt adhibenda, quod in dyſenteriâ vulgò fieri aſſolet, ſed etiam in menorrhagiâ pluries ſucceſſit; tunc autem uſurpanda mitiſſima, ut raphani ſemen, ſyrupus Glauberi, vel & ſimul aſtringentia, ut radix ipecacuanhæ, quorum operatio potu aqueo diluente paranda eſt; profuſas hæmorrhagias ſequitur cachexia & aſcites cum pedum œdemate, ſiti, urinâ lixivioſâ, &c.

I. HÆMORRHAGIA; *Aimatiſmos* Dict. Univ.; *Profluvium ſanguinis*, *ſtillicidium ſanguinis*; *Hémorrhagie du nez*.

Docet *Galenus Comm.* 1. *Epidemic.* hoc nomine, ſine partis epitheto, narium hæmorrhagiam intellexiſſe *Hippocratem*, in quo ſenſu à nobis ſumitur. Hæmorrhagiæ propriè dictæ nomine *Hippocrates* intellexit fluxum ſanguinis cum impetu è naribus erumpentis: *Erroufim* vocat eum qui ſenſim fit, & *Stalagmon* qui ſtillatim; ſed plus vel minùs non mutat genus, nec nomen genericum.

Chara-

Character. Hæmorrhagia eſt quicumque effluxus ſanguinis è naribus; membranam pituitariam, adeoque ſinus frontales, ſphænoidales, maxillares irrigant arteriæ è maxillari internâ oriundæ, venæ ad jugularem externam ſanguinem revehunt, & non ſolùm ab arteriis congeneribus hunc reducunt, verùm etiam à ſinubus orbitariis, & è ſinubus duræ matris quibuſcum communicant, ita ut auctâ verſus jugulares internas reſiſtentiâ ex illis & ſinubus duræ matris cruor verſus naſales venas divertatur, & datâ earum aperturâ effundatur.

Glandula pituitaria, corpus ſpongioſum ſellæ turcicæ impoſitum, ope infundibuli accipit ex tertio & duobus lateralibus cerebri ventriculis, ſerum ſuperfluum, quod in illis in ſtatu morboſo exundat; illa verò glandula cingitur vaſculis, ſeu ſinubus circularibus qui cum cavernoſis utrinque communicant, hac viâ ſerum illud cum ſanguine ad narium vaſa, potiſſimum ſi rupta fuerint, derivari poſſe veroſimillimum eſt; hinc hæmorrhagiâ cerebrum à pluribus infarctibus & morbis liberari quotidiana docet experientia.

Sanguis eò fertur ubi minor eſt reſiſtentia, cùm undequaque premitur; in majoribus quidem arteriis impetus à corde acceptus tantus eſt, ut vix poſſit retrogredi à levibus obicibus oppoſitis; verùm in minimis vaſis, potiſſimùm venoſis reticularibus, ſanguinem levi oblato obice non ſolùm per venas, ſed etiam per arteriolas retrogredi docet inſpectio microſcopica in pedibus ranarum; imò ex minoribus vaſis rapi, aut velut attrahi in majora, quoties velocitas in illis majoribus eſt notabilis, & facultas fluxûs magna, docet *Bernouillius in Hydrodynamicâ*, docet transfluxus chyli ex canali thoracico in venam ſubclaviam; hæc ideò adduco quia à paucis cognita, & tamen ad intelligendam horum morborum theoriam apprimè faciunt; hinc enim patet quorſum ab hæmorrhagiâ narium internæ capitis partes ſubleventur.

Symptomata. Capitis gravitas, cephalalgia, vertigo, ſomnolentia, pruritus narium, motus febrilis hæmorrhagias tantùm activas præcedunt, & deſignant naturæ conatus ad ſe liberandum à ſanguine ſuperfluo & oneroſo.

1. *Hæmorrhagia paſſiva.* D.

Ea eſt quam caſus, ictus in naſum & frontem, vel capitis concuſſio excitant, vel quam corpora acuta aut ſtimulantia in nares immiſſa producunt, & in hoc caſu ſæpè ſternutamenta eam comitantur.

Curatur 1° mechanicâ compreſſione per turundam ex linteo factam, & intra nares immiſſam; 2° phyſicè per ſtiptica ſub formâ fluidi, vel pulveris in nares intruſa, aut inſpirata, ut aqua ſtiptica D. Matte, alumen, vitriolum viride, ex quo ad ſolem calcinato fit pulvis *ſympathicus* dictus.

2. *Hæmorrhagia plethorica.* B. P.

Illa ſine febre junioribus utplurimum vere & initio æſtatis accidit, ſæpius horis matutinis cùm primâ vice accedit; deinde verò occaſione inſolationis, aut alterius erroris in gymnaſticâ, vel in diætâ, unde plethora creſcit, vel commovetur; hanc præcedunt capiplenium, ſtupor, cephalalgia, vertigo, ſimiliaque ſymptomata, quæ ſanguine effluente ſublevantur.

Si copioſior ſit hæmorrhagia , ea venæ ſectione , refrigerantibus , acidis intùs ſumptis , extùſque applicatis , demùm aſtringentibus ſuperiùs recenſitis , ſanatur. Novi adoleſcentem qui æſtate ob inſolationem hæmorrhagiâ correptus ſe demiſit in flumen , atque ſic hæmorrhagiam illicò ſanavit.

3. *Hæmorrhagia febrilis* Boerhaave *aphor.* A. P.

Hæc vel eſt eſſentialis , vel ſymptomatica. Eſſentialem comitatur motus febrilis , intermittens , typo quotidianæ , qui adoritur cum levi frigore , deinque calore , capitis gravitate , & tunc ſanguis effluit. Symptomatica ut plurimùm ad morbos febriles exacerbantes , vel continuos ſub finem accedit , & ea vocatur *critica* ſi ſalubris , *morboſa* quæ inſalubris.

4. *Hæmorrhagia critica.* B. P.

Tales ſunt quæ moderatâ quantitate cum ſymptomatum graviorum imminutione , poſt ægritudinis ſtatum , non verò in augmento fiunt , quæ hæmorrhoidis , aut catameniorum vicaria eſt , ut mulieribus hæmoptoicis , *aphor. 32. 5.* quæ cum ſurditate in febribus accidit , *aphor. 604.* quæ die critica debitâ copiâ accidit.

Hæmorrhagiam præſagit pulſus dicrotus , vel ſubſultans , ſeu cujus identidem pulſationes coincidunt ; ſi prima pars ſit major poſteriore , quantitas ſanguinis parva eſt ; ſi ambo ictus vehementes , æquales , hæmorrhagia mediocris erit , ſi primum ictum altiſſimè ſequatur , citò fiet hæmorrhagia ; quò ſæpius in ſerie pulſationum revertitur pulſus dicrotus , eò citiùs fiet hæmorrhagia , ut ſi qualibet trigeſimâ pulſatione revertatur , hæmorrhagia intra quatriduum ; ſi qualibet decimâ ſextâ , intra triduum ; ſi qualibet octavâ , intra biduum ; ſi qualibet quartâ , intra diem ſuperventura eſt hæmorrhagia ; ſi ex carpo dextro major ſit ſubſultus , ex eodem latere exſpectanda naris hæmorrhagia ; ſi inconſtans ſit ſubſultuum recurſus , incertum eſt tempus hæmorrhagiæ : *Nihelli obſerv.* Præcedit quandoque hanc hæmorrhagiam nauſea vel vomitio , aut manuum tremor.

5. *Hæmorrhagia inſalubris.*

Illa eſt quæ tum in morbis acutis initio & augmento fit , ſine ægrotantis levamine , cum delirio , ſopore , ſpaſmodicis motibus , pulſu molli & parvo , vel inæquali , quæ ſtillatim procedit , ſtatimque evaneſcit. Quæ diebus criticis cum perfrigeratione eximiâ. *Duret. 10. Coac.* Quæ è diverſo latere fluit , ut in lienoſis è dextro , *Coac.* 202. Quæ cum deſipientiâ , aut ſpaſmo fit hæmorrhagia , mala. *Aphor. 9 , S. 7.*

Dupliciter eſt inſalubris hæmorrhagia ſymptomatica , tùm quæ profuſa , ita ut vires exſolvat , unde pulſus parvus , inæqualis , mentis terror , delirium , ſpaſmus ; tùm quæ viribus exſolutis , etiam ſub finem morbi , ſed die non criticâ v. g. undecimâ , accidit ; imperfecta , ut leve ſtillicidium etiam repetitum , quod fruſtraneos naturæ labaſcentis conatus indicat , *Coac.* 212. malum ſi cum locali ſudatiunculâ ; pejus ſi cum extremorum frigore ; malæ quæ in febribus malignis , petechialibus , imò quartanis , accidunt.

6. *Hæmorrhagia in chronicis.*

Quæ hydropicis , quartanariis , hypochondriacis , cachecticis ſuperveniunt ,

niunt, malæ, ita quæ ſenibus obſtructis, quæ etiam ſcorbuticis.

Verùm in junioribus plethoricis perperam ſuppreſſæ dolores, inflammationes, febres acutas, apoplexiam, epilepſiam poſt ſe trahunt.

7. *Hæmorrhagia ab hirudine*, Schneider Lib. II. cap. 22 pag. 220; Ephemer. Nat. Cur. Dec. II. Ann. 1 obſ. 99.

Ea eſt quæ ab hirudine in nares intrusâ accidit; qui itaque aquas limoſas ore ipſo immediatè combibunt, ut jumenta, huic ſunt obnoxii.

II. HÆMOPTYSIS, *Hæmoptoe* Græcis; *Emptoe* Gordoni; *Emoptoys*, *Emptoica paſſio* Gilberti; *Sputum ſanguinis* Latinis; *Hemoptyſie*, *crachement de ſang*. Ægri *Hæmoptoici*, à *ptuein* expectorare, & *aima* ſanguis.

Character, Sanguinis expectoratio cum tuſſi, ſine febre inflammatoriâ: loco tuſſis *Raſcationem* accenſet *Salicetus*, id eſt exſcreatum ſonorum: in peripneumoniâ & pleuritide ſanguis etiam expectoratur cum tuſſi, ſed parciùs & cum febre inflammatoria.

In hæmorrhagiâ narium, ſtomacace, ſanguis interdum exſpuitur ſeu ex ore, gingivis, promanat, verùm tuſſis, ſi quæ ſit, non adducit ſecum ſanguinem, ut in hæmoptyſi.

In hæmatemeſi ſanguis cum vomitorio conamine plerumque niger, aut alimentorum reliquiis commixtus ſine tuſſi rejicitur.

Theoria. Pulmones irrorantur vaſis ſanguiferis duplicis ordinis, arteriâ ſcilicet pulmonari, quæ è ventriculo cordis dextro oriunda, bifariam ſtatim diviſa, ramis ſuis bronchiorum divaricationes ſequitur, & arteriâ Ruyſchianâ quæ ex aorta deſcendente ſæpiùs orta ſimilem viam ſequitur; ſed vix quadringenteſimam partem ſanguinis pulmonariæ arteriæ ſuppeditat; ultimi utriuſque ramuli rete inſtar uniti veſiculas pulmonum exteriùs ambiunt; prioris arteriæ verò ſanguinem revehunt ad cordis ventriculum dextrum pulmonares venæ; Ruyſchianæ verò ſanguinem refert ad venam azygam, aut ad auriculam dextram vena Zannichelliana. Capacitas venarum pulmonarium ſimul ſumptarum ad eamdem à corde diſtantiam eſt ad capacitatem arteriæ pulmonariæ ut 26 ad 21 circiter.

Quantitas ſanguinis per arteriam pulmonarem trajecti æqualis eſt quantitati per aortam immiſſæ, utriuſque diameter eadem eſt; ſed firmitas pulmonaris eſt triplo minor quàm aortæ; moles verò pulmonum vix eſt vigeſima quinta pars molis totius corporis per aortam irrorati, adeòque moles movenda à corde dextro eſt toties minor quàm quæ à ſiniſtro corde protruditur.

Injectiones factæ in arteriam pulmonarem multò faciliùs, expeditiùſque tranſeunt ex arteriis in venas, quàm quæ per aortam inſtituuntur, unde meritò concludendum eſt plus eſſe patulas ultimas pulmonaris arteriæ propagines, paucioreſque eſſe lymphaticas quàm propagines aortæ. Expeditior itaque eſt in pulmonibus ſanguinis circuitus ad quem vires triplò minores ſufficiunt; vaſa ultima patula & numeroſa ſunt, nec inde tamen velocita-

tem

tem ſanguinis majorem quàm in æqualibus aortæ ramis exſpectandam cenſemus; vaſa pulmonum ſanguifera tranſverſim rugoſa explicantur in inſpiratione, amplioraque proinde evadunt; ad angulos minùs acutos ſimul divaricantur dilatatis ab aëre veſiculis; ea utpote triplò magis extenſilia, quàm aortæ rami, poſſunt in magnis animi & corporis commotionibus ſanguinem undique expreſſum recipere, & ab illo turgere, quod non ſine reſpirationis incommodo accidit; quò difficilior autem eſt reſpiratio, eò majorem eſſe ſanguinis in vaſis pulmonum congeſtionem cognoſcimus; aſt ea congeſtio ſolvitur vel obortâ febre, ſeu frequentioribus & altioribus cordis contractionibus, quæ ſanguinem velut exantlant è pulmonibus, & in arterias corporis dilatatas diſtribuunt, vel etiam diductis vaſis ſecretoriis in veſiculas hiantibus, quæ in ſtatu ſano perſpirant tantùm; in hæmoptyſi verò cruorem etiam tranſmittunt; unde ſublevantur pulmones ab infarctu, & prævertitur dyſpnœa, febriſque inflammatoria. Si intra arteriam pulmonarem mediante tubo pedem alto & verticaliter erecto influat aqua tepida per horam integram, aqua partim venas, partim tracheam arteriam ſubit; iſta verò copioſam, viſcidamque ſpumam ſecum aufert, quâ tandem ferè exhauſtâ, ſi aqua cruenta trajiciatur per eumdem tubum, ipſa per tracheam arteriam pleno rivo effluit; cùm autem vis aquæ injectæ ſit minor vi ſanguinis à corde immiſſi, nec ab iſtâ vaſa rumpantur, ab illa non lacerari veroſimile eſt. Sanguis itaque per oſcula vaſorum lymphaticorum intra veſiculas hiantia, ſed muco infarcta, deterſo hoc muco ſpontè in veſiculas irruit, & fit hæmoptyſis per anaſtomôſim, quam nulla ſequitur ſuppuratio.

Si verò inflammatorius præcedat infarctus, ut in peripneumoniâ, febriſque acuta adſit, quæ majori vi ſanguinem intra vaſa pulmonaria urgeat; ea vaſa rixim patientur, unde hæmoptyſis ad phthiſim inclinans. Idem accidit, ſi vulnere externo, aut deglutitis vel inſpiratis clavis, aciculis veſiculæ dilacerentur, ut *Mortonus* obſervavit. Verùm ſi glandulæ bronchicæ, in quibus toties gypſeas concretiones reperire eſt, in ſuppuratum abeant, quod in phthiſi ſcrophuloſâ potiſſimùm accidit eroſis à pure ſanguiferis vaſis, hæmoptyſi viam parari evidens eſt, quæ per *diabroſim* facta dicitur. Ex dictis eluceſcit praxis.

Rejecti verò per tuſſim ſanguinis color nunc eſt rutilantior, nunc magis ater, prout magis aut minùs in veſiculis reſtitat & concreſcit, nec inde poteſt dijudicari num arteriæ, num venæ ſectæ fuerint, quandoquidem ubi rumpuntur vaſa minima, nullum ferè inter venas & arterias diſcrimen eſt: in pulmonibus verò venæ ſanguinem paulò floridiorem ſuppeditant quàm arteriæ, contra quam in aliis partibus.

1. *Hæmoptyſis accidentalis* Morton. Phthiſiolog. cap. 5. D.

Ea eſt quæ à plethorâ, potiſſimùm commotâ, citra præviam humorum acrimoniam, aut pulmonum hæreditariam labem, ab erroribus in gymnaſticâ aut diætâ, procedit.

Antecedentia. Quæ copiam ſanguinis augent, ut victus lautior, potus ſpirituoſus, aſſuetæ phlebotomiæ, catameniorum, hæmorrhoidum ſuppreſſio;

ſio; quæ ſanguinis impetum intendunt, vel & ſimul eum in pulmones determinant, ut vociferatio, curſus, cantus nimius, lectio altâ voce facta, iræ paroxyſmus: hinc verò gravamen pectoris, ſenſus titillationis in faucibus, raucedo & ſiccitas pulmonis, tuſſis, dyſpnœa.

Concomitantia. Guſtus humoris ſalſi, titillatio major faucium, tuſſis ſonora, ſi parum ſanguinis expectoretur; tuſſis verò obſcura, & pro vomitu à multis habita, ſi pleno ore ejiciatur, unde ægri in lecto ſedere coguntur ne à ſanguine ſuffocentur; interea dyſpnœa rejecto cruore ſublevatur, dolor, ſi priùs adfuerat, miteſcit, ſicut oppreſſio pectoris.

Succedanea. Ab uberiori ſputo ſanguinis debilitantur ægri, pallor occupat artus, terrore quem cruoris aſpectus pluribus injicit, creſcit debilitas, pallor, frigus, pulſus minuitur, & frequentior evadit, ut accidit à debilitate.

Subjecta. Adoleſcentes à vigeſimo quarto ad trigeſimum ſextum ætatis annum, maximè qui priùs hæmorrhagiæ narium erant obnoxii. Lectores, cantores, concionatores, præcones publici, Rabulæ forenſes, phonaſci acutiùs cantantes, frivolarii mercatores, Profeſſores, operarii, ut lapicidæ, qui ad magnas moles verſandas violentos conatus edendos habent.

2. *Hæmoptyſis habitualis* Morton. Phthiſiol. cap. 5. C. P.

Ea eſt quam prava fluidorum craſis ad acrimoniam vergens & nativa vel acquiſita pulmonum debilitas accerſunt, quæque utplurimùm febriculâ amphimerinâ aut quotidianâ ſtipatur.

Antecedentia. Eadem ac in accidentali, & præterea diſpoſitio prævia pectoris, ſcilicet ejus debilitas, quæ patet ex voce clangosâ, tono acuto aut falſo; ſcapularum prominentia, pectoris anguſtia, genarum rubor, pulſus plenus & frequens, febricula veſpertina major quàm in ſanitate, ſenſus titillationis & ponderis in pectore.

Concomitantia. Singulis ferè diebus accedit frigus febrile ſpontaneum cum tuſſi ſtatim ſiccâ, dein calor maximè circa pectus cum anxietate & dyſpnœa, mox expectoratio cruoris floridi, ſpumoſi, quam ſemper tuſſis & faucium titillatio comitatur, intra aliquot dies ceſſat expectoratio, ſed vere ſequenti utplurimùm reverſura.

Succedanea. Febris ratione ventriculus labefactatur, digeſtiones vitiantur; hæmoptyſi uberiori vires proſternuntur, pallor & macies invadunt, tuſſis perſeverat; & ſi parentes phthiſici fuerint ab anno 18 ad 36m ipſe hæmoptoicus in phthiſim delabitur.

Subjecta. Viri & puellæ in ætate virili conſtitutæ, potiſſimùm anxiæ, mœſtæ, de nihilo iraſcibiles, in cibo & potu eligendis difficiles, moroſæ, raucæ, macræ, ſudantes noctu, catameniis ſuppreſſis, ſanguine ſalſo, victu ex ſalſamentis utentes.

3. *Hæmoptyſis à diapedeſi*, Mahon Journ. de Med. Juill. 1757. A.

Cognoſcitur hæc ſpecies ex eo quod ſanguis ejectus ſit coloris diluti, roſei, ſpumoſus; quod ſine tuſſi expectoretur, imò ita fluxilis ſit ut poſt

mortem è pulmonibus diffluat : illa hæmoptyſis in obſervatione allata à plethora fuit determinata.

4 *Hæmoptyſis catamenialis* Nicol. Pechlini ; *Paſſio hæmoptoica periodica à menſtruis ſuppreſſis* Plater. Exſpuitiones. L. P.

Illa eſt quæ catameniis ante terminum conſuetum ſuppreſſis ſupervenit, ſingulisque menſibus moderatâ doſi eorum vices ſupplet cum ſanitatis integritate. Referunt etiam *Plinius* & *Sennertus* exempla virorum, qui quotannis ſanguinem exſpuentes, dato tempore ad ſummum ſenium pervenere, hæmoptyſi forſan hæmorrhoidis vices ſupplente.

5. *Hæmoptyſis periodica.* Nicol. Pechlini Amat. ; Luſitan. centur. 5. cur. 3. C. P.

Vir quadraginta quinque annorum jamdiu hæmorrhoidali fluxui ſingulis menſibus aſſuetus erat, hæc catamenia ſubſtitere, & ecce ſanguinem per os, multum, rutilum & ſubflavum emittit ; conſilium petit æger perterritus, & ſequenti modo ſanatus eſt.

Scopus eſt hæmorrhoidalem fluxum revocare, quod fit hirudinibus ano applicatis numero quatuor ad extrahendum cruorem ad uncias ſex ; dein cruoris ſpiſſitudinem & ſalſedinem deſtruere, uſu antiſcorbuticorum, lupuli, fumariæ, endiviæ, cichorii, formâ extracti, ſyrupi, juſculi vel apozematis per dies aliquot, ſervata interim diætâ humectante, ex offis, panatellis, interpoſitis lenibus pharmacis ex mannâ, rheo & tamarindis & cæteris univerſalibus.

Hæmorrhoidum apertio, Græcis ignota operatio, fit vel per hirudines vel per linctum canis junioris, lanceolâ, frictu ex aſperis, ut foliis ficûs, uſu aloës & ſimilibus.

6. *Hæmoptyſis ſcorbutica* Sennerti. C. P.

Adoleſcens cujus gingivæ erant molles, ulceroſæ, cruentæ, fœtidæ ; dentes nigri, vacillantes, &c, incidit in hæmorrhagiam, quâ curatâ acceſſit hæmorrhois ex inteſtinis, cum pulſu vegeto ; his ſuppreſſis per medicamina, ſupervenit copioſa & pertinax hæmoptyſis, quam ex ſanguinis diſſolutione oriundam judicavimus.

7. *Hæmoptyſis varioloſa* Sydenham. pag. 95 & 597. A.

Hoc ſputum ſanguinis, ante eruptionem ſaltem plenariam puſtularum in variolâ confluente, iis accidit, quorum ſanguis nimis fervidus eſt, & vinoſis liquoribus excalefactus ; mortem autem certam prænuntiat ; hoc verò ſanguinis diſſolutioni debetur, adeoque indicat potum adſtringentem cum ſpiritu vitrioli ad gratam aciditatem. *Vide curam hæmaturiæ varioloſæ.*

8. *Hæmoptyſis catarrhalis* Bontii Medic. Indor. Boneti Sepulchret. *Hæmoptyſis peripneumonica* Lælii à Fonte. D. P.

In catarrhis, tuſſi ferinâ, pleuritide & copioſiùs in peripneumonia, cruor, vel ſputa rubiginoſa expectorantur, deterſo nimis per tuſſim muco bronchiali & expreſſis veſiculis.

Praxis. In hæmoptyſi paſſivâ, ſcilicet à vulnere, vis ſanguinis expellens eſt

eſt multò major quàm reſiſtentia ejus effluxui oblata, quæ à ſola cruoris viſcoſitate petenda videtur, uſquequò vaſis ſecti labia ad ſeſe acceſſerint; ut itaque tollatur cauſa, reſiſtentia vaſis mechanicè augenda per ligaturas, compreſſiones &c, quod cùm in vulneribus internis fieri nequeat, ſupereſt ſolùm ut tantùm detrahatur de viribus ſanguinem trudentibus, quantùm opus eſt citra mortis periculum ut vaſa ſponté contracta ejus effluxui reſiſtant.

Phlebotomiæ quartâ quâvis horâ è brachio repetitæ, imò quovis bihorio inſtitutæ feliciter adhibentur. Diæta ita tenuis requiritur, ut ſola aqua pro omni potu & cibo pluribus vulneratis ſufficiat ad vivendum & convaleſcendum, per plures non ſolùm dies, ſed etiam ſeptimanas, quod mirum dictu, aſt in Noſocomio Monſpelienſi pluries obſervatum. Quies animi & corporis in poſiturâ horizontali omnino neceſſaria eſt ad ſedandum ſanguinis motum, & vires vitales inutiliter non impendendas; medicamina, cùm vulneri nulla poſſunt admoveri, vix intùs ſumpta proſunt, niſi aqua Rabel ad gratam aciditatem potulentæ aquæ affuſa, aut potus ex decocto plantarum ſubadſtringentium, modo ventriculo non gravamen afferant: huc decoctum ex polygono, radice ſymphiti, infuſum ex floribus roſarum, ſuccus ex urticâ, geranio ſanguineo, plantagine; fugiendi potus cardiaci qui poſt diſcuſſam, ſi quæ ſit, lipothymiam, uberiorem hæmorrhagiam concitant; ſolus aceti odor ad vires lapſas reficiendas & juvandam expectorationem congrumati intra pulmones cruoris videtur indicatus.

Si vulnerato thorace cruor effuſus ſit in cavo pectoris, is ſitu ægri commodo, fiſtulâ ſutoriâ, dilatatione vulneris, cavendo ab intercoſtalibus arteriis, eſt educendus.

Si inſpirando immiſſi ſint claviculi, ſoli naturæ conatus hos poſſunt tuſſiendo expectorare. Medicus narcoticis, phlebotomiis, conatus inutiles aut jam noxios debet ſedare & phthiſim prævertere.

In hæmoptyſi activâ ab anaſtomoſi eadem juvant auxilia quæ in rixi, ſed non tam rigida requiritur abſtinentia; cremores diluti ex oryzâ, hordeo, avenâ, panis micâ in aquâ coctis, præſtant juſculis, quæ fervorem & febriculam excitando ſanguinis effluxum promovent. Phlebotomiæ quartâ quavis horâ inſtitui ſolent è brachio; artuum vincturæ non ſunt uſitatæ; ſuccus urticæ vel ejus ſeminum decoctum, intermediis juſculis propinatur. Leviſſima narcotica nocturnis horis concedenda, quæ non adeò ſenſum obtundant ut neceſſaria ad expectorationem tuſſis ſupprimatur, ſed quæ anxietates, dolores ex quibus agitatur ſanguis ſedare valeant; ſyrupus nymphææ, papaveris cum aqua roſarum, plantaginiſve ſufficiunt; ſemina hyoſcyami *Hippocrates* præſcribere non verebatur. Sublatâ plethorâ, ſedato ſanguinis impetu febrili, ſi quis erat, hæmoptyſi ſuppreſſâ, æger offis, panatellis, cremoribus ſpiſſioribus, ovis ſorbilibus, ſed parcè, nutriatur; verùm ſi ex oris inſpectione, odore, ventriculi pondere, borborygmis, ſuſpicio ſit depravatæ ut fieri ſolet digeſtionis, cathartica mitia non commoventia ex pulpâ caſſiæ, tamarindis, floribus perſicorum & mannâ ſunt adhibenda,

da, præmiſſis clyſmatis laxantibus; quæ catharſis repetenda; ſi febris à frigore incipiens ſingulis diebus revertatur ut fieri aſſolet, juſcula ex carne vitulinâ, vel pullo cum lactuca, vincâ, plantagine, radice ſymphiti aut ſimilibus paranda manè per ſeptimanam uſurpanda, ut eâ lege diætam, quietem ſervet æger, & ſic labente tempore vaſa contracta in ſuo tono roborentur, & æger ab hæmoptyſeos recidivâ immunis fiat.

Si hæmoptyſis à diabroſi vel à ſcorbutica diſſolutione ſanguinis pendeat, eadem generalia indicantur auxilia pro robore pulſûs & impetu ſanguinis effluentis, verùm narcotica, ratione ſtimuli majoris, fortiora, licet ſanguinem paululum diſſolvant, ſuadenda, ut laudanum liquidum cum aquâ plantaginis vel ſyrupo roſarum rubrarum veſpere offerendum: in diabroſi edulcorantia, glutinoſa, gummoſa etiam in ore volutanda, ut tabellæ de althæâ, gummi arabicum, &c: intus eadem refrigerantia, agglutinantia uſurpanda & citò præmiſsâ leni catharſi ad lacticinia confugiendum; in ſcorbuticâ verò præmittenda etiam ſunt juſcula ex teſtudine vel ranis cum lactucâ, vincâ, malicorio, beccabungâ, acetosâ, agrimoniâ, pimpinellâ, & ſi magna ſpuatur cruoris copia, in quovis caſu ex æquis partibus aluminis & ſanguinis draconis fiat pulvis qui cum conſervâ roſarum detur quater in die ad grana ſex, octo &c: imo fruſtula aluminis identidem vorentur, licet nauſeam proritent: in juſculis equiſetum, plantago incoquentur; in julepiis tinctura roſarum cum aliquot guttis aquæ Rabel adhibeatur; in potu baccæ ſumach, myrtilli, folia brunellæ, portulacæ uſurpentur.

In hæmoptyſi catameniali cui chlorotica conſtitutio favet, unde catameniorum ſuppreſſio, ferri limatura ad granum unum vel alterum per annos continuata catamenia revocat, tuſſim aufert & hæmoptyſim prævertit, ut obſervavi: phlebotomia è pede, pediluvium calidum, ſimiliaque ingruente paroxyſmo debent in uſum advocari.

9. *Hymoptyſis phthiſica* J. Heſſi; *à Tuberculo*, *ab ſcirrho pulmonis* Bonet. Sepulchr.; *vomicæ prodromus* Bennet theatr. tabidor. C. P.

Ruptâ vomicâ ſæpè pus & cruor cum tantâ difficultate & ſuffocatione exſpectorantur, ut æger ſubitò è medio tollatur, ut accidit *Vaugelaſio*.

10. *Hæmoptyſis ex tuberculo pulmonum* J. Heſſi. *Hæmoptyſis phthiſica*. Wagner Diſſ. Lipſ. 1742. C.

Cuidam circa furculam ad latus dextrum pulmonis erat tuberculum quod identidem creſcebat & rubrum erat, vel decreſcebat & concolor apparebat; ille tuſſi catarrhali laborabat jamdudum, ac demum hæmoptyſi accedente ſuffocatus eſt; apertum cadaver exhibuit hoc tuberculum ſpongioſum pulmoni adhærens, purulentum, cruorem verò inde in bronchia effuſum, cæteris partibus ferè exſanguibus. Hæmoptyſim quamdam obſervavit *Cardanus*, quam admirabilem vocitat, eo quod cum hæmorrhagia narium conjungeretur, adeoque dubium eſſet an ſanguis à naribus an à pulmonibus exiret; ſed mirum eſt quod talia miretur ſubtilis ille Medicus.

11. *Hæmoptyſis à ſphacelo pulmonis* Dodon. obſerv. cap. 24.

Per ſphacelum intelligenda eſt illa laxitas pulmonum, quam ſæpè obſervare

vare contigit nobis, quæ mollitie, poroſitate, livedine ſuâ ſiderationi ſimilis videtur; in aliis morbis cruor exſpuitur vel purus & rutilus, vel purulentus, vel ſalivæ aut pituitæ permixtus; in hac verò ſpecie ſpumoſus, nigricans cruor cum tuſſi vividâ ejicitur, & ſimul particulæ ipſæ ſeu fruſta pulmonum nigra, ſphacelata, citra puris aut cruoris puri rejectionem; hic ſanguis non ex vaſe rupto nec ex ulcere, ſed è pulmonis ſubſtantia remollitâ, flaccidâ quaſi ex ſpongiâ exprimitur, & hic morbus ſeriùs vel citiùs lethalis eſt; qui enim ſpumoſum ſpuunt ſanguinem illi de pulmone exſpuunt & moriuntur: *Hippocr. aphor. 13. l. 5.*

12. *Hæmoptyſis traumatica* Hollerii Comm. in Coac. A.

1°. Vel à vulnere externo accidit, & tunc præmiſſis generalibus, ut venæ ſectione & clyſmatis, æger per quietem animi & corporis, abſtinentiam à loquelâ, ſitu in vulnus recumbente, diætâ tenui ex juſculis, conſummatis, ovis, vitæ ſuæ conſulat oportet; ſi verò magnâ copiâ ex ore & vulnere cruor effluat, mors oſtia pulſat; nec non ſi pulſus deprimatur, ſyncopes adveniant: aſt ſi parcus fuerit cruoris effluxus, ſi vulnus pulmonum non tantam aëris copiam admittat, quàm glottis; ſi magna vaſa arterioſa vel venoſa non ſint vulnerata, pertuſo licet pulmone, ſalutis ſpes eſt; adſunt in hoc caſu ſymptomata peripneumonica, nam febris acuta cum dyſpnœâ, ſputo cruento, dolore thoracis gravativo & punctorio accenditur. Vide *Peripneumoniam ex cauſis mechanicis Morton. De vulneribus thoracis, Munnicks* & alios. Dubitant Chirurgi an vulnus externum ſit obturandum necne, aſt eorum controverſiam ſolvendam ſic cenſeo: vulnus non ſemper apertum ſervandum eſt, æger enim inde in aphoniam, ſuffocationem & majorem inflammationem pulmonis incideret, ſed nec claudendum penitus, ut cruori effuſo via pateat; ſecus ex retento cruore in cavo thoracis ſuffocatio, ex putrefacto mors quoque adventaret.

2°. Vel à vulnere interno hæc hæmoptyſis accidit, ut à deglutitis inter ridendum aciculis, clavis, oſſibus, ariſtis, &c. Ex his clavieulis cientur tuſſis ferociſſima, hæmoptyſis immanis, dolor pectoris, & niſi exſpuantur, peripneumonica mala, his peractis phthiſis & mors, ut obſervavit *Morton de phthiſi à calculis. Phthiſ. Lib. III. cap. 6. Hiſt.* 4. In hoc caſu præmiſſis venæ ſectionibus multis ad opiata citò confugiendum, & ſi hæc corpora extranea glottidi vel tracheæ adhæſerint, inſtrumentis aptis, imò laryngotomiæ ope, extrahenda ſunt; demum phlebotomiæ iteratæ, laudani liberalis & repetiti, quietis animi & corporis & ſimilium ope conſopienda pulmonum in hæc corpora arietatio, ut vita ſaltem protrahatur.

Hæmoptyſis à percuſſo pectore Felic. Plater. Exſpuitiones, 627; *ex caſu ab alto, ex magnis contuſionibus pectoris*, Plater lib. III; hoc morbo periit Tournefort.

Hæmoptyſis à vulnere pulmonum. Heiſter Chir. Lib. I. Cap. 10 §. 14. Exſpuitur ubertim ſanguis; ſimulque ex vulnere tum cruor, tum aër cum ſibilo emittitur. Has ſpecies pleuritica ſymptomata comitantur, unde dolores, inflammatio, ſuffocatio, tuſſis dolorifica; ſed cruor copioſus, non

 verò

verò ut in pleuritide ſputa rubiginoſa, hæmoptyſim determinant.

13. *Hæmoptyſis ab Hirudine* Galen. L. IV. cap. 6 de loc. aff. Journ. de Med. de Vandermonde 1758 pag. 127, à D. Paſſerat de la Chapelle Medico Regio in Inſula Minoricâ. B.

Milites quatuor menſe Auguſto & Septembri ſanguinem cum vel ſine tuſſi, anguſtiâ vel impedimento faucium, voce mutatâ per ſemi-menſem & ultra exſpuebant quotidiè, alii ad plures, alii ad pauciores libras; intra morbi decurſum quibuſdam aderat ſenſus titillationis, motus vermicularis in œſophago; aliis intra nares poſticas: omnibus erat hirudo cum aqua olim deglutita, œſophago innutrita, dein ad fauces aſcendens, ibi adhærens, quâ denique inventâ & forcipibus ſolerter extractâ, brevi ceſſavit ſputum ſanguinis pro hæmoptyſi habitum.

14. *Hæmoptyſis calculoſa* Morton. Pthiſiol. cap. 6. C.

Hæc accidit vel à calculis ab extra in pulmones per cachinnum delapſis, quod ad ſpeciem ſuperiorem attinet, vel à calculis ſenſim in pulmone genitis, iiſque aſperis; lævia enim phthiſim tantùm cum tuſſi & pondere creant, iiſque per cauſam quamdam in motum actis; tales calculi pulmonum communes ſunt aſthmaticis, dyſpnoicis, anevryſmate juxta cor & palpitatione laborantibus, nec non artificibus pulverulentis, ut iis qui lapides ſecant, frumenta in areis parant. Vide *Ramazzini de morbis artificum, lapidariorum, tritici menſorum &c.*

Calculi verò in motum aguntur cantu, vociferatione, cachinno, ſternutatione & ſimilibus, & ſi angulati ſint vel in bronchia impacti, tuſſis vehemens & arida cum dolore thoracis horrendo & cruoris inſigni ſputatione excitantur; hi autem dolores prægreſſæ hæmoptyſeos calculoſæ indicia ſunt, quibus adde calculos ipſos per tuſſim rejectos. In hac ſpecie morbi, calculorum rejectio fovenda, juvanda, proritanda, ſed interim ob doloris & effluvii cruenti vehementiam, venæ-ſectiones iterandæ, quies pulmonibus concilianda per opiata largâ doſi & frequenter exhibita cum julapiis adſtringentibus, diætâ tenuiſſimâ vel lacteâ, quiete corporis & animi, abſtinentiâ à loquelâ; oleoſa & lubricantia bechica ferè nullius pretii ſunt.

a. *Hæmoptyſis Catarrhalis.* Galen. meth. medic. l. 5. *Hæmoptyſis Indica* Bontii. *A fluxione* Bonet.

Hæc ſpecies pro cauſâ habet phlogoſim pulmonum ex aëre frigido, humido, decubitu in locis recens ſtructis, ſub dio, ut Indis commune eſt, &c. Signa hujus ſunt tuſſis magna cum ſibilo, coryzâ, levi frigore, cum febrili commotione, ariditate & calore, nec non pondere thoracis &c.

Curatur 1° generali methodo, phlebotomiis revulſivis, clyſmatis, diætâ ex juſculis, potu ex ſucco vel decocto urticæ, cichorii, borraginis, julepiis narcoticis & ſimilibus. 2° *Galenus* frictionibus revulſivis & ligaturis utebatur, nec non ceratis thoracem & caput ab aëre tuebatur, ægrum balneis tepidis immergebat fortè & ſubfrigidis, noctu theriacam recentem aut ſimile narcoticum exhibebat, ferè ſolâ ſorbitione vel cremore hordei ægrum nutriebat, & veteraſcente morbo ad lac confugiebat.

15. *Hæ-*

15. *Hæmoptyſis aſcitica* Nenter. tab. X, Sydenh. de Hydrope. C.
Hydropes rarò moriuntur quin per aliquod tempus tuſſi identidem cruentâ defatigati fuerint, quæ hæmoptyſis mortis eſt prodromus.

16. *Hæmoptyſis ſplenetica* Strigell. Miſcell. Cur. Valleriol. obſerv. 2 lib. 2. C. P.

Qui obſtructionibus & ſcirrhis lienis ac aliorum viſcerum laborant hæmorrhagiis variis ac hæmoptyſi obnoxii ſunt, quia præpeditus in illis locis obſtructis cruoris circuitus aliorsùm impetit, verſus loca minùs reſiſtentia; in hac ſpecie pallor occupat artus, ægri admodum debilitantur, inſomnia, deliquia accedunt; talem morbum uſu aperientium extra paroxyſmum aggredi oportet, ſed leviſſimorum, cum ſedantibus mixtorum & diù continuatorum, valet ad hunc ſcopum uſus limaturæ ferri ad granum ſemisunum, duo, per plures menſes adhibitæ.

17. *Hæmoptyſis Helwigiana*; *Oris hæmorrhoides* Helwigii Hiſtor. Morb. Uratiſlav. pag. 49. P.

Illa procedente titillatione & ardore circa uvulam, ex faucibus, naſo, nulla tuſſi comitante, ſanguinem floridum, non ſpumoſum, cum ſcreatu vel ſimplici ſputatione ejicit.

III. STOMACACE. *Ileos Hæmatites* Hippocr. de intern. affectibus. Vide Plinium libr. 25. cap. 3.

Eſt genus morbi in quo non ſolùm ex ore gingiviſque remollitis, ſordidis, cruor promanat; ſed etiam ita diſſolutus eſt, ut facilè ex diverſis corporis locis erumpat.

1. *Stomacace ſcorbutica. Stomacace* Plin. libr. 25. cap. 3; vulgò *affectio oris ſcorbutica.*

Cognoſcitur ex oris fœtore intolerabili, ſanguinis ſpontaneâ ex gingivis eruptione; gingivarum eroſione, putredine, lapſu dentium, horum nigredine, vacillatione, eroſione; oſſium maxillarium carie, putredine; genarum etiam lividitate, ſphacelo citiſſimè ſerpente, ptyaliſmo fœtido: pulſus vix mutatus: in hac ſpecie fames & cæteræ functiones vigent, æger vix ſe ægrotare cognoſcit.

Peſſima lues hæc puerulis Noſocomiorum neglectis, ſordidis, malè nutritis, ex impuro ſanguine ortis, cachecticis, non rara eſt, eoſque è medio tollit; talique fœtore aërem inficit, ut meritò pro contagioſâ habeatur; ſcorbutum etiam ferè ſemper comitatur in adultis.

Curatio in hoc verſatur, ut 1° ſtatim quidquid eſt putridum in carnibus & ſphaceloſum volſellis auferatur ad vivum uſque; quidquid eſt carioſum in alveolis deradatur, utrumque aquâ vitæ camphoratâ eluatur; dein bis vel ter in die exprimatur tabum putre ſanguinolentum ex gingivis, quæ ſi turgidæ ſint, lanceolâ ſunt aperiendæ; deterſio optimè fit ex ſucco limonum, foliis ſyſimbrii aquatici, vel naſturtii, acetoſæ, Britannicæ, beccabungæ,

bungæ, raphani ruſticani, cochleariæ, quibus finitis æger iterùm purgatus lac vaccinum uſurpabit.

2. *Stomacace univerſalis.*

Carolus Nonus Franciæ Rex hoc morbo periit, ſanguinem ſcilicet ſuum ex omnibus corporis emiſſariis profudit non ſine veneni ſuſpicione.

Hæmorrhagia univerſalis *Wolf. Wedelii*, *Obſervations curieuſes*, 3^{e}. *vol.*

Amplior hujus deſideratur hiſtoria. Memorabilis eſt hiſtoria adoleſcentis *in Tranſact. Anglican. n°. 471*, qui per novem annos pluries quovis anno patiebatur profuſam, & ſeptem dies durantem hæmorrhagiam ex pede, vel naribus, vel inteſtinis, vel renibus.

3. *Stomacace ab hæmorrhoo; Cururucu* Guill. Piſon. Hiſt. natur. de venenis, cap. 3.

Coluber eſt venenatus, à quo ictus corripitur vertigine, tremore, torminibus, animi deliquiis, febre ardenti, quibus ſudor frigidus, ac denique mors intra diem circiter ſuccedit; præter enarratas vires, peculiare eſt huic ſerpenti diabolico, quod ex morſu venæ erodi videantur, tantamque inflammationem & ardorem efficiat, ut ſanguis bulliens, mox è naribus, auribuſque, imò manuum & pedum unguibus promanet, teſte *Lucano.*

Cura. Caput hujus colubri emplaſtri formâ vulneri applicetur, tum & allium & folia tabaci calefacta cauterii loco admoveantur; ſed maximè ſuccus herbæ colubrinæ *caacicæ* dictæ hauriatur, & vulneri applicetur; dein ſudorifera uſurpentur.

4. *Stomacace purulenta*, Fauchard Chirurg. Dent. Tom. I. Ch. 22. p. 275. L.

IV. Hæmatemesis. *Aimatos Eccriſis* Dict. Univ. *Vomitus cruentus* Stahl. Diſ. *Vomitus ſanguinis* Auctorum. *Vomiting of blood* Anglis. *Vomiſſement de ſang.*

Character. Nauſeæ, ſive conatus vomitorii, atque rejectio facta ſimul per os materierum cruentarum & deglutitarum priùs, cum ventriculi levamine; cruor verò rejectus ſupernè grumoſus eſt, infernè verò quæ ſubſequuntur dejectiones ſunt nigricantes, & botellos imitantur.

Theoria. Ad hæmatemeſim duo requiruntur, ſanguinis in ventriculo effuſio, vel præſentia, quod peregrinum ſenſu quodam moleſto ventriculum ſollicitat ad expulſionem, & deinceps conatus ventriculi ad hunc ſanguinem ſupernè rejiciendum, qui, ſi robur non ſit fractum, ad reſiſtentias ſuperandas vulgò ſufficit, modò congrumatio cruoris non ſit ſtrictior; adeòque vis expultrix ventriculi à ſanguine effuſo irritata, & verſus œſophagum directus ejus conatus ideam ejus morbi abſolvunt.

Cruor verò in ventriculi cavo præſens eſt, vel quia deglutitus, quod rarum niſi coctus fuerit, & tùm majori copiâ ſumptus, melænam tantùm excitat; vel quia ex œſophagi, aut inteſtini duodeni, aut demùm, quod fre-

frequentius, ex ipſius ventriculi vaſis ruptis in ejus cavum confluxit; vaſa arterioſa ventriculi ſunt ex gaſtricâ, vel ramis hepaticæ, aut ſplenicæ, quæ omnes cœliacæ ſunt propagines; venæ ſanguinem ad ſplenicam, inde in venam portam reducunt.

Sanguis ex illis vaſis effundi poteſt per diæreſim, ut hauſtâ hirudine; per rixim & fortè etiam anaſtomoſim, ut congeſto ſanguine inter hepar obſtructum, & arterias fortiùs pulſantes; vel demùm per diabroſim, ut in ulcere ventriculi. Cœliaca decimam quartam, ſaltem decimam quintam ſanguinis aortæ partem ſuſcipit, & ventriculus quadrageſimam quintam; ſanguinis actio in vaſa ventriculi eò major eſt, quò majori vi pellitur retrò à corde, ut in nauſeâ, irâ, exercitio immodico, febre; & quò fortiùs renititur ſanguis venoſus, ut in hepatis infarctu, obſtructione; nullum eſt viſcus quod uberiorem recipiat quantitatem aquæ cruentæ per tubum in aortam infuſæ, quàm cavitas ventriculi & inteſtinorum, ut expertus ſum in cadaveribus hominum, & brutorum; ergo ſanguis vaſa excretoria ventriculi diducens in ejus cavum per anaſtomoſim effundi poteſt, quod fieri ſuadent ſectiones cadaverum hæmatemeſi defunctorum, in quorum ventriculo nullum vulnus conſpici potuit.

Morbus frequentior eſt mulieribus quàm viris, & velocior; rarior ambobus quàm hæmaturia. Mulieri ſanguinem evomenti menſtruis erumpentibus, ſolutio: *Aphor. 34 ſect. 5. Hipp.*

1. *Hæmatemeſis plethorica; Vomitus cruentus à plethorâ* Stahl. Theor. med. 431. A. P.

Ea eſt quam præcedunt catameniorum, vel hæmorrhoidis ſuppreſſio; copioſa ciborum ſucculentorum ingeſtio in corpore otioſo, dein plethoræ commotio per curſus, equitationem, iræ paroxyſmum, vini & liquorum abuſum.

Quoniam ventriculus nervis copioſis eſt intertextus, ejus vaſis infarctis, ruptis, fit gravis anxietas, cardialgia, & accedente uberi hæmorrhagiâ, vires ſubitò labaſcunt, unde ſæpè ſyncope ingruit; ſanguis, non quâ proportione effluit, ſed ſenſim cumulatus & congrumatus, identidem vomitione rejicitur, cum alimentorum reliquiis, non ſpumoſus, ſed nigricans; hæmatemeſis cum febre, lethalis, ex *aphor. 57 ſect. 7.*

Cura exigit phlebotomias è brachio parcas, quia pulſus facilè in hoc morbo concidit, ſed tamen iteratas; victum ex juſculis cum incoctis foliis adſtringentium, ut plantaginis, hederæ terreſtris, burſæ paſtoris, radicis ſymphiti, biſtortæ, tormentillæ, quinquefolii, anſerinæ, ita tamen ut juſcula ſtomacho ingrata non ſint; potus ſit ex infuſo roſarum rubrarum, baccarum ſumach, prunorum ſylveſtrium, balauſtiorum, vel aqua Rabel, aut ſpiritus vitrioli ad gratam aciditatem aquæ fontanæ miſcentur; clyſmata laxantia injiciantur, julapia narcotica & adſtringentia noctu exhibeantur, pulveres ex foſſilibus, mole, gravitate nauſeoſis maximè ex aluminoſis vitentur, quæ vomitum concitarent. Si tamen cruorem congrumatum diſſolvere opus eſſet, oxycratum, in hæmoptyſi à *Gordonio* commen-

datum, valeret. Cathartica à *Sydenhamo* licet commendata fugienda ſunt ſyrupus de ſymphito, de roſis rubris, earum conſerva ad excipiendum ſanguinem draconis anteferenda ſunt; aquæ deſtillatæ ex roſis rubris, plantagine, ſtomacho minùs ingratæ ſunt.

Potu aquæ frigidiſſimæ hunc morbum à *Michelotto* curatum, vide *Tranſact. Philoſ.*

2. *Hæmatemeſis ex anevryſmate.*

D. de Senès, magnus Academiæ Monſpelienſis Geometra, poſt lapſum ex alto in dorſum patiebatur dolorem dorſi medio reſpondentem cum pulſûs intermiſſione; crevit hoc malum per biennium, denique æger incidit repentè in ſyncopem ferè lethalem, ex quâ rediens magnam grumoſi ſanguinis evomuit quantitatem, libras ſaltem quatuor; ſequentibus verò diebus botellos nigros alvo excrevit; præſcripſi aquam Rabel ad gratum acorem in aquâ fontanâ pro potu; poſituram horizontalem; quietem contantiſſimam, & juſcula, quorum ope per aliquot dies convaluit: anevryſmatis rupturam & commercium aortæ dilatatæ cum œſophago per arteriam œſophageam ſuſpicabar; me invito è lecto ſurrexit, viribus paululum reſumptis, mortem inſtantem fruſtra prænuntiavi, & cùm ex libri lectione rideret, ſubitò fato functus eſt. Cadavere aperto inveni quæ prænuntiaveram, ventriculum ſcilicet ſeptem vel octo libris ſanguinis diſtenſum, aortam ad brachii magnitudinem per ſpatium ſeptem, vel octo pollicum dilatatam, & orificium denarii magnitudine aortæ & œſophago continuo commune, quod tamen quinque criſtæ carneæ veluti valvulæ ex ambitu orificii oriundæ & circumpoſitæ potuerant obturare, per hoc orificium ſanguis ex aortâ fluxerat in œſophagum.

3. *Hæmatemeſis traumatica.* A.

Vulnera ventriculo inflicta, cardialgias, ſyncopes, pauci ſanguinis vomitiones, ſed ſummam & citò lethalem virium proſtrationem induxiſſe obſervavi.

4. *Hæmatemeſis ab hirudine* Galen. de loc. affect. Schenck. pag. 227; Riv. cent. 4. obſ. 26. *à lumbricis* Wedelii.

Si lutulentis, vel paludoſis aquis potu aſſumptis, ſimul hauſta fuerit hirudo, quod bobus ſolemne eſt, hæc vel œſophago, vel ventriculo adhærens morſu ſuo fluxum ſanguinis excitat; unde hæmatemeſis ſequitur; hoc verò inſectum ſale marino largiùs aſſumpto, amaris etiam anthelminticis enecatur, aut emetico aſſumpto foras amandatur, dein cruor aſtringentibus reſtinguitur.

5. *Hæmatemeſis catamenialis; Vomitus ſanguinis menſtruus* Alard. Cumini; *Vomitus ſanguinis à ſuppreſſis menſibus* Ettmuller. pag. 106; Rullandi curat. empir. Hochſteteri decad. 2. cap. 6; Salmuth. cent. 2. hiſt. 54; Schenckii libr. 3. obſ. & in gravida lib. 4; Fernel. cent. 21. *Ab hæmorrhoidibus* Ramazzini. Haller. Comment. T. VI. p. 84. A. P.

Ille vomitus ſanguinis catameniorum vices gerit, ſæpiùs innoxiè, etiam in primis graviditatis menſibus, nullaque ferè remedia exigit; diſſertationem

tionem de hoc morbo cum hiſtoriâ vide in *Theoriâ medica Stahlii*, *pag.* 731.

6. *Hæmatemeſis in pancreate* Ettmuller. pag. 106. Sylvii Prax. lib. 1, cap. 15.

Ex pancreate ulcerato ſanguinem, & pus in duodenum effundente, ſimulque preſſione pulvini durioris ventriculum irritante, huic ſanguine & pure in ventriculum refluentibus, fieri creditur; ægri dolorem ad pancreas referunt, puſque cum ſanguine evomunt; hos vomitus præcedit dolor lumborum gravativus circa regionem pancreatis; partim per inferiora ſanguis ejicitur.

7. *Hæmatemeſis ex ſplene* Ettmuller. p. 106. Schenck. Obſ. lib. 3; Zacut. Luſit. lib. 2. Med. princip. hiſt. 10; Gliſſonii, Obſ. Dodon. pag. 47. C. P.

Præcedit & comitatur lienis moles, durities, tumor; accedunt pulſationes circa dorſum in ſiniſtro latere, ſuccedit vomitio ſanguinis, ſæpiùs ſalutaris. Lienem ſanguinem accipere ab arteriâ ſplenicâ, cujus ramus irrorat ventriculum, ſanguinem etiam ſuum in venam ſplenicam refundere, in quam vaſa venoſa ventriculi abeunt, docet Anatomia; ſi verò ſanguis per lienem liberè tranſire nequeat, illum in arteriæ ſplenicæ ramis, adeoque in vaſis ventriculi congeri, & accedente conatu naturæ illa vaſa diduci, ſanguinem effundi facile eſt; à vomitu ſplenis tumor concidit; hoc viſcus ſanguinem ex diſtenſo ventriculo expreſſum accipere videtur: *Rhodii centur.* 2. *obſerv.* 65. Junckeri, pag. 52. tabul. 9. *Medicinæ theoria practica.*

8. *Hæmatemeſis ſcorbutica.* Vide Stomacacem, Juncker. de vomitu cruento, pag. 53. n. 10. C. P.

9. *Hæmatemeſis cholerica. Cholera ſanguinea* Panaroli, Pentecoſt. 1. obſerv. 11; *Cholera hæmatodes* Mangeti. A.

Acutiſſimus morbus, qui adultos, bilioſos, plethoricos, communiter ex iracundiæ paroxyſmo corripit, ſanguinem ano & cato profundit, & intra paucos dies, vel etiam horas, è medio tollit, ut vidiſſe memini. A venenis corroſivis aſſumptis etiam accidit, in quo caſu oleoſa, narcotica, & antiemeticum *Riverii* proſunt.

10. *Hæmatemeſis ſimulata* D. Haguenot Profeſſ. Reg. Monſpelienſ. Obſervation.

Puella in Monaſterio detenta, ut inde emitteretur, hæmatemeſim ſimulavit, eamque vehementem, quippe plures cruoris libras, præſente etiam Medico, vomitu per aliquot dies rejiciebat. Detectum eſt tandem eam quotidiè ſanguinem bovillum clam hauſiſſe, ſingulis diebus furtim delatum.

11. *Hæmatemeſis carnoſo-cruenta* Erneſt. Clauder. Ephem. Nat. Cur. Hoechſteter. Decad. 3. & 6. fol. 155. *Hæmatemeſis à compreſſa aorta* Regis. Ephemerid.

12. *Hæmatemeſis atra* Loeſekii, obſ. pag. 48. apud Warnerum. Frid.

 Hoff.

Hoffmanni, de vomitu cruento. *Morbus niger* J. Lud. Leberecht Loeſeke, D. Med. Berolin. 1754. A.

Puella Indica, temperamenti ſicci, cum pulſu duro, ſanguine ſpiſſo & atro, ter hoc morbo conflictata fuit, tuſſi convulſivâ copioſâ, fluidi, tenacis, ſpiſſi, atro-rubri, ultra tres, quatuorve libras vomitione; dolor erat fixus, pungitivus in hypochondrio ſiniſtro, ut in ſplenitide; ridebat illa mediis in doloribus, & ſeſe ad riſum excitare videbatur; pulſus & urina non diverſa à ſtatu ſano. Fruſtrà plures phlebotomiæ intra annum & ſemiſſem repetitæ ſunt; ſanguis extractus niger erat; diluentibus, laxantibus, & leviter reſolventibus brevi ſanata fuit. In chronicis morbis non rarò lienem flaccidum, facilè digitis lacerabilem, obſervavit *Loeſekius*. Ipſe memini quod aptato tubo aquâ continuò pleno ad arteriam ſplenicam, plus quàm quindecim libras transfudi per lienem laceratum viri chronico morbo perempti, & nunquam potui eluere atrum humorem, qui continuò per lienem transfluxit.

13. *Hæmatemeſis ab hepate* Dodon. obſ. cap. 26. Galen. de loc. affect. l. 5. cap. 5.

Aderat calor febrilis, ſitis, linguæ ariditas, urinæ rubedo, ſubinde dolor in hypochondrio dextro; ſublevatur identidem aquis cichorii, acetoſæ, intybi; ſed languore revertente, cum citrino cutis colore, vomitus ſanguinis eum abſtulit.

A vomitu ſanguinis nullum ferè ſanatum vidit *Dodonæus* præter paucas mulieres, in quibus ſuppreſſa erant catamenia, nec unquam venæ ſectiones adhibere licuit, propter ſummam ægri debilitatem ſyncopalem. Qui convaleſcunt in aſcitem facilè delabuntur; unicum virum ex unico hæmatemeſis inſultu ſervatum vidit, idque uſu iterato abſinthii quomodocumque uſurpati.

14. *Hæmatemeſis à veneno*, Martigues Journ. de Med. Juill. 1751. A.

Illa accidit poſt horrendas convulſiones, aliaque ſymptomata, ab applicatione tabaci in diverſis partibus ad ſcabiem ſanandam. Caveant ergo qui ſuccum nerii, plumbaginis, aliaque venena extus adhibent adverſus ſcabiem.

V. HÆMATURIA, ab *oureo* mingo, & *aima* cruor; *Mictus ſanguineus* Moron. Direct.; *Mictus cruentus* Sydenham, Juncker Tab. X, Frid. Hoffmanni II. 231; *Orina di ſangue* Italis, Gallis *Piſſement de ſang*.

Character eſt effluxus cruoris, vel urinæ quaſi cruentæ, vel ſeminis ſanguinolenti ex urethrâ in viris & mulieribus.

Principium eſt vel in renibus, ureteribus, veſica, vel in veſiculis ſeminariis, vel demùm in ipſamet urethrâ; *materia* eſt vel cruor merus, vel lotium ſanguinolentum, vel urina rubedinem intenſam adepta, vel ſemen cruentum.

1. Hæ-

1. *Hæmaturia ſpontanea ; Mictus cruentus vermiformis* Wincler. Ephem. Nat. Cur. *Lumbricorum mictus* Plater. l. 3. fol. 790 ; *Mictus cruentus menſtruus* Braſſavoli , Com. *Mictus cruentus ſimplex* ſeu *ſpontaneus* Juncker. Tabul. 10. in Aphor. 25. 4. C. P.

Eſt mictus cruoris ſinceri à congeſtione illius in renibus factâ , & erroneâ. Inſtituitur à naturâ hæc evacuatio ad plethoram tollendam.

Nullus dolor acutus in renibus præcedit , ut in violentâ aut calculoſâ ; ſenibus , plethoricis familiaris eſt ; præcedente torpore corporis , moleſtiâ in veſicâ ; ſi parcâ copiâ & lentè delabatur , ille cruor in ureteribus vermiformem figuram adipiſcitur , vermes illi aliquot lineas longi , calamoque anguſtiores fundum matulæ petunt ; urina ſupernatans , aut in intervallis emiſſa , citrina eſt ; hæc vermiformia corpora vidi ; ſunt tubuli pellucidi ſero rubro pleni.

2. *Hæmaturia violenta ex vomitu* Schenckii ; *ex allii uſu* Schenckii ; *ex equitatione* Schenckii , libr. 3 ; *ex caſu* Amati , cent. 5 ; *Mictus cruentus , violentus* Juncker. A. B.

Ea eſt quæ ex prægreſſâ longiori equitatione , venatione , animi excandeſcentiâ , abuſu cantharidum , diureticorum fortiorum , lapſu ex alto , ictibus lumbos contundentibus , ſimilibuſque , ortum ducit.

Celebris Medicus *Hahnius* , qui commotionem in curru paſſus erat , profuſam idemtidem hæmaturiam per annum expertus eſt ; is urinam & ſanguinem in veſica concretum , non ſine horrendis cruciatibus , ejiciebat. Præſcripſit *Ill. van Swieten* decoctum radicis ſymphiti & plantaginis pro potu , interpoſitâ ſubinde mannâ in ſero lactis ſolutâ ; *Celeb. Hallerus* phlebotomiam , victum ex vegetabilibus ſolis , rheum toſtum præſtans diabetis remedium , lac , ſerum lactis & emulſiones ; *Clar. Werlhoffius* phlebotomiam , kinkinam , aquas Spadanas , mannam in ſero lactis ſolutam , ſerum lactis pro potu , diætam lacteam , decoctum equiſeti , injectiones in veſicam ; aſt æger morbi reverſionibus dejectus in aſcitem incidit & obiit ; *Tralles de Opio ſect. II. p. 34.*

Præcedunt lumbago , hypogaſtralgia , maximè dolor veſicæ ad grumos illos ejiciendos.

Boerhaave pluries vidit hæmaturiam in infantibus , à faſciis & veſtibus arctioribus oriundam.

Quadrupedia jumenta huic ſpeciei ſunt obnoxia , ob citatiorem progreſſum , & onera lumbis impoſita. *Liger.*

In nephritide ſimilis hæmaturia quandoque accedit.

3. *Hæmaturia deceptiva* ; *ex ficubus opuntiæ* , *rubis idæis.* B. P.

Cùm primùm Hiſpani appulere Americam , fame compulſi in ficus opuntiæ & cerei irruerunt , iiſque liberaliùs voratis omnes poſtridiè urinas , non cruentas , ſed dilutas & rubras , minxerunt , ut hodie accidit ex ſucco rubello harum ficuum , qui affectus periculo vacat ; hunc in ovibus excitat eſus ciſti laurifoliæ.

4. *Hæmaturia purulenta. Mictus cruentus ex renum ulcere* Wittichii conſ. 51. pag. 362. C.

Diſtinguitur ab aliis ex floccis purulentis urinæ ſanguinolentæ mixtis & ſignis prægreſſæ nephritidis ſuppuratæ.

5. *Hæmaturia calculoſa* Juncker. tab. 10. *Mictus cruentus ex calculo renum* Plater. lib. 3. fol. 385; Gradi, conſil. 67; Scholtzii, conſ. 151; Sydenhami, pag. 467; Vide Nephralgiam calculoſam. C. P.

Si verò calculus ſit in veſicâ, hæmaturia inde oriunda eſt diris ſymptomatis ſtipata ob veſicæ ſenſibilitatem, unde facilè diſtinguitur ab hæmaturiâ hæmorrhoidali; adeſt dyſuria, pulſus frequens, obſcurus. *Cyrilli Conſult. T. I. p. 56. 360.*

6. *Hæmaturia in exanthematicis. Mictus cruentus in variolis, morbilliſve* Sydenham. A. P.

Mictus cruentus qui ſupervenit variolis, certiſſimum mortis præſagium. Unicus æger ſervatus memoratur *in Tranſact. philoſ-ph. tom. 9.* Idem dictum eſto de hæmaturiâ in petechiâ, purpurâ, miliari, &c.

a *Hæmaturia varioloſa* Vandermonde, ann. 1756. pag. 158. Tranſ. Philoſ. n. 470. Pierce Dodd.

Sæpe accidit hæc hæmaturia apud Anglos qui in variola veſicatoriis utuntur, & tunc periculo vacat hic mictus ſanguinis, qui ſi à virus varioloſi energiâ tantùm pendeat lethalis eſt ſæpius.

Fit vel per *diapedeſim*, ut obſervat *D. Varnier*, & tunc pulſus eſt parvus, frequens, intermittens; æger cacochymicus, frigidulus, debilis; conveniunt kinkina & nitrum in apozematis, vel ex *Sydenhamo* limonata mineralis ex ſpiritu vitrioli ad gratam aciditatem in aquâ cum ſaccharo; vel fit per *rixim*, quod cognoſcitur ex violentiâ febris, pulſu pleno, frequenti, cum calore, robore, &c. Præſcribunt Angli aquas acidulas pro potu, & camphoram.* Ex *Sydenhamo pag.* 597, *de febre putridâ variolis confluentibus ſuperveniente.*

Mictus ſanguinis variolis confluentibus, potiſſimum nigris aut ſanguineis ſupervenit, ſub morbi initio puſtulis nondum erumpentibus, aut alicubi ſub cute latentibus; maculæ interim purpureæ hic illic ſuperficiem corporis obſident, triſtem eventum interminantes.

Licet debita ſanguinis contemperatio maculas hujuſmodi purpureas auferat, nihilominus hæmaturia, & hæmoptyſis indubiè mortem prænuntiare ſolent; atque intenſæ ſanguinis inflammationi ac diſſolutioni tribuendæ ſunt.

Indicantur itaque remedia tùm æſtum temperantia, tùm incraſſandi vim haben-

* Diſtinguitur cruor in urinâ, ſi linteum album immergatur; rubedine ſcilicet ſanguinea tinctum apparebit; quod non fit, ſi rubedo urinæ ſit à lixiviali ejus diatheſi. Præterea à cruore mixto urina opacitatem oſtendit cum ſedimento grumoſo nigro; ſi verò rubedo ſit à ſalibus, ea eſt cum pelluciditate & ſedimento pauco, incarnato, vel cinnabarino.

habentia; quamobrem poſt unicam phlebotomiam liberalem paregoricum exhibeatur, ut aquæ papaveris rheados unciæ duæ, laudani liquidi guttæ quatuordecim pro adulto, aceti deſtillati drachmæ tres; miſce, fiat hauſtus. Deinde ſequentia præſcribantur; trochiſci de terrâ lemniâ & bolo armenâ ana uncia una, terræ ſigillatæ, lapidis hæmatitis, ſanguinis draconis, & corallorum rubr. ſcrupulus unus; miſce, fiat pulvis, cujus capiat drachmam ſemiſſem tertiâ quaque horâ, ſuperbibendo ptiſanam de radicibus ſymphiti, aut julapium ex aquâ plantaginis, roſarum, cinnamomi, quæ recipiant ſpiritum vitrioli ad gratam aciditatem; noctu verò emulſiones cum narcotico neceſſariæ ſunt; finitâ verò ſanguinis mictione aut expectoratione reliquâ peragantur, ut in variola confluente convenit.

7. *Hæmaturia ejaculatoria* Philoſoph. tranſact. n. 466. by D. Schlichting.

Eſt ejaculatio cruenta loco ſeminis, quæ juvenibus venere effræni repetitò utentibus familiaris; ſed etiam obſervata eſt in viro rarò venerem exercente; ſed priùs gonorrhœam experto; initio non mictus erat cruentus, ſed ſanguinis erat ejaculatio.

8. *Hæmaturia ſtillatitia* Regner de Graaf. *Hæmorrhagia ex rene.*

Illa ſpecies ab aliis diſcrepat, quòd cruor ex urethrâ, non verò ex veſicâ procedat, adeòque non mingitur, ſed ut pus in gonorrhœa ſtillatim continuò ex urethrâ effluat.

9. *Hæmaturia hæmorrhoidalis* Cælii Aureliani *lib. 4. Mictus cruentus ex hæmorrhoidibus veſicæ* Juncker. Uratiſlav. tom. 1. Alia ſpecies *ex veſicâ, ejuſque ſphinctere* Frid. Hoffmanni, pag. 232. Altera quæ à *vaſis ſanguiferis varicoſis urethræ* dependet. Illa ſenibus familiaris eſt, & facilè periodica evadit, tuncque doloris & iſchuriæ expers eſt.

Illuſtriſſimus Franciæ Polemarcha, Dux de Belliſle, belli Adminiſtrator, ſeptuaginta quinque annos natus, animi contentionibus, curis aſſiduis exagitatus, ſæpiùs ſtomachi turbas patitur, licet ſobriè vivat; inde auriginoſus evadit, & identidem ſine dolore ſanguinem mingit; alvum conſtipatam, & quandoque erythrema in tibiis experitur. Incuſantur ſanguinis ſpiſſitudo, ſiccitas, & acrimonia, in viro temperamenti billioſi, vividi. Ex animi pathematis & curis turbatur digeſtio, inſpiſſatur ſanguis, & hæret in hepate, unde aurigo fugax, vas quoddam urethræ varicoſum primo inſultu hæmaturiæ iſchuriam induxit. Suaſimus juſcula decem ex pullo, millefolio, & cancro, dein ut purgaretur æſtate ex aquæ Vallenſis libris quinque; poſtea ſerum lactis bis per quindecim dies uſurparet, interpoſitis quindecim juſculis ex pullo, teſtudine & foliis plantaginis; autumno ſumatur lac aſininum, æger exercitio corporis indulgeat, bis in die cibum ſumat, à negotiis animum remittat.

10. *Hæmaturia ſpuria. Urina rubra* Sennert. lib. 3. part. 8. Frid. Hoffmann. pag. 231.

Eſt mictus urinæ intensè rubræ & lateritiæ, quam tamen à cruentâ diſtinguimus ratione ſedimenti, quod grumoſum eſt in cruentâ, non in ſpuriâ; præterea

præterea in cruenta miſtione urina limpida cruori ſupernatat; aſt in hac ſpecie tota urina intensè rubra eſt & limpida, excepto ſedimento coloris incarnati. Obſervatur in aſcite, dyſenteriâ, tritæophyâ ardente: urina lateritia eſt comes intermittentium febrium, ut quartanæ, *Galen. ad Glaucon. cap. 7*, *Dodon. obſerv. cap. 31.*

Urinam verò rubram, non cruentam, tamen ſæpiùs obſervavi in ſcorbuticis, qui ex quartanâ convaleſcunt; monet *Sennert. lib. 3. de urinâ rubrâ.*

Hoc vitium à piſcium & crudorum uſu redintegratur, & cibis ſtomachicis monente *Dodonæo* curatur; itaque à vinis albis, cereviſiâ abſtinendum; vino Hiſpanico generoſo, roborantibus, calefacientibus indulgendum.

Si coaguli cruoris putridi guttæ aliquot urinæ ſanæ adjiciantur, urina colorem igneum adipiſcitur, quod in febribus & ſcorbuto ſæpius accidit: poſt horas duas apparet in hac mixtura nubecula qualis in urina cruda acutorum morborum, & deſuper una alterave macula quaſi oleoſa ſimilis ſpumæ quæ in urinis veterum ſcorbuticorum obſervatur.

a *Hæmaturia lateritia. Urinæ rubræ* Sennert. ibid. *Urines briquétées* ; *rouges.*

Sunt illæ quæ lateribus contritis tinctæ videntur, quæ quò pauciores ſunt, eò magis atrorubræ, quò verò copioſiores, eò colorem dilutiorem obtinent.

Illæ urinæ lateritiæ obſervantur ſimul & paucæ in aſcite, & aliis morbis hydropicis, ut hydrothorace, anaſarcâ & utcumque rubræ ſunt, ut plurimum ſine dolore & ardore.

Vel obſervantur in febribus intermittentibus potiſſimùm in quartanâ, atque harum, ſi latuerint, ſignum præbent optimum, eademque ac illæ febres remedia expoſtulant.

Non raro etiam comitantur morbos acutos ſummo ardore, ſudoreque ſtipatos.

Tam diſcrepat autem curatio hujus hæmaturiæ in acutis morbis à curatione hæmaturiæ in chronicis, ut obſervante *Dodonæo Cap. 31*, à calidis medicaminibus intendatur rubedo urinæ in acutis & curetur in chronicis. Qui ex quartanâ convaleſcunt, ſi indigeſtionem patiantur ob potum cereviſiæ, ob crudorum eſum, illi iterùm, monente *Sennerto*, hæmaturiam lateritiam incurrunt.

In pyrexiis & febribus ardentibus acutis urinas lateritias diluunt potus aciduli, aquoſi, nitrati, emulſionati &c, qui in aſcite & quartanâ nocerent.

Deceptivas illas hæmaturias à veris, ſeu ſanguineis diſtinguere quandoque difficile eſt; lintei verò in urinâ tincti color ſatis aptè huic diſtinctioni favet.

Urinæ turbidæ jumentorum dictæ ad piuriam propiùs accedunt.

11. *Hæ-*

11. *Hæmaturia nigra* Cap. 7. lib. 3. p. 7. *urinæ nigræ* Sennert.

Sanguinis aterrimi mictu ſubito auriginoſam fuiſſe ſanatam obſervavit *Marcell. Donatus*, *hiſtor. mirabil. libr.* 4. *cap.* 29. Lienoſum, cui vere & autumno lien intumeſcebat, cum dolore & facie ſublividâ ſeu *Melaſictero* affectum, toties liberari ſolitum quoties per aliquot dies urinas atramento ſimiles fudiſſet, obſervavit *Valeſius in Hollerium.*

In *dyſenteriâ* maligna vidi urinas atras coloris caffé, cum alvinis excrementis concoloribus, per aliquot dies ejectas, fœtidaſque, ſubſequente morte, æger autem fuerat hypochondriacus: Urinas non ſolùm rubras & lateritias, ſed etiam nigras in hydrope fundi docet *Sennertus*, & obſervant *Naturæ Curioſi.* Vide *Synopſim Ephemeridum Germaniæ.*

A *ſcabie* retropulſâ urinas nigras emitti ſolitas, obſervant *Sennertus* & *Naturæ Curioſ.* Vide *Synopſim Ephemerid. Frid. Hoffmann. II.* 237.

Vidi & in puellâ pallidâ cujus ventriculus languebat, & malè digerebat, urinas fuſcas, quæ catharſi & levibus ſtomachicis adhibitis evanuerunt. Nuper verò in puero anaſarcâ affecto ſimiles urinas criticè emiſſas eaſque uberrimas cum morbi prioris levamine, vidi.

12. *Hæmaturia catamenialis*, Ill. Haller Comment. in Boerhaave 669. p. 89. L.

Ea eſt quæ quolibet menſe ſupplet catamenia.

13. *Hæmaturia à transfuſione*, Denys Collect. Acad. Tom. I. p. 129.

Ex quinquaginta animalibus quæ excepere ſanguinem alterius per transfuſionem à *D. Denys* inſtitutam, viginti hæmaturiâ laborarunt, & in maniaco qui ſimilem operationem paſſus erat, hæmaturia nigra feliciter oborta eſt.

14. *Hæmaturia traumatica*, Obſervatio 64. Medic. practicæ; *a niſu*, Journ. de Med. Avril 1761 D Landeaute A.

Lumbi hominis calce equi impetiti fuerant, illicò libra ſanguinis per vias urinæ effluxit: repetitis phlebotomiis non ceſſit mictus cruoris; præſcripto ſucco urticæ cruor in veſicâ figebatur, unde iſchuria, meteoriſmus, dyſpnœa; balneis, emulſione, diureticis proritabatur mictus ſanguinis, demum adſtringentibus & diureticis interpolatis æger convaluit.

15. *Hæmaturia à verme*, Ed. Barry Eſſais d'Edinburg. T. V. article 72.

Thomas Hutchins per quinquennium urinas ſanguine tinctas mingere ſolitus erat, ſedimento nigro intra dies ſingulas ad uncias duas aſcendente, cæterum doloris expers; quò plus bibebat, eò dilutiores erant urinæ, nec ab exercitio, diætâ aut medicamentis ulla oriebatur mutatio; deerant omnia ſigna calculi, arenularum. Demum ob diuturnitatem illius hæmorrhagiæ debilitatus, œdematiâ, aſcite, laſſitudine, aurigine, dyſpnœâ, inappetentia, ſiti immodicâ, amphimerinâ æger abſumebatur.

Tunc emeticum & die ſequenti mercurium dulcem, deinceps verò infuſum amarum, pilulaſque ex ſapone, croco martis, gummi ammoniaco, rheo, curcumâ, kinkina &c. aſſumpſit, nec non elixirii vitrioli guttas triginta quovis die præter aquas Pyrmontanas. His præmiſſis eminxit ver-

miculum pollicis longitudine, anguillulæ ſimilem, rubrum, oculis, oreque & annulis inſtructum, quo emiſſo ſenſim convaluit.

VI. Menorrhagia; Etymon à Græco *men* menſis, menſtruum, & *rhœa* fluo, erumpo; *Catameniorum fluxus immodicus* Hippocr. Foëſii p. 567; *Aimorroia* Dioſcoridis; *Sanguinis ſtillicidium ab utero*, Ballonii; *Hæmorrhagia uterina*, Moroni Direct., Juncker. Tab. 14; *Lochia immodica* Juncker. pag. 991, Tab. 135; *Aphædros*, Dict. Univ. *Pertes de ſang des femmes. Ægræ hæmorrhoiſſæ* vocantur in Evangelio S. Matthæi; Gallis *Hæmorrhoïſſe*.

Character. Menorrhagia eſt fluxus ſanguinis ex utero ſæpiùs vel ex vaginâ morboſus & quantitate vel difficultate peccans.

1. *Menorrhagia difficilis; Menſtruatio difficilis; Menſes cum moleſtia fluentes* Sennert. lib. 4. pag. 2. A. P.

Morbus eſt periodicus, ſingulis ſcilicet menſibus recurrens, puellis puberibus & non viro utentibus ſatis familiaris, qui ante eruptionem menſium eas lumbagine, doloribus vagis hypogaſtrii, capitis, imò cardialgiis, vertigine, epilepticis inſultibus, aliiſque ſymptomatis illas cruciat, quæ etiam ſymptomata fluentibus catameniis perſeverant.

Hic morbus afficit viragines plethoricas, ſanguineas, libidinoſas, & gravidatione ut plurimùm curatur nec non ſemicupiis. Huic affinis eſt, diverſa tamen, apud annoſas matres hyſteralgia catamenialis.

Adoleſcentulæ lotrici quoties imminebant catamenia, toties ſuperveniebant cardialgiæ, epilepſiæ paroxyſmi; dein, erumpentibus catameniis nec interruptis, hæc ſymptomata aliquamdiu perſeverabant. Adhibita fuere diluentia juſcula, ptiſanæ ex floribus chamæmeli, pediluvia, fomenta emollientia, nec non ſemicupia tepida, è quibus, potiſſimùm ultimis, multò pejus habuit. Tunc confugiebat *Medicus D. Coulas* ad hyoſcyami albi extractum, & uno grano ſumpto nullus ſupervenit epilepſiæ acceſſus, nulla cardialgia; verùm catamenia non fluxerunt. Cùm autem experta eſſet ægra ſibi catamenia pluries prodiiſſe dum flumen frigidum pedibus nudis ingreſſa fuerat, Medicus, arreptâ indicatione, durante menſtruationis labore fotus ex aqua frigida abdomini & pubi applicandos præſcripſit, & his ritè ſuccedentibus etiam ſemicupia frigida, ex quibus factum eſt ut catamenia proſperè & ubertim effluerent.

2. *Menorrhagia ſtillatitia; Stillicidium menſium* Aëtii tetrabil. 9 ſerm. 4 cap. 63.

Eſt effluxus ſtillatitius, ſed diuturnus & dolorificus, ſanguinis menſtrui; ſtipatur ſcilicet hyſteralgiâ & propter diuturnitatem ægram debilitat; hinc ægritudo, anxietas; differt à menorrhagia difficili quod non ex abrupto ubertim fluat ſanguis, & intra tres vel quatuor dies ceſſet, verùm ſtillatim per longum tempus effluat, quod valdè incommodum.

3. *Me-*

3. *Menorrhagia immodica. Menſes inordinati, antevertentes* Sennert. lib. 4. *fluxus menſium nimius* Sennert. de morbis Mulierum. *Hæmorrhagia uterina* Junckeri tabul. 14. Tralles de opio Tom. 1 pag. 41.

Meritò hæc menorrhagia dividitur in acutam & chronicam. *In chronica* prodeſt decoctum corticis aurantiorum ſubviridium, ob vim adſtringentem pulpæ albæ, in quo ferrum candens extinguatur: valet etiam vini rubri æquati potus modicus, terra catechu aliis adſtringentibus mixta, rhabarbarum toſtum parvâ doſi diu uſurpatum; kinkina etiam à multis laudatur; valent & aquæ Spadanæ ex fonte *Pouchon*, aliaque tonica corroborantia. Si immodica confeſtim fuerit menorrhagia diſſolve gypſi albi manipulos duos in ſolutione aquoſa gummi Arabici; fiat cataplaſma hypogaſtrio nudo per tres horas admovendum & iterandum, quod cataplaſma nec hæret, nec induratur; In hoc morbo licet narcotica à *Rod. à Caſtro*, *Sennerto*, *Ettmullero* laudantur, ea reſpuit *Tralles:* verùm ſi ſint hyſteralgici dolores, ut ſolemne eſt, ab iis ego nequaquam poſſum abſtinere, nec inde creſcit effluxus: omiſſo opio & borace pulvis Lindani adhiberi poteſt, quæ fit ex coralli, ſuccini, boli Armenæ, ſanguinis draconis, ana drachmis ij, ſeminum plantaginis drachmâ unâ, croci martis ſcrup. j, ſyrupo de roſis ſiccis q. ſ: doſis drachma una, ter de die: hoc remedio innumeras mulieres reſtituiſſe ſe aſſerit *Ill. Tralles.*

In *acutâ* menorrhagiâ & profuſâ cum pulſu forti & magno, quies animi & corporis, phlebotomia, potiones nitratæ cum cremore tartari adhibendæ; foris verò acetum; aliquando potus aquæ frigidæ ſpiritu vitrioli acidulatæ, aut infuſum roſarum ſaturatum, aut emulſiones cum nitro & ſyrupo papaveris juvant: idem præſtat extus ſtercus aſininum cum aceto, nec non epithema ex aqua, aceto, nitro, ſaccharo ſaturni, imo intra vaginam linteum ſolutione vitrioli martis madidum adhibetur: Valet etiam intus indigo ad grana xij bis in die.

Iuxta *Hamiltonum* & *Septalium* ſumantur cortices ſex aurantiorum amarorum, bulliant in aquæ libris iij ad libras ij, colatura ſaccharo edulcorata ſumatur ad cochlearia x ter in die. *Hoffmannus* mulieri gravi terrore perculſæ & inter lipothymias anxietateſque gravem menorrhagiam patienti antiſpaſmodica feliciter præſcripſit, ex floribus chamæmeli, millefolii, croco, caſtoreo, camphora & aſſa fœtida, ut ſyſtematis nervoſi commotiones ſedaret.

Quantitas ordinaria ſanguinis menſtrui eſt circiter unius libræ Medicæ in ſpatio quinque vel ſex dierum, ita ut plures ſint mulieres quæ præter propter uncias duas ſingulis diebus effundant per ſex dies & fortè plures: ſunt quæ intra id temporis ſpatium non ſemi-unciam effundant; hic effluxus noctu ſæpiùs ingruit; antecedunt gravitas corporis, anxietas, ægritudo, cephalalgia, ſenſibilitas, difficilis catharticorum tolerantia, ita ut his aſſumptis valdè turbentur, febriant, nauſeent, &c. immodicus eſt effluxus quoties quantitas emiſſa ea eſt quæ vires ſenſibiliter imminuat, adeoque eſt in ratione quantitatis realis emiſſæ & debilitatis nativæ mulieris; quan-

titas emiſſa eſt æſtimanda ex profluvio quotidiano, & ex numero dierum per quos perſeverat, ſeu ex copiâ quotidianâ, ex diuturnitate & ex recurſuum frequentiâ.

Menorrhagia immodica ſæpiùs accidit mulieribus eâ ætate quâ catamenia brevi valedictura ſunt; quovis menſe ſenſim uberiùs ea fluunt, accedit pallor, pervigilium, aſthenia, anorexia, & ſucceſſu temporis phlegmatia; rarò mulieres ſyncope ob menorrhagiam extinguuntur, ſed in phlegmatiam aut aſcitem delapſæ dein fato ſuccumbunt: ſanguis vel eſt vividus & purus vel cœnoſus & maculas rubras amplo ſero circumdatas in linteo notat; in utroque tamen caſu phlegmatia ſupervenit.

Therapeia hujus morbi diverſa eſt pro periculi urgentiâ. Si enim à profluvio ſanguinis metus ſit ne cardialgiæ, ſyncopeſque ſuperveniant, ſiſtendus eſt ille fluxus per adſtringentia, ut decoctum burſæ paſtoris, geranii robortiani, radicum tormentillæ, biſtortæ, vel per ſuccum urticæ, infuſum roſarum rubrarum, aquam Rabel ad gratam aciditatem aquæ potandæ additam, imò poſſunt uſurpari pilulæ Helvetii ex ſanguine draconis & alumine. Vidi caſus in quibus ob nauſeam & cardialgiam urgentem viribus adhuc ſtantibus, ipecacuanhæ doſis vomitionem feliciter excitavit, ſaburram ejecit, & ipſâ die fluxus cruentus evanuit.

Si verò periculum non immineat, ſed phlegmatia accedat, & chronici faciem morbus induat, tunc ab adſtringentibus abſtinendum puto, aut ſaltem mitioribus utendum, ut decocto radicum ſymphiti; ſed acrimonia ſanguinis eſt contemperanda, licet phlegmatia contrarium ſuadere videatur; novi plures mulieres quæ ab hoc morbo ſe liberarunt uſu diluentium, demulcentiumque & potiſſimùm lactis: inter demulcentia, juſcula ex pullo juniori primas tenent; pro re natâ illis ſtomachica admiſcenda ſunt, ut flores chamæmeli; ſtomachi enim functiones in hoc caſu ſæpè languent, dùm acrimonia humorum ex pervigilio, pruritu vaginæ, & temperamento mulieris calido deſignatur; cathartica vitanda ſunt, quia catamenia promovent, & vires detrahunt, aut parcè ſunt adhibenda, eaque mitia; demùm lac caprinum vel vaccinum diutiſſimè uſurpandum, quod aliquoties in ipſa phlegmatiâ cum metu aſcitis præſcripſi, unde mulieres reſtitutæ ſunt.

Cortices aurantiorum amarorum ſex bulliant in aquæ libris iij ad lib. ij: colatura ſaccharo edulcoretur: doſis ſit cochlear. x ter in die. *Hamilton.*

Mulieri Judææ gravi terrore perculſæ, & inter lypothymias, palpitationes, anxietates, gravem menorrhagiam patienti antiſpaſmodica feliciter præſcripſit *Hoffmannus* ex floribus chamæmeli, millefolii, croco, caſtoreo, camphora, & aſſa fœtida ut ſyſtematis nervoſi commotiones ſedaret.

4. *Menorrhagia erronea; Menſium per aliena loca excretio*, Sennert. de morbis mulier. cap. 11.

Menſes ex oculis fluentes, Dodonæi obſerv. cap. 15; Lud. Mercat. cap. 7 de mulierum morbis; Boerhaave Aphor.

ex naribus, Braſſavol. ad Aphor. 33 Sect. V; Paræi Lib. XXV cap. 12.

ex

ex alveolo dentis, Ronſſei de hominis primordiis cap. 28.

ex auribus, Braſſavol. ad Aphor. 25 Sect. IV.

ex mammarum papillis, Amati Cent. II cur. 21; Paræi Lib. 23 cap. 52; Cordæi Comment. in libr. Hippocratis de morb. mulier.

ex vomitu, Hippocrat. de morb. mul. 1; Aretæi lib. II cap. 2; Benivenii cap. 4 de aborſûs cauſis.

per inteſtina, Galen. in 35 Aphor. S. V.

ex podice, Paræi Lib. 23 cap. 12.

per urinam, Braſſavol. in Aphor. 35. S. V.

ex umbilico, Nicolai Florentin. Serm. 2 cap. 8.

ex digito, Mercat. de mulier. affect. l. 1 cap. 7.

ex cute, Haller Comment. 667 p. 87. L. P.

5. *Menorrhagia ab hyſteroptoſi* Mauriceau de morbis puerperarum, cap. 6. lib. 3. Heiſter. Chirurg. de uteri prolapſu 157. L. P.

Symptomata ſunt, 1° ſenſus ponderis in pelvi; 2° difficultas mingendi, ſeu ſtranguria; 3° lumbago graviſſima verſus ligamenta lata; 4° fluxus nunc cruentus, nunc leucorrhœicus copioſus ex vaginâ; 5° moles carnea cruentata ex vaginâ prolabens. *Vide* iconas apud *Heiſterum*.

Alia eſt hyſterocele imperfecta, Gallis *Deſcente de matrice*, in quâ uterus extra vaginam non elabitur; alia eſt perfecta, Gallis *chute de matrice*, in quâ extra vaginam uterus elabitur.

Hyſterocelem mentitur prolapſus vaginæ, & in hyſterocele uterus eſt vel inverſus, vel non inverſus; non inverſo utero orificium ejus in imâ parte apparet, nullum verò foramen in inverſo; hyſterocele ſimplex dignoſcitur à vaginæ prolapſu ex altitudine, ad quam ſtylus per foramen immiſſus pervenit, quæ major eſt, ſi ſola vagina prolabatur, & ſemipedem attingit, multò minor ſi ſolus uterus; in virginibus nunquam hyſterocele inverſa datur, quæ puerperis tantùm accidit brevi poſt partum.

In polypo vaginæ nullus datur effluxus, nulla lumbago; menorrhagia ab hyſterocele quandoque eſt ita abundans, ut per plures menſes perſeveret, æquè copioſa quàm uberrima catamenia. Vidi virginem religioſam quæ hyſterocelem à leucorrhœâ contraxerat, in quâ per duos annos quovis menſe fluebat cruor, exceptis octo diebus, quibus mucus lymphaticus tantùm extillabat; hic verò effluxus ex imâ parte hujus molis pyriformis pendulæ, ſeu ex orificio uteri exſtillabat; aderant lumbago, progrediendi difficultas, & à ſanguifluxu debilitas; uterus in lecto cruribus erectis facilè reſtituitur, niſi recens ſit prolapſus, & uterus inflammatus, ac turgidus.

Curatio conſiſtit in promptâ repoſitione uteri; fruſtra etenim phlebotomia, adſtringentia extùs vel intùs adhiberentur ad hanc menorrhagiam cohibendam; illa quidem ſingulis menſibus quaſdam inducias dare poſſet; verùm ſingulis menſibus etiam reverteretur, eaque copioſior & diuturnior quàm in catameniis.

Repoſitionem ſequi debet retentio, quam juvat ſitus ſupinus per ſemi-

 menſem,

menſem ; peſſarium commodum ex ſubere cerato annuli inſtar aperto, vel ſubtriangulari, argenteo, buxeo ; laudatur etiam peſſarium Anglicum, cujus deſcriptio & icon traditur *Eſſais d'Edinbourg tom. 3. tab. V* : juvat etiam ſpongia noctu geſtanda liquore ſaturni, vel decocto verbaſci in vino madida, item aqua fabrorum ferrariorum injecta, & ſimilia ; ſed repoſitio debet priùs inſtitui.

6. *Menorrhagia gravidarum ; Hæmorrhagia uteri*, Heiſteri Chirurg. cap. 154 ; vulgò *Bleſſure ; Pertes rouges des femmes groſſes ; Perte de ſang*, Mauriceau. A.

Si hæmorrhagia uterina gravidæ terminum nondùm attingenti ſuperveniat ob plethoram, febrem, lapſum, animi commotionem, &c., metus eſt ne abortiat, quod ut vitetur, præſcribenda eſt phlebotomia, victus refrigerans, & quies corporis ac animi ; hæc ſufficiunt ad ſiſtendam hæmorrhagiam quæ primis graviditatis menſibus ſupervenit.

Si verò menorrhagia perſeveret, leniter diducendum eſt uteri orificium immiſſis digitis obſtetricis, lacerandæ ſunt chorii membranæ, ut exitus præbeatur aquis in eo contentis, quo facto tormina partûs intendi conſueverunt, & contractio uteri menorrhagiam ſiſtit expulſo fœtu, obſervante *D. Puzos Mem. de l'Acad. de Chirurg. Tom. I.*

Conſulatur *Mauriceau des maladies des femmes groſſes obſervat. 49.* & *Heiſter. Chirurg. cap. 154. part. 2.* Si invitis auxiliis diæteticis hæmorrhagia intendatur quocumque graviditatis menſe, Chirurgus non poteſt gravidam morti eripere, niſi immiſſâ leniter manu intra uterum fœtûs pedes prehendat, & eum foras educat cum placentâ ; ſic enim liberatus uterus & ſpontè conſtrictus vaſorum ſanguinem fundentium orificia præcludet, ut multis exemplis confirmat *Mauriceau* ; aſt in illâ praxi dimidia pars puerperarum paulò poſt partum moritur, obſervante *Puzos* p. 330. *Traité des Accouchemens.*

Aliæ ſunt menorrhagiæ trium primorum menſium graviditatis, aliæ verò trium poſteriorum.

Primis graviditatis menſibus principium menorrhagiæ eſt abortus, vel placenta poſt abortum ſuperſtes in utero, falſa germina expulſioni proxima, ſuccuſſio fœtûs à vi externâ. Menorrhagia in abortu mediocris eſt, cùm ſolo fœtu liberatur uterus ; aſt copioſa, cùm placentam ex abortu ſuperſtitem expellit. Sæpè placentam in hoc caſu foras ducere impoſſibile eſt propter funiculi debilitatem, torminum uteri tarditatem, orificii uteri anguſtiam ; hæc ſi undique adhæreat utero, nullam ; ſi hiſcat, copioſam ; ſi omninò avulſa uteri conſtrictionem permittat, exiguam ciet menorrhagiam ; eâ foras amandatâ vi naturæ, vel artis menorrhagia ſiſtitur ; verùm cùm non poteſt avelli, atque ceſſat hæmorrhagia & dyſtocia, relinquenda eſt in utero ubi putreſcet, & fruſtillatim dein effluet.

Menorrhagia quæ à dyſtociâ falſi germinis dependet, licet quandoque uberrima ſit, & terribilis, rariſſimè lethalis eſt ; hanc nec phlebotomiæ, nec adſtringentia minuunt, neceſſum eſt ut orificium uteri excidat, vel

quod

quod melius, ut ex utero germen emittatur; vires cibo convenienti ſuſtinendæ, opus naturæ potiſſimùm eſt committendum; ſi verò attingi queat falſum germen, foras extrahendum eſt.

Menorrhagiæ, quæ ſub graviditatis finem accedunt, pendent à dehiſcentiâ placentæ; cùm hæc menorrhagia eſt ſtipata doloribus, debilitate ſyncopticâ, & ſimul uteri hiatu, partus proritandus eſt, imò invertendus fœtus, & à pedibus extrahendus, ut docet *Mauriceau*, quod tamen ſummo vitæ matris periculo tantùm fit.

Si verò minùs urgeat menorrhagia, fœtuſque debitum ſitum obtineat, maximè verò ſi non hiet uterus, ad partum coactum properandum non eſt, ſed phlebotomia eſt adhibenda, alimentis eupeptis parcâ copiâ utendum, lectulo conſtanter eſt incumbendum, clyſmata injicienda, ſi alvus ægrè laxetur; ſi menorrhagia revertatur, vel his auxiliis non cedat, grumique ſanguinis hyſteralgias, ſyncopeſve accerſant, dira partûs provocandi urget neceſſitas, nec ſoli naturæ res eſt committenda; & quoniam tormina languent, ea proritanda ſunt, digitis intra orificium immiſſis & diductis, identidem opus remittendo, & conatus naturæ exſpectando; paulò quidem tardiùs accidit partus eâ methodo, ſed non invertitur fœtus, nec tamdiù poſt partum permanet menorrhagia, ac in partu coacto, ſeu fœtûs extractione; quippe uterus ea ratione contrahitur quâ fœtus extrorſum procedit; ruptis etiam digito membranis, imminuitur volumen, uterus ſenſim coarctatur, quod non accidit juxta *Puzos* cùm ſubitò fœtus extrahitur. Felices gravidæ quæ peritum in his obſtetricium virum habent.

In menorrhagiâ vulgò datur pulſus uterinus, id eſt, irregularibus ac ſubſultantibus pulſationibus notatus, initio fortior & magis renitens, quàm alii pulſus critici, accedens ad pulſum ex quo hæmorrhagia narium deſignatur, ſeu dicrotum: Hæc *illuſtr. de Bordeu*; mihi verò has pulſuum differentias in hoc morbo diſtinguere non datum eſt.

7. *Menorrhagia decolor; Menſes vitioſi* Sennert. de morbis mulier. cap. 8; *Humida intemperies uteri* Sennert. de morb. mulier. *Menorrhagia ex mariſcis; Hæmorrhoides uteri* Sennert. lib. 4. p. 1ª. cap. 7. C.

8. *Menorrhagia lochialis; Lochia catharſis* Græcis; *Puerperia* Latinis; *Lochia* Sennert. *Nimius ſanguinis poſt partum effluxus* Sennert. de morb. puerperarum, Mauriceau cap. 5. *Vuidanges* Gallis.

Statim à partu hæmorrhagia uterina eſt copioſior quàm decet, ſive quia craſſiorem fœtum mulier peperit, unde partus difficilior, vaſa uteri magis patula, conatus vehementiores fuerunt, vel quia mulier nimis plethorica, vel quia fruſta placentæ in utero remanſerunt; hæmorrhagia identidem remittitur, quia cruor in utero colligitur, congrumatur, & ſerum tantùm dimittit; verùm dein tormina ad excernendos grumos eò diriora ſunt, & purus putuſque cruor iterùm cum grumis evacuatur.

Periculum eſt præſens, ſi ea ſit menorrhagia quæ vires infringat; tunc autem ſi placentæ fruſta remanſerint in utero, ea ſunt manu obſtetricis quantociùs educenda; puerpera juſculis, ovis, panatellis veſcatur; ſupina jaceat,

jaceat, calorem lumborum avertat, ſtramini, vel corio incumbat *marochino* dicto; ſi pulſus vegetus ſit, ſanguis è brachio mittatur, ejus fervor ptiſanis, emulſionibus temperetur, ſubacidis potibus utatur; lumbi linteo oxycrato frigido intincto involvantur, necnon foliis centinodiæ; profuit cum feces & flatus abdomen diſtendebant clyſmate laxante eas evacuare; quies animi & corporis omninò ſervanda; demùm ſi fluxus perſiſtat, injectiones & potus adſtringentes uſurpare convenit.

Illicò à partu purus putus cruor effluit ex utero, qui ſtatim fluxilis nulla tormina creat, mox congrumatus in ipſo uteri orificio, tormina excitat per tres primos dies ſæpiùs perſeverantia, primiparis multò minora; tertio, vel quarto die febris lactea accedit, & hyſteralgia lochialis pari paſſu recedit; interea uteri textus lacteo cruore liberatur, unde fit ut ſubſequentibus diebus lochia odore ſubacido nares feriant, & dilutiora ſenſim evadant; ea in ruſticis ſeptimanâ unâ, vel alterâ, apud nobiles tribus vel quatuor terminantur.

9. *Menorrhagia ulceroſa*, Ill. van Swieten Aphor. 499; Tralles de Opio cap. 1. pag. 54. C.

Ea eſt quæ ex uteri ulcere ſcirrhoſo, carcinomatode, cum leucorrhœa ulceroſa, quandoque ſupervenit, antecedentibus non raro dolore fixo pubis, lumbagine, hyſteralgia & effluxu ichoris ſanioſi ex pudendis. Confert ſpiritus vitrioli vel aqua Rabel ad gratam aciditatem aquæ immixta.

VII. Abortus; Græcis *Amblyoſmos*, *Ambloſis*, *Ectreſmos*, *Phtora*, *Apophtora*; Latinis *Abortus*, *Effluxio*, *Deperditio*; Gallis *Bleſſure*, *faux germe*, *accouchement prématuré*, *Avortement*.

Eſt fœtus nondum vitalis ex utero excluſio. Immaturus, ſeu nondum vitalis eſt fœtus qui ſeptimum ſaltem vitæ ſuæ à conceptione menſem non attigit; aut ſi attigerit, debilior eſt quàm ut eo tempore excluſus extra uterum vivere queat.

Quæcumque valent placentam ab utero divellere, aut fœtum enecare, ea omnia naturam ſtimulant ad fœtus, tanquam ponderis inutilis, vel noxii & citò putreſcentis, eliminationem; ea autem ſunt interna, externave, vitia matris, aut fœtûs ipſius.

Symptomata abortûs ſunt menorrhagia abortiva, rigor & horror cum æſtu volatico, inappetentia, nauſea; accedit laſſitudo, lumbago, palpitatio, leipothymia, ſyncope, mœſtitia continua, hyſteralgia gravativa ad inguina, frigus genitalium, teneſmus, uteri conatus, conſpicuus quandoque ejus tumor in hypogaſtrio, mammarum ſubita extenuatio, flacciditas, cum galactirrhœâ ſeroſa; accedunt proximè hyſteralgia ſpaſmodica, teneſmus acrior; menorrhagia creſcit cum leipothymiâ, ac ſyncope, extremorum frigore, mentis dejectione; æſtus & rigor alternant, cephalalgia, hypogaſtrii delapſus, demùm aquarum amnii, & fœtûs ipſius dudum immobilis excluſio.

Ut

Ut præcaveatur abortus, vitanda ſunt principia ejus quæ ideo cognoſcenda; ſcilicet 1° violentia quævis aut animi, ut ex terrore, irâ; hinc frequenter accidit à terræ motu, in obſeſſis urbibus, &c: aut corporis, ut ſaltus, conatus, vomitus, epilepſiæ inſultus, diarrhœa, dyſenteria, teneſmus, coitus frequens; hinc abortus primis graviditatis menſibus non infrequens recens nuptis veneris avidioribus. 2° Venena, ſive *emmenagoga*, ut adhatoda quâ Zellanenſes, ſabina quâ ſcorta apud Europæos utuntur; ſemen aquilegiæ, myrrha, abſinthium, caſtoreum; ſive *cathartica* & emetica, quæ ſuccutiendo uterum, aut fœtum pabulo ſuo fruſtrantia, eum enecant. 3° Plethora quæ catamenia promovet, & cognoſcitur ex capiplenio, faciei rubore, dyſpnœâ; plures autem mulieres ab hoc principio abortiunt, niſi identidem phlebotomiam admittant, maximè quæ durante graviditate voraciores & otioſiores ſunt. Plethora commota in febribus acutis & pyrexiis, necnon in uſu hydrargyroſeos fortioris etiam abortum excitat; unde *Hippocrates* dixit mulierem gravidam acuto morbo corripi lethale. 4° Fœtûs vitio fit abortus, ſi fœtus moriatur, ſive pabulo defraudatus, ſive funiculo circa collum ligatus, demum quovis modo mortem obeat; mortuo autem fœtu, nullus motus ſaltem ſpontaneus in utero perſentitur, ſed moles pondere proprio verſus decliviorem locum inclinat. *Vide* ſigna fœtûs mortui apud Auctores. 5° Vitio matris aborſus accidit, ſi uterus ſit ſcirrhoſus, ulceroſus; ſi mater ſyphilide laboret, quod etiam ſuſpicamur ex repetito abortu, fœtus circa ultimos menſes tunc eduntur in lucem luridi, putres; hæc cauſa non rara eſt, atque hydrargyroſi curatur; deinceps enim graviditates feliciùs ſuccedunt, cùm virus ſyphiliticum ablatum eſt.

1. *Abortus effluxio*; *bleſſure*; *faux germe.*

Eſt excluſio fœtûs intra primum à conceptione menſem; vulgò illi abortus ſine notabili dolore, & cum modicâ menorrhagiâ fiunt; ſæpiùs diverſis vicibus nunc embryonem, dein membranas, alias verò placentam natura expellit; quandoque tamen oviforme corpus pellucidum, fœtum vermiformem includens, ſimul emittitur.

a *Abortus ſubtrimeſtris*, *Avortement.* A.

Propriè dicitur abortus, ſi à primo ad quartum graviditatis menſem accidat fœtûs excluſio; quò ſerior eſt & quadrimeſtri proximior, eò pejor. Principia ejus ſunt interna, vel externa. Interna ſunt mors fœtûs, vel vitioſa craſis ſanguinis materni, ut ſyphilis. Externa ſunt placentæ hiatus ob ictus, lapſus, vehementes conatus matris.

Cùm mors fœtus à principiis internis dependet, abortum antecedunt menorrhagiæ interpolatæ, in quarum intervallis datur leucorrhœa ſeroſa, nigreſcens; hos effluxus nec quies, nec phlebotomiæ exhauriunt; gravida hyſteralgias periodicas patietur, cum anorexiâ & aſtheniâ, quæ ſymptomata menſem & ultra ante abortum permanent; tunc dolores partûs increſcunt, menorrhagia redintegratur, aquæ amnii elabuntur, & poſtea fœtus mortuus lividus, inodorus facilè eliminatur; ſi placenta non

 elimi-

eliminetur, illa nec funiculo debiliori tutò extrahi, nec digitis in uterum parùm hiulcum immiſſis educi poteſt; exſpectandum eſt donec eum expellat natura, excitatis aliquando torminibus vividis cum menorrhagiâ, aliquando verò putredine demùm excitatâ, tabi ſpecie evacuatur placenta.

Si tormina & menorrhagia, quæ placentæ ſeparationem ab utero indicant, non ſufficiant ad liberandam mulierem, obſtetrix digitis duobus immiſſis poteſt eam abripere & extrahere, matre ſuos conatus ſuſtinente. Si verò embryone elapſo, nec gravis menorrhagia, nec dolores ſuccedant, ſed ſequatur leucorrhœa ſeroſa, brunnea, dein cadaveroſi odoris, tunc placenta in fruſtula putrida delapſura eſt. Hic effluxus quandoque menſem tranſgreditur cum febre irregulari, anorexiâ & anxietate puerperæ, cui ſuccurrimus uſu amarorum, juſculorum ex plantis vulnerariis, imò kinkinæ, ſi erratica febris acceſſerit; de cætero fugienda emmenagoga, opus naturæ committendum, quod tutò ſatis, licet ſerò, exequetur; quo facto ceſſat leucorrhœa fœtida & uteri os clauditur.

b *Abortus ſubſemeſtris*; *Accouchement prématuré*. A.

Eſt ille qui à quarto graviditatis menſe ad ſeptimum accidit.

Hic excitatur à matris debilitate nativâ, vel uteri laxitate, non rarò determinatur ab ictu, caſu, terrore, febre, morbo acuto, vel etiam ſyphilide; fœtus minimè vitales ſunt, adeoque ſolius matris ratio habenda eſt; funiculus ſatis reſiſtit, ut hujus ope extrahi poſſit placenta, & os uteri ſatis hiat, ut obſtetricis manum admittat.

c *Abortus octimeſtris*; *Couches précoces*. A.

Eſt excluſio fœtus ſex ſeptimanis, vel menſe ante conſuetum terminum.

Recens natus languet & non creſcit, niſi cùm ætatem, quâ naſci debuerat, attigit, imò interdum ea die moritur, quâ naſci debuiſſet. Summa horum fœtuum cura habenda eſt, linteis goſſypio munitis obvolvendi ſunt, non verò faſciis; nutrix ab octo, decemve diebus enixa eligenda eſt.

2. *Abortus ab uteri laxitate* Boerhaave Conſult. 15. A.

Cognoſcitur ex debilitate conſtitutionis generalis, & ex violentiis, quas uterus ſæpè perpeſſus eſt, à partu multiplici, ab obſtetricis imperitiâ, à plethorâ prægreſſâ, quæ vaſa uteri debilitavit, à juvantibus & lædentibus.

Mulieri 32 annos natæ, quæ duodecies intra octo annos abortierat; fœtus ſucceſſivè magis immaturos excludens, incaſſum tentatis Bathonienſibus balneis, balnea frigida per ſeſquiannum adhibuit, exiguo cum ſucceſſu; huic *Boerhaave* ſequentia remedia præcepit dum gravida non eſſet: 1° purgans adſtringens, lene ex infuſo myrobalanorum & rhei, cum pauxillo mannæ & ſyrupi de cichorio compoſito per quinque dies ſuc-

ceſſi-

ceſſivos; veſpere verò cardiacum ex aquâ ſtillatitiâ corticis citri unc. duabus, ſpiritûs vini Matthioli drachm. I, tincturæ opii gutt. X, ſuccini gutt. XV: victus interea ſit ex vegetantibus, jura carnium, ex lacte; ſexto die hora ante-jentaculum, prandium & cœnam, ſumat pilulas tres, ſcilicet catechu, drach. II; cortic. granat. drach. I; maſtiche drach. I. & ſem. ſuccini præpar. drach. I; terebinth. gutt. VI; olei ſtillatit. cinnamom. gutt. VIII, miſce, fiant pilulæ ſingulæ granor. III.

Superbibatur verò vinum medicatum ex infuſo cortic. cappar. cinnamom. tamariſci, ligni agallochi, ſantal. citrini, lapid. hæmatit. limaturæ martis, maceris, nucis moſchatæ, radic. lapathi acuti, ſemin. quatuor calidorum minorum; pulvis tenuis infundatur in vini rhenani libris ſex.

In his perſeverandum toto geſtationis tempore corpus moderatè exercendum, victus ſit ex iis quæ arrident.

ORDO SECUNDUS.

ALVIFLUXUS.

Rhoodes Hippocratis; *Fluxus ventris* Celſi; *Profluvia alvi* Foreſti.

P*Rimæ viæ* dicuntur apud Medicos canales continui, qui ab ore ad anum extenduntur; œſophagus ſcilicet *ſtomacho* terminatus, inteſtinum tenue *Ileon* olim dictum, cœco terminatum, quaſi exiguo ventriculo & inteſtinum craſſum Longano *Cælii Aureliani*, & *Colon* Græcis dictum, quod *Marſupio* extremi recti terminatur.

Ille canalis ita eſt diſpoſitus, ut alimenta poſſit ingerere & digerere; verùm etiam vitioſa ingeſta aut excrementa commodiori viâ egerere, & ſanguinem ab omnibus recrementis huc affluentibus, ſi vitioſa evaſerint, expurgare; maximâ proinde ſenſibilitate & mobilitate præditus eſt, ut ſenſu confuſo, quæ diſplicent, vel nocitura ſunt percipiens, ea tùm ano, id eſt ſursùm per os, tùm cato, id eſt deorsùm per podicem eliminet. Sic in ore contenta quæ placent deglutimus, maſticamus, guſtamus, quæ diſplicent nauſeamus, exſpuimus, exſcreamus velut inviti & inſcii.

Hinc alvifluxuum alii ſunt *anoterici*, ut vomitus, nauſea; alii *catoterici Galeno* dicti, quibus per inferiora alvus expurgatur, ut diarrhœa; pulſus intermittens præſagit alvifluxus per inferiora; intermiſſiones ſunt omninò inordinatæ, poſt duas treſve pulſationes ſatis æquales & pleniuſculas, ſuccedunt totidem minores, promptiores, quaſi ſubintrantes.

Nullum corpus è loco movetur, niſi exceſſu virium ipſum urgentium, ſupra vires quibus reſiſtit, & in loco retinetur; ſi cum Veteribus vires quibus contenta in ſuâ ſede retinentur, & ſuæ expulſioni reſiſtunt, vocemus *retentrices*, & eas quibus extrorſum urgentur *expultrices*, evidens eſt quòd ad evacuationem abſolutè neceſſarium ſit, ut vires retentrices ſuperentur ab expultricibus, quo poſito impoſſibile eſt non fieri evacuationem, & quo ſublato ea nequaquam fieri poteſt; ille exceſſus virium eſt itaque evacuationis cujuſvis cauſa pathologica.

Reſiſtunt verò contenta in alvo 1° mole ſuâ; ſic major ventriculi conatus requiritur ad tres libras alimentorum evacuandas quàm ad libram. 2° Reſiſtunt adhæſione ſuâ ſeu viſcoſitate quâ ſolidis agglutinantur, ſic phlegmata amygdalis adhærentia difficiliùs exſcreamus quàm ſalivam. 3° Reſiſtunt gravitate ſuâ, ſeu directione gravitatis; ſic ſtante corpore vomitus difficilior eſt quàm eo procumbente; è contra mictus & partus faciliores ſunt. 4° Reſiſtunt receptacula & ſphincteres ſi contentorum corporum diameter ſit minor diametro nativa orificiorum, nec niſi adhibitis viribus contenta in minores moleculas poſſint dividi; ſic ſcybala quæ paulò majora ſunt diametro podicis reſiſtunt dejectioni alvi, in ratione virium quæ debent adhiberi, ut ſphincteris fibræ elongentur, & ut ſcybala dividantur ſeu defringantur. 5° Reſiſtentiæ fluidorum quæ diverſis viribus propelluntur, creſcunt in ratione earum virium; ſic quadruplò magis reſiſtit urina quæ duplo majori velocitate expellitur è veſicâ, quàm quæ ſolitâ velocitate mingitur.

Hinc patet vires retentrices creſcere 1° ex parte contentorum, ratione inertiæ, ſeu molis movendæ, ratione adhæſionis, & ratione gravitatis, etiam ſi contenta ſint fluida; eas verò ulteriùs creſcere 2° ratione duritiei ſi diffringi debent ad hoc ut excernantur; ratione poſituræ, ſic fœtus tranſverſim orificio uteri oblatus magis reſiſtit quàm ſi caput directè huic orificio offerat; demùm receptacula reſiſtere ſi anguſtiora ſint, tùm ratione roboris quo ſphincteres clauduntur, convelluntur, tùm ratione craſſitiei & duritiei fibrarum, quæ ſolâ elaſticitate renituntur.

Vires verò expultrices ſolùm reſident in muſculis receptacula ambientibus aut conſtituentibus; omnis enim motus animalis per vires muſculorum exercetur; ſic inteſtinum componit partim tunica muſculoſa, quæ ex fibris annularibus confecta tubum illum coarctat, & contenta ſurſum, deorſumve exprimit, & tunica muſculoſa quæ ex longitudinalibus fibris compoſita, eum tubum decurtat, ejuſque cavum tantumdem minuit; his viribus conjunctis materies contentæ comprimuntur, & quâ datâ portâ exprimuntur; hiſce viribus auxiliantur muſculi abdominales & diaphragma, quæ preſſionem intendunt, & ſub prælo viſcera alvina conſtringunt quoquo verſùm æqualiter; illæ verò vires preſſivæ ſunt, non expulſivæ, niſi determinata accedat directio; ſic ſi annuli muſculares inteſtini ſucceſſivè contrahantur à pyloro verſùs podicem, ſi muſculi abdominales deorſum urgeant, materies per inferiora truduntur; ſi verò contraria ſit niſuum directio,

ctio, ad ſuperiora pelluntur; ad vires itaque expultrices requiritur preſſio & determinata directio. Nomen itaque illud non eſt ſuperfluum, nec ridiculum, ut præmaturo judicio prænuntiaverant Neoterici, Veterum contemptores.

Si morbos hujuſce ordinis univerſim reſpiciamus, eorum cauſa eſt conatus naturæ ad eliminandas materias à primis viis. Conatus eſt applicatio virium eo fine, ut ſuperetur quædam reſiſtentia, adeoque conatus involvit virium directionem & majorem impenſam; impenſa tamen virium non eſt ſemper abſolutè major, ad hoc ut conatus ſit morboſus, & virium potentiæ motricis imminutionem, adeoque laſſitudinem inferat.

Conatus ſunt vel violenti vel ſpontanei; in ſtatu ſano conatus non plus impendunt virium quàm paſtu & ſomno quotidiano poſſunt reſarciri, illique ſunt vel parvi vel magni: in ſtatu morboſo viribus potentiæ motricis majorem partem abſumunt, quàm quæ paſtu & ſomno quotidiano reparari queat. In agone mortis conatus violenti quidem ſunt, ſed tamen debiles.

Difficilis dicitur motus ille ad quem exerendum majores ſuperandæ ſunt reſiſtentiæ, & motor minoribus viribus præditus eſt. Difficultas itaque actionis eſt in ratione reſiſtentiæ ſuperandæ & debilitatis ejus qui eam ſuperare contendit; ita ut eadem actio quæ ſano & robuſto facilis eſt, ægro debilitato ſit difficilis.

Alii alvifluxus magnam, alii verò parvam difficultatem involvunt; parva eſt difficultas ejectionis in diarrhœâ ſeroſâ, ita ut nulla videatur; magna in dyſenteriâ & teneſmo; unde dyſenteria à Veteribus difficultas inteſtinorum vocatur.

Magnitudo morbi hujuſce ordinis æſtimanda eſt non ſolùm à ſolito majori egeſtorum copiâ, ſed etiam à difficultate egeſtionis, quæ virium exſolutionem & moleſtiam difficultati ac debilitati proportionalem excitat.

Principia alvifluxuum ſunt quæcumque vim expultricem irritant, ut omnes antiqui Medici pronuntiarunt; falſi verò ſunt tùm Mechanicorum, tùm Chymicorum hac de re conceptus plurimi. Sola obvia cuique obſervatio ſufficit ad hæc principia intelligenda; quidquid moleſtum in ore perſentitur, illud naturaliter exſpuimus, quidquam gratum retinemus vel deglutimus.

Eadem ſaliva quæ ſilenti moleſta non eſt, loquelam ineunti moleſta eſt, unde qui ſermonem adoriuntur eam priùs exſpuunt, ut organa loquelæ ſint expeditiora; nec tamen opus eſt ut eum finem clarè intelligant ad hoc ut exſpuant. Sputatores melancholici ob pravum morem ſuſceptum ſalivam velint, nolint, & non cogitantes exſcreant, licet ea nec acrior ſit, nec quantitate peccet, nec organa malè ſe habeant. Errant itaque illi Mechanici qui ex actione gravitatis ſalivæ, vel ex ejus acrimoniâ vellent ejus exſpuitionem mechanicè, ut aiunt, deducere, cum moleſtia ſeu averſatio ex quadam perceptione confuſâ oriunda ſit. Supermechanica moleſtia non

 ſem-

ſemper ſecum involvit dolorem, niſi hoc nomine pruritus & ipſa voluptas intelligatur; in ſatyriaſi ſemen, in teneſmo mucus alvi cum ſenſu moleſtiæ, ſimul & voluptatis ejicitur, in nauſeâ cum ſenſu abominationis; aut ſi quando dolor conatus excretorios comitetur, jucundus quidam ſenſus factam evacuationem ſequitur, & quædam cupiditas comitatur; cupiditas dico, non voluntas; nec enim in teneſmo voluntas eſt, ſed dejiciendi dira cupiditas, eaque inſatiabilis.

Quidquid irritat, illud monet vel ſollicitat ad agendum; non ſolùm pondere, acrimoniâ, puncturâ, poteſt irritari ventriculus ad vomendum, ſed & ſola memoria objecti abominabilis, ut cadaveris putridi, cujus mentio facta fuerit apud delicatulas mulieres; à diverſis pathematis diverſas evacuationes excitari notum eſt omnibus. Qui primâ vice concionaturi ſunt, paulò ante alvum exonerare coguntur; ſunt quibus terror diarrhœam incutit; ex irâ plures mulieres copioſum urinæ limpidæ fluxum patiuntur; ex metu ſummo ſudor frigidus; ex commiſeratione lachrymarum proventus cietur; initio magnorum morborum, ut fracturæ cranii, febris putridæ, natura gravi pathemate commota alvum ano vel cato exonerat, ut tempeſtate ingruente nautæ nimis onuſtam navem ſarcinis in mare projectis liberant; horum cauſam mechanicam inquirant Mechanices peritiores, finalem prætervidiſſe nobis ſufficit.

Praxis. Cauſam niſi quis auferat, is fruſtra morbum debellare voluerit, adeòque ſcopus præcipuus eſt vires expultrices irritatas ſedare, retentrices reparare, ac potentiam ſeu facultatem vitalem interea ſuſtinere; ſic enim reſtituetur debita intra illarum virium actiones æquilibratio.

Verùm diſtinguendum eſt priùs an principium morbi ſit irritatio vis expultricis, an retentricis, quod rarum eſt, debilitas.

Vires expultrices eſſe irritatas & adauctas, cognoſcimus, ex conatibus, doloribuſque evacuationem concomitantibus, & ex indole materiæ morbificæ, ac ſubjecti ægrotantis robore, ætate, ſenſibilitate, & conſtitutione; ſic in dyſenteriâ, teneſmo, ſunt conatus ad egerendum; ſunt dolores, calores, tenſiones partium; ſunt acrimonia excretorum, quæ indicant inteſtina eſſe valdè irritata, phlogoſi affecta, ſpaſmodicè exagitata, continuò vellicata à pravis, corroſivis aut acribus humoribus, quos vel alimenta, venenave ingeſta ſuppeditant, vel quos ſanguis in inteſtina tanquam in colatorium exonerat; cùm itaque vires expultrices admodùm eſſe adauctas & irritatas in hoc morbo manifeſtum ſit, evidens eſt præcipuum eſſe medentis ſcopum, 1° ut naturæ noxias vitioſas materies ejicienti ferat auxilium potu diluenti, oleoſo, blandò, refrigerante, ut aquâ pulli, ſero lactis, infuſo florum malvæ, decocto oryzæ, uſquequo materiam morbificam ſufficienter evacuatam, & vires vitales nullo in periculo verſari cognoverit; 2° ut materiam morbificam è ventriculo per vomitoria lenia auferat, ex inteſtinis ſimul, & ſemel intra biduum per cathartica blanda eliminet; minùs enim defatigatur homo per dejectionem uberem intra aliquot horas à cathartico excitatam quàm per repetitam quavis

horâ

horâ noctu & interdiu licet paucam ejectionem, vi materiæ morbificæ proritatam; 3° ut faciliorem reddat evacuationem, adeoque conatus inutiles imminuat, quod non ſolùm laxantia, diluentia potu ſumpta præſtant, ſed etiam clyſmata emollientia, quæ materias acres obtundunt, viſcidas diluunt, vias lubricant, & fomenti ad inſtar inteſtinorum, phlogoſim, tenſionem, ſpaſmos temperant. 4° Cùm autem inutilis eſt morbi medela, niſi vires naturæ ſuſtineantur, atque non poſſint ſuſtineri ſi conatus immodici, aſſidui non intermittant, ſi dolores & tormina ſæpiùs ægrum etiam noctu diſcrucient, ſi evacuationes uberiores eum exhauriant, neceſſum eſt conatus, dolores & evacuationes ſaltem nocte quavis ſuflaminare, compeſcere, quod miraculum præſtant narcotica, quæ ſenſum inteſtinorum, adeoque inde oriundos conatus excretorios compeſcunt per aliquod tempus; hoc enim laudanum præſtat, ut enormes evacuationes alvinas quaſvis non minùs ſuſpendat quàm dolores & conatus, unde præmiſſis evacuantibus laudanum liquidum ad guttas circiter viginti, ſolidum ad granum unum, diaſcordium ad drachmam, pilulæ de cynogloſſo ad grana ſex, vel ſimilia, debent], ſaltem horis nocturnis, adhiberi. 5° Demùm quoniam diuturnitate morbi ſuperatâ ſphincterum & valvularum reſiſtentiâ, laxatis excretoriis oſculis, diſſolutis etiam humoribus, ac læſa vi digeſtivâ ſtomachi, facilè in conſuetudinem abiret morbus evacuatorius, operæ pretium eſt, ut eliminatâ ſatis materiâ quæ morbum initio fovebat, eâque ſpecificis ſi dentur medicaminibus correctâ, vires retentrices reſtituantur, augeantur, adeoque fluidis debita viſcoſitas reſtituatur; in hunc finem ſtomachica, abſorbentia, tonica, imò adſtringentia ſub his cautelis feliciter adhibentur, quæ initio morbi, materiam febrilem retinendo, nocuiſſent; ſic data tempore profunt, & data non apto tempore quæque nocent. *Si* verò morbus non tam ab irritatâ vi expultrice quàm à retentrice debilitatâ oriatur, ut accidit in diarrhœâ ſeroſâ, tunc quem ſcopum ſibi præfigere debet Medicus clariùs exponam dùm de ſeroſis fluxibus erit quæſtio, quippe horum maxima pars pro paſſivis effluxibus debet haberi.

Alvifluxuum alii ſunt ſanguinei, ut hepatirrhœa, dyſenteria, &c: alii verò merè feculenti, ut diarrhœa, lienteria; quidam ſunt anoterici ſeu ſuperiores, ut vomitus, ileus; alii inferiores, ut teneſmus, ipſa diarrhœa; demùm dantur qui ano & cato materies evacuant, ut cholera, & quandoque melæna, &c.

„ Dejectio ſaluberrima eſt mollis & figurata, aſſueto ſanis tempore
„ facta, & quoad copiam ingeſtorum copiæ reſpondens; ſub his condi-
„ tionibus abdomen benè ſe habet. Quod ſi liquida ſit dejectio, bonum
„ eſt ſaltem, nec cum ſtridore, nec crebrò & paucum ſecedere; de-
„ jectiones enim ſimiles, ſeu teneſmodes multùm defatigant, & ſomnum
„ abigunt. Si verò frequens ſit dejectio, erit leipothymiæ periculum; ſa-
„ ni ſemel in die, vel in biduo, idque vel diluculo, vel quod præſtat
„ poſt prandium alvum deponunt. Morbo acuto declinante feces alvinæ
„ debent eſſe craſſiores, ruffæ, neque multum graveolentes, pultiformes,

„ nec

„ nec malum eſt tunc temporis lumbricos excerni. In quovis morbo mol-
„ lem & mediocriter tumidum ventrem eſſe oportet; at verò dejectio-
„ nibus præliquidis, albidis, aut pallidis, aut prærubris vel ſpumantibus al-
„ vum ferri, hæc omnia ſunt calamitoſa; ſed illud calamitoſius eſt multò,
„ parcum, & lentum, & album, & ſubflavum, & æquale excerni, ac
„ adhuc funeſtius nigra aut pinguia, aut livida, aut æruginoſa, aut graveo-
„ lentia excerni. " *Hippocrates Prognoſtic.*

In curandis alvifluxibus auxilia diætetica & gymnaſtica non minoris ſunt utilitatis quàm pharmaceutica; & ſi quidem ab exercitio alvus movetur, ergo quieti maxime indulgendum eſt; & ſi neceſſario æger è loco in locum transferendus ſit, is quàm leniſſimè navi, lecticâve geſtandus, non curru ſuccuſſandus; ea verò cautela eò accuratiùs ſervanda quò æger magis eſt debilitatus, aut dolore ſimul vexatus, ut in dyſenteria, diarrhœa torminoſa, vomitu &c.

Diætam quod attinet vulgus omnem alvifluxum ſtomachi frigiditati & laxitati tribuit, unde vinum, liquores ſpirituoſos, aromata, panem toſtum in vino cum cinnamomo, ſaccharo, ambara coctum lubenter uſurpat; verùm in diarrhœis bilioſis, cùm calor, ſitis, pyrexia, oris amaror urgent, ea ſunt valde noxia, quæ tantùm in convaleſcentibus, à diarrhœa pituitoſâ aut à longo morbo exhauſtis competunt.

Frigore, maximè verò ſi pedes huic & humiditati exponantur, diarrhœa & alvi tormina facilè excitantur, adeoque in omni alvifluxu pedes calidè pannis laneis ſiccis ſunt fovendi; perſpiratione ſiquidem retenta & in inteſtinale colum vergente, irritantur inteſtina, & materies acri hoc humore dilutæ alvifluxui ſuſtinendo aptiſſimæ ſunt, quæ diureſi & diaphoreſi potiſſimùm aliò ſunt amandandæ; nam, ut ait *Hippocrates*, cutis laxitas alvi ſiccitatem inducit, & cutis ſiccitas alvum laxat.

Sunt qui alvifluxus bilioſos, dyſentericos, ſub finem æſtatis obvios, fructuum uſui tribuunt, unde fructus etiam maturos ſanis prohibent, cùm tamen nil ſit utilius fructibus refrigerantibus, acidulis, etiam ad bilis fervorem contemperandam, humorum acrimoniam alcaleſcentem retundendam, unde in bilioſis alvifluxibus, diarrhœa, cholera, vomitu, dyſenteria æſtivis, bilioſis, limonatam, emulſiones affatim hauriendas ſuademus; nec tamen diffiteor, quin certis tempeſtatibus fructus rubigine, rore vitioſi infecti poſſint his morbis anſam præbere; verùm id potius accidit cùm penuria frugum adeſt, ita ut pauperes vitioſis, crudis, dyſpeptis utantur, quàm cùm annus fructibus ſucculentis maturis abundat; imò fructus alvifluxibus inducendis aptiſſimi ſunt, non horæi, dulces & aquoſi, ſed adſtringenti vi præditi, qui bilem in corpore figunt, ejuſque ſalubrem excretionem impediunt, ut fructus corni, ſorbi, meſpili &c.

Multùm nocet in alvifluxibus cibus copioſior & digeſtu eò difficilior quò vires ſtomachi ab his morbis magis labefactantur; vires fractas citò reparare contendunt ægri, ſed illæ tutò juſculis reficiuntur, à quibus non reſiduæ ſunt materies fibroſæ, crudæ, quæ inteſtina laceſſunt; licet autem ſucci fru-

fructuum & herbarum oleracearum utiles ſint in diarrhœisillioſis præveniendis, fructus horæi & herbæ oleraceæ in vulgaribus alvifluxibus nocent, tum parte fibroſâ quæ difficiliùs digeritur, tum parte aquoſâ, quæ alvi laxitatem adauget, ubi tamen alvus uſu panis toſti, ovis ſorbilibus, rheo, rhapontico & myrobalanis potiùs reſiccanda & adſtringenda eſt.

VIII. HEPATIRRHŒA; *Hepatis atonia* Græcis; *Dyſenteria hepatica* Tralliani Lib. VIII cap. 4, Gilberti; *Dyſenteria hepatera* Reuſner de Scorbuto; *Hepatitis* Varandæi Diſſ.; *Aimatera* Dict. Univ.; *Fluxus hepaticus* Neotericorum; *Flux hépatique* Gallis.

Nomine fluxûs hepatici intellexere Veteres quamcumque diarrhœam, lienteriam, cœliacam, ex hepatis vitio oriundam, ut notat *Gordonius*, Lilium, folio 257. Neoterici verò hoc nomine indolentem ſanguinis, utplurimùm diluti & loturæ carnium ſimilis, dejectionem ſignificant, undecumque materia fluxûs procedat.

1. *Hepatirrhœa vera; Dyſenteria hepatica* Gordoni Lil. Med.; Jordani de peſtis phænom. cap. 19; Ballon. Conſ. Lib. I. Conſult. 53; Short Philoſ. Tranſ. n. 420; *ex abſceſſu hepatis* Amati Cent. III. cur. 5. C.

Eſt fluxus alvi ſeroſo-cruentus, ſimulque bilioſo-purulentus, cum ſignis vitii in hepate, ut abſceſſûs, aut putredinoſæ diſſolutionis, qualem obſervarunt *Lamoniere de fluxu dyſenterico, cap. 1.* & plures Auctores in *Sepulchreto Boneti cap. de dyſenteriâ* enumerati.

Miles Anglus hepatitidem paſſus erat, fruſtra tentatis remediis tumor quidem hypochondrii dextri remiſit, ſed deſiit in malum fluxum hepaticum, quo per ſex menſes conflictatus & exſiccatus obiit; aperto corpore invenimus loco hepatis ſolam membranam ipſum inveſtientem, ſatis craſſam, inſtar ſacci, cui adhuc portio ſaniei loturæ carnium ſimilis inerat, qualem tam longo tempore excreverat; *Bontius, Med. Indorum, lib. 3. obſerv. 7, 9.* Similem obſervavi ipſe Mantæ ad Sequanam, anno 1730.

2. *Hepatirrhœa inteſtinalis* Neotericorum; *Cœliacus affectus* Tralliani lib. 8; *Merum non ens* Ettmulleri; *Fluxus à dyſenteriâ* River. *obſerv. C.*

Eſt fluxus alvi loturæ carnium ſimilis, doloris expers, cujus materia, per inteſtinorum vaſa ſecretoria anaſtomoſim paſſa & dilatata, in inteſtina effunditur.

Cœliaci ex *Tralliano* liquidas, non benè concoctas, nec non cruentas feces, velut ex vaſe deſtillantes, per alvum excernunt, unde longo tempore ventris reſolutio cum aſſiduâ dejectione perdurat; hinc extenuatio, vigiliæ, inappetentia, cruditas, &c. Rariſſimus morbus, ſi exiſtat unquam.

3. *Hepatirrhœa à vulnere* Bonet. Sepulchret. pag. 178. A.

In hac ſpecie ſuperveniunt vomitus & dejectiones cruentæ, etiam ſi vulnus hepar tantùm, non verò ventriculum attigiſſet; & ea differt à dyſenteriâ per abſentiam torminum, ab hepatirrhœâ legitimâ per colorem rutilum ejectionum.

4. *Hepatirrhœa Meſenterica ; Fluxus varii meſenterii abſceſſum ſecutus* Jo. Rhodii centur. 3. obſ. 95. C.

Caſtellus bilioſi temperamenti ſenex Patavinus decem menſes fluxu hepatico laboraverat, iterum ſanioſa, deinde bilioſa & pituitoſa ſine pure, ſine urinæ mutatione reddidit. Medicus Caimus putabat principium morbi eſſe jecoris atoniam, Joannes Prævotius credidit meſenterii abſceſſum eſſe; nulla febris, nulla tormina; rectè divinaſſe Prævotium docuit eventus ſeu apertura cadaveris. *Bonet. Sepulchret. Tom.* 2.

5. *Hepatirrhœa ſcorbutica* Reuſneri de Dyſenteria pag. 411. *Hæmorrhagia inteſtinorum tenuium* Barbeyrac M. S. C.

Similem nuper obſervavi ſine ulla febre, ſine torminibus & ſtatim ſine alvi fluxu in puero Noſocomii generalis qui purum putumque cruorem cum fecibus per aliquot dies ſine alvi fluore, dein verò cum alvi fluore excrevit; ſimilem in febribus obſervarunt plures, ut *D. Lazerme* ſine ullo hæmorrhoidum ſigno, ſine torminibus.

6. *Hepatirrhœa cruenta ; Dyſenteria hæmatodes* Heurnii in aphor., *Fluxus alvi hepaticus* Bontii Med. Indor. cap. IV. D.

Differt ab hepatirrhœa vulgari quòd non humor ſanguinolentus, & loturæ carnium ſimilis, ſed purus putus ſanguis ſine torminibus effluat ob diſtenta vaſa ſanguifera, vel ea eroſa ab acrimonia: hæc ſpecies faciliùs curatur quàm Europæa vulgaris.

Cura. Ubi acrimonia in cauſa eſt, emulſiones adhibeantur, cucurbitæ cum ſcarificatione lumbis & natibus admovendæ; cibi ſaccharo condiendi. Si verò plethora incuſetur, vena ſecanda eſt illicò, quod tamen raró in Javâ inſulâ proſperè ſuccedit, niſi apud Luſitanos & Indos; Belgæ enim ſunt debiliſſimi, velut effœminati à calore inaſſueto; dein ad extractum croci & opii ceu ad ſacram anchoram eſt confugiendum, idque circa noctem.

7. *Hepatirrhœa intermittens ; ſubcruenta febris* Torti. pag. 182; *Febris hepatica* Torti de febrib. pag. 125. A.

Eſt ſpecies quæ febris intermittentis pernicioſæ acceſſum comitatur, cum illo terminatur, deinde revertitur, citamque virium exſolutionem infert, ac ſi etiam die intermiſſionis perſeveret ſequenti acceſſu in magnum periculum conjicit.

In illa vel initio vel in declinatione morbi loturæ carnium ſimilis materies copioſa excernitur ad magnum pondus, unde ſumma virium imbecillitas, pulſus minutus, extremorum frigus, vox debilis, oculi concamerati, proclivitas in lipothymiam, maximè ſi æger è lecto velit ſurgere. Illa hepatirrhœa nullum dolorem, nullam animæ turbam affert, creſcente febre creſcit & intra ſecundum tertiumve acceſſum mortem minatur.

Periculum majus eſt ſi loco ſeri ſanguinolenti effluat ſanguis ater, vel atra bilis Veterum, ut in morbo nigro Hippocratis ſeu cholirica Moroni. Curatio eadem quæ choleræ intermittentis.

IX. Hæ-

IX. HÆMORRHOIS; *Aimorrhois* Gal. lib. de atrabile. *Fluxus hæmorrhoidalis* Neoteoricorum; *Flux hémorroïdal. Ægri hæmorrhoidarii.*

A Græco *aima*, cruor, & *rheo*, fluo; ita ut fluxus hæmorrhoidalis ſit nomen ineptum & pleonaſma; hæmorrhoides verò nihil aliud ſunt quàm *mariſcæ* gazæ apud *Ariſtotelem.*

Apud ſcholaſticos & plebem hæmorrhoïdis nomine intelligitur tumor varicoſus in podicis margine, ſæpe ſanguine turgidus, aut ſanguinem fundens; verùm cùm ſæpe ſint ſimiles tumores ſine ullo ſanguinis effluxu, & in hoc caſu ſit vitium ſimplex, non morbus, res hæ diverſæ diverſo nomine ſunt indigitandæ: tumores illi *mariſcæ* cum *Martiali* vocari debent, & fluxus cruoris *hæmorrhois* multò aptiùs vocatur.

Hæmorrhois eſt fluxus cruoris ex podice, præſentibus tuberculis rubris, duris, dolorificis, aut iiſdem in recto latentibus; vel ſanguifluxus ex mariſcis podicis. Diſtinguitur ab *hepatirrhœâ* cruenta, in quâ purus cruor etiam ejicitur, ex eo quod ſint ſigna deſignantia originem mali eſſe in podice vel in recto, ſcilicet tubercula hæmorrhoidalia; ea ſigna ſunt, quod dolor in dejectione referatur tantùm ad podicem, quod tubercula illa vel videantur, vel ab ægro perſentiantur tanquam nuclei perſicorum intra anum. A dyſenteriâ & teneſmo diſcrepat quòd nulla ſint in abdomine tormina dejectiones præcedentia, quòd nullus teneſmus, nulla mucoſitas, & maximè quòd purus & putus cruor fecibus induratis ut plurimum ſuperaffuſus ſit, non verò cum illis diſſolutus, ut in dyſenteriâ.

1. *Hæmorrhois moderata; Hæmorrhois catamenialis* Hippocr. lib. de morb. mulier. Galen. lib. 5. aphor. 33; *Fluxus hæmorrhoidalis* Auctorum. B P.

Illa eſt ex quâ æger aptior evadit ad ſua munia, vel per quam à majoribus morbis liberatur, ut à morbis hæmorrhagicis, convulſivis, febrilibus, dolorificis; ſublevatur uſu panis ſecalini, pomorum, uvarum quæ alvum laxam ſervant, clyſmatum ex aquâ, potu acidularum, balneis domeſticis; abſtinendum à curis, ſtudio, vigiliâ, venere, aliiſque alvum exſiccantibus.

2. *Hæmorrhois immodica; Flux hémorrhoïdal immoderé.* A. P.

Supponit conatum naturæ ad plethoram minuendam, ſed nimium propter ſtimulum ortum ab acrimonia ſanguinis, à phlogoſi podicis, à materia febrili. Scopus Medici debet eſſe ut trajectum ſanguinis ex venâ hæmorrhoidali internâ per venam portam faciliorem reddat per diluentia, exercitium moderatum, & impetum ejus in meſentericam inferiorem & hypogaſtricam imminuat ſitu horizontali, phlebotomiis ex brachio; ut omnem ſtimulum ex podice detrahat per clyſmata emollientia, catharſim ex caſſiæ pulpâ, uſum ſeri lactis, atque anodyna intus & extùs adhibita; demum ſi metus ſit nimiæ debilitatis debent ipſa adſtringentia parti admoveri, ut vinum rubrum, in quo ſolutum ſit alumen, vel ex pilis leporinis, bolo armena & albumine ovorum fiat cataplaſma; verùm intus ſuccus plantaginis,

aqua roſarum, decoctum millefolii, geranii, ſeminum urticæ, debent uſurpari, & æger abſtinere à victu calido, ab equitatione, curſu & exercitio actuali, maximè à vigiliis, ſtudiis & ſollicitudinibus. Vidi ex longo uſu lactis pro omni cibo & linctu catelli mariſcis applicati, atque lacte affuſo allectati, curatum hæmorrhoidarium jam febre lentâ exhauſtum. Novi plures homines curatos admotâ radice cataplaſmatis inſtar contusâ verbaſci ſeu thapſi barbati.

In pulſu hæmorrhoidali ſi fides *Clariſſ. de Bordeu* poſt tres quatuorve pulſationes contractas, vividas, rigidaſque ſubæquales, ſuccedunt duæ treſve pulſationes paulò ampliores, minùs æquales, quas excipiunt tres quatuorve pulſationes dicrotæ: aſt in omnibus adeſt quid tremuli & magis frequentis ac contracti quàm in aliis pulſibus inferioribus.

3. *Hæmorrhois polypoſa*, Lieutaud Chirurg. Journ. de Med. Nov. 1761, pag. 57. C.

Adoleſcens à quatuor annis alvi fluxu cruento emaciatus, demum ejecit ano polypum pyri magnitudine cum tranſitorio ſanguinis profluvio, quo facto brevi convaluit.

4. *Hæmorrhois ab exania.*

Hæmorrhoidarii rupto, vel laxato tabulato ligamentoſo quod fundum pelvis ſuſtinet, id infortunium accidit: tunc inter deſidendum foras elabitur faſciculus mariſcarum cum exania, & inde ſanguinis profluvium & acris dyſuria; repoſito verò recto ea ſymptomata ſedantur; hic morbus periculoſus eſt & ſanatu difficillimus.

X. DYSENTERIA; Latinis *difficultas inteſtinorum* & *tormina*; Cælio Aureliano *Rheumatiſmus cum ulcere*; Paracelſo *morbus diſſolutus*; Italis *Caquesangue*; Anglis *Dyſentery*, *bloody flux*; Gallis *Dyſſenterie*, *flux de ſang.*

Character. Frequens torminoſa mucoſo-cruenta alvi dejectio.

Theoria. Arteria quæ tenue inteſtinum irrigat eſt arteria meſenterica ſuperior: quæ verò craſſum, vel longanonem, eſt meſenterica inferior; venæ quæ ex ambabus ſanguinem revehunt ſunt magna meſaraica Winſlowi, quæ ex tenui, & parva meſaraica ſeu hæmorrhoidalis interna, quæ ex craſſo inteſtino ſanguinem revehit in venam portam deferendum: vena porta ex his duabus venis & ex ſplenicâ coaleſcentibus oriunda ſubit hepar, in quo dividitur in ramos ſucceſſivè minores, ex quorum ultimis venæ hepaticæ ſanguinem ad cavam refuſuræ trahunt originem, ſicque ſanguis hunc verticem ſeu circulum abſolvens bis arterioſus & bis venoſus evadit.

Circumferentiæ & *capacitates* relativæ horum vaſorum inventæ ſunt, in ſene,

			Lumina.
Aortæ.	37.	Linearum.	136. 9.
Venæ portæ.	19.		36. 1.
ſplenicæ.	15.		22. 5.
meſaraicæ.	12.	6.	15. 8.
arteriæ meſent. ſuperior.	9.		8. 1.
inferior.	4.	1.	1. 6.

Hinc ſequitur quod capacitas venæ portæ ſit minor reſpectu arteriarum ex quibus ſanguinem accipit, quàm capacitas venæ cavæ reſpectu aortæ, adeoque quod minori facilitate ſanguis tranſeat ex arteriis meſentericis in ſuas venas ac in aliis partibus.

Sanguinolenta tamen aqua infuſa in aortam multo copioſiùs & citiùs tranſſudat in inteſtinorum & ventriculi cavum, quàm in alias partes, ut expertus ſum in canibus vivis & in cadaveribus humanis: ergo facilius eſt ſanguini impulſo per arterias meſentericas, maximè ſi difficiliùs hepar permeet, ſuum ſerum cruentum in inteſtina dimittere quàm in aliis partibus ab aortâ irrigatis. Quantitas ſanguinis per arteriam meſentericam ſuperiorem tranſmiſſi eſt circiter 16ª. pars ejus qui tranſmittitur per truncum aortæ, ut ſequitur ex ratione luminum & ex hydraulicis experimentis; aſt qui tranſmittitur per inferiorem meſentericam eſt quinquies minor quàm qui per ſuperiorem, unde pronum eſt concludere inteſtinum tenue eſſe circiter quinquies ponderoſius craſſo aut ſaltem longius.

Eò faciliùs ſerum ſanguinis per ſecretoria inteſtinorum elabitur quò fortiùs trudetur ab arteriis & quò magis ipſi reſiſtetur à venis; hinc patet cur in dyſenteriâ, etiamſi liberum ſit hepar, modò febris adſit, cruor debeat ſecretoria inteſtinorum vaſa diducere, & per ea effundi, ut in hepatirrhœâ; ſi hepar obſtructum fuerit aut malè affectum, etiamſi nulla febris adfuerit, ſerum ſanguinolentum poterit facilè in inteſtina delabi: non poteſt ſanguis fortiùs trudi in ultimas arteriolas quin illarum ramulos lymphaticos diducat & inflammet, unde phlogoſis inteſtinorum & ſimul effluxus cruoris in cavum, hinc ſymptomata eſſentialia dyſenteriæ ſubſequentur: verum aliâ de causâ poſſunt etiam inflammari inteſtina, ſcilicet ab acrimoniâ corroſivâ tum muci in inteſtinis ſecreti tùm alterius fluidi peregrini fiſtulam inteſtinalem prementis; inde enim ſimilia ſubſequentur ſymptomata. Inteſtina motu periſtaltico propellunt reliquias alimentorum à pyloro verſus podicem, nec ille motus periſtalticus poteſt fieri in partibus inflammatis citra redintegrationem doloris; cùm itaque boli craſſiores materiæ expellendæ ad locum inflammatum pervenêre, aut fluida mucoſa ejus loci contractionem ſollicitabunt, vi ſtimuli fiet illa tum inteſtini, tùm muſculorum epigaſtricorum contractio expulſiva, quæ doloris vehementiam augebit cum ſenſu torſionis inteſtini, unde dolor torminoſus in umbilicali circiter regione, ſi ibi ſit ſedes inflammationis: inde verò ad dejectionem eò majus labetur tempus quò magis diſtat locus inflammatus à podice, ita ut inter tormina & dejectionem nulla mora ferè interponatur, ſi inteſtinum craſſum laboret phlogoſi; aſt major, ſi ileum vel jejunum:

junum : continua adeſt in dyſentericis moleſtia, preſſione abdominis detegenda, ſed non continua tormina excretionem quamlibet antecedentia : tormina itaque non à phlogoſi, ſed à contractione inteſtini dependent, adeoque errant illi qui alio modo rem ſe habere leviter determinant.

1. *Dyſenteria benigna ſpontanea* Wallæi ; *cruenta dejectio critica* Hœchſteteri Decad. 2. obſ. 1. Zacuti de princip. med. hiſtor. lib. 2. obſ. 15. D.

Illæ ſunt quæ redundantem tantummodò ſanguinis copiam arguunt ſine febre, & ſine obſtructione hepatis : talis obſervatur in pueris per plures menſes perſtare ; in mutilatis qui lautius vivunt & phlebotomiam omittunt, in deſidibus ſucci plenis ; in lactentibus infantibus recti prolapſus ferè comitatur dyſenteriam.

2. *Dyſenteria catamenialis* Horſtii, part. 2. lib. 1. obſ. 27 ; Gal. 5. de loc. affect. *Dejectio ſanguinis copioſa tempore menſium, & periodicus recurſus à ſuppreſſâ narium hæmorrhagiâ*, Foreſt. lib. 2. obſerv. D. P.

3. *Dyſenteria Pariſiaca* Junckeri : *Mal de Paris* ; D.

Ea eſt quæ advenas ab aquarum inaſſuetarum uſu divexat ; oritur quidem ſtatim à diarrhœâ torminoſâ, ſed ſucceſſu temporis dyſentericus evadit effluxus cum teneſmo, & ſanguinolentis dejectionibus ; exigua eſt virium proſtratio, febris parva vel nulla, inappetentia non eſt notabilis, unde à malignâ diſcrepat. Non ſolùm Pariſiis, ſed etiam Londini, Amſtelodami, & maximè in Indiis Orientalibus peregrinos diſcruciat hic morbus ; abſtinendum ab aquâ Sequanæ, à carnibus ; vino Alicantino indulgendum.

Pariſiis advenæ potiùs diarrhœæ quàm dyſenteriæ ſunt obnoxiæ ; verùm inquirendum reſtat num, præter uſum aquæ, ad hanc concurrant fontes cuprei, ſtanno non accuratè obducti, in quibus aqua Sequana percolanda ſervatur ; num abſtinentia à vino, utpote cariori, multaſque eſus carnis bovillæ etiam conferant : Vide *Dictionnaire de ſanté* ſub titulo *Mal de Paris*, ubi ſuadetur Elixirium Garus, & ptiſana ex floribus lamii albi, matricariæ, chamomillæ ; poſt aliquot dies æger purgetur ex manna & catholico ; ſi febris accedat dentur cremores oryzæ, juſcula, clyſmata ; dein elixirium & ptiſana memorata in uſum advocabuntur.

4. *Dyſenteria Gravidarum* Foreſt. ; Hecquet in Aphor. Hippocr.

Non paucæ ſunt recens nuptæ quæ per aliquot dies dyſenteriam hanc experiuntur, an à ſuppreſſis catameniis, an à turbato circuitu per viſcera pelvis ; ſi ſub finem graviditatis, ea à partu ſponte ſanatur.

Curatur clyſmatis laxantibus & potu ex decocto geranii Robertiani præmiſſis emollientibus oleoſis ; imò ſi nulla graviditas, phlebotomiâ ac leni catharſi.

Benigna eſt quæ initio graviditatis, potiſſimùm ob plethoram, accidit ; cathartica & emetica non conveniunt, niſi mitia, eccoprotica, demulcentia ; phlebotomia præſtat.

5. *Dy-*

5. *Dyſenteria atrabilaria.* A.

Dyſenteria quæ ab atra bile incipit, lethalis ex *Hippocrate.*

Illum præcedunt rigor, calor, nauſea, vomitus bilioſi; comitatur febris ſynochus bilioſa, vel amphimerina putris, quotidiè exacerbans, cum ſiti, virium proſtratione, oris amarore, cardialgiâ, pervigiliis, colore pallido faciei.

Accedunt præter tormina, & teneſmum, dejectiones brunneæ, vireſcentes, vel atræ, fœtidiſſimæ, deinceps urinæ coloris caffé in ſedimento, cæterùm virideſcentes atræ, putridæ, fœtidiſſimæ; totum corpus citò extenuatur; in vigore morbi adeſt dyſuria, accedit ſingultus, ſudor viſcidus. Lethalis eſt ut plurimùm hæc ſpecies, atrabilarios, ſuccis acribus, viſcidis in ſanguine & hepate congeſtis onuſtos aggrediens.

Videtur pendere à febre mali moris cum atrâ bile in ſanguine copioſa.

6. *Dyſenteria epidemica*, Sydenham pag. 108. *Dyſenteria febrilis* Amati centur. 5. A.

Iſta frequentior eſt priori, cum ſynocho putri juncta, linguâ ſordidâ, tumore, vel meteoriſmo abdominis, calore, ſiti, urinæ ardore aut identidem ſuppreſſione; ſed differt quod excreta & urinæ non ſint coloris obſcuri, fuſci nec tanti fœtoris.

Videtur naturæ conatus quo à ſanguine acrimoniam quamdam per colatoria inteſtinorum excernere nititur, repetitis cordis niſibus in arteriam meſentericam ſuperiorem potiſſimùm converſis; inteſtina ſeriatim percurrit phlogoſis & tandem in recto ſedem figit.

7. *Dyſenteria caſtrenſis* Ramazzini de morbis caſtrenſibus pag. 637; *Fluxus virulentus* Saxoniæ; *Dyſenteria Indica* Bontii Medic. Indor.; *Dyſenteria Peſtilentialis* Amati centur. 3 cur. 90, Schenckii fol. 861. A.

Illa epidemicè graſſatur, ſymptomata pejora habet ac graviora, & ſi plures auferat quàm ſanatos dimittat, peſtilentialis audit; magnus excrementorum fœtor, veluti cadaveroſus, diverſuſque color, pulſus febrilis, ſed parvus, mollis; vires proſtratæ ab initio: his adjungunt ſe delirium, angina, teneſmus ulceroſus.

Circa finem æſtatis frequentiùs accidit communi latrina utentibus; ſuſpicio eſt ne contagioſa ſit per halitus putres ore & podice exceptos.

Hoc morbo laborant ſoli milites qui noctu tentoriis ſuis excedunt & frigori exponuntur; nulla febris, initio diarrhœa eſt, ſuccedunt tormina, vires proſternuntur, purus cruor excernitur.

8. *Dyſenteria ſimulata* Polybii lib. 6. Stratagemat.

Amphiratus à pyratis in Lemno detentus à cibo abſtinens & rubricam cùm aquâ marinâ dilutam bibens dyſenteriam ſimulavit. Piratæ metuentes ne moreretur atque ſic ejus redemptionis pretio fruſtrarentur, eum dimiſere.

9. *Dyſenteria Pecorum; Malis humida* Lanciſii de Peſte Bovillâ; *Peſtis Bovilla* Ramazzini; *Lues vaccarum Tubingenſis.* A.

Mor-

Morbus hic totam ſucceſſivè Europam & demum nuper Galliam devaſtavit, atque boves eripuit. Hanc obſervavi apud Helvios Comitiorum juſſui ut obtemperarem; boves ibi, in Occitaniâ capræ, & verveces infeſtabantur: oriebatur ab inappetentia, ruminationis ceſſatione, languore; boves paſſim in campis triſti & demiſſo capite vagabantur, interdum ejulantes, ſalivantes, dein frigebant auribus, fremebant toto corpore, alvi fluxum ſucceſſivè cruentum & torminoſum patiebantur, hinc colliquatio, feces oleoſæ & mucoſæ, cruentæ: pauciſſimi ſanabantur obortis ad nares & caput puſtulis cruſtaceis, & alopeciâ ſubſequente, alii quorum palearia ſetaceo pertuſa in molem magnam intumefacta multum puris & ſaniei effundebant.

Inveni cadavera exſanguia, penultimum ſtomachum phlogoſi tentatum, primos exſuccos & alimentis ſolitis ſiccis infarctos, tumores flatuoſos, priùs dolorificos in panniculo adipoſo, ſæpius juxta lumbos, emphyſemata in pulmonibus; carnes albiſſimæ impunè ab hominibus manducabantur.

10. *Dyſenteria alba* Sennert. t. 3. Etmuller. Sydenhami pag. 109. Williſ. tom. 2. p. 70. *Weiſſe-Ruhr* Germanis. *Griping of the gutts* Anglis. *Dyſenteria incruenta* Javanenſium obſerv. curioſ. A.

Omnia habet dyſenteriæ vulgaris ſymptomata, tormina ſcilicet, frequentem alvi dejectionem mucoſam, teneſmum, eo ſolo diſcrimine quod nullæ ſint ſtriæ ſanguineæ, vel pauciſſimæ; febris adeſt exacerbans, ſitis: *Williſius* addit dejectiones eſſe ſeroſas & limpidas; affinis eſt dyſenteriæ rheumaticæ *Al. Tralliani.*

11. *Dyſenteria à meſenterii vomica* Joan. Rhodii; *Abſceſſus meſenterii* Sanctorii, Method. vitand. error. lib. 1. cap. 23. Bartholin. Vide Hepatirrhœam meſentericam.

12. *Dyſenteria à catharticis* Sennerti. A.

Oritur ab abuſu colocynthidis, laureolæ, nerii, antimoniatorum, à litu mercuriali; ea ſpecies tranſitoria eſt, & non difficilè ſanatur; huc referantur fructus auſteri, necnon horæi quidam largiùs aſſumpti, ut mala perſica, armeniaca; juvant in hoc caſu narcotica, ut laudanum, pilulæ de cynogloſſo, diaſcordium, præmiſſâ aquâ pulli, oleo amygdalarum, &c.

13. *Dyſenteria ſyphilitica* Boyle de medicam. ſimpl. C.

Adoleſcens dyſenteriâ dudum exhauſtus à vulgaribus remediis nullum perceperat auxilium; ſyphilidis latentis ſigna in ſuſpicionem adducta ſunt tanquam morbi principium; tùm verò in deſperato rerum ſtatu, æthiops mineralis parvâ doſi, opiatis ſtomachicis & adſtringentibus fuit mixtus, ex quo intra paucos dies meliùs habuit, ac demùm convaluit: Hæc *D. Gibert Aleſienſ. Medic.* mihi poſt cineres colendus.

14. *Dyſenteria æquinoctialis*; *Dyſenteria vera* Bontii.

Non eſt ſpecies diverſa ab Europæâ vulgari, ſed meretur ſingulares attentiones ob climatis differentiam; clima eſt calidum & humidum, ita ut ſemeſtri à pluviis etiam immuni ferrum citiùs contrahat rubiginem quàm in

Belgio;

Belgio; calidum dico, ita ut per noctes ventus frigidus flare conſuetus plura incommoda afferat quàm aquilo hieme apud Septentrionales; hoc calore diurno Europæi apud Indos laxantur, debilitantur, phlebotomiam vix ferunt, malè digerunt; dyſenteriam itaque procreant perſpiratio retenta, fructus horarii ſine pane comeſti, vinum oryzæ holothuriis confectum, vulgò *Arac*, quod Belgæ bibunt avidè.

Cura præcipua apud Indos eſt infuſio rhei in decocto tamarindorum; verùm Europæi ab hoc quandoque in certam perniciem conjiciuntur; cùm in hoc morbo corroborantibus potiùs indigeant quàm catharticis, ut in cholerâ; Bontius in hoc caſu ſuadet decoctum oryzæ cum endiviâ & cichorio, atque linguâ cervinâ; à leviſſimis catharticis cruciatus intenditur; unde optimum & veriſſimum hujus morbi antidotum eſt narcoticum ex opio, croco, ſanguine draconis, benzoino anaticis partibus paratum, & ambræ nigræ tertiâ parte, aceto infundantur ad ſupereminentiam trium digitorum, ad ſolem æſtivum vas clauſum exponatur, colatura eodem ſole ad extractum inſpiſſetur, cujus doſis à granis vj. ad ix.

15. *Dyſenteria verminoſa* Vandermonde 1757. *Mai.* Le Nicolais du Sauſay Brito hanc epidemicam obſervavit.

Dolores atroces abdominis ſubiti, viſcerum ardor, nauſeæ frequentes, vomitio muci, ut ſpermatis ranarum, dejectiones cruentæ & mucoſæ cum multo cruore, febris inſignis; tertiâ vel quintâ die ſingultus, pulſus decreſcens, ſæpè intermittens, cutis arida, viſcoſa, extrema frigida, vultus emaciatus, oculi languidi, depreſſi, abdomen indolens, hinc ſuſpicio ſphaceli inteſtinorum, mors à quintâ die ad decimam quintam.

Duravit epidemia ab Auguſto ad Novembrem, quartam partem ruricolarum aggrediens, & plures è medio tollens.

Cura. Præmiſſis duabus, tribuſve phlebotomiis, clyſmatis emollientibus, ptiſanâ anthelminticâ & hypnoticâ, præſcribitur ipecacuanha à granis decem ad viginti quatuor in cyatho potionis anthelminticæ & catharticæ; dein ſerò & manè anthelmintica, ut radix filicis, rheum, folia tanaceti, cortex mori, corallina, æthiops mercurialis, quorum ope ægri lumbricos multos, rariùs aſcarides, dejecerunt, & multi evaſerunt.

Aliam ejuſdem morbi varietatem refert *Ill. Boyer libello de Epidemicis p. 32*, in quâ non parùm ſanguinis dejiciebant ægri, ſed dejectiones erant doloris expertes, & ſanguis ejectus erat dilutus. Inter vermifuga eminebat in hac epidemia fruſtum panis allio confricatum, butyro dein illitum.

16. *Dyſenteria carnoſa* Jacob. Wagneri Collect. Academ. tom. 3. pag. 633. obſerv. 187, & Luc. Schroeckii ibid. Huc refer diarrhœam carnoſam.

Multiplici obſervatione compertum eſt dejici quandoque in hac ſpecie, tum materies carniformes quæ lymphæ & ſanguini coagulatis intra inteſtina concretis tribui debent, ut in caſu relato *Collect. Academ. pag. 588*; tum materies ſplenis aut hepatis fragmentis ſimiles; tum denique vera corpora glanduloſa per multos dies ejici ſolita.

17. *Dyſenteria intermittens* Torti de febrib. lib. 3. cap. 1. pag. 125; vel *Dyſenteria febricoſa* Werlhof. de Febribus. P.

Eſt ea dyſenteria cholerica quæ paroxyſmum febris, ſæpiùs tertianæ, quandoque tritæophyæ duplicis, comitatur, quâ humores acres, biliofi, & deinde mucus cruentus ano & cato ejiciuntur cum torminibus, teneſmo, ſtomachi dolore, perinde ac ſi illius membranæ divellerentur, ac excoriarentur, ut reverâ œſophagum excoriari intuemur ab illâ acri materie. Ea tamen dyſenteria febricoſa minus periculi portendit quàm cholera intermittens, licet in illa febris videatur intenſior, quia pulſus magis expanſus, nec ſecum ea fert illam extremorum perfrigerationem, angorem & ſudatiunculam, quæ in cholerâ obſervantur; admittit tamen ſingultum, jactationem inquietam, urinarum croceam rubedinem, linguæ ſcabritiem, &c, unde facilè in continuam migrat, aut inflammationem aliquam minatur. *Curatur* ut cholera intermittens.

18. *Dyſenteria ſcorbutica* Cirigli Conſult. 59. tom. 2. pag. 135. C.

Character deſideratur, niſi ſigna vulgaria ſcorbuti velis ſubſtituere, & puri cruoris ex ano ſeceſſum indolentem, quales ſæpè obſervavi in infantibus ſcorbuticis ſine alvi fluxu liquido.

Curatio. Ciriglius ſuadet 1°. aquam ex *albo albi*, ſeu hauſtum ex aquæ graminis canini unciis quatuor, & ovorum albuminibus duobus, miſce; 2°. lac ipſum, ſi ſtomachus id digerit; 3°. ſerum lactis caprini cum ſucco fumariæ, naſturtii aquatici, &c, deſtillatum; hujus uncias quatuor quovis manè, additis ſi lubet ſpiritûs cochleariæ guttulis quatuor; 4°. ante cœnam aquæ Spadanæ, vel aquæ de Picejarelli, vel alterius ſulphureæ unciæ duæ bibantur. Adderem decoctum tamarindorum, vel myrobalanorum, cæteris remediis præmittendum.

19. *Dyſenteria Polonica*, Stabel Hiſt. 11. Obſ. 8.

20. *Dyſenteria miliaris*, Gruberi.

Febris exanthematico-dyſenterica, Tiguri Epidemica, 1747.

Praxis. Cauſa dyſenteriæ eſt conatus naturæ ad expellendas ano materies acres & venenatas, ſive ſanguini commixtas, ſive inteſtina erodentes, adauctâ vi expulſivâ inteſtinorum per motum periſtalticum, ruptiſque, vel eroſis, aut diductis vaſis ſanguiferis.

Indicatur itaque id omne genus auxilii, quod 1°. materias irritantes valet avertere, evacuare, alioſum revellere, necnon corrigere & mitigare; 2°. quod conatus dolorificos effrenes valet ſedare, imminuendo phlogoſim, ſenſum obtundendo, inteſtina mitigando, compeſcendo; denique evacuatâ materiâ morbificâ, quæ robur inteſtinis, vaſiſque ruptis cicatricem reddere valent. Materiei irritantis, acris, venenatæ expulſio, ſi ſit in ventriculo, quod docent cardialgia, nauſeæ, oris amaror, linguæ ſordities, aſſumptorum indoles, debet tentari per emetica lenia, tubam inteſtinalem non ſubeuntia, ſimulque aliis indicationibus ſatisfacientia, præmiſſâ unâ, vel alterâ phlebotomiâ; talia ſunt radix ipecacuanhæ, tartarum ſtibiatum, gilla vitrioli, ſed ipecacuanha cæteris præſtat parvâ doſi, ut ad grana ſex, duodecim, cum

cum ſyrupo cydoniorum, vel micâ panis. Angli utuntur ejus infuſo in aquâ vitæ ad cochlear unum.

Debet dein inteſtinalis fiſtula identidem expurgari decocto pulpæ caſſiæ, tamarindorum, rhei, rhapontici, myrobalanorum, additâ mannâ, oleo amygdalarum, & ſimilibus, atque ſi nulla ſit febris, tutiùs eluitur potu aquarum acidularum, quæ Glauberiano ſale ſcatent, modò tepidæ & parvâ doſi per aliquot dies ſumantur, quo ſolo auxilio plures ſanatos vidi, aquis Aleſienſibus aſſumptis.

Corrigitur materies morbifica, præmiſſis evacuantibus alvinis, per potum ex ſero lactis, decocto oryzæ lotæ, aquis acidulis pro potu, unde ad vias urinarias ducitur ſerum acre lixivioſum ſanguinis; ſi verò ritè expurgatis primis viis dyſenteria chronica evadat, lac ipſum vaccinum coctum additâ drachmâ cretæ albæ in fundo relinquendæ, vel præmiſſo bolo ex cretâ, coralliis, oculis cancrorum, catechu, cum conſervâ roſarum, manè & ſerò uſurpandum.

Victus ſit ex juſculis, aut quod ſatius eſt, ſi fœteant & acres ſint multùm materies excretæ, cremores ex oryzâ, avenâ, loco juſculorum ſunt adhibendi; potus verò vel decoctum oryzæ, vel ſerum lactis, injectis fruſtis laterum, vel ſilicum, vel clavis igne priùs candentibus, vel aqua pane toſto, floribus roſarum infuſis parata; tormina, conatuſque & profluvium alvi, ex quo vires infringuntur, ſedant optimè narcotica, quæ in emulſione, julapio, oleo amygdalarum, vel cum pulvere abſorbente, formâ boli, opiatæ vorentur; huc laudanum liquidum, vel ſolidum: huc pertinent pulvis coralliorum anodynus D. Helvetii, vel diaſcordium Fracaſtorii, modò largâ doſi ſumatur, ut ad ſcrupulos quatuor, drachmas duas, vel pilulæ de cynogloſſo ad grana quinque, octo: horum alterutro, vel emulſione cum ſyrupo de papavere vix carere poteſt æger horis nocturnis; verùm & ipſa inteſtina debent mitigari, teneſmuſque ſedari clyſmatis tepidis ad ſemilibram injectis cum cautelâ, cannula pulli inteſtinulo involuta; fiant clyſmata ex inteſtinorum, vel omaſorum, vel capitis vervecini decocto, vel lacte, vel oleo & aquâ cum ovi vitellis, ſaccharo, vel malvæ foliis, althææ radicibus aquæ incoctis; adde in pertinaci dyſenteriâ theriacæ drachmas aliquot. Si tormina valida, dolor atrox, ſitis, febris vigeant, iteretur phlebotomia, potus ſit aqua pulli, ſeminibus frigidis farcti, vel cum capite papaveris cocti; iteretur ſerò & manè laudanum liquidum ſufficienti copia, oleum amygdalarum ore & ano ſumendum eſt.

Denique inveteraſcente morbo, aut citiùs, modò expurgatus ſit ſanguis & edulcoratus, adſtringentia roborantia advocanda, uberiùs aſſumendæ aquæ acidulæ, opiatæ ex catechu, rheo pulverato maximè toſto, decoctum ex myrobalanis, rhapontico, ſyrupus de cichorio compoſitus, ſimarubæ corticis drachmæ duæ in tribus aquæ cyathis coctæ, & intra diem aſſumptæ; imò grana duo vel tria ipecacuanhæ intra pulpam vel opiatam, decoctum codaga-palæ, aliaque conveniunt; ſed febre abſente offæ, panatellæ,

 ova

ova mollia, panis poſſunt uſurpari, cavendo ſemper à carnibus, ut à fructibus recentibus.

In epidemicis, malignisque dyſenteriis vires ſunt ſuſtinendæ, & diaphoreſis juvanda cardiacis abſorbentibus, ſudoriferis blandis, ſemperque phlogoſi, & imminenti inteſtinorum ſphacelo per phlebotomiam conſulendum, infuſum ſcordii, diaſcordium, theriaca recens, decoctum album Sydenhami cæteris præſtant.

In Caſtrenſi dyſenteriâ quæ æſtiva eſt, & ab aurâ nocturnâ frigida ortum ducit, ſerum lactis optimum pro potu, ipecacuanha raró convenit, ſæpiùs cathartica proſunt, ut expertus eſt *D. Vandeli D. Med. Veletriæ.*

Flores lytri ſalicariæ, ad manipulum unum ſi recentes, ad drachmam unam ſi ſicci ſint, bulliant in aquæ unciis octo, & ex hoc decocto puro, vel cum lacte ſi febris adſit hectica, utatur æger in dyſenteria inveterata, tanquam tonico adſtringente & expertiſſimo medicamine : pulvis etiam florum horumce ad ſcrupulum unum valet.

XI. MELÆNA; *Melaina nouſos* Hippocratis; *Fluxus ſpleneticus* Gordoni; *Nigræ dejectiones* Schenckii Lib. III; *Dyſenteria ſplenica* Ballonii Conſ. 53. Lib. 1. *Cholirica* Guarinonii, Moroni &c; *Morbus niger* Fr. Hoffmanni; *Maladie noire.*

Eſt alvi fluxus materiei nigricantis, atro-rubræ, dejectione, aut vomitione frequenti notatus.

1. *Melæna ſplenetica ; Cholirica* Guarinonii fol. 719. *Maladie noire* Vandermonde Journ. de Med. Mars & Juill. 1758. obſ. 1. & 2. Navier 1756. Varnier Journ. de Med. Janv. 1757. A. P.

Ea eſt quæ melancholicis accidit poſt febres putridas, peripneumonias, ante plenam convaleſcentiam ; pulſus eſt debilis, intermittens, non febrilis, facies plumbea, vires proſtratæ ; materies rejectæ per inferiora ſunt nigræ, unguinoſæ, ſæpè fœtidiſſimæ : ſyncopes frequentes à dejectione.

Impugnatur hic morbus cardiacis, antiſepticis, & acidis, ut aquâ Rabel, ſucco limonum, decocto leviſſimo ſerpentariæ Virginianæ, gelatinâ cornu cervi acidulatâ, infuſo florum chamæmeli, &c.

Vidi in Moniali ſeptuagenariâ per aliquot dies has materies bis vel ter in die ano & cato rejectas, viſcoſas, unguenti digeſtivi ſimiles quoad colorem, vix fœtidas, cum debilitate, agrypniâ & pulſu febrili.

Vidi Nemauſi in Mercatore ſimilem morbum cum cardialgiis, facie plumbeâ, tumore antiquo ad epigaſtrium ; materies rejectæ copioſiſſimæ per anum erant initio atramentoſæ, dein bili atræ & decocto caffé ſimiles.

In ſenibus Noſocomii generalis ſimilis morbus ter, vel quater fuit obſervatus, & utplurimùm hac ætate lethalis.

Si alvi fluxus contingat in morbis acutis, & materia educta non ſit atrabilis, ſed verè melancholicus humor, qui eſt fex ſanguinis ; illæ evacuationes quandocumque eveniant, omni carent diſcrimine, & ad bonum terminantur,

nantur, exoneratâ per has à gravi materie naturâ ipſâ; ſin vitium accedat viſcerum, ipſaque eorum ſubſtantia labefactetur, pernicioſæ ſunt hujuſmodi dejectiones. *Petr. Salius Diverſus.*

Deſideratur hujus generis diviſio in ſpecies, quarum ſigna ſint magis diſtincta; nuper tantum modò Medici monuerunt hunc morbum non ita rarum eſſe, ut ante hoc ſæculum exiſtimabant.

Nigredo dejectionum ſine torminibus ejus characterem conſtituit, ſed vel dejectiones aqua dilutæ ad luteum vergunt, vel ad atramentum; vel afficitur primariò hepar vel lien. *Collect. Acad. T. 3. p. 14.*

Cholirica eſt nomen à cholera parùm diverſum; *melæna* eſt nomen vetus & Hippocraticum, adeoque anteponendum.

2. *Melæna ſcorbutica. Maladie noire*, Obſervation 4. Journal de Médecine 1758. pag. 235. par M. Bonté, D. Med. à Coutance; Vandermonde ibid. 1757 pag. 337. quæ atrabilaria non ſanguinea eſt. A. P.

Vir mœſtus, ſiccus, macilentus, vertigine & aſtheniâ ac laſſitudine tibiarum affectus, gingivis rubris, mollibus, ore fœtidus, maculas habebat in tibiis circulares vel ovales; à minimo motu ſyncopem metuebat; is pluries dejecit feces nigras, fœtidiſſimas, amurcæ vini ſimiles; quoties fluxus niger inſtabat, maculæ ex purpureis nigræ evadebant, febris nulla, pulſus intermittens, acceſſerunt palpitationes, pulſatio temporum, labia, palatum, lingua ex nigro vireſcebant; harum partium epidermis ſeparabatur; mors.

Indicabantur acida roborantia, maximè aqua Rabel, vel ſpiritus vitrioli, ſyrupus limonum, aceti, tinctura ſerpentariæ virginianæ, aliaque antiſeptica acidis juncta.

3. *Melæna atrabilis. Atrebile.* A.

An ea ſpecies eſt quæ in acutis cum gravi viſcerum labe accidit, in qua bilis nigra ſursùm vel deorsùm ejicitur, de qua dicit *Hippocrates*: *Dyſenteriam ab atrabile incipere lethale.*

An ab hepate hic humor profluat? quænam ſunt ſigna hujus ſpeciei quibus à prioribus diſcrepat.

Materies carnoſas cum atrâ bile rejectas, vidit *D. Geofroy Journ. de Medec. Mars 1758. pag. 250*, viderat *Ballonius.* Vide *Boneti Sepulchretum*, *Tom. 2. pag. 189.* Ex liene cadaveris humani eloto ipſe eduxi aquæ nigerrimæ decem ferè libras, novam aquam affundendo per arteriam ſplenicam.

4. *Melæna hæmorrhagica.* Vide Chomel Mater. Med. pag. 574. A. P.

Eſt alvi fluxus cruentus, niger, à rupto quodam vaſe ſanguifero in primis viis, ſine mariſcarum ſignis. Duos operarios qui ex valido niſu in attollendis ponderibus, vas quoddam ſanguineum in inteſtinis veroſimiliter ſiti ruperant, vidit *Chomel*: his ſupervenit dejectio cruenta quatuor & ultra librarum. Hos ſanavit *Chomel* præſcriptis ſucci millefolii & urticæ ana unciis ſex, & forti decoctione harum plantarum in anum injectâ.

Qui hæmorrhagias in primis viis patiuntur, per aliquot dies ſanguinem nigrum botellorum inſtar dejiciunt, ut vidi; hinc morbus melænæ videtur

 adſcri-

adſcribendus, vel hepatirrhœæ cruentæ; à quâ differt ex eo quòd non per diabroſim fiat, ſed per rixim.

5. *Melaina prima* Hippocratis de Morbis, lib. 2. A.

„ Bilem atram tanquam fecem vomit, interdum velut ſanguinem, aut „ vini amurcam, aut polypi atramentum, quandoque acidum ut acetum, „ & cùm nigrum cruentum vomuerit, cædem olere videtur: fauces & os „ ex vomitu incenduntur, dentes obſtupeſcunt, & rejectum terram attol- „ lit; à vomitione ſublevatur, cibos appetit, à copioſioribus ægrè habet; „ ſi jejunus ſit, viſcera ſtrepunt, & ſaliva aceſcit. Cura abſolvitur crebris „ purgantibus, dein ſero & lacte, &c. *Hippocrates.*

In ſpecie ſplenetica hodie ſatis frequenti, nec acidum olent rejecta, nec cathartica ferunt vires ægri.

6. *Melæna febricoſa*, Torti de Febrib. Lib. IV. cap. 1. hiſt. 3. A. P. Eſt ſpecies quæ typo tertianæ progreditur cum dejectionibus atro-rubris.

7. *Melæna hepatirrhoica* Torti, & Ill. S.... de abſcondita febrium natura. A.

Differt hæc ſpecies à priori quod dejectiones ſint carnium loturæ ſimiles. Notionem diſtinctam & praxin optimam melænæ debet orbis medicus *Clariſſimo Medicinæ Doctori Monſpelienſi D. Varnier.*

XII. Nausea; *Nauſea* & *Nauſeoſis*, *cacoſitia*, *cibi faſtidium*; Græcis *Nautia*; Latinis *Vomituritio*; Gallis *Nauſée*, *envie de vomir.* Ægri *Nautiodes*, *nauſeabundi.* Provenit à *nautis*, ſeu navi quam qui conſcendunt, nauſeant maximè.

Eſt vomendi cupiditas & conatus fruſtraneus, ſeu qui reſpectu ad effectum ſpectatum maximus eſt; ita ut cum ſummis niſibus nil niſi flatus, aut quid paucum vomitu rejiciatur, & omnia aſſumenda faſtidiantur. Phænomena nauſeam comitantia ſunt cardialgia, ſenſus ingratus ventriculi, averſatio ſeu abominatio intima ex hoc ſenſu oriunda, protenſio capitis ad anteriora, oris diductio, motus oſſis hyoidis ad ſuperiora, ſonitus ſingularis exſpiratorius, depreſſio ſimultanea epigaſtrii, ſæpe ſalivæ uber proventus, labii inferioris tremor; & cùm vehemens eſt morbus, virium imminutio, brachiorum ad poſteriora protenſio, corporis totius ad anteriora inclinatio, &c, omnis potus & cibi oblati averſatio, & deglutiendi impoſſibilitas.

Definitur à *Gorræo* per cauſam, ſcilicet depravatus motus facultatis expultricis, quo nititur per os excernere quæ ventriculo ſunt moleſta; quod eſt teneſmus reſpectu dejectionis, tuſſis reſpectu anacatharſis, ſternutatio reſpectu coryzæ, id tuſſis erga vomitum eſt, & dyſuria reſpectu enureſis, & dyſtocia reſpectu partûs.

Differt hic morbus à vomitu, quòd in vomitu uber ſit materierum rejectio reſpectu conatuum, in nauſeâ verò minima. Differt à vomituritione, quæ vomitum, aliosque morbos comitatur, quia in nauſeâ pro morbo eſſentiali ſpectata, inanis vomendi conatus ſit conſtans & præcipuum ſymptoma,

toma, non ita in alia ſyndrome; ex principiis conſtantioribus diverſamque medelam exigentibus deducuntur nauſeæ ſpecies ſeu varietates.

1. *Nauſea à tænia* Hildani, centur. 2. obſerv. 70.

Mulier adoleſcens nauſeâ, eructationibus & cibi faſtidio, ſæpè doloribus ventris, torminibus & imbecillitate ventriculi vexabatur: Sumpſit tandem pulverem ex rheo, ſennâ, turbith, agarico, cum ſyrupo roſato, & tæniam viginti ſpithamas longam per anum ejecit, hac rejectâ convaluit.

2. *Nauſea gravidarum* Rod. à Caſtro de morbis mulierum, lib. 3. cap. 11. Hippocratis Aphor. 61 ſect. V. Nenteri, Tab. 185. cap. 2. L.

Ea nauſea ſine prævio horrore aut febre recens prægnantibus ſæpiùs accidit, cum cibi faſtidio & picâ, nec non phlegmatum rejectione per os, ſæpiùs ante quintum menſem evaneſcit. Intra certos limites nullum periculum involvit, ſed, ſi violentior evaſerit, etiam aborſum minitatur; abſtineant mulieres à pravis cibis quos pica ſuadet.

3. *Nauſea à pancreatis ſcirrho* Joan. Rhodii cent. 2. obſerv. 95. *ex ejus tumore putredinoſo* Barbet. prax. lib. 4. cap. 2. C.

Vetula quædam vomitum quotidianum poſt prandium & cœnam patiens, in atrophiam incidens tandem mortua eſt. Secto cadavere pancreas duritie lapidem æmulabatur; cùm autem illud ſit ventriculi pulvinar, ventriculus concoctionem celebrare non poterat hac duritie læſus, ſed indignatus omnia ingeſta rejiciebat. *Panarol.* obſerv. 14.

4. *Nauſea ex gaſtrocele* Boneti Sepulchret. de nauſea, obſ. 27. C.

Ventriculum rupto diaphragmate in pectoris cavitatem prolapſum ſequitur hæc nauſea. Hoc factum vidi Aleſiæ citra cauſam evidentem. Hoc obſervavit, *poſt vulnus diaphragmatis*, *Sennert. inſtit. lib. 2. pag. 2. cap. 13; poſt emeticum violentum Bonetus Sepulchret. Tom. 2. pag. 103. paragr. 2. ex obſtructionibus ventriculi & epiploi Thom. Bartholin. centur. 6. obſ. 45.*

5. *Nauſea ex compreſſo ventriculo* Bonet. Sepulchret. lib. 3. ſect 8. obſ. 28, 29. Factum vidit *ab enormi renis abſceſſu* totam ferè abdominis cavitatem replente, Carol. Piſo. de morbis à colluvie ſeroſa, ſ 2. p. 2. cap. 37 C.

6. *Nauſea bilioſa.* Williſ. Pharmac. ration. cap. 1; Bonet. Sepulchret. Tom. 2. pag. 107. obſ. 36.

Cognoſcitur ex aurigine ſuppreſſa, ex amarore & flavedine eorum quæ vomitu ſunt rejecta, & jam ſuppreſſa, ex eo quod à paſtu ſedatur nauſea & jejuno ſtomacho recrudeſcat.

In homine ſæpiùs nauſeante ſecto cadavere invenit *Cabrollius* ductum choledochum pyloro inſertum; *Obſerv. Anat. 6.*

Cùm bilis regurgitat in ventriculo, ejuſque parietes intus vel extùs afficit, inde nauſea & anorexia ſæpè fit.

7. *Nauſea nephritica* Boneti Sepulchret. Tom. 2. pag. 116. obſ. 60. A.

Renibus calculo infarctis ſæpiùs ſupervenit nauſea, naturâ erroneo conatu, ventriculi alternis agitationibus, calculum quo moleſtatur expellere conante, vel urina ſanguini remixtâ ventriculum vellicante, vel nervis ventriculi ſympathicè irritatis.

Hujus

Hujus ſpeciei obſervationes octo vel novem videſis apud *Bonetum* cadaverum ſectione confirmatas. Idem à cochleæ putamine intra renem invento, obſervavit *D. Peierce*, *Act. Lipſ. T. 5.*

8. *Nauſea à ſemine corrupto* Boneti Sepulchret. de Nauſeâ, obſerv. 69.

Quidam veneri addictiſſimus tandem caſtimoniæ addictus, poſt ſex menſes nauſeâ corripitur, tandem epilepſiâ extinguitur.

Nullum vitium ullibi inventum eſt præter ſemen virideſcens in cavo canalis deferentis cumulatum.

9. *Nauſea ab apoſtemate circa cardiam* Caron. Zodiac. Medic. Gallici, pag. 128. C.

Hominis nauſeâ diuturnâ conſumpti cadaver exhibuit apoſtema albi puris libram continens, cum calculis albis inter cor, & ventriculi orificium ſiniſtrum, quo ventriculus irritabatur, nec tamen tetrum odorem fundebat illud pus, nulla febris adfuerat.

10. *Nauſea ex gaſtritide.* Vide Gaſtritidem.

11. *Nauſea ex cacochyliâ* Sennerti.

Ea eſt omnium frequentiſſima, quam comitatur pondus in epigaſtrio, ſenſus cujuſdam boli cardiam ingredientis, capitis vertiginoſa gravitas, oris amaror, & cibi faſtidium, ſine febre; ea ſaburram pravam, bilioſam, acrem, viſcidam, ventriculo hærentem, deſignat, & vomitoriis poſt diluentem tepidum potum fruſtra tentatum aſſumptis curatur.

Cave ante emeticorum uſum ne ventriculus phlogoſi laboret. Illa ſpecies febres malignas quandoque declarat.

12. *Nauſea marina.* Vide Vomitum marinum.

XIII. Vomitus; Græcis *Emetos*; *Anatropha* Gilberti Angli; *Vomiſſement.* Ægri *Evemeti* Hoffmann.

Vomitio eſt eorum quæ in ventriculo, vel œſophago ſaltem continebantur, facta per os rejectio; & *vomitus* eſt vomitio conſtans & frequens, adeoque morboſa & utplurimùm celer & violenta.

Ad vomitiones tamen pertinent alimentorum regurgitatio, & quibuſdam hominibus ſuperveniens & aſſueta ruminatio, licet nec inde celeres nec violentæ ſint rejectiones; ſecus multiplicanda forent in vanum morborum genera.

Materiæ vomitu rejectæ ſunt recrementa vel alimentorum reliquiæ, ſi verò cruor rejiciatur, tunc datur hæmetemeſis; illæ utplurimum erant in ventriculo contenta, ſive illuc ex tenuibus inteſtinis affluxerint, ut in ileo; ſive ex ejus colatoriis ſecreta fuerint; ſive deglutita priùs fuerint formâ medicamenti, veneni, alimenti: dantur tamen ſpecies raræ quidem, in quibus ex œſophago tantùm rejiciuntur, quæ vomendo excluduntur.

Cauſa vomitionis eſt antiperiſtaltica ventriculi conſtrictio, concurrente, ſi violenta fuerit, ſimultaneâ diaphragmatis & muſculorum abdominalium preſſione, nec non ſimultaneâ exſpiratione, ita ut duo in vomitione tempora diſtin-

diſtinguantur; in primo ſiquidem inſpirando diaphragma ventriculum comprimit, orificium ejus arctat; in ſecundo materies œſophagum per vim ſubeunt, & motus antiperiſtalticus ventriculi ac œſophagi urget aſcenſum, ſimulque aër velociter exſpiratus impedit ne materies intra glottidem delabantur, ſed ſaltu extra os, imò intra nares ejiciantur.

Ventriculum, in cane poſt aſſumptum arſenicum exenterato, vidi antiperiſtaltico motu vomitionem aliqualem, debilem tamen, producere, licet aëri expoſitus, & à preſſione immunis eſſet ventriculus. Idem viderat *Wepferus de cicutâ aquaticâ*, *pag. 68*.

Cauſa vomitûs eſt naturæ conatus ad expellenda per os quæ ventriculum moleſtant, quique reſiſtentiis oblatis eſt ſuperior, ſecus daretur tantùm nauſea.

Differt vomitus à cholerâ ex eo quod diarrhœâ torminoſâ, aut teneſmo ſimul non ſtipetur; ab ileo quod atroci abdominis dolore & alvi pertinaci conſtipatione non inſigniatur vomitus; à vomitione per conſtantiam, frequentiam & gravitatem, cùm vomitio levis, fugax, arte excitata morbus non ſit, ſed ſymptoma plurium morborum, ut gaſtrodynes, gaſtritidis, nephritidis, cephalalgiæ, cacoſitiæ, cardialgiæ, &c.

Species vomitûs ab earum principiis conſtantioribus erutæ ſunt, vel ſucci alimentares bilioſi, pituitoſi, lactei, atrabilarii, urinoſi, verminoſi; vel vitia ventriculi, hepatis, coli, pancreatis, aliarumque partium.

Pulſus in vomitu critico eſt omnium maximè contractus & minùs inæqualis; arteria ſub digito rigeſcit, & fremere videtur.

1. *Vomitus à crapulâ* Frid. Hoffmanni Spec. 1. B.

Ille eſt qui ob nimiam alimentorum aut potulentorum copiam aſſumptam ſupervenit; in eo, ſi ante coctionem evomantur, colorem & ſaporem ingeſtorum referunt egeſta; ſi præceſſit aliqualis coctio, acidum olent; accedunt capitis gravitas, vertigo, titubatio, cardialgia, ructus, nauſea, pondus ventriculi, labii infimi tremor, copioſa muci exſpuitio, gutturis irritatio, levamen à vomitu, quo cruda ejiciuntur.

2. *Vomitus à ſaburrâ.* Frid. Hoffmanni Spec. 2. B.

Si carnes ingeſtæ putruerint, ex illis reliquiis irritatus ventriculus etiam ingeſta reſpuit, & fœtore ſaburræ ultimæ vomitiones inficiuntur; adeſt nauſea frequens, cardialgia, horror juſculorum & carnium, ſitis refrigerantium & acidorum, fœtor oris, linguæ ſordities, febricula, capitis vertiginoſa gravitas, pondus, non verò dolor acutus in epigaſtrio; ea omnia indicant emeticorum, & dein catharticorum utilitatem, niſi vomitus uber ſit & facilis, aut potu tepido expeditus & ſufficiens evadat.

3. *Vomitus lacteus* Kerckring. obſ. an. 40. L.

Lactentes utplurimùm lacte ingurgitati, illud regurgitant. Hoc debent alumni ſuis nutricibus, quæ ut lactis ſui copiam oſtentent, infantes lacte continuò infarcire amant, unde debilitatur eorum ventriculus, vel

ſtatim à concepto gravi pathemate lac præbent alumnis vitioſum, quod in ventriculo non digeritur; hinc vel coagulatur, vel putreſcit, unde vomitus excitatur, ſalutaris quidem, ſed à principio morboſo, & ſæpè puerulis funeſto oriundus. Apii paluſtris ſucci potus eum vomitum ſanat; doſis drachmæ vj.

4. *Vomitus à dentitione.* A.

Pueris, circa ſeptimum menſem ætatis ſuæ, dùm primores perpullulant dentes, diſtractâ tunicâ, quæ ab ore ad ventriculum protenditur, accidunt vigiliæ, anxietates, gingivarum pruritus, oris fervor, papillæ mordendæ, aut cujuſvis oblati corporis mordendi cupiditas; febris, alvi conſtipatio, frequens vomitio lactis aut ingeſtorum; & ſi atroces dolores fuerint, febris acuta, motus convulſivi, quibus ſe comites adjungunt ſymptomata vermes etiam indicantia; minùs malè ſe habent, quibus diarrhœa ſupervenit, non verò vomitus; hiſce verò poſt aliquot dies ſedatis, rarò accidit ut dens optatus prorumpat, ſed tantùm, ut aiunt nutrices, gingivæ reduplicantur; ſubſequenti autem menſe dentes, ne advertente quidem nutrice, prorumpunt.

Tot vana & noxia laudantur in hoc morbo auxilia, ut ea enumerare pigeat. Videantur Auctores, ut *Sydenham*, *D. Lazerme*, &c.

5. *Vomitus verminoſus* Amat. Luſitan. cent. I. cur. 5. Frider. Hoffmann. §. 24.

Quandiu ſolo lacte utuntur infantes, tandiù à vermibus immunes ſunt; ablactatos, vel carnium eſui indulgentes infeſtant ſæpius, quod indicant odor ſingularis, quem acidum dicunt omnes, & tamen ab acido diverſiſſimus eſt; anxietates & morſus tùm ventriculi, tùm abdominis tranſitorii, vomitus cum vermium per nares, œſophagum, anumve eruptione; quandoque reptantes per œſophagum vermes ipſi pueri ſuffocati digitis extrahunt; nares continuò pruriunt, tuſſis gutturalis vexat, facies in horas rubet & pallet alternatim, ſopor eos detinet cum febriculâ, dejectiones liquidæ, griſaceæ, odor ſudoris verminoſus, proprius; vomitus pituitæ pellucidæ, diræ quandoque in ipſo ſopore convulſiones brachiorum, capitis, oris; demùm oculis ſursùm rigidis, ita ut album tantùm appareat, ad patriam ſuam cœleſtem relicta hac miſeriarum valle, puræ eorum tranſmigrant animæ.

Si credamus Veteribus, materies acido-dulcis ſanguinem coagulans, horumque vermium pabulum, eſt omnium ſymptomatum principium; ſi *Gualtero Harris* fides adhibeatur, ab acido omnia pendent quæ abſorbentibus copioſè aſſumptis debent curari. Omnes ferè Medici dulciariis aſſumptis vermium excluſionem tribuunt; ſolus *Valiſnerius*, ſagax obſervator, contendit à dulcibus, bellariiſque vermes moleſtari, & hinc commotos ſuas ſtrages rependo, confricando edere, ſi lumbrici fuerint, de quibus hîc tantùm eſt quæſtio; nulla hactenus firma eſt theoria; in praxi verò venæ ſectio quadrimis & provectioribus inſtituitur cùm febris acuta eſt, licet non conſentiant mulieres, ſed parcè & rarò mittitur ſanguis; dein lacte ſolo

ſolo lactentes aut juſculis nutriuntur infantes ; cathartica vermifuga ex ſennâ, floribus perſicorum, mannâ cum infuſo ſeminis ſantonici iterantur; vel emetica, ut tartarum ſtibiatum ad granum unum, vel paulò ultra, aut ſyrupi glauberiani guttæ ſex circiter propinantur, ea verò die rarò vermes per inferiora excluduntur, ſed diebus à catharſi vacuis offeruntur ſuccus limonum cum oleo, vel potus ex aquâ portulacæ, naphæ, confectione hyacinthinâ, ſemine ſantonico, corallinâ, nec non injiciuntur clyſmata ex uvis paſſis, ficubus, melle, ſimilibuſque parata, & tunc lumbrici quandoque plures ejiciuntur. A millepedibus vomitum pertinacem vidit *Auctor nuperus Obſervat. Medico-Practicar. pag. 89.* Duobus oniſcis rejectis ſanatus eſt æger.

6. *Vomitus ruminatio.*

Sunt homines qui unâ aut alterâ à paſtu horâ placidè ingeſta alimenta ex ventriculo ad os uſque regurgitant, & lobatim exſpuunt cum aliquali maſticatione ; imò qui iterùm ea deglutiunt, ut boves & capræ ; unde meritò ruminari dicuntur, quod incommodum & adſtantibus nauſeoſum eſt ; poſt lautiores dapes hoc tantùm accidit.

Ruſticus Cadomenſis, fortè premens manibus abdomen, ſenſit alimenta recens ingeſta ad os aſcendere, atque ea cum voluptate guſtata iterum deglutivit ; cùm per aliquot dies hoc experimentum voluntariò iteraſſet, hæc ruminatio in conſuetudinem abiit, & ſine voluntatis juſſu per triennium quotidie horâ unâ & ſemiſſe poſt paſtum perſeveravit, inde robur minimè imminutum, ſed ſudor & urina copioſior, dejectio verò alvina rarior ; nullum de cætero detrimentum ; hoc demum reſcivit Confeſſarius ac crimini vertit, quòd voluptatis cauſâ initio hæc ruminatio fuiſſet inſtituta, proindeque juſſit ut alimenta vel in os reverſa ſubitò exſpueret, vel in ſtomacho retineret ; ultimum non potuit, unde ruminata exſpuere cœpit ; inde verò intra quindecim dies debilior evaſit, à labore conſueto defatigatus, pallidus emaciabatur ; hinc alvus adſtricta, pedum phlegmatia, ſomnus inquietus, inſomnia terrifica : Medicus conſultus præſcripſit ut alimenta in os reverſa ſubitò deglutiret, ruminationem pro viribus impediret, maſticatis poſt paſtum jucundis ſtomachicis, ut conſervâ angelicæ ; ſero lactis copioſo alvum laxavit, & poſt decem dies æger à ruminatione & aliis incommodis immunis vixit : *Hæc ſcribit D. Du Saulſay Medicus Cadomenſis.*

7. *Vomitus à veneno* Frider Hoffmann. ſpec. 4. Journ. de Med. Avr. 1757, Cl. Majoult ; *hyperemeſis* Tralles de opio p. 5. A.

Sumpto *arſenico* vomitus brevi lethalis legatur in *Salmuthi cent. 1. obſerv. 10.* Eroſio fundi ventriculi & inflammatio inventa eſt, dorſum & ſcrotum lividum ; ſumpto *decocto hellebori albi* ſeu veratri, convulſiones & vomitus immanes, citò lethales. Inventa ſunt inteſtina flatu diſtenta, in ventriculo corroſio & macula nigricans magna, pulmones ſpumei nigricantes : *Boneti Sepulchret. T. 2. p. 91. obſerv. 6.* Similem caſum à *gillâ vitrioli* malè præparatâ, *Henr. ab Heers.* In Chymici cadavere obſervavit *Bonet. ibidem.*

ibidem. A *fungis venenatis* vid. *Hildan. cent.* 4. *obſ.* 34. *Lemonier, Hiſt. de l'Acad. R. des Sc.* 1740.

8. *Vomitus à pyloro calloſo* Frider. Hoffmann. §. 22; Williſ. Tom. 2. pag. 24; Bonet. de vomitu obſ. 17. ubi caſus plures, obſ. 18, 19, 20. Cl. Razoux Journ. de Med. Dec. 1756; Nov. 1759 p. 409.

Ter illam ſpeciem in ægris obſervavi, & in eorum cadaveribus principium tetigi; accidit vomitio tribus circiter à paſtu horis, adeoque cum paſta chymacea proximè in pylorum immittenda eſt; fruſtrà omnia auxilia tentantur, quotidiè poſt paſtus vomitio revertitur, unde ſenſim ægri contabeſcunt, debilitantur; alvus ferè clauſa eſt, aut raró deponitur; jejuno ventriculo, ſi ſupinus & genibus flexis exploretur æger, quædam durities in regione pylori, quandoque in fine duodeni, & aliis in locis ſentitur; poſt mortem inteſtina mirè coarctata, indurata, quandoque duodenum à tumoribus ſcirrhoſis compreſſum, plura viſcera indurata reperiuntur; poſt annum circiter moriuntur; uſu lactis pro omni cibo fatum procraſtinatur; à nummo deglutito pilorum obturante caſum vidit *Kerckring. obſ. an.* 1.

9. *Vomitus hypochondriacus.* Vide Colicam hyſtericam Frid. Hoffmanni ſpec. 4. C.

Scorbuticis, quartanariis, lienoſis, cachecticis communis eſt; praſini, æruginoſi, virides, bilioſi ſunt vomitus: Vid *Act. Acad. Bononienſ. Tom.* 2.

10. *Vomitus ab ulcere ventriculi* Bonet. Sepulchret. Tom. 2. pag. 89; Hildan. cent. 5. obſerv. 36. C.

Illum præcedit dolor ventriculi acerbus, conſtans, ſive phlegmone ſpontanea acceſſerit, ſive à deglutitis aciculis, oſſiculis punctus ſit ventriculus; rupto abſceſſu, dolor minuitur; ſed vomitus in longum tempus perſeverat, ita ut veneno quandoque tribuatur; pus tam paucum vix in rejectis cognoſcitur: apertura cadaverum principium morbi declarat.

Similem caſum in quo pituita ad aliquot libras evomebatur cum alvi conſtipatione, obſervavit *Marcell. Donatus hiſt. lib.* 4 *cap.* 3: pylori tunica interior erat exeſa, unde chymi irritantis tranſitum denegabat.

In ventriculo hominis vomitu habituali defuncti ulcus fiſtuloſum invenit *Schneiderus, de Catarrhis pag.* 439. Æſtus lentus, vomitûs pertinacia, ægri extenuatio, febricula hanc ſpeciem produnt.

11. *Vomitus ab ſteatomate ventriculi* J. Rhodii, obſerv. 63. cent. 2; Boneti Sepulchret. de vomitu obſerv. 15. C.

Vomitus alimentorum ſemicoctorum, alvi conſtipatio ſenſim creſcens; morbus habitualis, abſceſſus, vel ſteatoma nunc in pyloro, nunc in cardiâ, nunc in fundo ventriculi; juvamen ab inſeſſu in aquâ tepidâ.

Ab ſcirrho in ſupernâ parte ventriculi & omenti ortum vidit *Riverius cent.* 2. *obſerv.* 48. Ab abſceſſu, *vide Riolan. lib.* 2. *Anthropol. cap.* 20.

12. *Vomitus gravidarum.*

a. *Idem febricoſus*, Vandermonde Journ. de Med. Mars 1757 pag. 198.

Eum ſcilicet ſingulis diebus eadem horâ revertentem obſervavit *Vandermonde*, eumque vulgaribus remediis reſiſtentem ſanavit ſolo extracto kinkinæ.

Ut

Ut plurimùm vel bilioſus eſt, vel alimentaris. Bilioſus manè jejunis accidit, & laborioſior eſt, ac gravior, ferè convulſivus: ille ſedandus eſt ope phlebotomiæ quandoque repetendæ, potu vel aceſcente ut limonatæ, vel diluente ut theæ, infuſo croci, unde juvatur bilis excretio, rejectio; vel ſtomachico, ut infuſo florum chamæmeli, ſummitatum centaurii minoris, abſinthii, coffeæ, vel aquæ naphæ, vel cocolatæ, vel quiete in lecto curatur, aut prævertitur.

Vomitus ciborum ſtatim à paſtu minus laborioſus eſt, verùm inanitionem inducit & debilitatem: huic etiam confert phlebotomia; aliàs juvat aquæ potus; alias verò vini, imò elixirii proprietatis ad paucas guttas; alias theriaca. Interea vomitus quandoque ſalubris eſt, inde felicior parturitio; hoc ſuppreſſo ægriùs habent plurimæ, minùſque appetunt cibos, in quo caſu vomitus eſt naturæ committendus. Vomitus in gravidis abortum prævertit. *Langrish.*

13. *Vomitus bezoarticus* J. Breynii, Philoſophic. Tranſaction. n. 459, 1741. G. Konig Tranſ. Philoſ. 1678. n. 3. C.

M. Lawer 21 annos nata per biennium idemtidem evomebat lapideas concretiones, quarum ſtrepitus, etiam palpando, in ejus epigaſtrio percipiebatur: mirum quidem quod per quatuor menſes ſine cibo & potu vixerit, quod clyſmata plurima vomitione rejecerit, quod urinas virides & arenoſas pluries minxerit: *Collect. Acad. Tom. I. p. 426.*

Quidam laborans pyroſi magnam copiam abſorbentium, teſtaceorum ingeſſit; demùm ſupervenit vomitus cum ſenſu ponderis in diaphragmate, & poſt longum cruciatum obiit. Secto cadavere inventi ſunt in ſtomacho plurimi calculi, quorum alii corallia, alii globulos referebant; quorum icones vide *volum. 9. Philoſoph. Tranſact. Abridged. pag. 171.*

14. *Vomitus rabioſus* Anton. de Ulloa Voyage en Amerique, vulgò *la Chappetonade;* Hiſpanis *Vomito prieto.*

Chappetons ibi vocantur qui fortunam experiuntur, & quæſtum, victumve apud Carthaginienſes induſtriâ ſuâ quærunt; inopia facit tùm ut prava, viliaque alimenta hauriant, tum ut frigori nocturno ſe exponant, quo nihil periculoſius in regione fervidâ. Succedit vomitus lethalis, ſæpiùs ſtipatus delirio ita furibundo, ut niſi vinculis coerceatur æger, is ſe unguibus, dentibuſque miſerè dilaniet; in mediis hiſce tormentis rabioſus exſpirat.

Hic morbus eos tantùm aggreditur qui has regiones ab aliquo tempore inhabitare cœperunt, nec erat cognitus ante annum 1730.

15. *Vomitus atrabilarius* Bonet. Sepulchret. obſerv. 23. de vomitu; *Morbus niger* Hippocratis. A.

Quidam nigricantia, aut æruginoſa vomitu aſſiduo rejiciebat; inventum eſt duodenum ubi arcum, ſeu angulum conſtituit, omninò obturatum, unde bilis in ventriculum refluebat, morâ nigricabat.

In vehementibus nauſeis, inteſtini duodeni finis, à duplicaturâ transverſâ meſocoli arctatus, bilis uberiùs tunc affluentis tranſitum denegat, unde bilis poſt primas vomitiones ferè ſemper accedit in ventriculum. Vomitus atræ bilis hepate obſtructo, ſcirrhoſo obſervarunt *Car. Piſo, de morbis à ſero*, S. 4. *cap. 1*, Bonet. *Sepulchret. obſ.* 43. ubi plures caſus recenſentur.

 16. *Vo-*

16. *Vomitus ab hepate obſtructo* Bonet. Sepulchret. obſ. 36; Frid. Hoffmann. §. 26.

Eam ſpeciem confirmant obſervationes aliquot à *Boneto* relatæ, quibus veroſimile evadit, bilem in hepate obſtructo retentam per vaſa ſanguifera in colatoria ventriculi refluere, ibique excerni & bilioſum vomitum excitare, ſive hepar ſcirrhoſum, ſive bilis in lapillos coagulata ſit in cyſtide, ſive abſceſſus in hepate ductus biliferos premat: hanc ſpeciem obſervo à quinque menſibus in muliere, quæ pluries auriginem experta erat, quæque averſatione alimentorum, maximè verò è carnibus deſumptorum laborat; ſublevatur aquis thermalibus hieme, & acidulis Vallenſibus æſtate.

17. *Vomitus à pancreate* Bonet. Sepulchret. obſ. 53, 54, 55. Vide Nauſeam obſ. 58.

Hujus pulvini durities, vel ex pancreate putri ulceroſo manans pus ventriculum ad vomendum ſollicitat, maximè cùm plenus eſt alimentis.

18. *Vomitus gaſtrocelicus*; D. P.

Eſt vomitus habitualis, quem excitat hernia ſtomachi intra muſculos abdominis intruſi, vel in thoracem trans diaphragmatis ſciſſuram adacti; iſtam varietatem, apud equos ſatis obviam, vidimus in muliere, quæ poſt vehementes nauſeas in hunc morbum inciderat. Secto cadavere, ventriculus totus in thorace latebat; à quovis partu hæc miſera mulier fere ſuffocabatur, uſque quò aſſumptum evomuiſſet. In cane ſimilem morbum obſervant & referunt *Mem. de l'Acad. R. des Sc.*, nec *Sennerto* hic affectus fuit ignotus: vide *Nouvelles Claſſes de Maladies pag.* 152.

Prima varietas eſt frequentior, ejuſque ſigna vide in *Claſſe I de Gaſtrocele*, & auxilia apud *Garengeot*, *Gunzium*, &c.

19. *Vomitus gaſtriticus.* Vide Gaſtritidem.

Epigaſtrium tumet, & ita acutè dolet, ut ne ſtragulorum leviſſimorum attactum ſuſtineat, ut in colicâ hyſtericâ; pulſus eſt debilis, frequens cardialgia, mens quandoque ſtupet, vomitus frequens eſt, febris veluti maligna, viribus omninò proſtratis: *Vide Gaſtritidem.*

Ab herpete ventriculi vomitum habitualem obſervavit Panarol. obſerv. 43.

A puſtulis rubris lividis, Vide Bonet. Sepulchret. obſ. 56.

A carbunculo peſtilenti Diemerbroeck de peſte lib. 4, hiſt. 15.

20. *Vomitus nephriticus* Bonet. obſ. 60. Vide Nauſeam. *Vomitus à calculo* Frider. Hoffmann. *p.* 27. A.

Hæc ſpecies doloribus nephralgiæ calculoſæ, aut etiam nephritidis ſtipatur; hujus caſus octo in *Bonet. Sepulchreto* videſis.

Si arteria renalis cani vivo ligetur, conſuto vulnere poſt aliquot horas rejici materias urinam redolentes teſtatur *Chiracius*; verùm non ſemper ſuccedit experimentum.

21. *Vomitus ab œſophago obſtructo* Frid. Hoffmann. §. 21; Williſ. Pharmac. pag. 17; Fernel. Pathol. cap. 1; Coiteri obſ. pag. 121; Littre Hiſt. de l'Ac. R. des Sc. Williſ. *Tom.* 2. *pag.* 25; Cochi Horti Florentini præfat. Halleri Diſput. Tom. III. p. 33. C. P.

Vomi-

Vomitum habitualem ſtatim à paſtu obſervavit *Littre* œſophago in marſupium dilatato propter ſcirrhum intus enatum, quo obturabatur. Similem obturationem glandula Vercelloni intumefacta poteſt inducere in canibus. Celebris Florentiæ Æſculapius *D. Cochi* bis obſervavit hunc morbum à glandulâ dorſali ſcirrhosâ, & ſemel à vertebris ſalmonis deglutitis ortum, ut docuit Anatome; ægri fame perierunt.

22. *Vomitus à cartilagine xiphoideâ*, vulgò *la palette démiſe*. C.

Prolapſa (vel intus inflexa, ut vidit *D. Laſoſſè*) cartilago ventriculum moleſtat, qui ut obicem removeat convulſivè contrahitur, alternatimque dilatatur. Similem vomitum obſervat *Frider. Hoffmann.* à ligneis illis, vel balænaceis chlamydibus, *Buſquiéres* dictis, quibus epigaſtrium arctant puellæ, ut elegantioris ſtaturæ videantur. *Vide Heiſterum de luxatione hujus cartilaginis.* Hic morbus, ſi ruſticos audiamus, frequens eſt, reapſe rariſſimus.

23. *Vomitus cephalalgicus* Hippocr. aphor. 50. lib. 6. Frid. Hoffmann. §. 28.

Sed vomitio eſt potiùs quàm vomitus; oritur vel à percuſſo cranio, & poſt alimenta bilis ipſa rejicitur, vel à cephalæâ.

24. *Vomitus iliacus.* Vide Ileum. *Vomitus ab herniâ* Frid. Hoffmann. §. 24. A.

Non ſemper feculentus eſt, nec cum ileo, ac bubonocele conjunctus; ſed tantùm à refluxu humorum ex inteſtinis in ventriculum procedit, ut in ileo.

25. *Vomitus marinus. Mal de mer. Water-Galle* nautis. B.

Eſt ille qui navigantes diſcruciat cum cardialgiis, nauſeis, virium proſtratione.

Ille minimè pendet à fœtore cloacæ, licet ille fœtor quandoque concurrat; qui autem vomitu marino defatigari ſolent, illi etiam in fluminibus navigare nequeunt, navigiis minimè fœtidis quin evomant aut nauſeent; itaque nec à cloacæ, nec ab aquæ marinæ odore præcisè pendet hic vomitus. Ille vomitus urgentior eſt cùm mare proceloſum eſt, & potiſſimum cùm motus navis eſt à puppi ad proram, qui motus vulgò *Tangage* dicitur, atque accidit cùm ventus à poſticis flat, vulgò *vent arriére*; minimè verò accidit aut minùs cùm à vento laterali navigium verſus latus inclinat; minima enim eſt navis ſuccuſſio in hoc ſitu. Ad hunc vomitum arcendum 1°. ſupra pontem degendum eſt: 2°. In loco à puppi & prorâ æquidiſtanti, ubi ſcilicet minor eſt navis agitatio. 3°. Lautè manducandum eſt, ventriculus enim ſatur minus laborat, quàm vacuus: 4°. Decumbendum eſt potiùs quàm ſtandum: hæc experti dicunt. 5°. Sunt qui uſum narcoticorum ſeptimâ quâvis horâ ſuadent, & aliquot horis antequam navem conſcendant paucis alimentis onerari ſtomachum jubent. *De Meyſerey 76 n. 5.*

In vomitu quem rheda aliave vectura ciet, perniciofum eſt ſpiritus, liquores, elixiria ingerere; inde excitatur pyroſis: plures faciliùs evomunt ſi in anteriori vecturæ parte ſedeant, & ea præpoſterè procedat.

Illi vomitus oſtendunt digeſtionem non ritè fieri, ſi ventriculus exagitetur, ſed quorſum ſtomachus ſatur rectiùs digerit; an quia ſaburra gravatus minus

mobilis

mobilis eſt? Ægri qui navigantes multum initio vomunt, à priori morbo convaleſcunt. *Langrish.*

Plures vomitu marino rite expurgati, cùm portum appulerunt, multò meliùs ſe habent & voraciores evadunt quàm ante navigationem; & ad anorexiam præſtans eſt quandoque remedium.

26. *Vomitus pituitoſus.*

Senes quorum ventriculus mucum uberem ſecernit; qui tamen helluones ſunt, interdum evomunt uberem muci viſcidi, ſubpellucidi, inſipidi copiam manè jejuno ventriculo, poſt cardialgiam multæque pituitæ exſpuitionem: laxitatem & inertiam ventriculi incuſamus, & tunc ipecacuanha ad vomendum & roborandum, catharſim ex rheo, ſennâ, nec non aquas Belliluca-nas, dein abſinthium, catechu, aloem, ſimiliaque ſtomachica præſcribimus. Hunc obſervabam in D. Lebrun Occitaniæ Prætore. Evacuato ſtomacho offa Hippocratica juvat; fit ex pane toſto, in aqua coćto ad ſiccitatem, dein vino veteri irrigato, coćto & addito ſaccharo; juvat etiam vinum cinnamomo, ſaccharo, ambara aromatiſatum.

27. *Vomitus urinoſus* Haller Phyſiol. T. 2. p. 371. A.

Is procedit à ſuppreſſa urinæ ſecretione in nephralgia, ut accidit Lanfranco ipſi; vel ab excretione retenta ob iſchuriam veſicalem in atretis, *Horſtii Hiſt. Med. pag. 508*; vel ob iſchuriam urethralem, *Hiſt. de l'Acad. R. des Sc. Obſ. 3.*

28. *Vomitus hæmorrhagicus* Obſ. D. de Fontfrede Medici Podio-Velauni.

In febris ſynochi decurſu, cùm hæmorrhagia narium, pulſu dicroto prænunciata, parum levaſſet ægrotantem, revertente illo pulſu, nec hæmorrhagia revertente ſupervenit nauſea repetita, quam brevi ſecuta eſt hæmorrhagia, ſed hæc non ſufficiebat; die ſequenti idem pulſus, eadem vomitio cum hæmorrhagia ſubſequente; tertia vice idem effećtus, & æger convaluit: nullus verò fuit pravus in ore ſapor aut color, nullum ſignum indicabat vomitum à ſaburra excitari, verùm hoc vomitorio conatu naturam uſum eſſe ad hæmorrhagiam criticam narium promovendam veriſimillimum eſt.

29. *Vomitus febricoſus*, Richard Journ. de Med. 1761. p. 35. A.

XIV. Ileus; Græcis, Hippocrati III. de Morbis *Eileos*, ab *ano eileſis*; revolutione inteſtini ſurſum factâ, vel ab *eileſtai* inteſtini convolutione, vel ab *ileo* inteſtino aliis; Vox ilei eſt æquivoca, adeoque *chordapſo* poſtponenda; rećtiùs ergo *Chordapſus; Chordapſos* Celſi, vel *tenuis inteſtini morbus* id. Liv. IV. c. 13; Cælio Aureliano *acutum tormentum*; Pythagoricis *Pragmon* quaſi ſepimentum; Latinis *Iliaca paſſio*, *volvulus*, *convolvulus*; *Copriemeſia* Bonet. ſepulchr. pag. 234; vulgò *Miſerere*; *Paſſion iliaque*; *Ægri Iliaci.*

Character. Morbus eſt acutus dolore abdominis, borborygmis, alvi conſtipatione, & vomitione ſub finem ſtercoraceâ, ſtipatus.

Differt à vomitu per atrocia abdominis circa umbilicum tormina, cum ructibus,

ructibus, nauſeâ, rugitu alvique pertinaci clauſurâ. A Colicâ per vomitionem frequentem, demùm feculentam, cum ſingultu, virium proſtratione & ſenſu exagitationis & volutationis inteſtinorum. Ab Ileo Galeni diſcrepat ileus Neotericorum, ut à colicâ.

Cauſa eſt facultatis expultricis inteſtinorum motus inverſus, nec obſtant experimenta ab *Ill. D. Haguenot* inſtituta; ligato ſcilicet in fele inteſtino tenui, illud poſt 26. horas ſphæroideam figuram adeptum eſſe docet, atque ſi icones non fallant, ſexdecies majorem diametrum juxta ligaturam acquiſiviſſe, nec tamen in exenterato animali vidit motum antiperiſtalticum: inde enim non ſequitur quòd in ileo ab alio principio orto deficiat hic motus, maximè cùm inteſtina in abdomine calida & abdominis muſculis ſuſtentata illum exſequi poſſunt: in hoc verò caſu vel leviſſima & vix oculis conſpicua ſacci dilatati conſtrictio ſufficiebat ad refluxum materiei in ſtomachum obtinendum, ut in folle hydroſtatico depreſſio utris oculis inconſpicua ſufficit ad aquam velociter è tubulo projiciendam. Gratis ſupponit Auctor mechanicâ neceſſitate contrahi fibras annulares inteſtini ſucceſſivè à pyloro verſus podicem, cùm natura non difficiliùs hunc motum invertat, quàm libertas motum digitorum argillam amplexantium & exprimentium poteſt pro lubitu mutare, ut quidam pro lubitu vomendo directionem motus periſtaltici œſophagi & ventriculi invertunt; fateor quidem hunc motum in diſtenſo prætermodum tubo non ita expeditè fieri poſſe, ut in ſenſus incurrat, nec hoc neceſſum eſt ad ſurſum exprimendas materies, quæ morâ & miſcelâ ſuperiorum cum infimis ſaporem & odorem ſtercoraceum adipiſcuntur, qualem in tenui inteſtino poſſunt adipiſci. *Morgagni Epiſt. Anat. XXXIV.* 30.

Principia ſunt ea omnia quæ facultatem expultricem, ad hanc conſuetam expreſſionis directionem mutandam, determinant, ut difficultas tranſmittendi feces per inferiora, ſive ob acriorem dolorem in ulceratâ vel inflammatâ parte, ſive ob ſpaſmum quo pars inferior coarctatur, ob lumbricorum, nucleorum, ſcybalorum reſiſtentiam, vel demum ob ligaturam, compreſſionem, aut intus ſuſceptionem, ac herniam, inteſtinorum; anguſtia verò canalis minimè pro cauſâ vomitus poteſt haberi, cùm omnis motus vim motricem pro cauſâ ſupponat; anguſtia itaque inteſtinorum eſt tantùm frequentius ilei principium. Nullum ſervatum vidit *Galenus* ex iis qui feculentum vomitum paſſi ſunt.

1. *Ileus Inflammatorius*, Sennert. 1ª. *Species. Chordapſus;* vide Sepulchret. Boneti, Foreſti Obſ. pag. 336. *Colica inflammatoria* Brendel. MS. A.

Ileus frequentiſſimus ab inflammatione inteſtini tenuis oriundus. Cognoſcitur 1° ex mali acutie ſeu celeritate progreſſûs: 2° ex febre & vehementiſſimis doloribus: 3° Virium proſtratio magna eſt: 4° nec cibus nec potus contineri poteſt: 5° graves ſingultus cum ſudore: 6° quandoque convulſio: 7° in loco dolente tumor quandoque apparet renitens, oblongus, chordæ tenſæ adinſtar: 8° Urina ſupprimitur: 9° Abdomen inflatur: 10° Reſpiratio anheloſa, velox. Præceſſerunt cauſæ internæ, vel externæ in-

flammandis inteſtinis aptæ. Species hæc ut plurimùm lethalis eſt intra quatriduum. *Ballon.*

Cura enteritidis & dyſenteriæ inflammatoriæ convenit, non Sydenhamiana. Hanc ſpeciem obſervarunt *Willis de animâ Brutorum*, *Hildanus de gangrænâ;* invenere colum gangrænoſum *Ballonius*, *Henricus ab Heers*, *Blaſius.*

Larga phlebotomia inſtituatur, dein clyſmate emolliente alvus proluatur, potus emulſionatus, parcâ doſi ſed repetitâ, offeratur; vomitio narcoticis idemtidem ſedetur, ſemicupium tepidum dein uſurpetur bis in die; veſpere, ſi dolor, tenſio abdominis exigat & pulſus permittat, phlebotomia iteretur; alvus pertinaciſſimè reſiſtens fumo tabaci ſyringæ ope injecto ſollicitetur. Syringem *Steph. Hales* verticaliter erectam, ano inditam, aquâ tepidâ continuo plenam, nuperi in hoc morbo laudant.

2. *Ileus à fecibus induratis*, Sennert. ſpec. 3. *A cydoniato obturante* Fernel. Pathol. lib. 1; Fontan. p. 84. Hippol. Boſci S. 2. p. 24. D.

Præceſſit diuturna alvi adſtrictio, ſine acuto dolore, acceſſit abdominis gravitas, tenſio creſcens, tactu inteſtina ſtercore turgida apparent, flatus eructantur, febris fermè abeſt, vomitio bilioſa & pituitoſa accedit, creſcente morbo ſtercoroſa evadit. Hæc ſpecies multo minùs acuta & periculoſa eſt quàm prior. Flatum ope follis in rectum immitti ſuadet *Hippocrates* & *Sennertus;* oleoſa, diluentia, fomenta, clyſmata proſunt.

3. *Ileus ſpaſmodicus. Ileus ab humorum anarrhopiâ* Sennerti. A.

Novam ilei ſpeciem teſtatur *Sennertus*, in eo humores ex hypochondriis ſurſum vergebant, ut non ſolum epilepticus & cœcus fieret, verùm etiam ut clyſterem vomitu rejiceret æger ab eo obſervatus. Similes clyſterum imò peſſariorum per os rejectiones obſervavere *Matthæus de Gradibus de vomitu*, *Guainerius* & *Jac. Oethæus.* Similes anarrhopias videmus in inſultu apoplexiæ, capite & oculis cruore turgentibus, rubris, dùm extrema pallent & frigeſcunt. Similes ſpaſmodici motus ventriculi & inteſtinorum obſervantur in colicâ hyſtericâ, cujus curatio in hac ſpecie maximè convenit.

4. *Ileus ab inteſtino compreſſo*, Bonet Sepulchret. C.

A pancreate ſcirrhoſo tumido colum premente inflammante, Kerckring. obſerv. anat. 43.

A ſcirrhoſo tumore oſſiculis farcto colum premente, *inflammante*, Hippol. Boſci de facult. anat. lib. 2.

A *cancro exulcerante in cœco contracto & ileum inteſtinum ſubingreſſo*, Fabric. Hildan. cent. 1. Obſerv. 61, P. Salii Diverſi, cap. 11.

Ab inteſtino ſub coſtis ſpuriis in hypochondrio dextro compreſſo, Henr. Lavater *Theſ. inaugur. 5.* C.

Rumpi aliquoties inteſtina in hoc morbo docet obſervatio, ut Colum. *Barbette prax. lib. 4. cap. 7. Beniven. de abditis cap. 76;* River. *cent. 3. obſ. 26*; *D. Martin Hiſt. de l'Acad. R. des Sc. Ann. 1706.*

A Mola tubali rectum premente, Hippol. Boſcus de Facultat. Anat. lib. 2. pag. 23.

A Scirrho meſenterii inteſtina premente. Riolan. method. med.

A Recto per membraneum annulum conſtricto Bonet. Sepulchret. obſ. 24 caſ. 9.

A tenui inteſtino per filum ferreum ab agyrta ligato, Henric. ab Heers obſerv. 32. pag. 191.

Ab inteſtini abſceſſu Bonet. Sepulchr. obſ. 24. caſ. 10.

Hæc ultima varietas ad ileum inflammatorium attinere videtur : cæteræ verò ileum chronicum conſtituunt, qualem obſervavi nuper in adoleſcentula moniali, quæ tumores ſcirrhoſos in meſenterio gerebat ; hæc per tres menſes ileo laboravit ſine pyrexia & ferè ſine dolore, ac non niſi ultimo menſe materies vomitione rejectæ levem ſecum odorem ſemel aut bis retulere ; ea initio non niſi ſemel in ſeptimana vomebat, ſed intra minutum plures fluidi brunnei chymo griſeo onuſti libras, & quidquid ferè in intervallo ingeſſerat vomitione rejiciebat, & hic eſt ilei chronici character ; vires ejus ſenſim imminutæ ſunt nutritionis defectu, mors fuit placidiſſima, lecto ob ſummam debilitatem diù addicta ; virgo ſub finem levi delirio viſûſque obſcuratione affecta fuit ; in decurſu morbi bis vel ter alvum exoneravit, rejectâ hydrargyri aſſumpti magnâ copiâ ; non niſi ſub finem morbi, extenuato abdomine, tumorem meſenterii palpo diſtinguere licuit.

5. *Ileus à colo pituitâ infarcto.* Boneti Sepulchret. obſerv. 25. ex Fernelio & Salio Diverſo. Corpus ſemper friget, febris nulla, dolores vehementes, dein vomitus bilioſi & pituitoſi, demum feculenti, colum pituitâ oppletum & obſtructum inventum eſt.

6. *Ileus hernioſus*, Foreſti Obſ. 20, 21, 22 Lib. XXI. A

A *prolapſu inteſtinorum in ſcrotum*, Ballonii Conſ. 24 Lib. II, Foreſt. Obſ. 7. Lib. XXI.

A *bubonocele* qui frequentiſſimus, Ballon. Conſ. 31. Lib. I, Mangeti in Boneti Sepulchr. Obſ. 26 pag. 237; *Colique provenant d'un boyau pincé*, Puzos Traité des Accouchemens pag. 81.

Ab exomphalo Foreſt. Obſ. Lib. XXI.

Ab hernia veſicæ, Petit Mem. de l'Acad. R. des Sc. 1707.

Ab hernia Littriana, Hiſt. de l'Acad. R. des Sc.

Eſt Bubonocele frequens ilei principium ; ſunt benè multi ruſtici, qui de colicâ & nauſeâ conqueruntur, nec Bubonocelem ſe pati monent Medicum, hujus infirmitatis dedecus timentes : unde cavendum ſemper eſt ne emetica aut cathartica præſcribantur in hoc caſu, niſi priùs exploratis ægri inguinibus.

Cura exigit phlebotomiam, ſitum ſupinum cruribus inflexis, fomenta ex omaſis animalis, inteſtinis calidis, litus ex oleo, clyſmata laxantia, artificioſam à Chirurgo inſtitutam preſſionem & ſuccuſſionem & demum his irritis operationem.

Numquam hernioſi debent bracherium deponere maximè cùm cathartica ſumunt, cùm tuſſiunt.

Si inteſtinum tenue, quod gravidis accidit, perſtringatur in annulis muſculorum tranſverſorum, vel in umbilici foramine, ſine ullo tumore extùs ſenſibili nec indiciis partis affectæ, morbus exſurgit atrox, cujus ſymptomata colicam bilioſam, flatulentam, ſimulque hepatalgiam & nephralgiam referunt. Similem morbum vomitu, pervigilio, febri mediocri ſtipatum ſeptem phlebotomiæ, clyſmata plura, potiones oleoſæ, narcotica ne minimum ſedabant in gravidâ ſeptimeſtri; abortum proritavit *Puzos*, & fœtum vivum extraxit; mater verò poſt biduum obiit. Inventa eſt poſt mortem inteſtini ilei pars livida in annulo dextro vellicata.

Curatio generica ilei. Naturæ conatus vergunt ad obicem, ſi adfuerit, torminoſis inteſtinorum niſibus ſuperandum & materias vomitoriis conatibus quâ datâ viâ expellendas, quæ morâ longiori gangrænam inducerent.

Vena pro viribus bis vel ter eſt ſecanda, ut inflammatio ſedetur, gangræna avertatur, inteſtina arctiùs convulſa & conſtricta laxentur; juſculis & aquâ pulli quartâ quavis horâ nutriatur æger. Oleum amygdalarum recens ad uncias plures bis vel ter in die hauriatur; vel decoctum radicis althææ, foliorum malvæ, ſeminum lini ſubſtituatur; abdomen oleo tepido illiniatur, vel decocto emollienti foveatur; clyſmata oleoſa & demulcentia injiciantur: Noctu narcotica cum oleo blando offerantur. Immminuto dolore caſſiæ pulpa recens ad uncias duas bulliat in aquæ pulli librâ, fiant duo cyathi, cuilibet addatur oleum amygdalarum ad uncias duas; cathartica fortiora ab Auctoribus præſcripta fugienda ſunt.

Si à vermibus, fecibus induratis, volvulo, foveri morbum ſuſpicio ſit, globulos plumbeos duos vel tres ſucceſſivis diebus hauriat æger, vel hydrargyri ſemi-libram, nec non balneum ex oleo paratum ingrediatur. Vena è talo, ſi vires ſinant, deinceps aperiatur, linimenta, clyſmata repetantur; una ſalus ægri alvum reſerari, flatus fœtidos, feces hac via ejici.

7. *Ileus volvulus.* Bonet. Sepulchret. obſerv. 20 & 21. ubi caſus viginti tres. A.

Ille eſt qui à mutuo inteſtinorum ſubingreſſu vel intus ſuſceptione dependet; millena ſunt hujus exempla; vide *Boneti Sepulchret. obſ.* 20. ubi caſus 15. recenſentur. Ego in puerulis, cum & ſine ileo, ſimiles vidi inteſtini invaginationes & conſtrictiones ſpaſmodicas in cadavere perſeverantes; ubi enim vermes ſunt, inteſtina eos arctè amplexantur atque infra & ſupra ita conſtringuntur, ut impervia evadant, tunc conſtrictam partem à laxâ ſuperiori invaginari facillimum, ſuperveniente hac occaſione, vi expultrice inverſâ, ſupervenit inflammatio, dolor, nauſea, ileus.

Si hujus darentur ſigna, indicarentur in hac ſpecie globi plumbei, hydrargyrus magnâ doſi, potiſſimum ubi lumbrici incuſantur.

Curam videſis in *Riverii obſ. 26 centur. 3.* Huc pertinet ileus phyſodes Rolfincii: inteſtina enim ſæpè flatu diſtenſa & portentoſè intumefacta obſervantur *Plater. obſ. lib. 3 pag. 657. Beniven.*

Gaſtro-

Gaſtroraphia eo fine facta, ut digitis evolvantur inteſtina, quâ curatam aiunt Baroniſſam de Landi, apud me fidem nullam inveniet. Vide in *Boneti Sepulchret. notam Mangeti p. 228 Tom. 2.* Eam tamen ſuadet *Cl. de Meyzerey num. 423.*

8. *Ileus Indicus; Mordexin* Frider. Hoffmann. Tom. 6. pag. 207; Gallis *Fer chaud; Mor-detchin* Mém. de la Chine. A.

Eam ſpeciem Goæ familiarem, & Sinenſibus communem, comitantur ſigna ſaburræ crudæ, vomitiones violentæ, tormina atrocia, ſenſuum obſcuratio. Alii choleram eodem nomine deſignant.

Cura. Obtinetur abſtinentiâ ab omni potu, & ferro candenti pedibus applicato.

9. *Ileus phyſodes* Rolfincii obſerv. 18. lib. 21; *Tormentum* Cælii Aureliani. A.

Stipatur borborygmis, alvi conſtipatione, torminibus, & loco vomitionis datur flatuum frequens eructatio, dolor ſupra umbilicum eſt, flatus etiam, ſed non feces alvo excluduntur; ſpecies à *Foreſto* obſervata, curata fuit, ut ileus inflammatorius; mulieres tabulam ligneam calidam ventri applicabant infauſtè.

10. *Ileus calculoſus* D. Chaptal. D. Med. M. Clariſſimi. A.

15 Maii 1753. mulier poſt dolores abdominis & alvi conſtipationem in ileum incidit, feculentas materies per triduum vomuit; multo oleo olivarum propinato, & clyſmatis formâ injecto, nec non potatâ decoctione foliorum violæ, demùm dejecit calculum pollice longiorem, ſemi-pollice craſſiorem, ovatum, ſubalbidum, levem; quo excreto, alvus ubertim profluxit; hydrargyri ſemi-libram etiam hauſerat, ſicque ſanata eſt.

11. *Ileus à calloſâ coli ſtricturâ* D. Gauteron, Societ. Reg. Monſp. Secretarius. A.

In iliaco defuncto invenit ille ſagax Medicus colum calloſum arctiſſimè anguſtatum, ut vix calamum ſcriptorium admitteret; hæc conſtrictio vetus erat, inflammationis expers. Similis caſus eſt apud *Bonetum in Sepulchreto*, ubi obſervatur rectum coalitum. Idem obſervavit *Wahrendorffius Act. N. C. T. III. Obſ. 132.* & apud *Morgagni Epiſt. XXXIV. 34*, nec non *Ill. Haguenot* in homine qui inde enterocelicus evaſerat.

Qui imperforati naſcuntur, eumdem morbum incurrunt.

12. *Ileus imperforatorum*, Journ. de Medec. Novembr. 1757. pag. 59. *Iliaca à recti inteſtini coalitu* Bonet. Sepulchret. C.

Infantes recens nati meconio ſuo non vacuantur; anus examinetur; ſi obturatio ſit altior in recto, candelâ cereâ, vel ſpecillo mutico exploretur, & membrana obturans ſe prodet; quæ citò pharyngotomo, vel cuſpide *troiſcarts* eſt cautè, duce digito indice, aperienda.

Hac operatione neglectâ abdomen intumeſcit, tenditur, dolet, vomitio, cum torminibus acutis accedit, febris inflammatio, ſphacelus, mors intra hebdomadam.

Nemauſi puella puber ano & genitalibus externis ab ortu deſtituta, de

cætero ſana, imò pulchra, quolibet triduo vel biduo oborto circa umbilicum dolore, excrementa alvina per os rejiciebat ab annis quatuordecim, urina verò ex papillis mammarum aliquoties in die ſtillabat, narravit autopta *Ill. D. Baux*, *Medicinam cum laude ſummâ faciens Nemauſi*, *Regiæque Scientiarum Societatis Monſpelienſis Alumnus meritiſſimus.*

13. *Ileus verminoſus. Iliaca paſſio à vermibus* Gordon. pag. 263. A.

Hanc ſpeciem vidi ipſe in adoleſcentulâ, quæ per os omnia rejiciebat, cum materiebus acidis, verminoſis, vivido dolore ad umbilicum, borborygmis, ita ut ad ileum magis quàm ad aliud quodvis genus hic morbus accederet; interea alvus libera erat, non pertinaciter adſtricta; hæc ſpecies multò minùs eſt periculoſa ileo vulgari ſeu volvulo, & catharticis vermifugis cedit.

14. *Ileus à veneno.* Vide *à catharticis*, ut *veratro*, *colocynthide.*

Sartor Monſpelienſis arſenici albi drachmam unam loco cremoris tartari in potu cathartico hauſit; 1° ſtatim ſenſit ſe comburi, ſuffocari; vomitu continuo, ardore ventriculi, oris excruciabatur: 2° Extrema frigeſcebant, facies plumbea, pallida, ſudore frigido perfuſa: 3° Singultus frequens, ſapor in ore horrendus: 4° Pulſus parvus, rarus, tardus, intermittens: 5° Sitis inexhauſta, anxietas horrenda: 6° Conſtrictio pectoris ineffabilis: 7°. Per octo primas dies nulla urina, nullus ſudor, niſi in facie, lingua ſicca: 8°. Per ſeptem primos dies vomitus aſſiduus, bilioſus, brunneus, abdomen molle, per quatuor dies alvus omninò clauſa, reliquis diebus liquida, brunnea dejectio: 9° Circa quartam diem eſchara nigra, craſſa, ex ore, œſophago rejecta eſt, ſubſequente hæmorrhagiâ: 10° Circa ſextam diem æger eſcharam ventriculi evomuit, pulſus nullus; die ſeptimâ priapiſmus cum rigiditate, erectione, dolore penis, balano livido per 24 horas; octava die anxietates auctæ, febris cum pulſu pleno, intermittente, accedunt convulſiones, delirium obſcurum, veſperè mors.

Cadaver aperiendum juſſit Magiſtratus; adfui; dentes carnibus denudati, linguæ papillæ nudæ, totum os membrana ſuâ ſpoliatum, villoſa tunica ventriculi nulla; ventriculus liquore atro cum ſedimento quaſi carbonum tritorum plenus, inteſtina atro-rubra, valvulæ integræ, gangræna in pyloro, in amygdalis, & foramine linguali.

Cura. Hauriantur quæ præſto ſunt ex oleis, juſculis pinguibus, lacte, dein gummi arabicum in aquâ ſolutum, mucilago ſeminum lini, fiant ſimilia clyſmata, gargariſmata.

Clyſma ſequens pluries feliciter ſucceſſit in ileo vulgari; in decocto florum malvæ, chamæmeli & meliloti infunde per bihorium foliorum rutæ recentis manip. j; in colaturæ libra & ſemiſſe diſſolve ſalis ammoniaci, drachmas IV; adde olei nucum & mellis mercurialis, ana, uncias ij: divide in duo clyſmata intra bihorium injicienda ut alvus exoneretur. *Journ. de Med. Nov. 1761.*

XV. Cholera; *Cholera-morbus*: *Trouſſe-galant* D. Tiſſot. A *chole*, bile; dicta fuit, vel ob *cholades*, ſeu inteſtina, ex Tralliano.

Qui

Qui metuunt ne cholera cum iracundiâ Gallicè dictâ confundatur, vocant *choleram-morbum*, ac *cholericam paſſionem*. Ægri *cholerici* Aureliano dicuntur. Græcis *choleriontes*.

Character. Morbus acutiſſimus vomitione biliosâ aut acri aſſidua, & diarrhœâ ſimul violentâ, ſaltem nauſeâ & teneſmo ſtipatus, cum dolore abdominis, virium proſtratione, & non rarò ſurarum crampis.

Sub finem æſtatis frequentiſſima eſt quæ ſpontanea.

Cauſa eſt juxta *Galenum* conatus facultatis expultricis ventriculi & ſimul inteſtinorum ad evacuandam ſurſum & deorſum materiam acrem, bilioſam, putridamve, quæ ſuâ morâ veneni ad inſtar viſcera corrumperet.

Materies vomitu rejectas ab inteſtinis etiam procedere probat non ſolùm bilis, ſed etiam ſtercoracei ſmegmatis vomitio ab *Hippocrate* & *Lommio* notata in cholerâ.

1. *Cholera ſpontanea*, Hippocr. Epidem. lib. 5. Foeſ. pag. 1144, ubi curatio peſſima ex veratro & balneo. Idem, pag. 1159 de Eutichide, deſcriptio optima. *Cholera-morbus*, anni 1669 Sydenhami.

Illa eſt ſpecies quæ ſine procatarſi ſeu occaſione evidenti ſponte circa menſem Septembrem, etiam illis qui nullo fructu utuntur, ſubitò ſupervenit. Vomitiones enormes, bilioſæ, putres per plures horas, dejectiones difficiles & teneſmodes ſimul vel paulò poſt ſuccedentes, quandoque & utplurimùm ceſſante vomitione unam aut alteram diem perſeverantes. Tormina ventriculi & inteſtinorum, cardialgica ſyncopen minantur; proſtratio virium ſubita ſumma cum pulſu parvo, dein nullo, vel celeri, frequenti, exili; in extremo facies cadaveroſa, livida, extrema gelida, æſtus, ſitis inexhauſta frigidorum, averſatio carnium, anxietas continua, ſurarum & aliorum artuum contractio ſpaſmodica, crampus dicta.

Morbus ille terrificus, ſi ſubitò accerſatur Medicus, feliciſſimè ſæpiſſimè ſanatur; aſt malè curatus, aut neglectus, breviſſimo tempore ægrum è medio tollit.

Cura Sydenhamiana eſt omnium optima, ut vigeſies & ultra expertus ſum; nam in Noſocomio generali quotannis quatuor circiter choleræ autumnales dantur.

Ægro adhuc vigenti offeratur aqua tepida, aqua pulli, imò ſi pulſus valet & dolor intenſus ſit, vena ſecetur è brachio. Juſcula vel cremores fluxiles quartâ quavis horâ offerantur, ſed vix retineri poſſunt, adeoque poſt ſufficientem evacuationem offeratur antiemeticum Riverii, ſcilicet unum aut alterum ſucci vel ſyrupi limonum cochlear, cum ſalis abſinthii granis viginti; ſi dolor, debilitas urgeant quâvis diei horâ, huic julapio adduntur laudani liquidi guttæ viginti, vel pro re natâ aqua menthæ, aqua cinnamomi, oleum amygdalarum dulcium: datis hoc modo induciis, juſcula retinentur; tunc clyſmata ex decocto inteſtinorum vervecum tepida injiciuntur, parvâ doſi, maximè ſi teneſmus dolor exigat, quod rariùs accidit. Redeunte vomitione redeo ad antiemeticum, & veſ-

perè

perè ad laudanum, potentiſſimum in hoc caſu cardiacum & fluxum mirè cohibens; ſiti urgente limonata pro potu adhibetur. Poſt tres dies à ceſſatione vomitûs & diarrhϾ, æger ex decocto rhapontici, mirobalani & ſyrupo de cichoreo compoſito, vel ad ſummum mannâ ſuperadditâ repurgatur, & ſic optimè convaleſcit.

2. *Cholera ſicca* Sydenham. Sect. 4 cap. 2, Ballonii, Conſil. 77 lib. 1. *A flatibus* Galen. de cauſ. morbor. 4; *Flatulenta* Menjotii; *Cholera ſuppreſſa* Riverii; *Cholera hypochondriaca* Langii; *Cholera Xere* Hippocr. de victus ratione 103, Galeni. A.

Ab aridâ cholerâ venter inflatur, ſtrepitus fiunt, & dolor tùm laterum, tùm lumborum; nihilque alvus dejicit, ſed adſtringitur; ita affectus ne vomat caveto, clyſterem ex calidis & pinguibus adhibebis, pertinctumque in balneum calidum immittes, calidâ irrigabis, ut calefiat. Hippocr.

a. *Cholera auriginoſa à fungis venenatis* D. Lemonnier Mem. de l'Acad. R. des Sc. 1749.

Hiſtoria diaria. Puella vorat ferculum in quo erat frixus fungus mediæ magnitudinis, totus albus. Vaillant. Hoc in prandio. 1° Horâ quartâ pomeridianâ cardialgiæ; noctu dolores acuti, nauſeæ, vomitiones, dejectiones bilioſæ, vires proſternuntur, cholera perſeverat. 2° Manè pulſus frequens exiguus, vix diſtinguitur; epigaſtrium tumet, pulſat quaſi à cordis mucrone, (duodeno diſtenſo, aortæ pulſationes tranſmittente) præſcribitur aqua pulli, decoctum radicis althææ & feminum lini, clyſma iteratum & fotus ex plantis emollientibus, pauxillum theriacæ. Dejectiones ſex cum fruſtis fungi, vomitio nulla. 3° Manè diarrhœa ſedata, cardialgia, debilitas perſtant, meteoriſmus epigaſtrii & pulſatio creſcunt; dejectio bilioſa cum fruſtis fungi. 4° Nox pacata, cutis humida, pulſus melior, urinæ fluentes, ſumitur manna & catholicum, aqua pulli copioſa, fungos dejicit, ſedantur ſymptomata, dormit. 5° Die accedit delirium, pectoris oppreſſio, ſuſpirat, oſcitat, anxia eſt, pulſus evaneſcit, omnia auxilia recuſat, facies pallet, friget, catamenia ſiſtuntur: paratur balneum; ſubſtituitur pediluvium; inde redeunt catamenia ſed parca: ſaphæna ſecatur, dyſpnœa creſcit, convelluntur maxillæ, iteratur phlebotomia è pede: aurigo ſupervenit. 6° Die manè exſpiravit, cutis flavedo evanuit, macula viridis in utroque oculi cantho acceſſit.

Cadavere aperto, phlogoſis parva ventriculi, duodenum flatu valdè diſtenſum, inferiùs ſtrangulatum, hepar tenſum, rubrum, ductus choledochus in medio ſtrangulatus, ſupernè turgidus, infernè vacuus, unde aurigo poſt mortem, bilis in veſicâ fellea atro-viridis, inteſtina vacua illibata.

b. *Cholera dyſenterica auriginoſa* Mem. de l'Acad. R. des Sc. 1749. Lemonnier.

1a Die ejuſdem puellæ mater, quadraginta quinque annos nata, robuſta, parciùs hos fungos voravit in prandio, veſpere cœnavit more ſolito. 2a Summo mane, colicæ, bilioſæ vomitiones, meteoriſmus, pulſus debilis, virium proſtra-

proſtratio, lingua ſicca, ſordida, dejectiones bilioſæ: 3ª Ipſi ſuccurritur, veſpere melius habet: 4ª Purgatur, dejectiones ſunt fœtidæ, liquidæ; veſpere laudani guttæ quindecim: 5ª Dejectiones fuſcæ, fœtidæ, ramenta dyſenterica, dejectiones cruentatæ, pulſus exilis, extrema frigent, nullus dolor, nec motus in abdomine; tenſio tamen in epigaſtrio, noctu ex narcotico dormit: 6ª Dyſentericus fluxus creſcit, ſopor altus, facies tumet, oculi flaveſcunt, dejectiones mucoſæ, cruentæ, grumoſæ, cardialgia aſſidua, ſurditas, oculi aperti fixi nil vident diſtinctè; delirium obſcurum, fugax, datur lilium: 7ª Ipecacuanha præbetur ad ſcrupulum, nil vomuit, ſeceſſit, dejectio inde minus fœtida; datur tinctura roſarum, ſpiritu vitrioli acidulata, dyſenteria ſedatur, datur tinctura rhei cum lixivio: 8ª Ceſſat ſanguinis dejectio, pulſus major, ſopor diſcutitur, redeunt ſenſus, nocte ſudat, dormit: 9ª Dejectiones bilioſæ, utitur tincturâ roſarum & rhei: 10ª Fluit alvus, facies detumeſcit, aurigo perſiſtit, datur ptiſana ex cichorio, ſoncho, ſcorzonera; febricula accedit, ſomno & madore leni terminatur: Intra decimum quintum diem urinæ fluunt ubertim, aurigo evaneſcit, ægra convaleſcit.

4. *Cholera à venenis foſſilibus.* Vide *Ileum à veneno.*

A vitriolo Amati Cent. V. Obſ. 84.

Ab antimonialibus.

Ab arſenicalibus Frid. Hoffmann. de cholerâ obſ. 3.

A mercurialibus.

5. *Cholera à veneno animali.* A *Lucii ovis* Geſner. de piſcibus, Schenckii de venenis; A *barbi ovis* Geſner. de piſcibus; Ab *atramento ſepiæ* Plin. Hiſtor. natur. A.

Hiſtoria. Mulier quinquagenaria, & filius ejus ova frixa barbi piſcis ad cœnam edunt; horâ primâ matutinâ ambo expergefiunt cum nauſeâ & cardialgiâ atroci, inde vomitus bilioſi, acres, fœtidi; hauſtâ aquâ pulli, ſeceſſus frequentes, torminoſi; injiciuntur clyſmata ex aquâ pulli, perſeverant vomitiones & dejectiones uſque ad veſperam, & convaleſcunt ambo; interea adoleſcentulus multos in annos debilitatus eſt.

6. *Cholera intermittens* Mortoni Pyretologiæ pag. 16, 33, 81; *Tertiana cholerica* Torti de febrib. lib. 3. cap. 1. pag. 124. De Meyſerey art. 499 & t. 2 n. 214. A.

Eſt ſpecies quæ acceſſum febris tertianæ, rarò quartanæ, ſæpiùs tritæophyæ paroxyſmum comitatur.

Initio ſcilicet acceſſûs vomitio bilioſa, praſina, copioſa, acris, ſimulque dejectio frequens ſupervenit; non rarò cum ſingultu, voce clangoſâ, aut raucâ, oculorum concavitate, angore ſtomachi, ſudatiunculâ minutâ circa frontem, pulſu exili, extremorum perfrigeratione, aut livore, uno verbo cum ſymptomatis choleram regularem ſtipare ſolitis, à quo diſtincta eſt iſta, quia febris eſt ſymptoma ipſius periodos concomitans.

Hæc cholera mortem minatur in eo febris acceſſu, qui morbi incrementum, aut ſtatum conſtituit.

Curatur promptâ & largâ kinkinæ exhibitione, ſtatim à paroxyſmo inci-

piendo, uſquequò drachmæ minimùm ſex ingeſtæ fuerint ante quatuor horas quæ ſubſecuturum præcedunt.

In cholerâ pulſus eſt qualis in vomitu ſimul & in diarrhœâ contractus, & per intervalla intermittens.

7. *Cholera Indica* Delloni Voyage aux Indes Oriental. Amſtelodam. 1689; *Merdechi* vulgò. A.

Symptomata. Sitis ardens, cephalalgia, inquietudo, febris, delirium, alvi fluxus, & vomitus, pulſus fortis & inæqualis, urinæ rubræ & albæ, ſed ſemper limpidæ.

Therapeia. Primum & præcipuum remedium quod huic morbo opponitur, eſt combuſtio pedis, admoto veru ferreo è latere ad tali partem magis calloſam, uſquequò æger dolorem ſenſiſſe ſignificet, quo facto ſtatim veru tollitur, & paucis ictibus pars ambuſta impetitur calceo molli, eo fine ut phlyctænæ præcaveantur; hæc ambuſtio dolorem exiguum infert, & non impediret quominus æger ſtatim incederet, ſi cholera permitteret: nihilominus choleræ violentiam retundit, & ſi febris non evanuerit, ea auxiliis ordinariis eſt impugnanda: æger nutritur decocto & cremore oryzæ, in quo etiam, ſi febris adſit, multùm piperis additur; idem piper pulveratum capiti inſpergitur; à phlebotomiâ abſtinent, & cathartica mitiora tantum ſedato morbo, & dimiſſâ febre adhibent.

Hæc methodus ita empyrica videbatur *Dellonio Medico*, ut eam initio contemneret; verùm multiplici eaque funeſtâ experientiâ didicit non aliâ methodo curari hunc morbum, adeoque in ſemetipſo, & aliis ægris eam deinceps feliciter adhibuit.

8. *Cholera inflammatoria*, Amati Cent. V Cur. 28; De Meyſerey Malad. des armées art. 496.

Ea eſt quæ enteritidi, ut in caſu *Amati*, ſeu tumore phlegmonodeo inteſtinorum ſeu gaſtritide ſtipatur; in hac quantocius phlebotomia inſtitui debet, non neglectis fomentis emollientibus, aqua pulli, emulſionibus.

9. *Cholera verminoſa.* A.

Eſt ea quæ à materie verminoſâ in primis viis latitante excitatur. Hujus exempla aliquot obſervavi in puerulis, apud quos materies illa verminoſa eoſdem ac venenum effectus edebat.

10. *Cholera arthritica. Cholera ab arthritide repulsâ*, ex quâ mortuus eſt Sydenham. A.

Ea eſt quæ à materie arthriticâ repreſſâ per artem, aut ob naturæ debilitatem retentâ exoritur.

11. *Cholera crapuloſa*, de Meyſerey Art. 498.

Ea eſt quæ à nimiâ ciborum & potulentorum ingurgitatione, vini potiſſimùm nimiâ potatione procedit, naturâ hanc ſarcinam ſupra & infra cum impetu eliminante; hic verò affectus fugax eſt & ſalubris.

XVI. DIARRHŒA; *Cacatoria* Galeni Lib. IV. p. 790; *Rheuma gaſtros* Galeni in I. Prognoſtic.; *Rheumatiſmus* Tralliani Lib. VIII cap. 7, Aſclepiadis,

piadis ex Aureliano, *Defluxio* Cælii Aureliani Lib. III de morb. ac. cap. 22; *Catatropha*, *Diarriea* Gilberti Angli; *Alvi fluxus; ventris profluvium. Diarrhée; cours de ventre; bénéfice de ventre; flux de ventre; dévoiement.* Ægri *Diarrhoici*, *Foireux*.

Character. Recrementorum & excrementorum utplurimùm fluxiliorum frequens per anum dejectio morboſa, id eſt, conſtans & notabilis.

Differt à cœliacâ & lienteriâ ex eo quòd non excernantur cibaria, aut cruda, aut in chylum mutata, ut in quibuſdam lienteriæ & cœliacæ ſpeciebus, ſed excrementitiæ, aut recrementitiæ materies. A teneſmo, quòd niſus ad egerendum non ſint inanes. Ab hepatirrhœâ & dyſenteriâ, quòd ejecta non ſint cruentata. A melænâ, quòd non ſint nigra.

Cauſa dejectionis cujuſvis ſufficiens eſt niſus facultatis expultricis major reſiſtentiis oblatis ex parte fecum & ſphincteris, valvularum, &c: ſed quod hoſce conatus excretorios determinat, eſt moleſtia quam materies mole, morâ, acredine, pondere, vel quomodocumque in inteſtinis excitant; raò facultas à terrore ad agendum commovetur.

Materies morbifica eſt vel peregrina, ut venenum, medicamentum, vel humor in ſanguine genitus ad inteſtinale colum delatus, ejuſque tunicas moleſtans, ut in diarrhœis criticis, ſeroſis, adipoſis, ſeu colliquativis; vel ſuccus bilioſus, pancreaticus, ſimiliſve in cavum inteſtinorum delapſus; vel demùm feces corruptæ, vitioſæ, acres; in omni ſpecie primò ingeſtorum reliquiæ egeruntur, deinde pro victûs ratione ejectiones cum hiſce reliquiis commixtæ, vel puriores apparent, & prout bilis, ſerum, vel alter humor prædominium tenet, diarrhœa bilioſa vel ſeroſa nuncupatur; pulſus intermittens, obſervante *Solano Doctore Medico*, diarrhœam criticam præſagit.

1. *Diarrhœa ſtercoroſa* River. *Diarrhœa à ventriculo & cibis corruptis* Sennerti; *Diarrhœa ſtomachalis* Gaſpar. Hoffmanni. *Fluxus cibalis* Sennerti; *Bénéfice de nature.*

Illa eſt quæ à crapulâ, vel indigeſtis alimentis utplurimùm à voracitate orta, ſine febre, & cum euphoriâ unam aut alteram diem perſeverat, ex quâ nedum vires imminuantur, functiones reparantur, fames proſtrata reſurgit; & cùm ob copiam chymi, vel chyli cæterum cocti, ſed in venas lacteas non tranſmiſſi, excitetur, fluxus cibalis aut chyloſus audit, licet excreta ſint nequaquam alba, ſed non ſtercoracea, liquidiora; qui voracius cibos digerunt, non ſatis maſticant, aut qui ſunt edentuli, imò etiam balbi, notante *Hippocrate*, huic morbo ſunt obnoxii. Rheum, rhaponticum, ſyrupus de cichorio compoſitus in curâ primas tenent.

2. *Diarrhœa vulgaris; Diarrhœa à toto corpore ſine febre* Sennerti. B.

Ea differt à ſtercoroſâ quòd diuturnior, graviorque ſit, atque cùm ab ingeſtis non poſſit ſuppeditari tota quanta evacuatur materies, ea ab inteſtinorum colatorio magnam partem excerni veroſimile eſt, adeoque à toto corpore ſuppeditatur, id eſt, à ſanguine qui per hanc viam depuratur; hujus itaque principium eſt uberior putridi ſeroſique humoris excretio ex colatorio

inteſtinali, unde cum fecibus ea ratione dilutis evacuatur diarrhϾ formâ. Diæta tenuis, potus ex cruſtâ panis toſti in aquâ infuſâ, & catharrica lenia, ſed adſtringentia præmittantur; dein diaſcordium, vel theriaca præſcribuntur.

3. *Diarrhœa febrilis* Boerhaave *aphor.* 719; Sydenhami conſt. epid. cap. 4. pag. 31; Stahl de febrib. pag. 64; *Diarrhœa à toto cum febre* Sennerti. A.

Ea eſt quæ ſynochum verſus finem comitatur; in febris quippe proceſſu, ubi malignum in ventriculo humorem nonnihil ſubegerit natura, & ad inteſtina amandaverit, illa ab acri humore ex hoc fonte, perpetim ſcaturiente, uſque adeò corroduntur, ut non poſſit non inſequi diarrhœa.

Cognoſcitur hæc ſpecies quòd initio febris æger in vomitum propenſus fuerit, nec tamen ei emeticum fuit præſcriptum.

Ab hac diarrhœâ æger, jam febre debilitatus, ulterius enervatur, eo tempore quo natura ſuis viribus magis indiget ad febrilem materiam, quæ ſanguinem inficit, corrigendam, & aliâ fortè viâ evacuandam, unde periculum.

Hanc ſpeciem non raró comitantur, aut præcedunt nauſea, cardialgia, anxietas, jactatio, ſuſpiria luctuoſa, linguæ ſordities, nigredo, &c.

Curatur, præſcripto quantociùs emetico, ſi vires ſinant, & veſpere ſequenti paregorico leviter cardiaco; adſtringentia verò parum proſunt.

4. *Diarrhœa pituitoſa*; *Album alvi profluvium* Guill. Piſon. cap. 9. D.

Perſpirationi impeditæ, adeòque crudo & pituitoſo humori in inteſtinis excreto tribuitur apud Indos; ægrum magno dolore paulatim langueſcere facit, ſine febre eſt; omnia ætati, hiberno id eſt pluvio potiùs quàm æſtivo tempore, ad menſes, nonnunquam ad annos durat.

Curatio à clyſteribus abſtergentibus incipiat, ut ex melle paratis; corpus præparetur ſyrupis ſimilibus, dein ad ipecacuanham confugiendum, ſcilicet hujus radicis drachmæ duæ cum vel ſine oxymelite coquantur in aquæ unciis quatuor; per noctem maceretur decoctum, & ſumatur manè ſequenti; poſtridiè ſemel atque iterum pro re natâ, die ſecundâ, imò tertiâ, ejuſdem ipecacuanhæ jam coctæ decoctio ſumenda, tùm quòd ægri debiliores eam faciliùs ferant. Hæc *Guill. Piſo.*

5. *Diarrhœa carnoſa* Wolfgang. Wedelii Collect. Acad. Tom. 3. pag. 588, Peyeri de glandul. inteſtin. exercitat. 1. p. 2. C.

Ad dyſenteriam accedit hic morbus, aut potiùs ejus eſt ſequela.

6. *Diarrhœa varioloſa* Sydenhami pag. 97. 94. 83; *A miliari* Roncalli Medic. pag. 151. 153; *Rubeolas ſubſequens* Sydenh. pag. 122, Morton. pag 28. A.

Ut ptyaliſmus adultis in variolâ confluente ſalutaris eſt & neceſſarius, ita in confluente variolâ apud infantes, ſeu impuberes diarrhœa ſalutaris eſt, licet non æquè conſtanter accedat, & in diſcretis variolis ſit inſalubris; in confluentibus etenim hac viâ apud infantes natura ſe viru varioloſo partim exonerat; aſt in diſcretâ non exſuperat illud virus, & tunc tantùm ſupervenit diarrhœa cùm à frigore ſuſcepto repercutiuntur puſtulæ, & materia morbifica retrocedit.

Malè

Malè locata imprudentium mulierculanum opera in ſiſtendâ diarrhœâ, quæ infantibus variolâ confluenti affectis accidit, multa infantium millia letho dedit; ſecùs feliciter perſeverat ad finem morbi; è contra in diſcretâ variolâ diarrhœa ſuperveniens accidit, vel à repercuſſione per frigus externum, vel ob evacuationes indebitè factas, atque illis uſu cardiacorum, & regimine conformi opitulandum eſt, quæ tamen ultra non ſunt continuanda, quàm ſymptomata quæ ex hac repercuſſione proceſſerunt; aquæ itaque ſtillatitiæ & diaſcordium indicantur.

Diarrhœa autem non ſolet ita maturè infantes invadere, ac adultos ptyaliſmus. Quocumque autem temporis morbo ingruerit, niſi ante ſiſtatur per artem, ea ſolet ſingula morbi ſtadia decurrere: diarrhœa rubeolam non rarò excipit vel etiam ad plures ſeptimanas excurrit poſt morbi omniumque ejus ſymptomatum fugam, *Sydenham. pag. 121*, maximè ſi regimine calidiori morbilloſi uſi fuerint; hæc autem diarrhœa venæ ſectione non minùs ſanatur quàm peripneumonia, quæ ab eodem calido regimine quandoque infantes in rubeolæ ipſius decurſu aggreditur, cum puſtularum retropreſſione periculoſiſſimâ. *Sydenham. pag. 122.*

Si in variolâ diſcretâ ante eruptionem ſuperveniat diarrhœa, illa à ſaburrâ primarum viarum dependet atque catharticis, ut rheo, myrobalanis, dein verò abſorbentibus eſt impugnanda.

Factâ eruptione in diſcreta variolâ, diarrhœa eſt inſalubris, atque ope diaſcordii, theriacæ & abſorbentium eſt reprimenda, ſecus collaberentur puſtulæ, parcè tamen apud infantes narcotica ſunt præſcribenda.

7. *Diarrhœa acraſia, incontinence du ventre.* L.

Incontinentia alvi eſt non frequens, ſed intempeſtiva & involuntaria alvi depoſitio, qualis accidit pueris dormientibus vel etiam vigilantibus ſed invitis, aut ſui nimiùm negligentibus; hic pravus mos corrigitur minis, verberibus, curando ut alvum exonerent antequam lectum petant, cavendo ne nimium cibis ſe ingurgitent, ne cibis dyſpeptis utantur.

8. *Diarrhœa bilioſa* Alex. Tralliani, Frider. Hoffmanni T. 2. pag. 165; *Cœliaca* Cælii Aureliani non Neotericorum. A.

Cognoſcitur ex flavedine bilioſâ excretorum, torminibus & calore viſcerum, ſiti & ſiccitate oris, febre ſæpiùs adjunctâ, oris ſimul amarore, linguæ flavedine, cauſis calefacientibus prægreſſis, temperamento bilioſo, tempeſtate calidâ prægreſſâ.

Solvit ſæpè tertianam, tritæophyam aliaſque febres bilioſas, necnon amphimerinam catharrhalem benignam; potus optimus ex ſale prunellæ, ex nitro, aquis acidulis, ſedatâ febre; affinis eſt valde diarrhœæ cholerioidi, ſed non eſt inflammatoria.

9. *Diarrhœa arthritica* Muſgrave de arthritide anomalâ cap. 4; Sydenham p. 485; Baglivi p. 429. D.

Eſt illa quæ ſpontè arthriticis dolentibus ſuperveniens dolores & tumores pedum ſupprimit; vel quæ materiem arthriticam ad inteſtina divertens ſolitum arthritidis paroxyſmum prævertit; vel quæ demùm in

veteri arthritide, ob cruditates labefactato ventriculo, accidit. Hæc ultima eſt peſſima, vino & ſtomachicis debellanda; quæ à catharticis oritur, ut hypercatharſis curanda, prior verò naturæ ſæpiùs committenda eſt.

10. *Diarrhœa ſeroſa* Car. Piſon. de colluv. ſeroſ. *Diarrhœa cerebralis* Gordoni; *Diarrhœa aquoſa* Frid. Hoffmanni Tom. 2. pag. 117; *lymphatica* Lambſma. C.

Illa ſpecies cognoſcitur ex quantitate ſeroſi laticis excreti, non oleoſi & pinguis, ut in ſyntheƈticâ; eſt autem vel critica vel morboſa: critica ſi morbis cerebri, ut apoplexiæ ſeroſæ, paralyſi ſeroſæ, aliiſque ſimilibus ſuperveniat, ſi leucophlegmatiæ, aſciti ſe adjungat, & priores morbos imminuat, modò tamen vires ægri adhuc ſint vegetæ; inſalubris eſt, ſi à materie acri inteſtina ſollicitante & ſerum ſanguinis ſolvente foveatur, qualem ſuppeditant cathartica-hydragoga.

a *Diarrhœa urinoſa*, Haller Phyſiol. Tom. II. p. 370.

Ea Iſchuriæ ſupervenit: Vide *Tranſact. Philoſ. n.* 337; *Pechlini Obſ. II.* 51; *Rhodii Cent. II. Obſ.* 90 & 84; *Groeneveldt de tuto cantharidum uſu p.* 171.

11. *Diarrhœa purulenta* Benedict. Sylvatic. cent. 2. obſ. 86; Frider. Hoffmanni Tom. 2. pag. 174. obſ. 3. C.

Illa ſequitur ſuppurationem in meſenterio, periodicè recurrit, ſaniem purulentam, quandoque ſanguinolentam fundit à quâ æger levatur.

12. *Diarrhœa Chilienſis*, Feuillée, obſ. vol. 2.

Illa ſpecies ſedem habet potiſſimum in inteſtino recto; Chilienſibus eſt endemica; principium ejus eſt recti inflammatio: ſigna ſunt febris acuta, tenſio podicis, dejectio frequens.

Curatur clyſmatis ex decocto ſolani, quod officinali noſtro affine eſt, ſcilicet ſolanum chenopodii folio, acinis luteis.

13. *Diarrhœa colliquativa* Riverii; *Synthexis* Dodon. pag. 102; *Fluxus colliquativus* Sennerti; *Diarrhœa atrophicorum* Junkeri; *Diarrhœa ſynthetica* Græcis: *Ægri Synthetici.* C.

Duplex eſt hujus varietas; vel enim exacerbantes malignas febres comitatur, ut amphimerinam malignam, & cum ſummâ virium proſtratione, liquidiſſimas, nigricantes, fuſcas & fœtidiſſimas, putres, oleoſas, materies eliminat; unde citò emaciatur æger & exhauritur. Vel amphimerinam hecticam purulentamve ut phthiſicam ſibi habet adjunctam, & excrementa pinguedine fuſâ, putri, liquidâ diluuntur ob ſummam acrimoniam ex qua liquatur totius corporis pinguedo, unde emaciatio, proſtratio virium & mors inevitabilis. In dyſenteria epidemicâ boum vidi ſæpè materies ejectas velut oleo ſupra affuſo obvolutas: unde hæc animalia citò emaciabantur.

14. *Diarrhœa verminoſa*; *Diarrhœa à vermibus* Sennerti; *Larvæ conicæ in fecibus*, Journ. de Medec. Juin 1751 p. 340; *Vermiculi hexapodes*, ibid.

ibid. Janv. p. 33 à D. Bonté : non ſunt vermes qui hanc diarrhœam excitant.

Cognoſcitur ex ſignis verminum, lumbricorum, aliunde repetendis, potiſſimùm odore proprio anhelitûs in infantibus ablactatis, ex vermium dejectione, ex fecibus griſaceis, morſibus inteſtinorum; curatur catharticis pro ætate diverſis, modò vires ſinant, ſecùs abſorbentibus & anthelminticis.

15. *Diarrhœa à dentitione* Sennerti. Vide vomitum à dentitione. A.

Qui in dentitione diarrhœâ laborant infantes, ii minus convelli ſolent quàm quibus alvus eſt adſtricta; huic autem diarrhœæ ſæpè junguntur ſigna lumbricos deſignantia.

16. *Diarrhœa ab hypercatharſi.* Sennerti. A.

Ea eſt quam venenum catharticumve inopportunè aſſumptum excitat: Cathartica fortiora ſunt vel per ſe, ut colocynthis, ſcammonium, veratrum, eſula &c : vel reſpectivè ad eos quorum viſcera ſunt tenſa, ſicca, irritata, non ſufficienter remollita, etiamſi benè conſtitutis conveniant, ut jalappa, ſenna : atque ſic inopportunè præſcripta in venenum abeunt.

Illa præceps & torminoſa diarrhœa curatur aqua pulli, oleo amygdalarum, fomentis, & cùm vires ſunt nimis proſtratæ laudano, diaſcordio, non ſecus ac choleram curari diximus. Zeilanenſes ab uſu ſchini, cujus fructus *diævull* dicitur, huic ſpeciei ſunt obnoxii. *Flora Zeilan.*

17. *Diarrhœa choleriodes* Junckeri Tab. 135; Nenteri pag. 401. A.

Hanc magna tormina, dolores, & febris inflammatoria comitantur : huic anſam præbent apud puerperas iracundia, lochiorum ſuppreſſio, unde puerperæ huic obnoxiæ ſunt; potus verò frigidus, in his circumſtantiis lochia ſiſtens, morbo anſam præbet.

Curatur phlebotomiâ, clyſmatis laxantibus, potu oleoſo, diluente & anodynis.

18. *Diarrhœa adipoſa. Grasfondure* Gallis. *Moltengreaſe* Anglis. Haller Phyſiol. T. I p. 42. A.

Ex ſynochâ ab equitatione violentâ funditur adeps, & partim in venas reſorbetur, ubi copioſus cum ſanguine mixtus ipſi viſcoſitatem magnam concilians, partim in inteſtinorum cavum defluit, & feces quaſi butyro fuſo involvit; differt à colliquativâ quòd ſit ſine hecticâ.

Cuidam poſt ſectas mariſcas ſupervenit fluxus materiæ ſpermati ranarum ſimillimæ, quæ ad decem libras aſcendebat referente *Greiſelio*, *Collectio Academic. pag. 16. Tom. 3.*

19. *Diarrhœa lactentium. Dévoiement des enfans de lait.* L.

Eſt dejectio pluries in die repetita & liquidior quàm ſolemne eſt lactentibus, ut quinquies, ſexies, octies in die; procedit ab apepſiâ, ſi excrementa ſint fruſtis alimentorum mixta, ut pultis, carnis, fructûs, cupediarum &c : ſi ſint chyloſa, griſacea, caſeoſa, lactea, grumoſa;

maximè

maximè ſi nutrix lactis inopiam pultibus ſolidiſve, cibis maturiùs exhibitis, vindicet.

Quomodo differat à diarrhœâ dentitionis, ſignis propriis dentitioni definiendum eſt; maximè fecum virore, gingivarum pruritu, calore, dolore hæc ultima ſpecies dignoſcitur.

Curatur ſublatis principiis, ſuppreſſis pultibus, cupediis, cibis ſolidis; clyſmata ex aquâ præmittantur; purgetur infans ſyrupo de cichorio cum rheo alternis diebus, hujus ſyrupi uncia una pro doſi eſt, dein abſorbentia & ſtomachica adhibeantur, ut confectio hyacinthina, oculi cancrorum, corallia præparata.

20. *Diarrhœa febricoſa* Mortoni Pyretol. pag. 75, 80, 135. A.

Eſt ſpecies pendens à veneno febrium intermittentium latente quæ ideò ope kinkinæ curanda eſt.

21. *Diarrhœa pleuriticorum* Sydenham. pag. 99; Baglivi pag. 37. A.

Fluxus alvi in pleuritide ſunt perniciosi, quo in caſu bolum ſequentem præſcribit *Baglivus*, ſcilicet requiei Nicolai & ſtibii diaphoretici ſcrupulum unum; fluxuque ſedato, ſi opus ſit, phlebotomia imperatur; ideò diarrhœa nocet pleuriticis, quia tùm ſudoris, tùm anacatharſeos materiem ad inteſtina divertit & ſic naturæ conatus criticos turbat.

XVII. Cœliaca; *Cœliacos pathos* Aretæi; *Ventriculoſa paſſio* Cælii Aureliani Lib. IV; *Paſſio cœliaca* Recentiorum; *Paſſion cœliaque. Cœliacus affectus* Celſi videtur colica periodynia ventriculi; adeoque à cœliaca recentiorum diverſiſſimus; *Ægri cœliaci* Græcis.

Hujus character obſcurus eſt, niſi cum neotericis ex albedine dejectionum deſumatur, quod indicavit *Aretæus*.

1. *Cœliaca chyloſa* Aretæi; *Diarrhœa chymoſa*, Tralles de opio.

Eſt profluvium liquidi alimenti inconcocti chronicum, cœliacus morbus dictum; in hoc propter debilitatem virtutis digeſtivæ, alimentum ſemicoctum relinquitur, in pravum mutatur & colore & odore, & conſiſtentiâ; albus eſt enim bile privatus color; olida excernuntur & lutulenta; ſtrident inteſtina, flatus erumpunt aſperi, dolor ventriculi gravis eſt, punctiones referens, debilis & macilentus æger redditur; longiſſimum, periodicum & difficulter curabile vitium. *Aretæus*.

Nullus eſt inter Neotericos qui hunc morbum ritè obſervaſſe videatur: bile deficiente excrementa quidem albeſcunt, ſed alvus adſtringitur, ut in aurigine.

2. *Cœliaca purulenta*, *puris profluvium* Lambſma flux. ventris cap. 7; *Hæmorrhois alba* Reiſelii Collect. Acad. Tom. III. p. 15. C.

Coxæ apoſtema neglectum tribus alvi dejectionibus unâ nocte evanuit: *Miſcell. Natur. Curioſ. Decad. 2. p. 82.* Abſceſſûs cubiti pus jam maturum flùxu ventris effudit: *van Swieten comm. tom. 1. pag. 706.*

Differt à diarrhœâ colliquativâ colore & periculo; cœliaca enim purulenta ſalubris eſt ſæpiùs, diarrhœa colliquativa lethalis. Pus quandoque ex pectoris abſceſ-

abſceſſibus, alias ex abſceſſu ventriculi, meſenſerii, inteſtinorum, uteri procedit. *Vide Meibomium de abſceſſibus.*

Pleuritidis pus per alvum expurgari vidit *Bartholinus Epiſt. cap.* 4. *epiſtol.* 87; *Septalius animadv. lib.* 6. *par.* 127; *Valeriola lib.* 4 *obſ.* 10. idque non infeliciter; vix autem niſi à prægreſſis dignoſcitur pus alvo excretum à muco puriformi: Sanatur terebenthinæ uſu.

3. *Cœliaca mucoſa; Fluxus alvi puriformis*, Lambſina fluxus ventris cap. 7. pag. 87; *Mucoſa dejectio pro pure habita*, Fernel. Pathol. 6. cap. 10. *Mucoſa diarrhœa puriformis & torminoſa* Freind Hiſt. Med.; *febre etiam comite*, van Swieten comm. tom. 1. pag. 707. C.

4. *Cœliaca lactea*, Hoffmann. diſquiſit. anat. pathol. pag. 212; Smellie Mydvifri pag. 420; Jul. Offray Eſſai de pratique n. 28. de lacte lochiali.

XVIII. LIENTERIA; *Leienteria* Græcis; *Laxitas inteſtinorum* Celſi lib. 4; *Lienterie. Ægri Lienterici.*

Character. Alimenta parum aut vix mutata per alvum ejiciuntur & ſimul ſtatim à deglutitione vel parvâ interpoſitâ morâ dejectio excitatur.

Lienteria videtur diarrhœæ ſpecies, vel gradus, non verò genus diſtinctum, aut ad ſummum, ut notat *Paulus Ægineta*, cœliacâ non niſi gradu differt. Mirum eſt Antiquos nullam aliam ejus cauſam agnoviſſe quàm lubricam & lævem inteſtinorum ſuperficiem, quaſi alimenta proprio pondere inteſtinorum anfractus poſſent ſuperare, nec vi truſivâ indigerent ut foras pellerentur.

Sublimatum corroſivum ad drachmam unam aſſumptum ab homine eſcharram nigram abſtulit ab inteſtinis, nec valvulas delevit: fictitiam eſſe hanc in lienteriâ deletionem puto, ut & cicatricem orificia ſecretoriorum obturantem, quam dyſenteriæ ſuccedere quidam putant: ut manus & digiti nucleum argillamve lubricam exprimunt, ita maſſam excrementitiam emollitam ejiciunt inteſtina, velociùs quidem in ratione lubricitatis & fluxilitatis maſſæ, nec non velocitatis contractionis, adeoque eorum irritabilitatis.

1. *Lienteria ex ulcere ventriculi.* Foreſti l. 22. obſ. 30. C.

In hac ventriculus ab ingeſtis irritatus ea continuò per pylorum in inteſtina expellit, hæc verò facilè irritabilia propellunt ulteriùs. Hæc ſpecies fuit curata abſtergendo ulcus per aquam mulſam, decoctum hordei, dein conſolidando cum decocto radicis ſymphyti, terrâ Lemniâ &c.

2. *Lienteria ſpontanea; Lienteria primaria; Lienteria ex irritatione ſtomachi* Gabelchoveri Cent. 2. obſ. 41.

Similem vidi in puerulo trimo, qui excrementa liquida omninò ſumma cum celeritate poſt aſſumptum juſculum ejiciebat; ex ſiti, calore, & ſenſibilitate ventriculi inducebar ad præſcribendas aquas acidulas Aleſienſes, quibus ſanatus eſt. *Gabelchoverus* per ſerum lactis aliaque temperantia ægrum ſuum ſanavit. *Hecquetus* verò in hoc caſu narcotica ut theriacam recentem præſcribit.

3. *Lienteria ſcorbutica* Barbette *Praxis*, Ettmuller. de expulſione læſa. C.
Hanc inducit irritatio facta ſtomacho à ſucco gingivarum ſanioſo, fœtido, ventriculum moleſtante, concurrente laxitate pylori, & dilutione paſtæ chymaceæ, uberique ſeri inteſtinalis ſecretione: præmiſſis levibus catharticis ex caſſiâ, tamarindis, lacticinia cum abſorbentibus ut cretâ, terrâ lemniâ, conveniunt.

4. *Lienteria aphthoſa; Diarrhœa ab aphthis*, Tralles de opio. C.
Ab aphthis non ſolum os, ſed etiam ventriculum inficientibus & ad expulſionem ſollicitantibus oritur.

5. *Lienteria ſecundaria* Hippocratis. C.
Ea eſt quæ longam dyſenteriam, diarrhœamve ſubſequitur; alimenta cùm deglutiuntur borborygmum edunt, quaſi, ut aiunt ægri, in puteum delaberentur; citò verò poſt excrementa liquida ſeroſa foras ejiciuntur; ægri tranſfluentes materies non percipiunt, ſive debilitate obruti non attendant, ſive ſphinctere ani laxato, non advertant.

XIX. TENESMUS; *Teineſmos* Græcis, à *teino*, tendo; *Tenaſmo* Gordoni & Gilberti; *Tineſmus* & *teneſmus* Nicol. Piſonis; *Dendruipleed* Batavis; *Perſe* Indis; Gallis *envie d'aller*, *épreinte*, *teneſme*.

Character. Ejectio mucoſa pauca, cum magna egerendi, eaque aſſiduâ cupiditate, conatuque ipſi proportionali.
Principium eſt irritatio continua inteſtini recti.

1. *Teneſmus ſpontaneus* Hippocrat. de affectibus; *Teneſmus bilioſus* Bianchi hiſtor. hepatis; *A pituitâ falsâ* Rondeletii; *Ab acidâ* Ettmuller. B.
Pendet à materia acri, bilioſâ, vel in podicis glandulis à ſanguine ſecretâ, vel à canali inteſtinali huc delatâ, podicemque irritante, inflammante.
Hoc ſymptoma dyſenteriæ ferè conſtanter aſſidet, imò poſt uſum catharticorum tum fortium, tum aquarum mineralium quæ frequentem dejectionem proritant, inducitur.
Stipatur autem ineffabili & moleſtiſſimâ deſidendi cupiditate; quid paucum, mucoſum, bilioſum, quandoque ſubcruentum ſummâ vi excernitur, quo elapſo dolor cupiditatem ſequitur, eâ tamen multò tolerabilior. Hìc „ ait *Hippocrates*, alvum madefacere, pinguibus illinire ac lævigare convenit, quæ intùs ſunt lenibus catharticis ſubducere, calidâ corpus lavare, &c.
Proſunt clyſmata ex oleoſis, decoctis omaſorum, lacte, butyro inſulſo; intùs diluentia, laxantia, caſſia, tamarindi, & noctu narcotica.

2. *Teneſmus à calculo veſicæ* Bonet. *A dyſuria* Bonet. Sepulchret. obſ. 30; *A veſicularum ſeminalium phlegmone* Car. Piſon. C.
Inflammato veſicæ collo, ſphincter ani phlogoſi afficitur, inde teneſmus calculoſos moleſtans uſquequo calculus extractus ſit. Sedatur ſemicupiis, ſapone intùs ſumpto ſingulis diebus ad drachmas duas, narcoticis.

3. *Teneſmus Indicus* La Mettrie, Inſtitution. Medic. n°. 109. *Perſe* vulgò; An *bicho* Braſilenſium?

Teneſ-

Teneſmus ille chronicus eſt, Indis familiaris.

4. *Teneſmus ab aſcaridibus* Sennerti. L.

Aſcaris eſt reptile teres fuſiforme ſeu utrimque acuminatum, anum habens in medio ventre, annulis diſtinctum, album; habitat in extremo podice. Numeroſæ aſcarides cum fecibus ſæpè excernuntur. Teneſmus ille pruriginem inducit in podice horis potiſſimum veſpertinis in lecto; flatibus & fecibus emiſſis ſedatur, ſed ſingulis diebus revertitur.

Curatur oleo rutæ, unguento mercuriali in anum immiſſis. Intùs verò proſunt anthelmintica, cathartica, decoctum radicis filicis maris. Equi in podice gerunt alterum etiam inſectum, ſed diepterum, quod eſt *œſtrus ani equorum* Faun. Suec. n°. 1028. illa inſecta ano inſident inſtar hæmorrhoidum cœcarum.

5. *Teneſmus hæmorrhoidalis* Nenter. Tab. 114. L.

A mariſcis quandoque irritatur podex, potiſſimùm ſi internæ ſint, & datur ſenſus moleſtus quaſi nuclei perſicæ ano intruſi. Hic eſt teneſmus quem experiuntur quandoque gravidæ, qui ipſis funeſtus eſt, ſi vehemens, nam abortum inducit.

Curatur auxiliis generalibus, phlebotomiâ, diluentibus; topica verò ſunt fomentum ex lacte, vitellis ovorum, decocto florum meliloti, ſambuci, chamæmeli, croco.

6. *Teneſmus ulceroſus* Boneti Polyalthæa; *Teneſmus legitimus* Nicol. Piſonis de morbis cognoſcendis l. 3. C.

Veteres contendunt verum teneſmum fieri ab exulceratione podicis, cæteros nothos appellant, verùm non ſatis adhucdum conſtat ab ulcere quemquam excitari teneſmum. Vidi pluries fiſtulas ani ſine teneſmo; mucus expreſſus pro pure forſan impoſuit. *Vide* curam apud *Piſonem.*

7. *Teneſmus à carcinomate* Bonet. Sepulchret. obſ. 30. titulo 4. C.

Carcinoma inter veſicam & rectum hanc ſpeciem excitavit ab acri ichore rectum vellicante.

8. *Teneſmus dyſentericus* Sennerti, Boneti Sepulchret. obſ. 30. tom. 1.

Ille teneſmus eſt ſymptoma dyſenteriæ aſſiduum & præterea ſine dyſenteriâ comitem habet ejus principium, ſcilicet inteſtinorum tenuium phlogoſim, ut notat *Bonet. obſ. 30.*

9. *Teneſmus à Scybalis ; Conſtipatio ; la conſtipation.* L.

Qui lacte pro omni alimento veſcuntur, craſſa, albida, & dura quandoque ſcybala in recti marſupio colligunt, ad quæ ejicienda ſuperveniunt conatus teneſmodes cum cupiditate ita urgenti ut niſi citò feratur auxilium in ſyncopem delabantur. Chirurgus digitos oleo unctos intrudit in podicem, imò quandoque forcipes quibus dura hæc ſcybala diffringat & foras extrahat; parturitioni ſimilis eſt hæc dejectio; cæterum alvi conſtipatio quæ non nocet, nec moleſtat, inter morbos non eſt magis referenda quàm ſuppreſſio ſudoris aut muci narium, ſeu mundities.

Ægra quædam per quatuor menſes nec mingebat, nec alvum exonerabat, nec ſudabat; fruſtrà præſcriptis ſero lactis, juſculis diluentibus, oleoſis, de-

mum ea ſanata eſt balneo frigido per octo dies iterato ex ſuaſu *Clariſſ. D. Chaptal* D. M. M. qui eas ſuppreſſiones auctæ nimium diaphoreſi inſenſibili tribuebat.

10. *Teneſmus orientalis; Ulcus & inflammatio ani*. Guill. Piſon. *cap. 14*; *Teico araiba* Braſilienſis: *Bitios* Angolenſium; *Doenca de Kicho* ſive *Bicho del culo* Luſitanis.

In Angolâ aliiſque fervidis plagis antiquitus viguit, deinceps in Braſiliam ſerpſit. Vel dyſenteriam malè curatam ſequitur, vel eſt primarius; iſte incipit à dolore quandoque pruriente, dein intenſo, atroci, cum conſtipatione ita ut feces induratæ non niſi cum ſummo cruciatu egerantur, imò non egeruntur; hinc febres, vigiliæ, laſſitudines, nauſea, capitis imprimis dolor & ardor. Quandoque verò initio latet ſub ſpontaneâ laſſitudine, capitis & membrorum doloribus, inſomniis, inappetentiâ, caliditate corporis, pulſu celeri & inæquali & tantùm aliquo pruritu ani aut inani alvum exonerandi deſiderio; hinc fit ut in omni inteſtinorum affectu Medici de ani ſtatu percunctentur, & Empirici viſu & tactu, imò limonum affrictu has partes tentant & explorant. Differt à mariſcis gravi capitis dolore, nec non quod ani oſtium latè hiet, & quod ſæpè mortem & quidem confeſtim adferat. Anus latè diductus cloacæ inſtar livido & plumbeo colore ſqualet, dein ſanguis, pus egeruntur, quandoque cum vermiculis. Demùm eſt incendium & corruptio ani cum ulcere depaſcente ſine vel cum ſanguinis fluxu dolorifico, tempore imprimis æſtivo graſſante.

Prævertitur refrigerantibus, antiſepticis, clyſmatis, inunctionibus, lavacris, balneis, ſubfumigiis perpetuò inſiſtendum; phlebotomiæ non negligantur; ſi vires non ſinant, tunc cucurbitulæ infra dorſum affigantur, clyſteres conſolidantes adſtringentes qui narcotica recipiant; dein uſurpetur dilutum ex cerusâ, aquâ roſarum, ſaccharo rubro, ovi albumine, lacte & opio concinnandum, quod ope lintei in anum profundè immittatur; ſi verò pars attactum reformidet, ſuffimenta emollientia & ſiccantia inſtituantur; victus ſit refrigerans & roborans; irritantia cane & angue pejus declinanda; ſi vermiculi à putredine orti appareant in parte affectâ, ii oppugnandi unguento quod pulverem amarum & cinerem tábaci admittat.

Nihil autem frequentius eſt vermibus apud Braſilianos; illi ob calorem in ulceribus omnibus generantur; illi non ſolum ano & inteſtinis ſunt familiares, ſed in ventriculo, folliculo fellis, utero, quin in ipſo corde eos invenit *Piſo*: qui cardialgias, deliquia animi, palpitationes, dentium ſtridores & horrores nocturnos inferunt, illis medentur vermifuga, potiſſimum ſyrupus tábaci, citrea, & aurantia, &c.

Apud Angolenſes viget idem ferè teneſmus, eo diſcrimine, ut ferunt, quòd ſtipetur alto mœrore, mágnâ cephalalgiâ, aſtheniâ crurum cum acribus doloribus, oculorum tantâ intumeſcentiâ ut exorbitare videantur; huic morbo ſæpè ſuccedit Beriberia.

Frequens eſt apud Luſitanos Braſilii incolas teneſmus magnâ podicis, rectique inflammatione ſtipatus, cum cephalalgiâ, torminibus & cupiditate deſidendi,

dendi, magno podicis ardore & ſæpius febre, inde ſi negligatur morbus, ulcera podicis vermibus ſcatentia formantur. Prophylaxis exigit ut podex ſæpius aquâ eluatur.

Therapeia. Pluries in die vapor decocti limonum cum pauxillo ſalis marini eſt podice excipiendus, peſſaria ex fruſtulis limonum in anum immittenda; initio hoc remedium ſæpiùs ſufficit.

Si ulcus adſit, pulvis pyrius in aquâ roſarum vel plantaginis diluatur, & linteum hac aquâ madidum podici applicetur, præmiſſo vapore ex decocto limonum.

A phlebotomiâ abſtinendum eſt, licet febris adſit, ſufficit clyſmata initio anodyna & in fine deterſiva adhibere. *Vide* Dellonium Voyage aux Indes Orientales.

ORDO TERTIUS.

Seriflvxvs.

HOc nomine comprehenſos volo fluxus quoſvis nec cruentos nec alvinos, ſed vel mucoſos, vel urinoſos, purulentos, lacteos, aquoſos, lymphaticos: horum alii ex cutaneo, colo ut ephidroſis; alii ex naribus, ut coryza, phlegmatorrhagia; alii ex oculis, ut epiphora; quidam ex ore, ut ptyaliſmus; ex pectore, ut anacatharſis; ex genitalibus, ut leucorrhœa, gonorrhœa, enureſis, diabetes oriuntur, quem ordinem ſequi mihi viſum eſt.

Horum maxima pars vi retentrici imminutæ debet adſcribi, quippe ad hos fluxus producendos vis expultrix conſueta major non requiritur, ſed tantùm reſpectivè major ob reſiſtentiæ imminutionem abſolutam. In hoc verò minùs rectè ſentiebant Methodici, & errant etiam plures Neoterici qui omnes effluxus laxitati ſphincterum vel vaſorum ruptioni, roſioni, debilitati adſcribunt, cùm plurimi ſint ad quos conatus veluti teneſmodes requirantur, adeoque vis expellens conſuetâ intenſior.

Nec minùs à vero aberrant qui pro horum morborum principio ſemper colluviem ſeroſam, lympham exundantem aſſignant, cùm tamen ex ſeri effluxu ad ejus in ſanguine exundantiam non valeat conſequentia: ſenes mucum, pituitam frequenter à faucibus, naribuſve ejiciunt; eos phlegmaticos eſſe, ſeu humido ſcatere ſi concludas, alter pari jure eos ſero expurgatos & exſuccos eſſe pronunciabit: certè in cauſa morborum genericâ ratiocinii ſeveritas eſt obſervanda, cùm error in claſſe admiſſus toties multiplicetur quot ſunt genera, ſpecies, & individua. Si quis pro cauſâ fluxûs in genere vaſorum ſolutionem v. g. admittat, cùm nihil poſſit eſſe ſine ſuâ cauſâ, nec poſſit deeſſe poſitâ ſuâ cauſâ, neceſſariò ſequitur nullum poſſe dari effluxum per vaſa integra, ſcilicet per oſcula excretoria vaſorum; neganda ſunt ſaltem

talia dari in vaſorum ſyſtemate oſcula, quod quantum repugnet quotidianæ autopſiæ nemo non videt. Si laxitati ſphincteris ani, valvularum inteſtinalium, ſuperficiei lævitati tribuendus ſit tanquam cauſæ ſuæ omnis alvi fluxus, ut credebant plurimi, ſequeretur in omni alvi fluxu curando convenire adſtringentia & roborantia, quod quàm periculoſum foret in dyſentericis, inflammatoriis, teneſmodeis quiſque paululum cordatus perſpicit.

Sint duæ veſicæ, una major, altera verò minor, ſed ſibi ſimiles quoad figuram, elaſticitatem, eodemque fluido repletæ, ita conſtructæ ut fluidum ſuum per ureteres admittant & per urethram emittant : ſi utraque compreſſa vel contracta fuerit, quantitas effluxura ex unâ reſpectu alterius erit neceſſariò in ratione amplitudinis orificii emiſſarii & velocitatis fluidi intra emiſſarium conjunctim, quandiu ſufficiens erit admiſſio liquidi ad fluxum continuandum.

Quantitas itaque ex minori effluens poteſt eſſe æqualis quantitati effluenti è majori, etiamſi emiſſarium duplo, triplo minus fuerit, tùm quia velocitas, tùm quia duratio effluxûs tantumdem major eſt, ergo à quantitate effluxûs ad orificiorum magnitudinem nulla datur conſequentia, niſi velocitatum reſpectus habeatur.

Velocitas cujuſvis liquidi eſt ut radix facultatis ſeu potentiæ illud prementis, aut quovis modo exprimentis, norunt aquileges; quæcumque ſit potentia veſicam comprimens, conſtringens, ſive muſcularis veſicæ inhærens, ſive gravitatis ipſius fluidi, ſive expanſiva, ſive à pondere ambiente, ut dupla, triplave velocitas fluido impertiatur quadruplo noncuplo major requiritur potentia, nullâ habitâ orificii emiſſarii ratione, ita ut ſi pondere quadruplo prematur veſica, ſive majus, ſive minus fuerit ejus emiſſarium, velocitas effluxûs ſit duplo major; ergo à velocitate fluidi ad magnitudinem emiſſarii non valet conſequentia contra quam ſentiunt hydraulices ignari.

Quoniam poſſibile eſt ut veſica quæ duplo, triplo majorem continet fluidi molem, nec emiſſarium majus, nec potentiam comprimentem majorem habeat, adeòque non majorem in fluido exeunte velocitatem; fieri poteſt ut major ſit quantitas ſeu plethora fluidi, & tamen non major ſit, imò minor effluxus, ergo à plethora ad effluxum majorem non valet conſequentia : errant ergo qui plethoram pro cauſâ cujuſvis effluxûs in genere aſſignant.

In fluxibus intermittentibus, quantitas effluens intra datum tempus eſt proportionalis & numero recurſuum effluxûs, & durationi ſingulorum recurſuum, ſi cætera ſint paria, adeoque exiguus licet ſit effluxus intra minutum, ſi tamen pluries in die, vel in menſe recurrat, & per plura minuta vel per plures horas quilibet recurſus perſeveret, major fieri poteſt fluidi jactura quàm per uberiorem qui rariùs revertitur & minori tempore deſinit.

Facultas vitalis docente experientia collabitur, cùm vaſa eo uſque deplentur ut eorum parietes flacceſcant, ita ut cùm neceſſaria ad ſanitatem & robur detrahitur ſanguinis copia, quò plus detrahitur ſanguinis, eò majus vitæ immineat periculum.

Ex

Ex uberiori ſive lymphæ ſive cruoris effluxu vaſa flacceſcere certum eſt, adeoque facultatem vitalem minorem evadere conſequens eſt, hinc fit ut ex hæmorrhagiis, diarrhœis aliiſque effluxibus, in homine non plethorico accidentibus, robur omnium facultatum à vi vitali pendentium imminuatur.

Rubet facies quatenus cruor ſufficienti vi pellitur à corde in cutanea vaſa, ſuperatis eorum vaſculorum reſiſtentiis, ſuperatâ earum vi elaſticâ, quâ continuò conſtringerentur, ni obſtaret vis immiſſi cruoris: ergo imminutâ à ſanguinis aut ſeri effluxibus immodicis facultate contractivâ cordis, pallore ſuffundetur facies.

Calor reſpondet particularum ignearum extricationi & actioni, illæ verò extricantur & agunt à vi circulationem promovente & vaſorum cum fluidis attritum excitante, ſi itaque à fluxibus immodicis vis cordis imminuatur, calor in partibus potiſſimùm extremis debet decreſcere, ſeu frigeſcent extrema.

Cùm robur ſeu potentia motrix in homine imminuitur, mutatur conſueta virium diſtributio, & ad organa vitæ minus neceſſaria, minor, ad cor verò & pulmones movendos major diſtribuitur virium quantitas, urgentiori etenim eſt occurrendum; hoc cernimus fieri in febrilibus morbis, artus enim multò magis debilitantur quàm organa vitalia.

Simile quid in profuſis ſanguinis fluxibus obſervamus, in quibus cùm ad eam debilitatem artus deveniunt ut è loco vix moveri queant, interea non tanto gradu debilitatur, pulſus imò pulſationes paulò frequentiores evadunt aliquando, & ſic quod ipſis deficit ex parte plenitudinis, aliquatenus ex parte velocitatis compenſatur.

Pulſum itaque in longis effluxibus minorem, mollioremque evadere, ſimulque ſolito frequentiorem, malum eſt ſignum; quippe quod indicat facultatem vitalem in anguſto eſſe & vitæ periculum imminere.

Qui robore gaudent nec moralibus periculis perturbantur, illi omnes ſuas actiones conſtantiùs, & æquabiliùs exercent; qui verò debiles ſunt, aut in periculo verſantes animo perturbantur, non niſi tremulos & inæquales motus exerunt; hinc patet ratio cur hominibus, quorum facultas vitalis à profuſis fluxibus eſt valdè imminuta, & mens terrore percuſſa, pulſationes ſint inæquales, intermittentes, pejus eſt ſi mente non conſtent.

A mœrore digeſtionem languere, vitiari ingeſta non ſatis citò digeſta, omnibus notum eſt: verùm in longis ægritudinibus mœror mentem occupat, cùm vires vitales fatiſcunt, & periculum vitæ imminet, maximè ſi elaſticitas ſolidorum labaſcat; non mirum eſt itaque ſi in morbis evacuatoriis, potiſſimùm chronicis, digeſtiones vitientur & ſtomachi functiones, ut fames, langueant, unde mala plurima ſubſequuntur.

Omnis effluxus pendet à vi fluidum exprimente majori quàm eſt fluidi & ſphincterum illud retinentium reſiſtentia; quam propoſitionem mechanices principiis adeò congruam noverant veteres Medicinæ Patres & contemnunt Neoterici. In effluxibus activis, quales ſunt plurimi, vis expellens ſolito

lito major eſt, nec poteſt diutiùs exerceri, quin ſphincteres elongentur; ſeu quin fibræ circulares vaſorum diutiùs elongatæ & diſtenſæ retineantur: atqui docet experientia chordas fidium quæ diutius extenſæ retinentur, non ita citò, nec unquam deinceps etiamſi ſibi relictæ priſtinam brevitatem recuperare, quod accidiſſet ſi brevi tempore tantùm diſtractæ fuiſſent, ergo in longis fluxibus vires retentrices & contractivas ſphincterum, fibrarumque circularium imminui conſequens eſt.

Imminuto fibrarum circularium robore, orificia ab eadem vi applicata magis hiare debent, adeoque eâdem vi expultrice applicatâ major debet, cæteris paribus, aut facilior fieri effluxus: hinc fit ut poſt longas dyſenterias, alvus laxa evadat, ut poſt longas dyſurias vix poſſit contineri urina, ut poſt multos partus diductâ vaginâ uterus prolabatur, poſt longam diarrhœam rectum inteſtinum puerulis procidat &c. Non mirum itaque ſi ſuperatis morbis evacuatoriis acutis, roborantia, tonica, adſtringentia, quæ tonum augeant, reſtituant, ſunt neceſſaria, licet in acuti morbi vigore fuiſſent noxia.

In morbis evacuatoriis acutis vis expultrix eſt ut plurimum abſolutè major quàm in ſanitate, quia facultas eſt irritata à mole aut acrimoniâ materiæ morbificæ, adeòque requiruntur laxantia, lenientia, anodyna & evacuantia, quæ vires nimis auctas minuant, & materiem morbificam eliminent: verùm in chronicis & paſſivis fluxibus vis retentrix ſeu ſolidorum elaſticitas eſt imminuta, robur vitale deficit, adeoque tonica, adſtringentia, roborantia indicantur, & quoniam facultati vitali periclitanti ante omnia ſuccurrendum eſt, analeptica, reſtaurantia, cardiaca ſunt in uſum vocanda, fluidis effœtis, vappidis, nimium aquoſis ſua activitas, ſpirituaſcentia, ut aiunt, nativaque reſtituenda viſcoſitas, & ſemper ea ſunt eligenda quæ cæteris paribus vim digeſtivam minorem exigunt, ut digerantur, ſeu quæ ſunt coctu faciliora, guſtui & ventriculo gratiora, atque materiæ morbificæ corrigendæ ſimul aptiora.

Sit homo v. g. diarrhœâ ſeroſâ exhauſtus, ea debent eligi cathartica quæ minori virium diſpendio inteſtina expurgant, ut mitia; ſed ſimul ea anteferri quæ ventriculo & inteſtinis robur conciliant, ut ſubadſtringentia, quæque ventriculum non ſubvertant, ſed ipſi quàm minimè fieri poſſit diſpliceant, aut eorum ſapor ingratus, admixtis ſtomachicis jucundis debet emendari, & eorum finitâ operatione ſedantia, cardiaca, abſorbentia & ſtomachica debent in uſum advocari.

Rheum v. g., rhaponticum, myrobalani ſunt mitia ſimul & adſtringentia, nec non ventriculum roborant, ſerum acre abſorbent; aquæ thermales ſulphureæ fibras laxas roborant, ſerum vitioſum eluunt, expurgant, & vires corporis non infringunt.

Diaſcordium, pilulæ de cynogloſſo fluxus compeſcunt, adſtringunt; terra catechu, cinnamomum, caſſia lignea, nux moſchata toſta, conſervæ roſarum, ſyrupo cydoniorum admixta palato arrident, ſtomachum roborant

roborant & ſimul adſtringunt, adeoque cæteris paribus ſunt aliis anteponenda.

Decoctum cornu cervi, gelatinæ aromatibus conditæ, decoctum album Sydenhami, ſuccum nutritium, purum, viſcidulum, ſine labore ſtomachi ſanguini ſuppeditant, ergo exhauſtis conveniunt.

Lacticinia, præmiſſis catharticis, & diluentibus, acrimoniam fluidorum temperant, coctu facilia ſunt, ſiccitati medentur, viſciditatem fluidis diſſolutis reſtituunt; ergo ubi diſſolutio alkaleſcens, ſiccitas, amphimerina hectica, purulenta, lues ſcorbutica, fluxum fovent, ea cæteris præſtant.

XX. EPHIDROSIS; *Ydros; Ephidroſis* Hippocrati; *Sudor morboſus*, aut rectius *Sudatio morboſa; Sueur.*

Conſultius eſt alio nomine indigitare evacuationem, aut actionem ſanam; alio verò morboſam, quàm ſub eodem confundere.

Sudor eſt fluidum cujus ephidroſis eſt evacuatio; ephidroſis eſt ad ſudorem quod diarrhœa ad feces, & ſudatio ad ephidroſim, quod dejectio ad diarrhœam.

Character. Ephidroſis eſt ſudatio tum quantitate, tum qualitate, tum intempeſtivitate notabilis, ſeu morboſa ſudoris evacuatio.

Eamdem eſſe perſpirabilis halitus, & ſudoris materiem veroſimillimum eſt; ſudor ab halitu illo diſcrepat, ex eo quod conſpicui fluidi, non vaporis formâ, eliminetur è cute; halitus verò perſpirabilis quantitas eſt ſingulis diebus intra ſanitatem dimidia ferè aſſumptorum alimentorum pars; vir mediæ ſtaturæ & ætatis 146 libras ponderans, in cibo vel potu intra viginti quatuor horas aſſumens circiter quinquaginta ſex uncias, duplò uberiùs prandens quàm cœnans, intra id tempus circiter viginti octo uncias perſpirat, ſcilicet duodecim circiter per trientem qui ſomno impenditur, & ſexdecim per duos trientes, qui vigiliæ; à ſudore magis imminui pondus corporis quàm à ſolâ perſpiratione certum eſt ex experimentis Gorterianis.

Sudatio eſt proportionalis *quantitati* materiæ perſpirabilis in ſanguine contentæ, *velocitati* quâ ſecernitur, & cutanei coli *calori*, aut laxitati; quæ à velocitate ſanguinis adauctâ creſcit ephidroſis, eſt activa; quæ à cutis laxitate & ſeri abundantiâ fit, eſt paſſiva; viſa ſunt cadavera per aliquod tempus ſudorem fundere, eumque frigidum.

Sudor frigidus ubertatem ſeri perſpirabilis, cutiſque laxitatem deſignat; calidus, ſanguinis velocitatem & feroſitatem ſimul.

1. *Ephidroſis ſpontanea*; *Sudor apyretos ſpontè perſeverans.*

Ter vel quater obſervavi homines qui ſine causâ evidenti, ſine febre, ſudoribus, potiſſimum nocturnis, per menſes diffluebat, unde macies, debilitas, inappetentia. Curatur catharticis, acidulis, lacte; ſed diu reſiſtere conſuevit apud pueros.

2. *Ephidroſis ſcorbutica* Sennert. de ſignis ſcorbuti.

Sudor copioſus ſcorbuticis etiam mediâ hieme ſub leviſſimis tegumentis erumpit, & cùm anxietates ſimul eos affligere ſoleant, non ceſſant illæ, niſi vapores illi pravi per ſudores diſcutiantur; ſequitur autem plerumque hos copioſos ſudores atrophia.

3. *Ephidroſis febrilis* Boerhaave aphoriſm. 715; *Sudor febrilis; critica* Hippocr. Sect. IV. aph. 36 ad 62.

Sudor vel eſt inſalubris, vel ſalubris. Salubris peractâ materiæ febrilis coctione ſupervenit cum euphoriâ & virium redintegratione; is nunquam initio febris accidit, nec paucus eſt, nec profuſiſſimus, aut diutiùs repetens.

Inſalubris eſt tùm qui calidus initio accidit, tùm qui in decurſu morbi partialis tantum eſt, ut circa caput, pectus, tùm quocumque tempore ſuperveniens, ſi frigidus fuerit.

Poſt febres exacerbantes malignas quandoque æger in ſudores delabitur, à quibus debilitatur, & illi cohibentur, monente *Sydenham*, ſi æger lecto non continuò affixus maneat, ſed identidem lecto inſideat, vel exſurgat; aſt ſi vires & fames vigeant, hi ſudores optimi ſunt, licet fœtidi; memini me ſudorem moſchatum per menſem exhalaſſe poſt amphimerinam malignam; ſimulque ſalubri boulimo detentum intra hoc tempus vires & corpulentiam amiſſam recuperaſſe.

Utilius nihil eſt ad prohibendos ſudores quàm tegumenta detrahere, è lecto ſurgere, aërem frigidiuſculum admittere, potu nitrato, emulſionato, frigido amiſſum reparare.

Vide *Ephemeram ſudatoriam* 1â. *Claſſe. Hemitritæum, ibidem*, &c.

Sudor criticus ex pulſu inciduo præſagitur, ut docet *D. Solano.*

4. *Ephidroſis ſyncoptica. Sudor diaphoreticus, ſeu ſyncopticus* Nicol. Piſonis de morbis cognoſcend. pag. 212.

Is ſudor ſtipatur frigiditate, & vel partialis eſt, vel univerſalis.

„ Is evenit, ait *Piſo*, quoniam ea quæ corpora noſtra regit natura; „ quæ *Hippocrati* eſt calor naturalis, vel omnino extinguitur, vel proxima „ eſt extinctioni, unde laxantur ſolida, adeoque cutis oſcula ſecretoria; in„ tereadum à cruore frigido & veluti coagulato ſerum ubertim ſeparatur, „ & ſic per cutem frigidam exſudat, facultate retentrice illud continere non „ valente. " Hunc ſudorem comitatur pulſus parvus, rarus, formicans, faciei color, qualis eſt mortui, fœdus, pallens, deſperatio, animi angor, jactatio. Videſis an ſincope ſit, an verò cardialgia quæ ſudorem foveat. De ſudore cònſulatur *Sennerti Semeiotica.*

5. *Ephidroſis hectica.*

Eſt ſymptoma phthiſeos, tabis, hecticæ amphimerinæ in phthiſi; ſæpè partialis eſt, & à collo, capite, thorace potiſſimum promanat, noctu poſt paroxyſmum.

6. *Ephidroſis exanthematum* Frid. Hoffmann. Tom. 2.

Eſt ſudatio quæ rubeolam, purpuram, miliarem, ſimileſque exanthematicos morbos comitatur; acidum redolet in miliari; in nullo morbo eſt ſubito

aëris

aëris frigidi interventu cohibenda; ſi diebus criticis accidat, modò vires non exſolvat, ſalutaris eſt.

7. *Ephidroſis febricoſa; Tritæophya elodes* Græcis. *Febris ſudatoria*, vel *diaphoretica* Torti de febribus libr. 3. pag. 126 & 187.

Fraudulentior eſt ea febris intermittens, vel remittens, quæ nullo præcedente pravitatis indicio, ægrum invadit more ſolito cum frigore & horrore, cui ſuccedit calor, & ſtatim ſudor aliquantulum præcox, qui equidem febrem videtur primo aſpectu alleviare, ſed reverâ poſt illum potiùs intenditur febris quàm remittitur, imò eò fortior videtur, quò copioſior eſt ſudor.

Hinc potius longitudo morbi ſignificatur vulgò quàm mors, ſed in hoc morbo paulatim frigeſit ſudor, & in diaphoreticum ſenſim degenerat, ſudat perpetuò ægrotans, & diffluit undequaque frigido ſudore perfuſus, ſicque perpetuò algens & ſudans, ſicut cera liquatur, diſſolvitur, & deficit; pulſus celer eſt, minutus ac debilis; reſpiratio fit anheloſa & frequens, diſſipantur vires, mens ſola luciḍiſſima eſt, & ſentit homo ſe paulatim mori; niſi autem illa ipſâ acceſſione ſuccedat, in proximè futuram tantum protrahitur; rariùs accidit ægrum algidum ſudando fieri, & circa tempus declinationi proximum tenui, frigido & viſcoſo ſudore profundi cum frigore marmoreo, unde cùm tantum metuebatur longitudo morbi, in declinatione ſuccedat mors, quam facies Hippocratica illicò facta præmonſtrat. Præmiſſis catharticis & diæta tenui ad kinkinam eſt confugiendum.

8. *Ephidroſis lateralis* Franci & Schmidii Collect. Acad. vol. 3. pag. 577. Ille obſervavit mulierem, quæ per totam vitam, excepto graviditatis tempore, quoties ſudabat vel arte, vel ſponte, nunquam niſi à ſiniſtro latere ſudorem profundebat.

9. *Ephidroſis lactea* Ephemer. German. Dec. 2. anno 5 append. pag. 67.

10. *Ephidroſis mellea* Rhodii; *Oleaginoſa* Mollenbroecki.

Sudor colore & conſiſtentia mellis.

11. *Ephidroſis vinoſa* Bartholini.

Sudor colore vini rubri.

12. *Ephidroſis viridis* Borelli Cent. 2. Obſ. 56.

Sudor colore viridi in axilla.

13. *Ephidroſis nigra* Zacuti, Joel. Langelot. Collect. Academ. Tom. 3 pag. 255.

A ſcrupulo auri fulminantis ſumpto oriebatur, obſervante *Langelotio*.

14. *Ephidroſis lutea* Hildani, Joel. Langelot. Collect. Acad. Tom. 3. pag. 257.

Ab uſu auri fulminantis in hemiplegiâ ſcorbuticâ vidit *Langelotius*.

Ab uſu Rhei *Chriſt. Mentzelius*, *Collect. Acad. Tom. 3 pag. 255.*

15. *Ephidroſis urinoſa* Salmuth. L. 2. Obſ. 82; Haller Phyſiol. Tom. II. p. 371.

16. *Ephidroſis cruenta* Joel. Langelot. Collect. Acad. Tom. 3. pag. 255. Schwencke Hæmat. 130.

In ſcorbuticâ ſanguineum ſudorem vidit *Langelotius*.

In adoleſcente ſudor axillarum colorem cinnabarinum referebat : *Hoffmann.*

17. *Ephidroſis cærulea* Wincler. *Collect. Acad. Tom.* 3. *pag.* 263.

In epilepſiæ paroxyſmo faber lignarius ſudorem cæruleum ex hypochondrio dextro fundere viſus eſt à *D. Winckero* & à *Mogio.*

18. *Ephidroſis à ſaburra.*

Eſt ſudatio quæ a nimio cibo ſumpto, potiſſimùm à cœna lautiori & ſomno citiùs eam ſubſequente, procedit, & hic eſt ſudor à ſaburrâ crudâ. Altera eſt ephidroſis à ſaburra putri; ſudor multus in ſomno factus abſque cauſa manifeſta corpus uti nimio cibo ſignificat, ait *Hippocrates*; ſi verò cibum non accipienti id accidat, corpus evacuatione indiget : *Aphor.* 41. *Sect. IV* : portentoſam ephidroſim, quæ intra diem ad 40 libras aſſurgebat, à ſaburra verminoſa productam obſervavit *Ill. Marteau de Grandvilliers Journ. de Med. Juill.* 1762 *p.* 29 : hæc ultima cardiacis ceſſit.

19. *Ephidroſis acida.*

Symptoma miliaris, rachialgiæ vegetalis, ephemeræ lacteæ, & amphimerinæ verminoſæ.

20. *Ephidroſis arenoſa*, Haller Phyſiol. L. 12. pag. 40; *à ſale cryſtalliſato* Tronchin de Colica Pictonum; Leeuwenhoeck Tranſ. Philoſ.

Hydronoſus Foreſti, vulgò *ſuette*, ad hanc Claſſem attinet, ſi ſudor in hoc morbo ſit præcipuum ſymptoma, non verò febris, ut in *ephemera ſudatoria*, vel eruptio miliaris, ut in *miliari ſudatoria*, quibus nomen *ſuette* etiam vulgò tribuunt Neoterici. Sudorem eſſe potiſſimum ſymptoma in morbo quem ſub eodem nomine deſcripſit *Clariſſ. de Meyſerey* veroſimile eſt, cùm pyrexiam fere nullam obſervarit, ſed clarior & magis diſtincta hujus morbi requiritur notio ad genus hydronoſi ſtabiliendum, ſi à prioribus morbis diſcrepet.

XXI. Epiphora; *Delachrymatio* Plinii; *Rheuma ophthalmon* Galeni Definit. Med. *Epiphora* Galeni 4. de locis cap. 5; Tralliani lib. 2. cap. 1; Pauli lib. 3. cap. 12, &c : *Oculi lachrymoſi*; *Illachrymatio*; *Lachrymæ morboſæ* Gorræi; *Lippitudo ſeroſa* Ettmulleri pag. 297; *Larmoyement.*

Character. Humoris utplurimùm ſeroſi uber & conſtans ex oculis effluxus. Fons potiſſimus eſt glandula lachrymalis ſupra oculum externè ſita, cujus ductus excretorii ad limbum internum palpebræ ſuperioris hiant; ille humor per ſpatium trigonum à tarſis & corneâ relictum, vi adhæſionis fluit, & veluti fugitur à punctis lachrymalibus quaſi à tubulis capillaribus, inde fertur per ductum naſalem ad nares.

Toties verò nulla eſt lachrymatio, quoties quantitas à glandulâ ſuppeditata non major eſt eâ quæ tranſmittitur à punctis lachrymalibus; verùm major evadit 1° vel uberiori ſecretione; 2° vel parciore reſorptione; uberior eſt ſecretio, dùm mœror mentem afficit, dum vapore acri, aut pulvere illapſo, aut phlogoſi irritatur hæc glandula; parcior eſt tranſmiſſio, dum vel puncta

punцta lachrymalia, vel ductus naſalis quoquomodo anguſtantur, obſtruuntur, comprimuntur; hinc variæ ſpecies.

1. *Epiphora à pathemate.*

Vel hyſteriam comitatur, qui fletus citò riſu excipitur; vel mœrorem, commiſerationem à motivo extrinſeco ſequitur; vel in morbis graviſſimis, ut febribus acutis, accidit citra cauſam evidentem. Vidi autem in hoc caſu unam aut alteram tantum lachrymulam, & illa lachrymatio, ſi cum aliis ſignis peſſimis jungatur, pravi eſt ominis ex *aphor. 80. Epidem. 1.* Si reliqua non ſint exitialia ſigna, hæmorrhagiam tantùm ſignificant è naribus imminentem.

2. *Epiphora ex rhyade* Avicennæ, *Algarab* Arabibus.

Hujus exiſtentia valdè dubia mihi videtur, niſi Rhyas fiat ab eroſione carunculæ lachrymalis, adſitque ideò irritatio, rubor, dolor, cujus ratione ductuli lachrymas à punctis lachrymalibus ad ductum naſalem devehentes ſint conſtricti; nec enim, ut putant plurimi cum Veteribus, gravitate fluunt lachrymæ in ſtatu ſano, adeoque deficiente hac carunculâ non ideò defluunt, cùm etiam pronè decumbens non lachrymetur.

3. *Epiphora ophthalmica* Sennerti; *Epiphora* Galen. introductione. *Lippitudo ſanguinea* Ettmuller. pag. 297; *Ophthalmia humida* Sennerti; *Chaſſie.* L. Vide Ophthalmiam.

4. *Epiphora ex variolis* Ettmuller. L.

Illa illachrymatio ſequitur variolam, cujus puſtulæ forſan intra tubum naſalem ſuppuratæ hujus coalitum, vel à pure ſpiſſiori infarctum produxere; ea verò quandoque fiſtulam lachrymalem accerſit; an verò ſemper? dubium & inquirendum ſupereſt. Infantes plurimi creſcente ætate ab hac epiphorâ liberantur.

5. *Epiphora ex ægilope* Sennerti; *Fiſtula lachrymalis.* Auctor. *La Fiſtule lachrymale.* L.

*Æ*gilopis nomine intelligo exulcerationem, aut abſceſſum in magno oculi cantho, quâ ductus naſalis, vel partim, vel omninò afficitur, ita ut lachrymæ purulentæ tùm per nares effluant, tùm per puncta lachrymalia, tum per fiſtulam in vicinia cuſam refluant.

Inde verò ſubdividitur fiſtula in completam & incompletam; imò datur ſpecies in quâ pus non ex interiori hujus ductûs, ſed ex abſceſſu proximo demùm ſupernè rupto effluit. *Vide Petitum loco citato* & *Heiſteri Chirurgiam.*

In hac fiſtulâ lachrymali, quam ſola fovet ductûs naſalis obturatio, feliciter ſuccedit operatio olim ab *Anello* indicata, nuper perfectiùs adhibita à *dexterrimo Monſpelienſi Chirurgo D. Mejan;* filum ſcilicet argenteum extremo altero acûs inſtar perforatum immittitur per alterutrum punctum lachrymale uſque ad nares; hinc verò foras abductum trajicitur uno, vel altero bombycino filo, quod ope fili argentei ſurſum per oculos retrahitur; in ductu naſali inſtar ſetacei relinquitur per menſem, unguento deterſivo, ſi opus ſit, illinitur, & ſic via patula fit lachrymis, & fiſtula ſanatur.

 6. *Epi-*

6. *Epiphora ab ectropio.* L.

Ectropium eſt palpebræ alterutrius extraverſio, *Renverſement.* *Entropium* palpebræ intraverſio, *Eraillement.* *Palpebra inferior* evertitur à *carne luxuriante*, quæ ulceribus membranæ internæ ſuperveniunt, in quo caſu lapide infernali abſumenda excreſcentia, uſquequo palpebræ ſui tarſi elatere ſe reſtituat. Vel evertitur propter *ambuſtionem* externam, quâ cutis corrugatur; ea ſi vetus, immedicabilis; ſi recens, curatur emollientibus, ut lacte, butyro, unguento de althæâ, cerato Galeni, compreſſiſque decentibus. Vel evertitur à *laxitate*, ut apud ſenes, obſervante *Heiſtero*, eaque inſanabilis. Remedia exſiccantia conveniunt, calor ſiccus, ſpirituoſa fotu, vapore adhibita, lutum ex aquis thermalibus, palpebra inferior invertitur ab *operatione* fiſtulæ lachrymalis ſecto tendine muſculi orbitarii, quod immedicabile eſt; vel à *vulnere* tarſum ſecante, unde in acumen bifidum intro vel extro vertitur (*éraillement Saint-Yves*;) hoc malum conveniens ſutura conjunctivæ & cutis intacto tarſo prævertit, ſi ulcus recens ſit; ſi vetus, malum eſt immedicabile.

Extrovertitur etiam palpebra inferior ab exophthalmia aut globi tumore, tùm aquoſo, tùm cancroſo; prior vocatur hydrophthalmia, & ambos oculos afficit, & curatur diureticis catharticis; poſterior cancri indolem & curam ſequitur.

7. *Epiphora ab anchilope.* L.

Anchilops, quaſi viſus angularis, eſt tumor cyſticus, vel purulentus, vel lachrymoſo-mucoſus canthi temporalis, cum epiphorâ.

Anchilops purulentus eſt, vel ſpurius, ab apoſtemate ſubcutaneo, vel ab apoſtemate inter muſculum orbicularem & ſaccum naſalem; prior eſt nullius momenti, poſterior epiphorâ quandoque ſtipatur, & ægilopem poteſt inducere.

Anchilops lachrymoſo-mucoſus compreſſione recedit, & tunc lachrymæ vel tantùm per puncta lachrymalia, vel per poros Gunzii refluit, vel etiam in nares dimanat; excitatur ab obſtructione ductûs naſalis, vel à muco ſpiſſo, viſcido, vel ab infarctu ipſius ſacci ſpongioſi, vel per fluxionem intumefacti. In priori caſu injectio per ſyringem Anelli ſufficit; ſecùs compreſſio ope faſciæ & ſplenii iterata per diem continua; per noctem ope emplaſtri, ſæpe morbum ſanat; addito ſpirituoſo vel vinoſo liquore, quo ſplenia madefiant, tonuſque ſacco reſtituatur. In poſteriori ſpecillum argenteum per puncta lachrymalia immiſſum obſtructiones reſerat, addito etiam filo uno, alterove goſſypino, præmiſſis præmittendis.

Anchilops purulentus incipit à tumore calido, rubro, lancinante, vel pulſante, cum febre, ophthalmiâ, epiphorâ; pendet à verâ inflammatione ſacci lachrymalis quæ abit in ſuppuratum; unde dignoſcitur ab anchilope lachrymoſo, vel hydrope ſacci naſalis. Lachrymalia puncta fundunt verum pus, non verò mucum puriformem, qui à pure vix diſtinguitur, niſi per antecedentia; naris ejuſdem lateris ſicca eſt, niſi per noctem quid effluat; quod ſæpè fit. In illâ ſpecie, vel viget inflammatio, vel receſſit; ſi vigeat, inſtituatur

tuatur diæta tenuis, refrigerans, phlebotomia celebretur, juſcula refrigerantia uſurpentur, catharſis antiphlogiſtica non negligatur. Si reſolutio non ſuccedat, applicetur tumori cataplaſma ex medullâ pomi coċti cum albumine ovi mixtâ, vel cum pulpâ caſſiæ, ut ſuppuratio procedat, quâ factâ apoſtema lanceolâ aperiatur, injectione hordei detergatur, turundâ tenui ſaccus lachrymalis apertus ſervetur, cicatrix inducatur.

8. *Epiphora frigida* Sennerti cap. 46.

Eſt effluxus involuntarius lachrymarum ſeroſarum, ſine pruritu, dolore & calore ſaltem notabilibus; ea ſequitur diuturnas ophthalmias etiam ſanatas, ſtudia immodica, ut accidit potiſſimùm circa annum ætatis quinquageſimum, cùm viſus imminuitur, & objecta non niſi paululum diſſita, diſtinctè videri poſſunt; accedente hyeme ingraveſcit, & difficulter curatur; interea ſi æger ab ſtudio, vento, fumo, cibis ſalſis, vinoque abſtineat, ſi ſimul noctu oculum foveat infuſo quatuor caryophyllorum in aquæ vitæ unciis duabus, hic affectus imminuitur; ſi verò ob tam levidenſe incommodum æger velit cathartica & veſicatoria nuchæ in uſum vocare, ut ſuadent Auctores, ille de horum ſucceſſu judicabit.

9. *Epiphora calida* Sennerti ibid.

Ea eſt ſeroſi laticis ex oculis deſtillatio, quæ ſtipatur calore mordaci, pruritu, rubore, & dolore oculorum, adeoque diverſas ophthalmiæ ſpecies, potiſſimùm ulceroſam fiſtuloſamque, comitatur, quas vide ſuo loco. In hac præter remedia generalia, ut phlebotomiam & catharſim, conveniunt balnea, juſcula refrigerantia, ſerum lactis, nec non collyria leviter adſtringentia ex roſis, plantagine, acaciâ, gallis, vino rubro, vitriolo, &c.

Lachrymæ quæ à nullo animi pathemate procedunt, in morbis acutis hæmorrhagiam narium, & ſi ſint cum ſignis exitialibus, mortem prænuntiant: *1. Epidem. 2. Aphor. 80. & 4. Aph. 52.*

10. *Epiphora cruenta; Lachrymæ ſanguineæ* Sennerti ibid. & fusè Schenck. libr. obſerv. *Larmes de ſang.* Vide Menorrhagiam erroneam. P. Borell. Cent. II. Obſ. 56. L.

11. *Epiphora ſebacea* Haller. Stud. Medic. pag. 782. ex Rudolpho Vehrens; *Lemæ* Hippocratis; *Lemia* Celſo; *Oculi gramioſi* Lucilio; *Gramia* Nonnio; *Lippitudo* Auctorum; *La chaſſie.*

In palpebrarum marginibus ſunt glandulæ ſebaceæ, quæ ſeparant paucum in ſtatu ſano ſebum, quo fortè præpeditur lachrymarum effluxus & deviatio; aſt uber & copioſiſſimus eſt hujus ſebi quandoque proventus. Illa lippitudo ſæpiùs ophthalmiam humidam ſeu pituitam Horatii comitatur, ea viſum perturbat, palpebras noctu, ſcilicet horâ octavâ veſpertinâ uſque ad diem ſequentem, agglutinat; tunc verò apertis per vim oculis, lachrymæ ſeroſæ effluunt.

Curatur tutiæ pulvere veſpere adſperſo, vel aquâ roſarum, cujus unciæ octo vitrioli viridis vel albi grana viginti excipiunt, vel aliis ophthalmicis deterſivis & ſubadſtringentibus.

12. *Epiphora arthritica* Muſgrave de arthritide, cap. 18 & 21. L.

Eſt ea quæ ab humore acri arthritico à pedibus retropulſo accidit, & cum arthri-

arthriticis doloribus alternat, ac quandoque cum illachrymatione odontalgiam excitat. Affectus hic quandoque diutinus eſt, & ſaltem incommodus.

Exigit phlebotomiam & veſicatorium nuchæ applicandum, nec non collyria mitiſſima, ut lac oculis inſtillatum, mucilaginem ſeminum pſyllii & cydoniorum; aquam roſarum, trochiſcos albi Rhaſis, aquam plantaginis, &c.

13. *Epiphora lactea*, Ephem. Germ. Dec. II. Ann. VII. Obſ. 98 in infante recens nato.

XXII. Coryza Hippocratis, Gorræi Definit. Med.; aliis *Cataſtagmus*; *Gravedo* Latinis, *Deſtillatio*, *catarrhus ad nares*; *Rhûme du cerveau*; *Coryza*.

Character eſt humoris pellucidi aut mucoſi, viſcoſi è naribus ſtillicidium. Membrana pituitaria, quæ ſinus frontales, ſphænoidales, maxillares obveſtit, eſt ampliſſima; duplicem verò humorem ſuppeditat, tenuem ſcilicet, & paucum qui in nares poſticas, inde in œſophagum cum lachrymis infunditur, & mucum viſcidum, qui membranam, ut odoratui ſit idonea, continuò lubricat, oblinitque. Duplex eſt itaque fons humoris qui in coryzâ per nares effluit.

1. *Coryza catarrhalis*, vulgò *gravedo*. *Coryza humida* Nenteri. *Enchifrénement. Rhume du cerveau*. B.

Illa ab aëris viciſſitudinibus, potiſſimùm à frigore ſuſcepto calente corpore, oritur; dolore gravativo frontis, ſternutatione, anoſmiâ, voce naſali, dyſpnœa, tuſſi ſtipatur; dein verò procedente morbo deſtillatio humoris, qui priùs erat limpidus, è naribus qualis in ſummo frigore fit, qui *roupie* vocatur, jam abit in mucoſum, viſcidum, copioſumque effluxum, à quo æger ſublevatur, redit odoratus, reſpiratio juvatur, &c.

Phlogoſis membranæ pituitariæ, eſt hujus morbi principium.

Curatur diætâ tenui, potu theiformi, calido, diluente, inſpiratu lactis tepidi, aquæ, vaporis: aëre tepido, vapore ſeminum nigellæ in aquâ coctorum; *vide Schneider. lib. 3. de catarrhis, pag. 503*. Cùm nares poſticas occupat ſævior eſt quàm cùm altius aſſurgit.

2. *Coryza phlegmatorrhagia* Salmuth. obſ. 37. cent. 1; Bonet. Sepulchret. T. 1. pag. 410; *Phlegmatorrhagia* Junckeri; Morgagni Epiſt. XIV. 20. Hippiatris *Morfondure*. Furetiere Diction. B.

Differt à præcedenti quòd, ſine ſatellitio catarrhi, illicò ſponte accidat profluvium juge humoris limpidi, lymphatici, copioſi, non merè aqùoſi, qualis eſt qui à frigore acri maximè apud ſenes exſtillat; hanc coryzam bis noctu expertus ſum, ſine alio incommodo: ſimilem per plures menſes perſeveraſſe memorat *Morgagni*; uberrimum aliud narrat *Bidloo*, quod *ſtillicidium narium* vocat.

3. *Coryza virulenta*; *Ozæna* Bonet. Sepulchret. T. 1. pag. 406; Hippiatris *Morve*.

Eſt purulentæ materiæ effluxus è naribus cum ozænâ. Hic morbus ob fœtorem & acrimoniam puris diu in naribus concluſi, & fœnum inquinantis

ab

ab equo ad equum propagatur, ſeu contagioſus evadit : *Vide Hippiatros*, ut *Soleyſel* & *Bourgelat*, *Elementa Hippiatricæ*.

4. *Coryza varioloſa* Huxham.

Illud ſymptoma ſtipatur ſternutatione, difficultate deglutiendi, tuſſi, epiphorâ, & ſæpiùs rubeolam, quandoque variolam ineuntem comitatur, ac deſignat.

5. *Coryza purulenta* Boneti Sepulchret. Tom. 1. Obſ. 10. Append. 1; Morgagni Epiſt. XIV. 22. ex Fernelio, Palfino, Nicolai, &c : vide Cacodiam ozænam.

Si ſinus frontales ulcere laborant injectiones inſtitui poſſunt deterſivæ, imo horum ſinuum terebratio inſtitui; ſi verò ſinus maxillaris alteruter pure turgeat, dente canino avulſo puri via parari debet, *Meibomio & Cowpero* ducibus.

6. *Coryza febricoſa* Vandermonde Journ. de Med. Mars 1751. p. 197.

Viro catarrhoſo fluxus muci periodicus veſpere quovis revertens, meridie ſequenti evaneſcens, ſtipatus erat capitis intumeſcentia, dolore, ſinuum infarctu : mucus narium copioſus erat, limpidus, acer; pyrexia nulla; diaphoretica fruſtranea fuere, ſoli kinkinæ uſui cum catharticis morbus ceſſit.

XXIII. PTYALISMUS; *Ptueliſmus* Hippocratis in Coac. à *ptuelon*, ſputum; *Anabexis* Galeni; *Anachrempſis* Heſychio; *Cartharſis diapharyngos*; *exſcreatus* : *Salivatio*; *frequens exſpuitio* Latinis. *Bave*, *ſalivation*, *expuition*, *crachottement*. Ægri *Salivantes* Latinis, Gallis *Baveux*, Anglis *Drivellers*.

Character. Eſt ſalivæ vel muci ſine expectoratione ac vomitione ex ore effluxus, aut emiſſio.

In os confluunt 1° ſaliva ex ductu potiſſimum Stenoniano à parotidibus delata, nec non ea quam omnes glandulæ ſublinguales, buccales, &c, ſuppeditant : 2° præterea liquor tùm limpidus, tùm mucoſus, qui ex naribus in fauces delabitur, tùm per nares poſticas, tùm per ductum ſphæno-palatinum : 3° Mucus viſcidus, qui ex tonſillis & glandulis faucium ſebaceis exprimitur : Mitto quæ vomendo vel expectorando confluunt.

Quidquid exit ex ore, illud vel vomitu vel ructu ejicitur, vel expectoratur cum tuſſi, vel exſcreatur cum ſono rauco, quem Arabes *Raſcationem* vocant; vel exſpuitur ex linguâ & labris, vel ſine impetu elabitur, quod Galli *bave* nominant.

1. *Ptyaliſmus nauſeoſus. Ptyaliſmus à ſaburrâ nidoroſâ.* B.

Illa eſt ſpecies quæ à ſaburrâ ortum ducit, quatenus irritatur inde pharynx, & liquor ac mucus ex faucium cryptis ubertim profluit, cum nauſeâ, angore ventriculi; tantâ quandoque copiâ exſpuitur & exſtillat hic liquor, ut ex ſtomacho ſuppeditari quis crederet; talem ptyaliſmum excitat etiam emeticum aſſumptum, etiam antequam vomitio accedat. Talem exci-

tat etiam aconitum, ſi vel maſticatum fuerit; hinc enim oris ſapor putris per duos vel tres dies cum ſalivatione, ut obſervavi, & cardialgia cum lancinante dolore in medio linguæ.

2. *Ptyaliſmus à pyroſi.* Vide Sodam Junckeri. L.

Differt ille à priori, quia ſenſus uſtionis & acidi erodentis extenditur à ventriculo ad os, atque quaſi acidum ſaporem præ ſe fert ſaliva, in hoc affectu ubertim effluens; hanc excitant fructus acidam vel empyreumaticam ſaburram generantes, caſtaneæ, nuces, piſces conditi, frixa omnia ex ſartagine cum oleo vel butyro cocta, nec tamen nauſea excitatur utplurimùm.

3. *Ptyaliſmus Lapponicus* D. Linnæi; *Ullem* vel *Hotme* Lapponibus. C.

Eſt ſymptoma colicæ Lapponicæ: Vide *Floram Lapponicam*, *pag.* 69. Differt à prioribus per dolores atroces abdominis juxta umbilicum qui hoc ptyaliſmo terminantur.

4. *Ptyaliſmus à laxitate* Cheynei de ſanit. pag. 366 cap. 5; *Ptyaliſmus ſymptomaticus* Zwinger. de ſalivâ Diſſert. Ægri *Drivellers* Anglis vocantur. L.

Illi ſunt, qui ſtupidi, labris laxis & pendulis, oculiſque demiſſis, nequidem ſalivam ore continere poſſunt, ita ut continuò ex ore effluat; ſimile vitium in paralyticis obſervatur; idem accidit à laxatâ mandibulâ.

5. *Ptyaliſmus mercurialis* Nicol. Heinſii; Chriſt. Roperi Diſſ. de Salivatione cap. 2. *ab oris ulcuſculis* Stenon. *Ptyaliſmus artificialis* Zwinger. de ſalivâ, Diſſert. 8; *Salivatio ab hydrargyroſi* D. Aſtruc. de lue venerea. B.

Vulgò poſt quinque vel ſex litus mercuriales, vel aſſumptis intus præparatis mercurialibus, præſertim non ſatis diluto ſanguine & laxatis vaſis, ſupervenit calor in ore, ſapor æruginis; glandulæ ſublinguales, & quæ utrinque linguam cingunt, tument, aphthas patiuntur, dein ulcuſcula quæ multum ſalivæ fœtidæ fundunt; creſcente actione hydrargyri tumet lingua, exeritur foras, fauces anginâ aut cynanche corripiuntur, cum febre, pervigilio, aſſiduâ exſpuendi neceſſitate.

In curâ morborum ſyphiliticorum vitari debet ptyaliſmus, ſecus ſyphilis per aliquot tantùm menſes ſupprimitur, aut etiam minimè minuitur. Vitatur verò, longo uſu balneorum præmiſſo, diætâ lacteâ in hydrargyroſi uſurpatâ, remotis ad duas treſve dies inunctionibus, illarum doſi, quæ vulgò ſemi-unciam attingit, imminutâ. Si verò invitis his cautelis accedat, quod vulgò poſt quartam, ſextamve inunctionem accidit, ſuppreſſâ omnimodè inunctione, expectandum donec deſierit; os ſæpè decocto hordei abluendum; ſi verò ex abrupto auctus ægrum in periculum cynanches conjecerit, lingua tumuerit, & in ore vix poſſit contineri, phlebotomiâ, linteorum depoſitione, catharticis, imò balneis tunc huic occurrendum. De ulcuſculorum oris deterſione, cæteriſque ad hoc ſpectantibus videatur *Ill. Aſtrucius.*

Ex cinguli mercurialis adverſus pediculos geſtatione, ex hydrargyri etiam con-

contrectatione ſolemni aurifabris, ſpeculorum confectoribus, ex unâ drachmâ ungueati Neapolitani citra cautelam illitâ, ptyaliſmus quandoque ſupervenit.

6. *Ptyaliſmus varioloſus* Sydenhami pag. 83, 103, 93, 593. *Salivation de la petite vérole confluente.*

Apud adultos variola confluente laborantes, ſalivatio ſub primum eruptionis tempus, aut biduo poſt, perpetuus comes accedit, ſæpius multò quàm infantibus diarrhœa; materia primò tenuis excernitur, ægro multa lintea ipſamet nocte conſpurcante. Hic ptyaliſmus mercuriali non minor eſt, ſed non fœtet; die verò undecimâ ſaliva viſcidior ægerrimè exſcreatur; ſiticuloſus eſt æger, tuſſit ſubinde inter bibendum, & potus per nares revertitur, atque hoc die ceſſat utplurimùm ſalivatio, licet aliquando biduo poſt revertatur; dicto autem die undecimo ſcilicet tumor faciei una cum ſalivatione imminui incipit, ac tunc primum ejus loco manus intumeſcere ſolent ac debent.

Non ſolùm autem in varioliſ, ſed & in febre varioloſâ Sydenhami, ſeu ſynocho variolode, in quâ nulla eſt eruptio, par ptyaliſmus accidit, & ad ſalutem neceſſarius eſt.

Indicationes ſunt 1º ut ptyaliſmus ille ſuſtentetur, quod maximè præſtat, *potus tenuis*, qui diluat, nec refrigeret nimis, aut calefaciat, qualis eſt cereviſia tenuis, imò ſerum lactis, nec non paregoricum ſeu anodynum veſpere exhibitum, ſic docente experientiâ. 2º Cavendum ne ptyaliſmus ſupprimatur, quod intempeſtivâ catharſi aut phlebotomiâ, maximè verò calidiori regimine, efficitur. Si verò ptyaliſmus non interveniat, aut citiùs quàm par eſt evaneſcat, nec in ipſius locum manus tumeant, facie tamen detumeſcente, tunc in ſummo periculo verſatur æger; ſi enim hoc accedat inter ſextum & undecimum diem puſtulæ deprimuntur, delirium invadit, febris deficit, puſtulæ pallidæ, circulo etiam palleſcente; in hoc unico caſu ad cardiaca deveniendum eſt, ut ad ſcrupulum theriacæ, cum eadem doſi pulveris è chelis cancrorum, ſemi ſcrupulo radicis contrayervæ & ſyrupo caryophyllorum; ſi verò hoc infortunium accidat circa aut poſt undecimum diem, quo tempore puſtulæ faciei reſiccatæ ſunt, præmiſſa venæ pedis ſectione, vix ad emeticum, ut noſtrates faciunt, aut ad lene catharticum, ut Angli ſolent, properandum eſt; ſed quoniam vires non vegetæ ſunt, earum ratio habenda eſt, & ſemper de ſummo periculo aſtantes admonendi.

Monſpelii rariſſimè obſervatur ptyaliſmus, in varioliſ etiam confluentibus adultorum, raró etiam diarrhœa apud infantes hac ſpecie laborantes, ſed apud Septentrionales is eſt frequentiſſimus & ſalubris, atque hoc ptyaliſmo circa undecimum diem decreſcente neceſſarium eſt ut facies, manuſque intumeſcant œdemate varioloſo, quod ptyaliſmi vices impleat.

7. *Ptyaliſmus ſcorbuticus* Roper. Differt. citata; Lind. de ſcorbuto, &c. Journ. de Med. May 1755. p. 327. C.

Cognoſcitur ex ſtomacaces ſignis, ſcilicet facili gingivarum hæmorrhagiâ, mollitie, fœtore, dentium lapſu, nigredine, maculis tibiarum, faciei pallore, &c.

Profuſus vires exhaurit, adeoque ſiſtendus quantociùs; ſuadet verò *Lind* revellentia epiſpaſtica, ſinapiſmos ſuris admovendos; alvus clyſmatis ſolvenda; lenia cathartica uſurpanda; laxandus cutis ſpaſmus, qui fluxum illum determinat; proſunt in eum ſcopum diaphoretica, theriaca, camphora, flores ſulphuris ter vel quater in die; adde etiam diuretica. His ſalivatio arcetur, & ſuffocatio prævertitur. Siſtitur etiam collutoriis ex gummi Arabico, ichtyocollâ, alumine, cortice quercûs; laudat *Roperus* gargariſmata ex vino rubro, viride æris, aquâ plantaginis & ſalviæ, ſæpius ope penicilli gingivis applicanda.

Intùs veſcatur æger lacte vel vegetabilibus, ſumat kinkinam, elixirium vitrioli, dùm lacte non utitur.

8. *Ptyaliſmus hypochondriacus* Ballonii, lib. 2. conſil. 49. Sylvii, Prax. Medic. *Ptyaliſmus melancholicus* Sennert. de ſcorbuti ſignis; *hyſtericus* Morton. Curationem vide apud Ballonium, lib. 2. conſil. 25. Roper. Diſſ. de ptyaliſmo. L.

Eſt ille qui hypochondriacis, melancholiciſque familiaris eſt; is vires imminuit, ſtomachum labefactat, ſtipatur borborygmis, conſtipatione, ructu, præcordiorum anguſtiâ, ſomno turbulento; fovetur ſæpè à cœna copioſiori, & tunc horis matutinis augetur.

9. *Ptyaliſmus arthriticus* Muſgrave, cap. 11. hiſtor. 3; *Sputatio arthritica.*

10. *Ptyaliſmus phthiſicus* Morton. cap. 2, n°. 10 & 11. Phthiſiologiæ, pag. 29. C.

Inter ſigna phthiſim præſagientia meritò recenſetur matutina & diurna phlegmatis ſalſi & acris, quandoque viſcoſi, excretio, quod univerſum ſanguinis ſerum parili gradu ſalſum eſſe atque acre ſignificat; proclives ſunt illi ad copioſum ſalivæ fluxum per ductus ſalivares & tonſillas, quod diatheſim ſanguinis colliquativam indicat; hoc ſymptoma multis annis phthiſim antecedere obſervavi. In ultimo phthiſeos gradu idem ptyaliſmus recrudeſcit, ab anacatharſi purulentâ valdè diſtinctus. Oritur enim fluidi ejecti copia ab ipſis oris glandulis, nec ſudoribus profuſis imminuitur, ac fatum accelerat. *Roper. Diſſert. de ptyaliſmo.*

11. *Ptyaliſmus viridis* D. Huxham Philoſophic. Tranſact. n° 382. anno 1724.

Fox quadragenarius ab aurigine & colicâ liberatus eſt ptyaliſmo uberrimo ad ſextarios circiter duos, ſalivæ ſtatim vividiſſimæ porraceæ, ſed tenuis; uſus autem fuerat pomaceo quod bilem hoc colore viridi inficere potuerat; hic ptyaliſmus quadraginta horas duravit, deinde pellucida evaſit ſaliva; ope verò ptyaliſmi ſeroſi ſponte erumpentis ab aurigine, priùs bis, terve liberatus fuerat.

12. *Ptya-*

12. *Ptyaliſmus purulentus* Petr. Hardiſway, Philoſoph. tranſact. n°. 400, 1727. L.

Hic ptyaliſmus purulentus ultra triennium perſeveravit, pure ſanioſo ſuppeditato à ſinubus maxillaribus in oris cavum apertis & carioſis, puero ſatis benevalente, quoad cætera.

13. *Ptyaliſmus aphthoſus. Chancres à la bouche.* B.

Adoleſcens corripitur ſynochâ cum cephalalgiâ, anginâ, linguæ ſorditie albâ, glandularum tonſillarum & maxillarium tumore; præmiſſâ phlebotomiâ purgatus eſt addito emetico, bilem ano & cato copioſè rejecit, & difficultas deglutiendi evanuit; aſt eadem die levis exulceratio interiora oris & linguæ ambitum detinuit, ita ut cruſta in utraque labiorum commiſſurâ oris apertionem impediret, lingua tamen ſupernè albeſcens, lateraliter excoriata, intensè rubra, videbatur, & tantus erat viſcoſuſque ptyaliſmus, ut noctu, interdiuque inſomnem continuò exſpuentem ægrum per aliquot dies detineret. Præſcripto altero cathartico, & gargariſmate ex unciâ mellis roſacei, cum drachma ſpiritus ſalis in aquâ hordei meliùs habuit, dein convaluit.

Ptyaliſmus cujus fœtor cadaveroſus eſt junctus dyſphagiæ, eſt ſignum cynanches ulceroſæ ſeu gangrænoſæ, quæ nuper apud Piſcenates & Biterrenſes maximam infantum ſtragem edidit.

14. *Ptyaliſmus gravidarum. Crachottement & aigreurs des femmes groſſes* Puzos. L.

Recens gravidæ per tres quatuorve menſes vel ſalivam viſcidam, vel fatuam pituitam matutinis horis exſcreandam habent, cum ſenſu acoris intercurrente, aut cardialgiâ, aut nauſeâ.

His opitulamur vel bolo panis, vel aquæ cyatho, vel cocolatâ, ſeminibus cumini, aut cardamomi maſticatis, infuſo theæ, veronicæ, chamæmeli, meliſſæ. Si ea inutilia fuerint, phlebotomia adhibenda; manè rhei pulverati, vel hujus extracti doſis ad purgandum ſufficiens ſumenda, vel clyſma veſpere injiciendum, aut ſtomachus roborandus theriacâ, confectione hyacinthinâ, alkermes, opiatâ Salomonis. Confert quandoque ptiſana pectoralis emulſionata, & aqua cinnamomi aromatiſata.

15. *Ptyaliſmus catarrhalis. Salivatio anginoſa* Roper. Diſſertat. *Rhume d'eſtomac*, De Meyſerey T. 2. n. 302.

Eſt ille qui in odontalgiâ, anginâ catharrhalibus ſupervenit, eademque auxilia expoſcit. Os exundat ſaliva mucoſa; accedunt flatus, gravitas ventriculi, nauſea, vomitio phlegmatis, vel diarrhœa, quæ omnia ægrum ſublevant.

16. *Ptyaliſmus à carie* Quelmalz Diſſert. de ptyaliſmo febrili. P.

In maxillæ oſſibus carioſis & carie dentium protrahitur quandoque ptyaliſmus ad hecticam conſumptionem, ut pluries vidit Auctor citatus; hocce etiam phænomenum accidit cum carie, perforatur antrum Hyghmori, ſeu ſinus maxillaris. Eumdem ptyaliſmum obſervavi in triſmo, qui odontalgia arthritica eſt.

17. *Ptyaliſmus à calculo* Chriſtoph. Scherer, de calculo ex ductu ſalivali excreto Diſſert. Argentorati 1737. Journ. de Med. Juill. 1756. Leautaud.

Initio levem inducit dyſphagiam, deinde verò ptyaliſmum calculus ſub linguâ genitus, quod licet rarum ſit, interea à *Cowpero*, *Walthero* & *Saltzmanno* fuit obſervatum. In caſu *Clariſſ. Leautaud* aderat dolor ſub lingua vehemens, pyrexia ardens, quæ omnia, extracto calculo gypſeo ſub lingua latente, evanuerunt. Vide Arthritidem D. Du-Bouchet qui arenulas copioſas exſcreans à doloribus arthriticis ſe liberabat.

18. *Ptyaliſmus febrilis* Quelmalz Diſſert. Lipſiæ 1748; Sydenham. pag. 99. de febre varioloſa.

Eſt ptyaliſmus tritæophyæ epidemicæ Lipſienſi ſuperveniens, per ſeptimanas perſeverans, abundans, morbum non perfectè ſolvens, & quem tamen reprimere periculoſum erat. Hunc ſtipabant eroſiones circa linguam, fœtor, tumor gingivarum; ſalivæ limpidæ, dein viſcidæ æque uber excretio, ac ſi hydrargyroſis plena fuiſſet adhibita.

19. *Ptyaliſmus ſyphiliticus.*

Eſt ille qui citra ullum hydrargyri uſum accidit illis qui ulcuſcula venerea gerunt in faucibus, uvulâ, velo palatino, quæ quidem ex maculâ griſaceâ ſerpente, ex fœtore & ex ſalivatione facilè ſe produnt.

Huic ſpeciei ipſamet hydrargyroſis cautè & parcâ doſi adminiſtrari debet, non neglectis detergentibus ſub finem hydrargyroſeos, ſcilicet levi attactu ulcuſculorum bis in die iterato ex penicillo intra collyrium Lanfranci tincto; collyrium verò aquâ roſarum edulcorandum eſt, uſus lactis eſt uſurpandus.

20. *Ptyaliſmus urinoſus* Waller Act. Upſal. p. 156. Vid. Tulpii Lib. III, Hiſt. 22. Helvetius Oecon. Anim. p. 156. L.

XXIV. ANACATHARSIS Hippocratis, Galeni in Aphor. 8. lib. 5; *Anaptyſis* Hippocr. *Tuſſis humida. Expectoration.*

Character eſt muci, lymphæ, vel cujuſcumque humoris facta cum tuſſi expectoratio conſtans & notabilis.

Differt ab exſcreatione ptyaliſmum comitante quòd tuſſis in anacatharſi ſit pectoralis, non verò ſimpliciter gutturalis. A rheumate quod ſit anacatharſis ſine raucedine. Anacatharſis rarò eſt morbus eſſentialis, ſæpiùs eſt ſymptoma phthiſeos, aſthmatis humidi, catarrhi.

1. *Anacatharſis bilioſa; a ſpitle of unuſual color.* Philoſoph. Tranſact. n. 382. by Huxham. anno 1724; *Choleptyſis* D. Coſte, Med. Profeſſ. in Academia Perpinianenſi.

Obſervavit ſcilicet in ancillâ tuſſim gutturalem, quâ primò cruorem exſcreabat, deinde verò per viginti circiter dies expectorabat bilem, ſeu humorem intensè flavum & amarum, & feces ano redditæ erant griſeæ.

Præſcripſit apozemata amara diluentia, dein verò ſaponem venetum ſingulis diebus ad grana viginti, triginta, ſumendum: parabat ſaponem ex ſale tartari

tartari & oleo olivarum optimè mixtis ad conſiſtentiam pomati flavi, quibus adhibitis remediis intra quinque dies ſanata eſt.

Vidi ego dudum mulierem quæ ex rheumate neglecto incidit in anacatharſim materiæ viſcidæ ex flavo virideſcentis, quæ cum amphimerinâ catarrhali perſeveravit multos dies, ſed ea expectorata materies non amareſcebat; idem iterùm in adoleſcente vidi: cathartica verò morbum ſuſtulerunt, & febrem ſimul.

Similem luteo-viridem obſervavit exſcreationem *D. Huxham Tranſact. Philoſ.* Anacatharſim azuream obſervavit *Clariſſ. Fontfrede.*

2. *Anacatharſis phthiſica: Tuſſis purulenta.* Vide phthiſim humidam.

3. *Anacatharſis à vomicâ; Vomica pulmonis; La Vomique.*

Vomica eſt apoſtema materiem puriformem, vel ſebaceam, aut pultaceam continens utplurimùm tunicâ obvolutam; veroſimile eſt vel glandulam lymphaticam ſebaceâ materie ſenſim diſtenſam, vel hydatidem pingui & craſſo humore ſenſim turgidam eſſe hujus morbi principium. Similes hydatides humore puriformi quandoque gypſeo farctas in ovariis & aſcite hydatidoſo obſervarunt Academici Pariſini. Gypſeos, tophaceoſque tumores ſæpè inveni in pulmonibus, ſine ullâ inflammatione præviâ, parvâ quandoque, eaque acutâ comitante febre, atque ex hac anacatharſi, licet per menſes perſeverante, ægri non raró convaleſcunt, maximè ſi tunicam oviformem, ſeu cyſtidem expectorent.

Hic morbus ſæpè cum phthiſi confunditur in praxi.

4. *Anacatharſis puriformis; Tuſſis purulenta* Stahl. Satyr. Harvey. vulgò *Suppuration lymphatique du poumon.*

Duplex eſt hujus varietas.

1°. Poſt peripneumoniam & pleuritidem, in quâ non omnino per phlebotomias reſolvi potuit congeſtio inflammatoria, ſupervenit puriformis griſeæ, blandæ, viſcidæ materiæ expectoratio ſine febre notabili, quæ per menſem & ultra perſeverat, nec tamen phthiſis eſt, atque ex eâ, adhibitâ diætâ lacteâ, cum balſamo Canadenſi, ægri convaleſcunt.

2°. Poſt febres putridas ac malignas, corpore ſatis jam ſuperque purgato, accidit interdum, maximè in ſenibus, ægrum valdè debilem eſſe, & quandoque tuſſi, interdum etiam exſcreatu magnam glutinoſi, viſcoſique phlegmatis copiam expectorare, quod ſymptoma non tantum ægro terrorem injicit, ſed & ipſi Medico, præſertim minus cauto, impoſuit pro phtiſeos prodromo.

Hoc in caſu ægrum jubeo vinum de Malaga, vel muſcatum cum pane toſto ei immixto bibere, quod vires reparat, & ſymptoma illud intra paucos dies abigit. *Sydenham. pag. 38 cap. 4. S. 1.*

5. *Anacatharſis aſthmatica.* Vide *Aſthma humidum.*

XXV. DIABETES; à diabete Hydraulicorum, ſeu ſyphone aquas tranſmittente. *Diarrhœa urinoſa* Galen. lib. de criſib. *Diarroia ex oure; Dipſacus* Galen.

lib.

lib. 6. de loc. affect. *Hydrops ad matulam* Galen. de loc. affect. lib. 6, & lib. 1. de ctiſibus; *Profluvium urinæ* Latin. *Diabétés.*

Character. Subita potûs omnis per urinas cum magna ſiti profuſio, *Gorræi;* cum corporis colliquatione, (*Aretæo*) febriculâ, anorexiâ, polydipſiâ, urinâ copioſâ violas redolente, oleo ſupernatante perfuſa *Dover. Legacy*, quales ſunt urinæ ſcorbuticis.

1. *Diabetes legitimus* Aretæi; Deidier Conſult. 58. Tom. 1.

Indeſinens meiendi neceſſitas quam nihil cohibere poteſt. Mictio copioſior eſt quàm potus, unde adipis colliquatio, ſitis urgens cum ſalivâ ſpumoſâ, viſcidâ, faſtidium, animus dubius, præcordia gravia; à retentâ urinâ tumor abdominis, teſtium; creſcente morbo calor mordax in viſceribus, tabes; rarus morbus, *Galeno* bis obſervatus, curatu difficillimus.

2. *Diabetes Anglicus* Pechey promptuar. med. pract. Mead of poiſons edit. 4. C.

Character. Urina odoris, coloris, & ſaporis mellei. *Mead Monita.*

Affectus ille differt à diabete *Aretæi*, quod urinæ ſint dulces & mellitæ, vel limpidæ, ut referunt Angli, vel ſubturbidæ, ut apud nos, necnon quod hodie apud Anglos & Batavos, ob vini meracioris ingurgitationem, frequens ſit; urina intra viginti quatuor horas mittitur quandoque ad libras decem, quindecim ex obſervatis *Pechey.* Sitis eſt immanis, febris hectica, inſignis aſthenia, languor, & emaciatio.

Æger lacte vel crudo, vel aquâ hordei diluto veſcatur, & aquam calcis ſecundam ter in die ad uncias quinque vel ſex ſumat. Juvant etiam gummi Arabicum, tragacantha, cinnamomum, cymæ cupreſſi, rheum, noctu narcotica; aquas vitriolicas ſuadet *Jurinus.*

Similem diabetem obſervavit in duobus ruſticis Gebennenſibus mediâ hieme cum urina ſaccharata & ſubturbida, eodem menſe & anno, *D. Privat*, *D. M. Aleſienſis clariſſimus.*

Lactis ſerum aluminatum laudat *Dover*, juxta quem remedium id nunquam fallit.

3. *Diabetes hyſtericus* Sydenham. Diſſ. epiſt. de hyſteriâ; Cheynæi de ſanitat. 177. L.

Hanc ſpeciem obſervavi in Marchioniſſâ St. Victor hyſtericâ, quæ ſerum inſipidum, aqueum, copioſiſſimum, fundebat per aliquot dies, hoc ceſſante, leucophlegmatica evadebat; redeunte ſic per vices diabete ſolvebatur phlegmatia; hyſtericis & mulieribus irâ percitis magnum urinæ limpidæ profluvium eſt familiare.

Serum aluminatum Mead fit ex lactis paululum cocti libris quatuor, & aluminis drachmis tribus; hujus ſeri (poſſetum vocant) ſaltem unciæ quatuor ter in die bibantur; eſt utplurimùm diabetes remedium. *Mead Monita pag. 165.*

Deſidioſos aggreditur qui luxuriâ diffluentes, cùm mero ſanguinem accenderint, frigidis potibus ſitim reſtinguunt; morbum eſſe hepatis & humidum

dum aëris in eo attracti contendit. *Mead.* Lac muliebre eſt verè ſaccharatum; chylum itaque dulcem parum mutatum diabetico fluxui dulcedinem præbere putaverim.

4. *Diabetes artificialis* Malpigh. de liene.

Ligatis in cane vaſis lienis, canis ſolito frequentiùs mingit.

5. *Diabetes à vino* Collect. Academ. Tom. 3. obſ. 122.

Quadragenarius robuſtus, bilioſo-ſanguineus, vino & aromaticis abuſus, in diabetem incidit; tunc verò quam bibebat alam, ſeu tenuem cereviſiam urina omnino referebat, & potus aſſumpti molem multum ſuperabat; vigebat fames, ſitis urgebat, oris ſiccitas, renum dolor, ardor viſcerum; macies ſumma.

Uſus eſt tinctura martis, catechu, corallorum; veſpere bolum ex ebore uſto, antihectico Poterii, croco martis cum uno, vel altero laudani grano; poſt menſem his utens convaluit.

6. *Diabetes arthriticus* Sydenhami de podagrâ, pag. 463.

Eſt ſymptoma arthritidis inveteratæ, ſed extra paroxyſmos, in quibus etenim urina eſt pauca & colorata; at extra eos urina quandoque eſt æque copioſa & aquoſa ac in diabete, quod deſignat à materie acri ſitim excitari, ſimulque ita languere digeſtionem, & imminui perſpirationem, ut potulenta illibata per urinæ vias emittantur; nec ab aliis principiis derivanda eſt magna urinæ copia, quæ in diabete vulgari effunditur. Quantitas urinæ in ſanis eſt circiter dimidia pars aſſumptorum tùm eſculentorum, tùm potulentorum, atque circiter altera pars perſpirando avolat. Si itaque in ſtatu ſano quadraginta urinæ unciæ emittantur, ut in me expertus ſum: ſi ſitis potum tertiâ parte uberiorem imperaverit, & ſimul tertia pars perſpirationis ſolitæ ſuppreſſæ in urinam verſa fuerit, inde ſexaginta ſex unciæ urinæ quotidiè emittentur, quæ cùm cruda ſit, & repetitis mictionibus amandetur, diabetem efficiet.

7. *Diabetes febricoſus* Sydenhami epiſtol. reſponſor. 1. pag. 192.

In tertianâ & quotidianâ nonnunquam accidit, etſi perquam raro, ut ſenes qui diu hac febre antea laborarunt, ac interea phlebotomiis & catharticis imperitè fuerint mulctati, in diabetem incidant, etiam febre jam perfectè fugatâ; etenim cùm ſanguis eorum abhinc debilitatus aſſimilandis ſuccis ei illatis prorſus impar reddatur, iidem per vias urinarias crudi adhuc & incocti exitum ſibi quærunt, proindeque præ ingenti urinæ copiâ, quoties eam reddunt, excretâ, ſenſim labefactantur, & quaſi ſubſtantia corporis per hanc cloacam exinanitur; curativæ indicationes ad ſanguinem invigorandum, & fluxum urinæ minuendum omninò dirigendæ ſunt.

℞. *Theriacæ unciam & ſemiſſem, conſervæ flavedinis aurantiorum unciam; diaſcordii unciam ſemiſſem; zingiberis conditi, & nucis moſchatæ conditæ ana drachmas tres; pulveris è chelis cancrorum, corticis granatorum, radicis angelicæ, coralliorum, terræ lemniæ, boli armenæ, gummi arabici, ana drachmam unam, cum ſyrupo de roſis ſiccis fiat electuarium; ſumat drachmam ter in die per menſem; utatur vino hiſpanico, cibis eupeptis, abſtineat à crudis, oleribus, &c.*

XXVI. ENURESIS ; *Perirrhœa* Hippocratis ; *Pareſis* Aretæi ; *Stranguria* Galeni ; *Stillicidium urinæ*, *Incontinentia urinæ* Sennerti, &c. *Incontinence d'urine* : *flux d'urine.*

Eſt mictio involuntaria & inopportuna, quam nullus veſicæ ſtimulus ſollicitat, quæque ſæpiùs inſciis accidit.

Differt à diabete quòd non major ſit urinæ copia, nec diverſus à ſano color ; à dyſuriâ quòd ſine ardore & ſtimulo fiat.

1. *Enureſis infantum* Junckeri Tabul. 98.

Eſt mictio quæ tùm interdiu ob negligentiam, tùm noctu inter dormiendum accidit junioribus ; plurimi ideò lectum urinâ conſpurcant, quia ſomniant ſe in loco commodo mingere ; alii ita negligentes ſunt etiam octennes & decennes, ut in ſeipſis tùm vigilando, tùm dormiendo mingant.

Pravus hic mos 1° virgis & minis eſt coercendus apud eos qui quartum annum ætatis attigere : 2° Curandum eſt ut horis pomeridianis parum bibant : 3° utque antequam lectum petant, veſicam evacuent. Si verò atonia ſphincteris veſicæ adfuerit, ad tonica deveniendum eſt, ut in ſpecie ſequenti.

2. *Enureſis paralyticorum* Junckeri Tabul. 98. L.

Incontinentia urinæ à paralyſi ſphincteris veſicæ procedens accidit apoplecticis, hemiplegicis, & ſæpiùs paraplecticis, ubi nervi oſſis ſacri, lumborumve fuerunt compreſſi, contuſi, læſi, aut in cerebro ipſo affecti ; in illâ ſpecie adeſt continuum urinæ ſtillicidium ſine ſenſu, unde differt ab aliis ſpeciebus in quibus per intervalla tantùm urina emittitur.

Incommodus eſt hic morbus ægro & adſtantibus, ob fœtorem urinæ quâ imbibuntur veſtes, maximè apud fœminas quæ non ita valent in urinatorio portatili urinam excipere, ut viri.

Curatur hic morbus eodem modo ac paraplegia ; ſed vix unquam ſanatur, niſi levis ſit affectus, aut quædam atonia, quam ſuperant inſeſſus aromatici, ſpirituoſa fomenta, thermæ Bellilucanæ, ammochaſia.

3. *Enureſis hernioſorum.* L.

Eſt ea quæ exocyſten, hyſteroptoſim, cyſtocelem, ſimileſque ectopias comitatur, quibus ita diſtrahitur ſphincter veſicæ, in viris podici, in fœminis vaginæ adhærens, ut diſtracto vel inteſtino, vel vaginâ, ſphincter conſtringi nequeat pro lubitu. Sanatur ablato principio.

4. *Enureſis gravidarum* Mauriceau, lib. 1. cap. 15 de l'incontinence d'urine. L.

Non eſt ea frequens mictio, ſeu dyſuriæ ſpecies, quæ ob veſicæ ab utero factam compreſſionem gravidis accidit ; cùm enim parum urinæ continere poſſit veſica, neceſſum eſt ut frequentiùs veſica diſtendatur, & ad mictionem ſollicitetur ; verùm ea eſt quæ ipſis accidit non ſolùm gravidis verſus ultimos menſes, ſed etiam mulieribus plures partus expertis ; illæ enim ad minimam corporis inflexionem, ad minimum riſum, aut tuſſiendi conatum, illico urinam ſine ſtimulo, quandoque ſine ſenſu emittunt. Hoc etiam recens puer-

peris

peris familiare eſt, obſervante *Roderico à Caſtro lib. 4. cap. 2. de fœtu mortuo*, & hoc urinæ profluvium alvi acraſiâ ſæpè ſtipatur : educto, ait ille, infante, urina aut alvi feces, quod frequenter accidit, involuntariè fluunt, quod curatur ut paralyſis earumdem partium : laudatur inſeſſus in decocto aromatico chamæmeli, roris marini, ſalviæ & litus ex oleo ejuſdem virtutis.

Quoad enureſim quæ ſub finem graviditatis oritur à mole uteri veſicam prementis, ea ſublevatur mappâ quæ ita collocata ſit, ut abdomen proindeque uterum ſuſtineat.

5. *Enureſis puerperarum. Perforation de la veſſie. Incontinence d'urine après les couches*, Puzos pag. 137. L.

Cùm fœtus diutiùs in tranſitu per os uteri retinetur, collum veſicæ, inde fœtûs capite, illinc oſſe pubis, compreſſum inflammatur, contunditur, & poſt quinque, vel octo dies urinæ incontinentia accedit, perforatâ ibi loci veſicâ : hæc enureſis inſanabilis eſt ; ſublevatur incommodum ope utris ex corio fabrefacti penduli, & ſpongiæ appoſitæ ; peſſaria vix ullius utilitatis ſunt, niſi ad præcavendam obturationem vaginæ, quæ à ſuccreſcentibus ex hac fiſtula carnibus, fibriſque ramoſis oritur ; ibi calculi ſucceſſu temporis generantur. Vide *Hyſteralgiam calculoſam.* De hac ſpecie fusè egit *Hirschfeldius in diſſertatione Argentorati editâ anno 1759. de incontinentiâ urinæ poſt partum difficilem* ; hanc etiam obſervavit *Clariſſ. Med. Doctor Privat Aleſienſis* in primiparâ, quæ dyſtociam per quinque dies experta, deinceps per quadraginta dies dyſuriâ laboraverat, quâ ſanatâ ſupervenit enureſis conſtans ; urina ſcilicet eâ ſtante, vel erectâ fluebat, ſedente verò retinebatur, immiſſo per urethram filo ferreo, & ſimul in vaginam digito, inventum eſt foramen minimi digiti diametro non procul ab uteri orificio, urethram cum vaginâ conjungens.

6. *Enureſis catamenialis*, ſeu menſe quovis revertens. L.

Virgo ſanguinea, pinguis, 28 annos nata, enureſi ab ortu ad pubertatem uſque conflictata, omni ſemihorâ noctu & interdiu mingebat ; cùm menſtrua acceſſiſſent per triennium, ab enureſi fuit immunis ; ſuppreſſis ab hoc tempore catameniis ob pediluvium frigidum, ſingulis menſibus patitur per triduum horis nocturnis enureſim cum pervigilio ; ſed octo diebus ante & poſt illam catamenialem urinæ incontinentiam, cephalalgiâ, hypochondriorum tumore, pedum œdemate, vel etiam hæmoptyſi afficitur ; aſt ſi deficiat, ut quandoque accidit, urinæ fluxus ille frequens, tunc ſymptomata numerata creſcunt & perennant uſquequo enureſis acceſſerit.

Mater ejus ad vigeſimum ætatis annum hoc conflictata initio tunc matrimonio convaluit ; iſta virgo potatis aquis Barregianis, vomicam expectoravit ; ſoror ejus enureſi laborans phthiſi periit.

Cura. Præmiſſâ venæ ſectione è brachio, purgetur cum mannâ in infuſo ſennæ ; dein juſcula ex collo vervecis, cichorio, rubiæ drachmis duabus, pæoniæ drachmâ unâ per novem dies bibat : dein ſerum lactis in quo clavi ferrei extincti, millepedes decem, flores cheiri ad pugill. 1 ; ante hauſtum ſumat boracis grana ſex in cochleari aquæ naphæ.

Poſt viginti dies purgata ſumat lac aſininum, & alternis diebus ante ejus hauſtum ſumat bolum ex croci martis, terræ catechu, & coralli rubri ana granis octo in pauxillo ſyrupi; continuet uſque ad finem Junii menſis; his irritis, nubat.

Theoria. Videtur hic morbus pendere ab irritabilitate veſicæ, ob ſanguinis menſtrui retenti influxum uberiorem in ipſam; hinc frequens mingendi neceſſitas; ex eadem ſanguinis congeſtione in pulmone ſanguinis ſputum, in viſceribus abdominis meteoriſmus, in pedibus œdema; ſanguis autem ſpiſſitudine obſtat catameniis, acrimonia etiam irritat veſicam & pulmones. Hiſtoriam morbi retulit *D. Richard D. Med. Monſpel. à Villeneuve de Marſan.*

Mictiones involuntariæ agoniſantium, necnon eæ quæ in paraphroſyno febrili accidunt, ſunt ſymptomata fugacia, non morbi; non ſecus ac quæ epilepſiæ & eclampſiæ paroxyſmos quandoque comitantur.

7. *Enureſis calculoſa* Collect. Acad. Tom. 3 pag. 579: Cyrilli Conſult. 23 Cent. IV. L.

Puer Metenſis per totam vitam incontinentiâ urinæ laboraverat ſæpè cum dolore, continuâ cum ſiti; excrevit calculum; alterum in collo veſicæ gerebat; in cadavere repertæ duæ veſicæ loco renum, ureteres ampliſſimi conici, veſicæ cavitas fibris tranſverſis ejus collum diducentibus diſtincta.

Huc ferè pertinet enureſis quæ lithotomiam ſequi conſuevit; nam ſecto, vel maximè debilitato ſphinctere veſicæ collum arctante, non mirum ſi urina deinceps ſponte effluat, maximè verò cùm ut fieri ſolet, veſica calculo irritata, occalluit, & veluti capſula coriacea contractionis etiam in collo incapax evaſit: hæc autem ſpecies tolerari debet, minimè verò ſanatur.

8. *Enureſis à fiſtula* Junckeri Tab. 98. L.

Fiſtulæ quæ veſicam, ejuſve ſphincterem attingunt, oriuntur 1° vel à mariſcis ſuppuratis; 2° vel à gonorrhœis virulentis; 3° vel à calculis veſicæ; 4° vel ab ictibus & operationibus Chirurgicis in dyſtociâ, fiſtulâ ani, calculove adhibitis.

Hæc autem ſpecies eodem modò curatur quo hæ fiſtulæ.

9. *Enureſis à ſparganoſi*, Hazon Journ. de Med. Aout 1761. p. 145. L.

Ea eſt quæ à lacte ſuppreſſo puerperis accidit. Sanatur catharticis, ſucceſſive magis hydragogis, ex manna, ſale polychreſto, ſyrupo de rhamno, &c.

XXVII. Dysuria; *Stranguria* Pauli Æginetæ, non Galeni; *Ardor urinæ* Sennerti; *Subſtillum* vel *ſtillicidium urinæ*; *Dyſurie*, *Ardeur d'urine.*

Character. Difficilis vel dolorifica, & ſæpiùs ardoris ſenſu moleſta mictio: *Gorræi definition. Galen. in aphor. 48. libr. 7.* Mictio eſt non puris aut ſeminis, ſed urinæ ejectio, unde diſcrepat dyſuria ab ardenti mictu gonorrhœam ſtipante; ſi non pleno ductu, ſed guttatim fluat urina cum dolore, *Stranguria* dicitur à Græco *Strangos*, gutta.

1. *Dy-*

1. *Dyſuria hyſterica* Sydenham. de hyſtericâ paſſione pag. 132. B.

Dyſuria hyſterica ita calculum mentitur quandoque, ut Lithotomiſtæ iis ſymptomatis deluſi operationem neceſſariam judicent, ut obſervavi in Marchioniſſa St. Victor, quæ per menſem hoc morbo laboravit; ſymptomata ſubitò acceſſerant poſt vertiginem hyſtericam; eâ vertigine redeunte, ſubitò evanuerunt, & Lithotomiſtam ſtupentem dimiſerunt. A ſpaſmo hyſterico ſphincteris veſicæ pendet hic morbus. Obſervata hujus varietas in muliere hyſterica hoc habuit ſingulare, quod ægra hyſterica ſtatim à paſtu mingere coacta foret, ut in lienteria ſtatim à paſtu alvum deponere coguntur: urina autem illa erat cruda, aquoſa; ægra emaciabatur, cum pyrexia nocturna, nec ſolito frequentius mingebat, nec ſitiebat; obſervante *D. Coulas.*

2. *Dyſuria herpetica*: *Ab herpete veſicæ.*

Cognoſcitur 1° ex herpetibus cutaneis repreſſis, aut vaginam etiam infeſtantibus; 2° ex muco urinæ furfuraceo. Hæc ſpecies eſt pertinaciſſima, valdè dolorifica. Curatur aquis acidulis, balneis, lacte, præmiſſis præmittendis.

3. *Dyſuria nephralgica*; *Dyſuria deceptiva à renibus* Stahlii ars curandi morbos per expectationem; *Dyſuria ab ulcere renum* Sydenham. pag. 680. Vide Pyuria renalis.

Ea eſt quæ à nephralgiâ calculosâ, aut ab urinæ acrimoniâ renes ſtimulante dependet, in qua ob dolores renum, ureteres, & ipſemet ſphincter veſicæ dolent & irritabiles ſunt.

Curatur ut nephralgia phlebotomiis, balneis mucilaginoſis intus ſumptis, nec non narcoticis.

4. *Dyſuria venerea* Riverii obſ. 22. pag. 138; *Dyſuria ſyphilitica* Nicol. Heinſii; *A carunculâ* P. Borelli. obſ. 79. *Ab urethra per cicatrices gonorrhœæ anguſtatâ* Saviard. obſ. *A phlogoſi urethræ ſine ulcere* Nicol. André de morbis urethræ 1756. B.

Hæc ſpecies eſt omnium apud adultos & ſenes longè frequentiſſima; ſtipatur ſæpè mictu bifurcato; præceſſere ſemper gonorrhœæ virulentæ malè curatæ, accedunt ſcirrhi, ulcera, fungi, calculi muco involuti, fiſtulæ, calli in urethrâ.

Curatur litu mercuriali & candelulis cereis *D. Goulard*, *Daran* &c.

Gonorrhœa ſicca Aſtrucii & Dyſuria venerea ſicca ejuſdem, eſt vel phlegmone in proſtatis ac veſiculis ſeminariis, ubi tumor, calor, dolor, ſtranguria, ardor vividus inter mingendum, qui morbus ſi intra aliquot dies non reſolvatur abſceſſum perinæi excitat. Vel eſt eryſipelas in toto urethræ tractu cum gravi dyſuriâ, dolore urenti totius urethræ, ſine ullo puris aut ſeminis effluxu, & utraque varietas à concubitu impuro, ac à viru acri & volatili dependet. Ultima varietas atrocior eſt, & ſi non reſolvatur tumor, facilè in ſphacelum terminatur.

Quandoque verò à gonorrhœa virulentâ adſtringentibus ſuppreſsâ oritur. Prior verò non raròhanc gonorrhœam præcedit & fluente ſemine purulento

lento ſedatur; utraque varietas exigit initio repetitas phlebotomias, immerſionem penis in lacte tepido; fomenta emollientia ex decocto radicum althææ, ſeminum lini, injectiones in urethram ſimiles, noctu narcotica, potum emulſionatum, nitratum.

a *Dyſuria à carunculâ. Virgæ Caruncula* Riverii obſerv. 22. communic. *Carnoſité de l'uretre.* L.

Vulgò apud ſenes qui olim gonorrhœas paſſi ſunt ſupervenit dyſuria pertinax, & quæ quandoque plures annos perſeverat, in quâ fluentum urinæ inter mingendum eſt bifidum (*l'urine fourchuë*) cum aliquali iſchuriâ; atque incuſari ſolent excreſcentiæ carnoſæ in urethrâ quas deprimendi gratiâ ſtylos plumbeos à *Riverio* ad noſtra uſque tempora in urethram ſenſim inſinuari ſolemne eſt. Vide *D. Lapi diſſert. de ſtranguriâ.*

Aſt *Saviardus* & *Clar. Chirurgus Monſpelienſis J. Serres* diſſecto pene aliquot ægrorum, qui de eo morbo conqueſti erant, nil ſimile invenerunt, & tantummodo urethram phlogoſi alicubi tentatam; non dudum candelulæ cereæ in locum plumbearum ſuffectæ ſunt à *D. Daran*, *Goulard*, *André &c*, ſæculo elapſo à *Geronimo Lapi Italo* primum uſurpatæ, quarum uſu gonorrhœa mucoſa excitatur, via urinæ liberior paratur, lapilli ſiqui ſint educuntur, ulceraque deterguntur.

5. *Dyſuria primaria.* L.

Ea eſt quæ à victu acriore, ſalſo, abuſu liquorum fermentatorum; diureticorum, ab ætatis fervore, ab exercitiis immodicis, ſimilibuſque cauſis urinæ acredinem inducentibus oritur; urina in illa ſpecie ſalſa eſt ſolito magis, fervidiorque ſimul. Hanc excitant ſæpè vina alba, cereviſia, uſus cantharidum. Curatur phlebotomiis, clyſmatis emollientibus, ptiſanâ ex floribus malvæ, violæ, radicibus althææ, ſeminibus lini, gummi tragacantha, fomentis, ſemicupiis refrigerantibus.

6. *Dyſuria hæmorrhoidalis* Frider. Hoffmanni. L. P.

Ea eſt quæ à mariſcis tumidis, potiſſimumque luxatis fovetur. Luxantur mariſcæ ſeu tumores hæmorrhoidales quoties *diaphragma hypogaſtricum* deſcriptum ab *illuſtr. Lecat in libro de lithotomiâ*, quod ano & recto ſuſtinendis dicatur, ſuo officio non fungitur & hiat; tunc mariſcæ foras protuberant ex anò, & nervi ad urethram pertingentes dolorificè diſtrahuntur, atque urina cum ardore incredibili excernitur, ita ut calculum in veſicâ latere & hos atroces per multos annos dolores procreare videatur; æger quidem à fluxu hæmorrhoidali ſublevatur, ſed non ſanatur; quoties alvum deponere tentat, toties mariſcis exſcindentibus dyſuria recrudeſcit. In nobili ægroto ſic laborante fruſtra applicata ſunt ſuſpenſoria podicis; æger ferè ſemper manibus ſuis hanc molem hæmorrhoidalem ſuſtinere cogitur, ac poſt alvi depoſitionem reſtituere, inunctis priùs cerato Galeni mariſcis.

7. *Dyſuria arſura*; *Arſura* Joan. Andern; *Incendium virgæ*; *Burning* &

& *Brening* Anglorum. Vide Aſtrucium de morbis venereis lib. 1. cap. 7. n° 5.

Eſt dyſuria ardens quæ olim maximè apud Anglos circa ſæculum decimum quartum eos affligebat, qui cum leproſâ, aut cum muliere quæ leproſum virum priùs admiſerat, concumbebant, ſine ullo ſeminis aut puris effluxu inde ſubſequente.

Morbus erat à ſyphilitica diſuriâ diverſus, atque curabatur injecto vel lacte vel oleo amygdalarum in urethram.

8. *Dyſuria à cyſtocele* Saltzmanni diſſert. de Herniâ veſicæ urinariæ. L.

Cognoſcitur hæc ſpecies ex tumore molli in vicinia veſicæ, ut in ſcroto, perinæo, &c. qui preſſus cogit urinam eamque per urethram exprimit; vide *Mem. de l'Acad. R. des Sc. Ann. 1713. pag. 146. à D. Mery.*

9. *Dyſuria ab hyſteritide*, vide Hyſteritidem. A.

Si phlogoſis tantùm ſit in collo uteri, aut, ut aiebant Veteres, ejus adſit intemperies calida & ſicca, nulla quidem adeſt notabilis pyrexia, adeoque nulla vera hyſteritis, interea explorato ore uteri, digito immiſſo, calor, ſenſibilitas, ſiccitas, percipientur.

10. *Dyſuria ab hyſteroloxia*, Ruyſch Obſ. Chir. 88, Morgagni Epiſt. XLVIII. 39. L.

Hæc ſpecies ſtipatur continuo mingendi & alvum deponendi deſiderio, ſed conſtans non eſt.

11. *Dyſuria rachialgica. Stranguria colicum popularem concomitans* Citeſii de ſignis diagnoſticis colici popularis pag. 6.

In populari colico, ait ille, urina biliosa, & acris, eaque ſæpiùs cum ſtranguriâ emittitur, ut pleriſque imponat exiſtimantibus ſe non colico dolore, ſed calculo cruciari. His adde Rachialgiæ cætera ſigna, pallorem, extremorum frigus, virium languorem, animum inquietum, corpus anxium, vigilias aſſiduas, leipothymias, anorexiam, nauſeam, ructum, vomitionem bilioſam, [quâ deficiente ſingultus, ſitis accedit, ſæpiuſque febris lenta, & quod totius caput eſt, acutiſſimus ventriculi inteſtinorum lumborum, ilium, & inguinum dolor excruciat. *Citeſius cap. 6.*

In colicâ vulgari accedit non raró dyſuria cum penis rigiditate & condenſatione, nullâ verò erectione, quod ceſſante doloris vehementiâ evaneſcit; aſt in rachialgiâ dyſuria ita vehemens & pertinax obſervatur, ut calculoſa videatur.

Cura verò hujus ſpeciei eadem eſt ac rachialgiæ, adeoque à cura cæterarum diverſiſſima, cùm juxta ipſum *Citeſium* cathartica draſtica, & emetica oleoſis interpolata conveniant; ſed de rariori apud nos morbo nil pronunciare auſim.

12. *Dyſuria calculoſa. Calculus veſicæ.* Sennerti, Cyrill. Conſult. Tom. I p. 46. 112. 128. 146. L.

Cognoſcitur 1° Dyſuriâ frequenti periodicâ, vel continuâ, ſeu frequenti & dolorificâ mingendi cupiditate: 2° Dolore acutiſſimo extremi glandis, in viris à mictione recrudeſcente: 3° Frequenti penis eâque injucundâ tentigine, ſeu duritie, in quâ nec erigitur penis, nec craſſior evadit: 4° Pondere aſſiduo in perinæo: 5° Subitaneâ quæ quandoque accidit inter mingendum

dum urinæ ſuppreſſione : 6° Facilitate mingendi, ſi crura decuſſentur ; aut corpus reſupinetur : 7° Tactu, digito in anum immiſſo, ſi de pueris agatur, aut interventu cacheteris in veſicam immiſſi, quod ultimum ſignum, aliàs certiſſimum, deficit cùm calculus inter laminæ internæ cellulas aut veſicæ biventris & coarctatæ ſinus delitefcit. 8° Exaſperatio dolorum ab exercitio, potiſſimum vecturâ in curru ſuper ſtratum lapidoſum.

Alii ſunt calculi murarii duriſſimi, ruſſi, qui omne diſſolvens eludunt, alii gypſei, alii gypſomurarii, ſeu ex lapillulis invicem gypſo coagmentatis efformati, qui tandem diſſolventibus vel in toto vel fruſtillatim diviſi cedunt.

Duplex eſt methodus curativa, una *chirurgica*, quæ in extractione calculi conſiſtit, eaque inſtituitur hodie per apparatum lateralem; altera *lithontriptica*, quæ in uſu lithontripticorum medicaminum conſiſtit.

Optima methodus lithontriptica ea eſt quam *D. Rob. Witt* expertus eſt, ſcilicet 1° oſtreorum vel aliorum teſtaceorum conchæ vehementi igne per biduum urgentur uſquequo totæ albeſcant & nil coloris ſubcærulei retineant; octupla aquæ fontanæ copia ſuperaffunditur, & fit vehemens ebullitio ; aqua illa per duodecim horas cum oſtreis calcinatis infuſa colatur & ſervatur ad uſum, & eſt *aqua calcis oſtreorum*. 2° Hujus aquæ cyathum unum aut alterum quovis die horis Medicis ebibat æger, ita ut ſenſim hujus doſim augeat ad pintam ſingulis diebus potandam, & ultra : 3° Simulque ſaponis albi in pilulas redacti, vel in aqua diſſoluti drachmas duas, dein tres, demum quinque, vel ſex, ſingulis diebus deglutiat, maximè ſi alvus ab aqua calcis conſtipetur ; & perſtet in illorum uſu quàm diutiſſimè, ut per ſex menſes, imò per annos. Hujus aquæ & ſaponis ope calculus obducitur muco quodam albido leni, quo fit ut veſica ab ejus irritatione immunis evadat ; dolor ſedatur, mictus cruentus compeſcitur, & ſucceſſu temporis calculus deteritur & diſſolvitur, vel in fruſtula diviſus foras excernitur.

Altera eſt methodus Monſpelii aliquoties uſitata, ſed minus tuta : ſcilicet 1° colliguntur folia *arbuſti uva urſi* dicti, quæ arbuſcula in monte *Eſperou*, necnon in Pyrenæis adoleſcit, & *Buxerola* vocatur : 2° Illorum foliorum vel pulvis ad grana quindecim, vel infuſum drachmæ unius pro duobus, vel tribus aquæ cyathis quotidie deglutitur per menſem, atque cùm ab ejus uſu veſicæ mucus abraditur, & dyſuria poteſt recrudeſcere, juſculum ex herbis emollientibus, refrigerantibus, pullo, ranis paratum uſurpatur, maximè ſi pulvis buxerolæ adhibeatur, aut infuſum debilius ſumitur : hujus medicaminis ope calculi teneriores diſſolvuntur, aut in fruſtula minora dividuntur.

Quoad lithotomiam, ea raro felicem ſortitur eventum, maximè ſi æger jam provectæ ætatis ſit, quia apud eos veſica eſt calloſa, valdè circa calculum coarctata, quandoque ulceroſa : ea non impedit quominus novi calculi generentur, & vidi puerum qui hanc operationem ter paſſus intra aliquot annos, iterùm calculo laborat ; præterea peritiſſimum Chirurgum requirit operatio, ex quâ, ſi malè ſucceſſerit, intra breve tempus inflammatâ veſicâ

æger

æger è medio tollitur ; ſecus non raro inſanabilis perinæi fiſtula ſupervenit ; undique periculum, undique anguſtiæ.

13. *Dyſuria gravidarum* Nordmanni Diſſert. de iſchuriâ gravidarum, Argentinæ anno 1758. Mery Hiſt. de l'Académie des Sciences anno 1713. B.

Illa accidit vel toto graviditatis decurſu, ut vidit *Mery*, vel ultimo tantum menſe ; 1° ob uteri molem expanſam quâ veſica premitur, & diſtracta dolet, in quo caſu ſitus ſupinus, decubitus in lecto ſolatium præbent ; vel 2° ab hyſteroptoſi, incompleto ſcilicet uteri prolapſu, in quo caſu potiſſimùm eſt iſchuria, & juvat decubitus ſupinus, ſuſtentatio molis abdominis ope mappæ, repoſitio uteri & uſus peſſarii ; 3° vel à cyſtocele, ſeu herniâ veſicæ urinariæ, de cujus curatione *vide Auctores.*

In his omnibus caſibus plus valet ars obſtetricia quàm pharmacia. Quoad iſchuriam quæ ſub finem graviditatis accidit, vide *Iſchuriam* Claſſ. X.

De dyſuriâ à cyſtocele fusè egit *Saltzmannus in diſſertatione de Herniâ veſicæ urinariæ.* Dyſuria ab hyſteroptoſi etiam non gravidis accidit. Vide *Hyſteroptoſim in Claſſ.* Iâ.

14. *Dyſuria Neonympharum* Delii Amœnitat. Acad. pag. 188. B.

Eſt ea quæ recens nuptas forti viro junctas adoritur cum vulvæ, nympharumque phlogoſi ; à contuſione, à coitu repetito & effræni ortum ducit, & intra aliquot dies ceſſat, modò à coitu abſtineant, & fomentis emollientibus utantur nymphæ ; ſic olim vocabantur recens nuptæ.

Poſt coitum etiam viros afficit dyſuria, ſed fugax, de quâ *Ephemer. Nat. Curioſ. Decad.* 2.

15. *Dyſuria ab inſectis*, Ephemerid. Nat. Curioſ. paſſim ; *A teredinibus*, Delii Amœnit. Acad. pag. 54. tom. 1 ; *A lumbrico*, Philoſophical. Tranſact. pag. 202. D.

Teredines *Ill. Delii* erant veri aſcarides vermiculis caſei ſimiles, cum urinâ copioſâ excreti, qui priùs fovere videbantur ſtillicidium urinæ dolorificum. Vidi ipſe ſimilem aſcaridem cum urinis emiſſum à viro, qui dyſuriam, & dein iſchuriam patiebatur, antequam hic vermiculus ejiceretur.

Suaſit *ill. Delius* diverſa anthelmintica, & erinaceum uſtum cum eſſentiâ caſcarillæ, ſed omnia incaſſum.

16. *Dyſuria atretarum.* L.

Vidi & curavi duas puellas, quæ ab aliquot annis quovis menſe poſt pubertatem atroces in pudendis dolores cum mictione ardenti patiebantur ; altera verò cum urina pauxillum ſanguinis mingebat ; utraque erat imperforata, & catameniorum expers, licet altera vigeſimum nonum annum attigiſſet ; illa autem cum dyſuria tumorem quemdam è vagina tunc temporis prominentem gerebat ; ope ſcalpelli hymenis ſectio verticalis facta eſt ; & prærupit magna quantitas cruoris viſcoſi, nigri, picei, inodori, quo facto convaluere ambæ, & harum junior viro juncta dein feliciter peperit.

17. *Dyſuria diabetica.*

Ea eſt ſpecies in quâ poſt quemlibet paſtum, illicò non auctâ urinæ copiâ, nec frequentiâ, ſed neceſſitate incoercibili, & cum levi irritatione ve-

ſicæ, mingitur urina aquoſa, cruda, quod per plures menſes in hyſteriâ ſine ſiti, aſt cum macie, & cum febriculâ nocturnâ perſeveraſſe vidit *clariſſ. Doctor Coulas.* Hic affectus eſt ad veſicam quod lienteria ad alvum; videtur potum illicò transfluere, ut per diabetem hydraulicum aquæ citiſſimè transfluunt.

Indicantur in hac ſpecie lacticinia emollientia, antihyſterica.

XXVIII. Pyuria; *Cacurematis ſpecies* D. Cuſſon. *Piſſement de pus.*

Eſt purulentæ, albæ, flavæ, vel viſcido-mucoſæ, lutulentæ materiæ cum urinis ejectio.

Differt à gonorrhœâ quod materies hæc puriformis mingatur, non verò ſimpliciter ex urethrâ exſtillet, ut exſtillat guttatim in gonorrhœâ.

In pyuriâ materies puriformis, vel mucoſa pellucida non ex urethrâ oritur, ſecùs continuò ſtillaret; ſed vel ex veſicâ, vel ex ureteribus, aut renibus effluit.

1. *Pyuria renalis; Ulcus renum* Sennert. cap. 11 lib. 3. pag. 7; *Ulcus ureterum* Sennert. cap. 12. *Piſſement de pus.* Journ. de Med. Avril 1761 pag. 353. C.

Cognoſcitur 1° urinæ colore griſeo, flaveſcente, conſiſtentiâ craſſâ, odore fœtido ad putridum cadaveroſum vergente. 2° Præceſſere ſigna nephritidis ſuppuratæ, dolor ſcilicet renis alterutrius cum pyrexiâ acutâ, quæ deinceps in amphimerinam hecticam abiit; vel præceſſit nephralgia calculoſa; interdum verò dolor renis, dum ſuppuratur, exiguus eſt.

Differt à pyuriâ veſicali ex eo quòd dyſuria nulla ſit in renali; quòd etiam in renali ſubſtantia ipſius renis carnea, atro-rubra, veluti diſſoluta cum urinâ quandoque effluat, & cum filamentis viſcoſis; (*aphor. Hippocr. 76. lib. 4.*) illa verò pyuria pejor eſt, ſi ulcus renum pendeat à calculis reni impactis, aut ab acrimoniâ ſanguinis, quàm ſi à cauſis mechanicis, ut vulnere, contuſione orta fuerit nephritis ſine ſanguinis dyſcraſiâ.

2. *Pyuria veſicalis* Boneti Sepulchret. obſ. 20ª tom. 2. pag. 695; *Ulcère de la veſſie.* C.

Vel eſt exulceratio in collo veſicæ, vel in corpore ipſo. Si in collo veſicæ præceſſit gravis dyſuria, ſtranguria, dolor atrox circa perinæum, ibi etiam tumor, calor; pus inde prodiens copioſum cum muco viſcido, tenaci. Si in reliquâ veſicâ, dolor ad hypogaſtrium, præceſſit cyſtitis, cum urinâ fluunt materies craſſæ, furfuraceæ, foliaceæ, unde *Hippocrates* ſcabiem veſicæ adeſſe contendebat; cruentæ & purulentæ ac fœtidæ ſunt urinæ, ex quo fœtore intolerabili potiſſimùm dignoſcitur pyuria vera à gonorrhœis, necnon ex eo quod in gonorrhœis pus non mingitur, ſed exſtillat; aſt in pyuriâ urina turbida, griſea, fœtida mingitur.

Pus à muco dignoſcitur, quod pus ſit friabile, mucus verò in longa filamenta ducatur; pus griſeum eſt & fœtidum, mucus pellucidus.

Poſt gonorrhœam virulentam in fundo matulæ datur paucus mucus viſcidus, qui pyuriam non conſtituit veram, ſeu purulentam, & ſponte evaneſcit.

In

In curandâ pyuriâ aquæ Euzetenſes, Aleſienſes longo uſu, ſerum lactis, diæta lactea mortem procraſtinant.

Si adſit ſarcoma fungoſum in veſica adnatum, dolores ſunt diriores; injectiones in veſicam fieri non poſſunt ſine catheteris interventu, quod ob dyſuriam difficulter inſtitui poteſt.

3. *Pyuria à corde* Boneti Sepulchret. obſ. 12, & 13.

Conſtat his obſervationibus poſt longam puris mictionem cum nephralgiâ, quæ Medicis ulceroſa cenſebatur, nullum vitium in cadavere inventum fuiſſe præter abſceſſus & ulcera cordis, cum multis in eo calculis, *Hollerius Commentar. ad aphor. 75. 54.*

4. *Pyria à thorace* Boneti Sepulchret. lib. 3. ſ. 28. obſ. 24, 21; ex Diemerbroeckio Anat. lib. 1. cap. 17; & Dulaurentio Anat. lib. 9. q. 12. B. vide duodecim obſervationes apud Schenckium p. 266. L. I.

Eſt purulenta mictio quæ cum aliquali nephralgia empyicis accidit, & plures quandoque libras attingit intra paucos dies, eoſque à morbo priore liberat. Vidi adoleſcentem empyicum in urbe *Clermont de Lodeve*, cum *D. Med.* D. Bertomieu, qui me conſuluit, ille poſt aliquot dies pus copioſum minxit, ſicque convaluit.

5. *Pyuria viſcida.* Vid. Conſultation D. Deidier, tom. 1 pag. 84. *Ecoulement par le canal de l'urêtre, cru vénérien par le malade: Glaire des reins.* L.

Aggreditur ætate provectos qui olim gonorrhœam paſſi ſunt; inter pollutiones nocturnas titillatio, imò dolor identidem acutior perſentitur ad veſicæ collum; urinæ acres ſunt, cùm eſt diſpoſitio nephritica, aut arthritica in ſanguine, quod ex nephralgiâ, ex pruritu cutis, libidinoſâ conſtitutione judicatur, maximè verò ex dyſuriâ frequenti; inſimul urinæ quandoque turbidæ, rubræ, ſubcruentæ; ſed conſtanter deponunt in matulâ viſcidum quid griſeo-pellucidum, urinæ fundum petens, quod matulæ agglutinatur, quodque effuſum longiſſima fila præ lentore efformat. Dùm urina craſſa mingenda eſt, dolet collum veſicæ, balanuſque, necnon hæret aliquandiu, & alvus ad dejectionem ſtimulatur; mingendi cupiditas, durante alimentorum digeſtione, frequentior eſt.

Hunc morbum ſyphilitico viru foveri putarunt optimi Medici, & ritè inſtitutâ hydrargyroſi ſine ptyaliſmo æger non melius habuit, licet ſubſecuta forent lacticinia, balnea, aquæ ſulphureæ Euzetenſes; morbum exaſperaverant candelæ unguento ſuppuratorio tinctæ in urethram ſæpiùs immiſſæ. *D. Deidier* dubitavit an ulcus circa proſtatas, aut in collo veſicæ morbum foveret; ſed pus prunis injectum valdè fœtet, non viſcoſa materies; ſi viſcoſum quid è renibus, ureteribus, aut ipſâ veſicâ excernatur, ut veroſimile viſum eſt, ſuadet ptiſanam ex foliis parietariæ, ſeminibus lini, glycyrrhiza; dein pareirabravæ pulveris ſemidrachmam, vel tantumdem corticis radicis calcitrapæ per triduum, ptiſanâ ſuperhauſtâ. Id autem remedium aliquoties in menſe tentandum, & utiliori inſiſtendum putat. Si pus mingi videatur, balſamus copaivæ ad guttas xx vel plures ex cochleari ſyrupi cujuſdam hauriendus, ſuperbibendo lac aſininum per quatriduum, dein lac purum per

 menſem

menſem continuandum addito identidem balſamo. Accedente Julio aut Auguſto acidulæ potandæ ſunt per novem dies, dein balnea domeſtica per octiduum ſemel & bis ſumenda, & aqua pulli exeundo è balneo eſt propinanda. Demùm ope candelæ plumbeæ vel cereæ explorandus urethræ & veſicæ ſtatus, ut principium morbi meliùs cognoſcatur.

6. *Pyuria mucoſa* Pathol. method. *Rarus veſicæ morbus* Frider. Hoffmanni; *Catarrhus veſicæ* D. Lieutaud Maladie du bas ventre. *Glus* Ill. Linnæi Gen. Morb. 199. *Glaire de la veſſie.*

In adoleſcente arthritico incepit à dolore veſicæ, fortè cyſtitide vel ſimplici dyſuriâ; urinæ exinde craſſæ, ſedimentum albidum & viſcoſum, quod ſenſim copioſius, dolore etiam præterito quartam urinæ partem componebat; febris poſt duodecimam diem recedens multam mutationem in pyuriâ induxit, quæ ultra ad quadrageſimum diem proceſſit, cum aſtheniâ & maraſmode macilentiâ. Phlebotomiæ, diluentia, temperantia, ſedantia, laxantia durante febre uſurpabantur, natura ſola pyuriam deinceps ſanavit: largo cæparum uſu hunc morbum ſublatum vidit *Ill. Linnæus.*

Differt à pyuria veſicali, vel quæ ab ulcere veſicæ dependet, quod in mucoſa mucus à veſicæ cryptis abundanter exſtillans, qualis in catarrho ex naribus exſtillet; non verò pus; unde ſequeretur pyuria veſicalis fœtido fluxu inſignata nec ſponte ſanabilis.

Mucus ille quandoque ita copioſus eſt, ut dimidiam matulam impleat referente *Hoffmanno*, & juxta ipſum provenit à veſicâ ureteribus quaſi coryza affectis, juxta *Sennertum* à cacochyliâ viſcidâ primarum viarum in ſanguinem tranſmiſſâ ſuppeditatur; ita quandoque affinis eſt pyuriæ legitimæ, ut non niſi a magna excretionis copia diſtinguatur juxta ipſos. *Vide Boneti Sepulchret. de urinis decoloribus*, *obſ.* 22. 18.

7. *Pyuria lactea* Diemerbroeckii Anat. lib. 1. cap. 17. B.

Eſt lactis vel chyloſæ materiæ effluxus per vias urinarias. *Nicol. Florentinus* vidit juvenem, qui quotidie ſine ullo incommodo mingebat lactis quantitatem medii urinalis, præter urinam multam. *Capellus* Medicus vidit mulierem quæ dimidium cyathum lactis è veſicâ excrevit. *Laurentius* nonnullas vidit puerperas plurimam lactis copiam per uterum & veſicam excreviſſe.

8. *Pyuria chyloſa. Urines blanchâtres & troubles.* Vieuſſens Exper. anatomiq. 26. obſervat.

Pueri ſexennes circiter non rarò urinas turbidas & albeſcentes fundunt, ſine dolore renum aut veſicæ, & ſucceſſu temporis ſine ullo medicamine jam convaleſcunt, aut ad ſummum clyſmatis & juſculis refrigerantibus ſumptis, ab hoc affectu liberantur. Judicat *Ill. Vieuſſens* hunc colorem pendere à chylo qui per ductus ſecretorios ipſius veſicæ paululum patulos in veſicam influit à ſanguine ſecretus.

9. *Pyuria arthritica. Urines blanches & troubles.* Vieuſſens obſerv. anatom. 27. & 28. *Urina cretacea* Diſſert. Frid. Hundertmarck Comment. de rebus

rebus in Medic. geſtis vol. X p. 359. vol. II. p. 195. Hiſtoire de l'Acad. R. des Sc. 1752.

In prima *Vieuſſenii* obſervatione urinæ in adulto jamdudum erant albeſcentes & turbidæ ſtatim à mictione, ſed diu ſervatæ parte ſuperiori limpidæ, inferiori verò ſedimento ſubluteo pellucido gaudebant; aderat autem levis dyſuria.

In altero caſu ab ætate puerili uſque ad 45 annum æger urinas albeſcentes, turbidas & mucoſas fundebat; adhibita hydrargyroſi ſimiles mingere perrexit. Uterque autem ſuppreſſa ſponte pyuriâ arthriticus evaſit, quod indicat materiem calcaream, arthritidi producendæ aptam priùs emitti ſolitam, in ſanguine retentam fuiſſe, unde arthritis acceſſit.

10. *Pyuria à meſenterio* Boneti Sepulchret. Tom. 2 pag. 696 n° 7.

Virgo dolores colicis ſimiles habuit, & maraſmo conſumpta interiit; in meſenterio ingens copia puris quod natura per renes vacuare tentaverat urinis valdè purulentis profluentibus, renes tamen erant integri.

11. *Pyuria nigra.*

A transfuſione ſanguinis vitulini in venas viri maniaci: *Tranſ. Philoſ. n.* 32. *D. Denys.*

12. *Pyuria vireſcens*, Tranſ. Philoſ. n. 27 art. 6. Stubbes.

Ab eſu teſtudinis marinæ urina illico luteo-viridis & quaſi oleoſa evadit.

XXIX. LEUCORRHŒA, Caſtelli Lex. Bonet. Anat. Pr. Lib. 3; *Rheumatiſmus uteri*, Amati Cent. IV Obſ. 12; *Ulcus uteri* Sennerti; *Fluor albus* Auctorum; *Fluor muliebris*; *Fleurs blanches*; *Ulcére à la matrice.*

Eſt humoris ſeroſi, vel flaveſcentis effluxus ex utero aut vagina hujus morbi præcipuum ſymptoma.

Muco albeſcente continuò in ſtatu ſanitatis madere muliebria, docet obſervatio: Muci illius inſpiſſati ramenta in angulis nympharum obſervat *Puzos.* Verùm ſi copioſior ſit ille mucus, ita ut exſtillet etiam extra coitum, tunc leucorrhœa datur, ſive mucus ille pellucidus ſit, ſive quovis colore præter ſanguineum infectus, ſive purulentus, ſive ſpermaticus, ſive ichoroſus fuerit, nec enim dantur limites, qui genus gonorrhϾ in mulieribus à leucorrhœâ diſcernant.

1. *Leucorrhœa ulceroſa*; *Fluxus fulvus* Hippocrat. de morbis mulier. lib. 2; *Ulcus ſimplex uteri* Puzos cap. 4. de morbis uteri. Cyrilli Conſult. 13 Cent. II. *Ulcere à la matrice.*

Eſt effluxus ſeroſo mucoſus parciſſimus, nullo ferè dolore ſtipatus, qui poſt ſigna vulneris aut levis cujuſdam phlegmones in utero ſuccedit.

Ulcuſcula qualia in ore aphthæ dicuntur, vel exigua in uteri fundo aut cervice vulnera, ſuppurantia ſupponit hæc leucorrhœa, quæ cum ſimplici vulgò confunditur, & non raró ſponte ſanatur, niſi ſanguis vitio quodam gravi ſimul peccaverit.

Ejus principia ſunt acrimonia ſanguinis, puſtulæ in utero, vulnuſcula in partu difficili accepta, à manu obſtetricis, à violentâ fœtus expulſione, utero jam ſicco & dudum elapſo amnii liquore.

Curatur ut leucorrhœa ſimplex.

2. *Leucorrhœa fungoſa*; *Ulcere fongueux à la matrice.* Puzos chap. 4. artic. 2. C.

Cognoſcitur ulcus fungoſum uteri, 1° effluxu ferè continuo vel lymphæ pellucidæ gummoſæ, aliàs ſanguinolentæ: 2° cum fruſtulis carnis adipem concretum referentibus, ſed ſine pravo odore: 3° Cervix uteri digito explorata dura & inæqualis in ambitu percipitur, incraſſata ſimul & obducta operculo fungoſo, facilè lacerabili, quod in alvi dejectione vel mingendi conatu etiam in viſum incurrit. 4° Fungus ille pedunculo ſuo intùs utero adhærens trans ejus orificium progreſſus capitellum in vagina fungi vegetabilis æmulum refert, ita ut digitus immiſſus inter pedunculum & orificium uteri liberè excurrere poſſit. 5° Si operculum fungoſum uteri cervicem obducens reſecetur, novum aliud brevi tempore ſuccreſcit. 6° Quoniam verò ſimul ſcirrhoſus eſt uterus, ſi digito ejus orificium, manu verò hypogaſtrium premas, figura & durities uteri ſupra pubem percipietur.

Duæ ſunt varietates hujus ſpeciei; prima eſt incruſtatio & adhæſio fungi cum uteri cervice; altera verò eſt vegetatio fungi, cujus pedunculus in utero latet, capitellum verò liberum in vagina excreſcit, nec utero adhæret. Hæc ultima varietas repetitâ pedunculi ligaturâ excidit, reſiduum dein putrefactum ab utero rejicitur, ut conſtat binis *Clariſſ. Puzos* obſervationibus.

Prima verò varietas ſi incipiens ſit, etiam curatur; ſi vetus cum dolore uteri & fœtore muci excreti curari quidem poteſt, ſed non ſanari: adſunt lumbago, gravitas uteri inter progrediendum, meiendi difficultas cum dyſuriâ, menorrhagiæ graves identidem recurrentes.

Acrimonia ſanguinis huic ulceri fungoſo originem præbet; ope diætæ lacteæ præmiſſis præmittendis, & potiſſimum lenibus catharticis quovis menſe iteratis, cum victu ſelecto & aquarum martialium acidularum, ut Aleſienſium uſu, quandoque ſanatur, modò nulla ſit ſyphilidis aut carcinomatis combinatio.

3°. *Leucorrhœa ſyphilitica*, *fleurs blanches ou ulcère vérolique à l'uterus.* C.

Cognoſcitur 1° ex ſubitaneâ invaſione mali poſt coitum impurum, cum dyſuriâ, fluore flaveſcente, calore loci, ulcuſculis vulvæ, porris vel condylomatibus, puſtulis pruriginoſis vaginæ. 2° Si ſpontanea laſſitudo, anginæ, cephalalgiæ, pervigilium, eruptiones cutaneæ, ſeu vari ſubrotundi duri identidem redeuntes, dolores potiſſimum nocturni ſimilia ſyphilidis ſigna concurrant. 3° Si materies effluens ſit albo-flaveſcens non fœtida, cum doloribus acutis & pruriginoſis, circa menſtruationis tempus.

Curatur ut ſyphilis; ſcilicet poſt præmiſſam phlebotomiam & catharſim

ſim diæta lactea uſurpatur, & præmiſſis quadraginta aut quinquaginta balneis, hydrargyroſis parcâ manu adhibetur, ita ut unguenti Neapolitani tres circiter drachmæ inungantur qualibet vice uſque ad quatuordecim vel plures litus, non depoſitis per quadraginta vel plures dies linteis unguento imbutis : poſſunt etiam decocta lignorum ut guayaci, ſalſæ parillæ, ſaſſafras, nec non panacea, vel aquila alba uſurpari ſi hydrargyroſis nequeat.

4. *Leucorrhœa cancroſa ; Fluxus niger & fulvus* Galen. definit. *Cancer à l'uterus. Ulcere carcinomateux de la matrice* Puzos pag. 274 Art. 4. Tralles de Opio Cap. 1. p. 54. C.

Illam ſpeciem præcedunt menorrhagiæ, cum dolore mediocri, apud fœminas præſertim quæ pluries peperere; demum accedunt dolores atroces, lancinantes, continui; materies non purulenta ſed ichoroſa, rufeſcens, ſanioſa & fœtidiſſima diffluit, interpoſitis menorrhagiis anomalis; preſſo abdomine dolor exacerbatur.

Hic morbus inſanabilis eſt niſi prima ejus initia ſagaci Medico innoteſcant; regimen edulcorans, anodyna, injectiones ex decocto hordei & melle, ex ſucco ſolani & plantaginis, diæta lactea morbum palliant.

5. *Leucorrhœa Americana.* Guill. Piſonis cap. 6.

Ex iiſdem principiis oritur ac aſthenia Americana. Mulieres fiunt pallidæ, triſtes, obſtructæ, viris ingratæ, & uteri profluvia alba patiuntur, ita demum debilitantur ut de corroborantibus, non minùs quàm de evacuantibus in illis curandis cogitandum ſit.

Cura. Balneis artificialibus ex fragrantibus herbis adſtringentibus & calefacientibus, nec non aperientibus, ſcilicet juſculis, apozematis, maximè verò pulvere Guayaci & ſcoriæ ferri per menſem uſurpato curandæ ſunt; adde ſyrupum tabaci & mel aromatibus mixtum ; non neglectis lenibus catharticis ; ſyrupus autem tabaci fit ex ſucco tabaci recenti, ſed aliquandiu digeſto, qui proinde vim emeticam amiſit & catharticam, addito etiam oxymelle.

6. *Leucorrhœa Indica* Couzier Journ. de Med. Decembr. 1757. C.

In Inſula *Bourbon* vel *Maſcarenhas* Africæ mulieres leucorrhœâ frequentiſſimè laborant ex eo quod uſus eſt in partu genitalia aliquatenus lacerari ; adde quod in fervidâ hac regione mulieres balneo omni tempeſtate, etiam dum menſtrua fluunt, uti ſolent, moxque à balneo domos aquâ continuò aſperſas ſubeunt, ubi frigus perſentiunt. Virgines & nuptæ ſteriles ab hoc morbo ſunt immunes.

7. *Leucorrhœa ſcirrhodes.* Vide Aſtrucium lib. 2. de ſcirrho uteri ; *Fluſſo bianco* Nicol. Cyrilli Conſult. Medic. 37. cent. 2 : *Sanguiluvio* Hiſpanis : C.

Eſt ea ſpecies quæ ab uteri ſcleromate, ſeu ſcirrhoſâ duritie fovetur, quæque quotis menſibus occupat catameniorum intervalla in menſtruatis, quandoque ciet catamenia vaga in annoſis, & uberrima in junioribus, ac tunc temporis accedunt tormina uteri cum catameniis.

Signa

Signa ſunt pallor faciei, debilitas corporis, œdematia pedum, anorexia, pervigilium, tinnitus aurium, mœror, ſanguis catamenialis ſeroſus, loturæ carnium ſimilis, dein merè ſeroſus, per intervalla iterum ſubcruentus, dolores torminoſi alteri, creſcunt ſecundâ die catameniorum, tertiâ, vel quartâ evaneſcunt, non ſunt vividi, ſed ejus indolis quâ mulier continuo truncum, femora, loco mutare cogatur quaſi irrequieta ac identidem ſibi videatur pollice vellicari omnes partes uteri vicinas. Vide *hyſteralgiam catamenialem.*

Cyrillus in principe muliere quinquagenariâ, leucorrhœam identidem ſubcruentam patiente, cum pallore, debilitate, anorexiâ, adhibuit hyeme limaturam ferri vel tincturam ejus cum vino, parvam identidem doſim rhei toſti cum pauxillo macis & nucis moſchatæ, bis in menſe, atque his per duos menſes continuatis ſuaſit ut ante prandium trihorio decoctum calidum roris marini, vel lamii Archangelicæ dicti ad tres uncias identidem ſumeretur, tanquam medicamentum in leucorrhœa expertiſſimum; ut ægra violentos motus atque otium fugeret, cibis ſalitis, crudis abſtineret, animi pathemata moderaretur. An ſanguiluvium cui omnes fere mulieres Valentinæ apud Hiſpanos poſt partum ſunt obnoxiæ, & in quo loturæ carnium ſimilis eſt fluxus uterinus, iſque pertinaciſſimus ad hanc ſpeciem attineat, inquirendum: curatur thermis Baregienſibus.

8. *Leucorrhœa gravidarum*; *Aqua profluens ex utero prægnantis* Rod. à Caſtro, lib. 3 cap. 19. *Aquæ ex utero effuſio*, Sennert. lib. 4. part. 2. ſect. 5 cap. 6; *Ecoulement des eaux.* L.

Lympha nutritia concreſcibilis ad ignem quæ in amnii cavitate, ut albumen in ovo recondita eſt, quæque creſcit creſcente fœtu, ejuſque pabulo inſervit, debet tantùm in partu ipſo effluere, ut viam fœtui lubricam & facilem reddat, quod per ruptionem involucri fœtus ſubitò accidere ſolet. Si verò hæc lympha vel ſubitò vel ſtillatim longè ante partum effluxerit, inde difficilior futurus eſt partus, & infelicior.

Subitò & præmaturè effluunt aquæ ex involucris fœtûs, ſi hæc involucra lapſu, ſaltu, vulnere rumpantur, atque tunc illico cum impetu ad libram unam aut alteram ſimul & ſemel ferè fit effluxus, quod aborſum etiam ſecum trahere poteſt; cùm eadem cauſa quæ involucrum rumpit, ſæpè fœtui noceat, vel utero; tunc regimine gymnaſtico & diætetico eodem modo ſunt curandæ mulieres, ac ſi partus inſtaret, atque ne areſcat nimis via fœtui calcanda, butyro inſulſo quotidiè ea lubricanda eſt, uſque ad partum, vireſque ægræ conſervandæ.

9. *Leucorrhœa* Nabothi.

Si verò humiditas tantùm ex utero effluat longè ante terminum legitimum, qualis per aliquot dies ſolet effluere ante partum, mucoſa ſcilicet, vel roſea, vel viſcoſa pellucida, quæ ſuppeditari ſolet à glandulis Nabothi in uteri orificio latentibus, tunc laxitatem harum glandularum & cacochymiam ſeroſam prægnantis hoc deſignat, quod cum fœtus robore vix conſiſtere poteſt: adeoque examinandus eſt prægnantis ſtatus; ſi enim ju-

vencul-

vencula & plethorica ſit, tunc plethoram imminuere oportet victu parciori, phlebotomiâ; ſi verò habitus cachecticus ſerum luxuriare ſignificet, utendum eſt roborantibus, ut morſulis ex margaritis, coralliis rubris, terrâ catechu, caryophyllis, maci, nuce moſchatâ, conſervâ roſarum rubrarum, ſyrupo myrtino, imo ad magis adſtringendum bolus armena, terra ſigillata adhibenda eſt.

XXX. GONORRHŒA, *Gonorrhée.*

Eſt morbus cujus præcipuum ſymptoma eſt fluidi puriformis aut ſeminiformis effluxus ſtillatitius ex urethrâ in utroque ſexu, vel ex vaginâ in fœminis.

Differt à pyuria quòd etiam cùm nulla ſit mictio, effluat materies in gonorrhœa, quod non accidit in pyuriâ; unde liquet ſedem hujus humoris eſſe citra ſphincterem veſicæ in gonorrhœâ, ultra verò in piuriâ; in utero verò dùm eſt leucorrhœa, pauca eſt, & ſtillatim elabens in gonorrhœâ, ubertim verò mingunt in diabete Anglico.

Quoniam ſemen inter & pus, dùm elabuntur ſtillatim ex urethrâ, non dantur limites quibus diſtingui queant, niſi fortè microſcopii interventu, quo ſemini ſano & fertili virorum videntur ineſſe animalcula, ad idem genus pertinent, utriuſque humoris effluxus.

1. *Gonorrhœa pura; Gonorrhée ſimple.*

Eſt ſeminis effluxus ſtillatitius ex urethrâ in viris ſine dyſuriâ ac libidine, nec ab impuro concubitu dependens; talem excitant abuſus cereviſiæ, (quæ ſanatur potu aquæ vitæ) clyſmata calida, equitatio apud eos, in quibus copioſum eſt ſemen veſicularum, & non levis eſt ad ejus effluxum diſpoſitio; verùm hoc accidens eſt fugax & nullius momenti, nec generationi obſtat. Verùm momentoſum eſt malum & generationi obeſt gonorrhœa quæ habitualis evaſit, quod accidit laxatis aut eroſis oſculis excretoriis veſicularum, tùm ob abuſum repetitum horumce organorum, ut accidit fœdis maſtupratoribus, quorum plurimi deinceps ſemen retinere nequeunt, & in alvi depoſitione ſine ſenſu effundunt; hoc accidit etiam à repetitis gonorrhœis virulentis alias acquiſitis, & ſanatis quoad virulentiam. Cura verò hujus mali exigit vitæ caſtimoniam & injectiones adſtringentes in urethram factas, ex decocto equiſeti, millefolii, malicorii, & ſimilibus; potum etiam ex ſimilibus decoctis.

2. *Gonorrhœa libidinoſa; Satyriaſis très-ſingulier*, Deidier Conſultation 43 tom. 1 pag. 301. B.

Eſt effluxus ſeminis involuntarius frequenter repetitus, ſine erectione, cum intenſâ libidine.

Differt à ſatyriaſi & priapiſmo per defectum erectionis; ab oneirogmo, per eumdem defectum, & quod etiam vigilando accidat. Monachus, qui *Ill. D. Deidier* conſulebat, hoc morbo dudum laborans, plura medicamina incaſſum adhibuerat, ut balnea ipſa frigida, in quibus pluries acci-

dit fluxus ſeminis involuntarius libidine acri ſtipatus; cùm penis arrigebat, tunc pollutio nulla, & libido ſeu cupiditas veneris languidior erat; decuſſatis cruribus, æger à libidinoſis illis emotionibus immunis erat; aſt ſtudio incumbens, & in loco vel lecto calidiori his malis graviùs affligebatur, nec non ab uſu caffé. Sublevabatur autem uſu frequenti chærefolii.

Præſcripſit *Ill. Deidier* uſum erucæ in acetariis uſurpandæ, juſcula refrigerantia ex pullo, ſeminibus frigidis, & foliis chærefolii, denique aquas acidulas, & noctu narcoticum, quo ſucceſſu neſcio. Notum autem eſt quòd *excitat ad venerem tardos eruca maritos*, unde minus indicata videtur hæc herba. Quoad ſcrupulos quibus angebatur Monachus, metuens ne peccatum in hac libidine ſubeſſet; eos contemnendos ſuadebat Profeſſor, nec magis metuendum illum ſeminis effluxum quàm alvi aut urinæ incontinentiam, quippe ubi nulla voluntas, nullum eſt peccatum; interea à voluptate ad aſſenſum voluntatis via eſt maximè lubrica. De cætero Profeſſor calculum in veſicâ hujus morbi principium eſſe ſuſpicabatur, & ſedem morbi in proſtatis, non in veſiculis ſeminalibus reponebat.

Simili morbo laborabat puella religioſiſſima, quæ ad pedes ſui Confeſſarii, ſenis admodum inficeti, pollutiones involuntarias patiebatur, & ſcrupulis ad inſaniam ferè adigebatur; præſcripſi antiaphrodyſiaca plurima; ſed eventum ignoro.

3. *Gonorrhœa oneirogonos* Cælii Aureliani de epilepſiâ; *Oneirogmos* Foeſii. *Gonorrhœa ſimplex* Clariſſ. Tiſſot pag. 257. *Pollution involontaire.* D.

Eſt involuntaria cum libidine & erectione ſeminis frequens ejaculatio ab inſomnio libidinoſo excitata; nomen procedit à Græco *oneiroſſein*, de venereis ſomniare. Si voluntaria & frequens ſit ſeminis ejectio, vel ea eſt legitima, ut apud uxoratos, & recens nuptos; vel illegitima, ut apud ganeones & maſtupratores, de quo infami vitio legatur liber *Clariſſ. Tiſſot, D. M. apud Lauſanenſes, de Onaniſmo*, & Libellus de *morbis ex manuſtupratione.*

A frequenti, præcocique ſeminis ejectione ſuperveniunt morbi plurimi, maximè verò apud hypochondriacos, ut aſthenia, tabes dorſalis, ſterilitas, anorexia, agrypnia, epilepſia, amneſia, hypochondriaſis, amauroſis, flatulentia, pallor, &c.

Venus quidem moderata, ut docet *Sanctorius*, omnes facultates roborat; ſed immodica orbat ſanguinem illo fluido volatili hircino quod à teſtibus ſecretum, dein reſorptum barbam, vocem virilem, robur, vigoremque inducit. Hoc orbatus homo laborat primò ventriculo, dein oculis, extenuatur, pallet, debilitatur.

Scelera ſunt, ait *Ill. Tiſſot*, quæ tarda ſequitur pœna, & hac non carere maſtupratores demonſtratum eſt, ſed præterea citò & acerbè mente, corporeque plectuntur, turpitudine notantur, omni privantur excuſatione & ſolatio,

ſolatio, imparia ſunt ſæpè auxilia; nullum ergo datur crimen quod cautiùs vitare debeat quicumque nondum deſipit.

Curatio exigit ut ægri abſtineant à condimentis, utantur cibis bonæ & facilis digeſtionis, nec non lacte & kinkinâ, non neglectis balneis frigidis, roborantia verò & nervina genitalibus admoveant.

4. *Gonorrhœa ſyphilitica. Chaudepiſſe, gonorrhée virulente.* D.

Eſt ea quæ poſt impurum concubitum initio cum dyſuriâ accidit; alia eſt prima, alia ſecunda. Qui primò gonorrhœam virulentam experitur, utplurimùm gravi ardore urinæ & puris virideſcentis ſtillicidio è balano mulctatur; aſt ſive gonorrhœa recidivet ſine impuro concubitu, vel ſive nova eo modo acquiratur, utplurimùm dyſuria minor eſt quàm primâ vice vel nulla; mulieres autem, etſi pus virideſcens fundant, in primâ gonorrhœâ rarò dyſuriâ laborant, quia ſedes ulcuſculorum hoc pus fundentium eſt tunc temporis ab urethrâ diſtans. Interea ſi mictio indolens ſit, coitus aliqualis doloris non eſt expers, nec tetra illa cloaca à fœtore eſt immunis.

Inveteraſcente gonorrhœâ dyſuriâ recedit, pus colorem flaveſcentem & demum album adipiſcitur, dolores, tentigines remittuntur, una aut altera guttula exprimendo è balano fluit, & induſium contaminat muco flaveſcente per ſiccitatem quo linteum rigeſcit ſicceſcendo.

Stillicidium illud ſponte utplurimùm intra menſem evaneſcit; ſi verò ulteriùs perſeveret remediis etiam diutiſſimè reſiſtit; ſi citiùs aut quovis tempore adſtringentium interventu reprimatur, ſuccedunt ulcuſcula, porri, thymi, verrucæ, puſtulæ, aliaque ſyphilidis phænomena, niſi priùs viru ſyphiliticum profligatum fuerit: ut itaque illud vitetur infortunium in gonorrhœâ virulentâ curandâ, 1° phlogoſis, ardor, tentigo debent debellari phlebotomiâ, ptiſanis emulſionatis, fomentis emollientibus. 2° Debellatis his ſymptotis ulcus detergi debet uſu radicis nymphææ, balſami de Copaivâ vel Canadenſi, & lactis. 3° In uſu lactis frictiones aliquot ex pomatâ Neapolitanâ adhiberi debent circa partes affectas. 4° Demum ſublato viru, ſi ſtillicidium perſeveret, ad adſtringentia confugiendum; ſed quod tutius eſt, aquæ acidulæ Aleſienſes aut Vallenſes per octiduum epotandæ, quæ eumdem ſcopum attingunt. In hoc caſu laudant Viennenſes kinkinam, rheum toſtum cum abſorbentibus, eſſentiam pimpinellæ, balneum roborans.

Virulentia primùm inflammat, dein exulcerat, & rodit in gonorrhœâ diverſas partes, potiſſimùm verò veſiculas ſeminarias ac proſtatas in viris; unde perinæi tumor, dolor, calor, dyſuriâ, ſtranguria; & hac ſuppreſſâ tument, calent, dolent teſticuli, quod vulgò dicitur *gonorrhœa in ſcrotum delapſa*; vel potiſſimùm afficiuntur in viris glandulæ urethræ Cowperianæ, Littriana, ſed rarò ſolæ, & tunc dolor in illis urethræ locis perſentitur; quandoque penis tortuoſus evadit inter arrigendum, atque ea vocatur *gonorrhœa chordata*.

In fœminis afficiuntur etiam, vel proſtatæ Bartholini, ſeu lacunæ Graafii, quæ

quæ urethræ aſſident, unde dyſuria; vel tantùm afficiuntur glandulæ ſebaceæ, per vaginam & vulvam diſſeminatæ, unde harum partium calor, dolor, ſordities, & raró dyſuria, niſi urina fluens hæc ulcuſcula lambat. De hoc morbo conſulatur *Ill. Aſtrucius*, qui inſtar omnium eſt, nec non *W. Cockburne*, qui fusè de gonorrhœâ ſcripſit.

Gonorrhœa ſicca Aſtrucii ad dyſuriam attinet.

Gonorrhœa habitualis, *Glitt* Anglorum, eſt idem ac inveterata.

5. *Gonorrhœa ſpuria* Aſtrucii lib. 3 cap. 3 §. 2. L.

Eſt ſtillicidium puris aut muci purulenti ex coronâ balani & præputio ab impuro concubitu oriundum. Hæc ſpecies minimè rara eſt, & facilè dignoſcitur; ſtipatur quandoque ulcuſculis, *chancres* dictis, & tunc temporis phimoſim ſæpius accerſit; accidit ganeonibus quorum balanus præputio tectus eſt: tunc enim inter præputium & balanum pus virulentum in coitu facilè ſugitur, ſed etiam diu ſartum tectum remanet; unde calore & morâ acrius factum glandulas odoriferas ſubit, inflammat, exulcerat; in apellis verò facilè abſtergitur poſt impurum concubitum.

Ea ſpecies quandoque pertinaciſſima eſt, ſi hydrargyroſis non adhibeatur; exigit verò 1° frequentes lotiones ex decocto tepido radicum althææ, immerſiones in lacte, & ſedatâ phlogoſi, ac dyſuriâ quam poſt mictionem excitat, 2° ad hydrargyroſim deveniendum. *Vide* curam fuſiorem apud *illuſt. Aſtrucium.*

6. *Gonorrhœa balani. Gonorrhée pure du prépuce.* L.

Eſt ea quæ ſine ullo viru ſyphilitico præputium afficit, atque ſtipatur hujus ac balani rubore, levique phlogoſi, muci flaveſcentis, olidi parco ſtillicidio, ac ſub finem mictionis dyſuriâ, ob guttulas urinæ præputium ſubeuntes, quod in recutitis nunquam accidit.

Hoc vitium pendet à ſingulari acrimoniâ ſanguinis, quæ ob affinitatem cum odoriferis coronæ glandulis ibi ſecernitur, & quamdiu durat illa excretio, tamdiu durat levis illa gonorrhœa, quæ nedum periculoſa ſit, ſæpiùs ſalubris eſt, & ophthalmias aufert; interea ſanguis edulcorandus & diluendus eſt, quod præmiſſis juſculis ex pullo, cichorio, acetoſâ præſtant balnea.

7. *Gonorrhœa leproſa* Levitici cap. 15. Junckeri.

An ſimplex, ſeu pura fuerit gonorrhœa; an verò à viru leproſo dependens, judicent alii.

XXXI. Dyspermatismus; Auctor clariſſ. D. Cuſſon D. M. M. *Impuiſſance d'éjaculation.*

Eſt ſeminis in actu venereo ſtillatitia, tarda, impedita, & ad generationem inſufficiens emiſſio.

A Græco *dys*, malè, infeliciter, & *ſpermatiſmos*, ſeminatio.

Ut rectè procedat opus fœcundationis neceſſum eſt ut fiat coitus, ſeu erecti penis in vaginam immiſſio; dein ut fiat boni ſeminis ejaculatio, quæ

rectâ

rectâ in uterum tendat; ſi itaque penis flaccidus ſit, tunc vel nulla, vel debilis erit erectio, ſeminis aderit emiſſio ſtillatitia, non ejaculatoria; idem accidet ſi ſemen ſit aquoſum, iners titillandis veſiculis, & erectioni proritandæ impar; ſi urethræ nodi, anguſtiæ, obliquitas, ejus orificia, rectam, celeremque ejaculationem impediant.

Differt à gonorrhœâ, quòd extra actum venereum, & continuò ſine libidine ſtillet humor in gonorrhœâ, non in dyſpermatiſmo qui in coitu tantùm emittitur. Ab anaphrodyſiâ, quod non ſit eſſentialis voluptatis defectus in dyſpermatiſmo.

1. *Dyſpermatiſmus urethralis*; *Tarda ſeminis emiſſio à morbis urethræ*, Frid. Hoffmanni de gravi ſpaſmo & dolore veſicæ obſ. V; de la Peyronie Mem. de l'Acad. de Chir. T. I p. 425; Petit ibid. p. 434; Sharp Recherch. crit. p. 205; André Obſ. Prat. ſur les maladies de l'urethre p. 113.

Character hujus ſpeciei deducitur 1° ex ſignis genericis; 2° ex vitio urethræ ipſam anguſtante; porrò multiplici vitio affici poſſunt urethræ parietes interni, nimirum intumeſcentiâ ſubſtantiæ, quâ conſtat, ſpongioſæ, tumiditate glandularum ipſi adjacentium, varicibus, ulceribus ad margines alatis, ſpongioſis, calloſis, cicatricibus eminentibus, duris, criſpis, duplicaturis membranaceis, habenis, contractione, vaſorum ejaculatoriorum mutatâ directione.

Vitiorum urethræ modo dictorum diagnoſis potiſſimùm habetur ex immiſſione catheteris, vel candelæ in urethram, necnon ex vitio urinæ multiplici ſæpiſſimè obſervando. Signa quibus obtineri poteſt vitii ſinguli ſpecialis cognitio, hujus loci non eſt ut congeramus; apud Auctores varios, qui morbos urethræ perſecuti ſunt, legenda.

Suſpicari potiùs quàm dignoſci poteſt Peyroniana varietas. Prima hæc dyſpermatiſmi ſpecies morbi urethralis, cui debetur, prognoſim ſequitur, quæ cùm ex plurimis circumſtantiis numeroſioribus certè, quàm ut hic recenſeantur, varianda ſit, ab Auctoribus modò allegatis mutuanda venit.

Speciei hujuſce obtinetur curatio, ſi urethræ æqualitas ac diameter nativæ reſtituantur. Porrò adverſus vitia urethram anguſtantia variæ excogitatæ fuerunt medendi methodi, quarum præcipuas indigitavimus.

1° Exoleverunt corroſiva candelarum ope urethræ immiſſa, quæ inutile, periculoſum, noxium in hac ægritudinis ſpecie medicamentorum genus hodie habentur: attamen ægrotos non paucos obicem in urethrâ gerentes, candelis ex linteamine cerato factis, ſubtiliſſimo ſabinæ pulvere ad exiguam vim conſperſis, levatos imò & curatos gloriatur *Petit Mem. de l'Acad. de Chirurg.* curationem obice deſtructo perficientibus candelis ſimplicibus ex emplaſtro epulotico de ceruſſâ uſtâ, de lino carpto, aut Nurembergenſi paratis.

2° Commendat idem Auctor ſectionem chirurgicam inciſioni lithotomicæ ſimilem, quam ſucceſſu conſtanti confirmari, & candelis ſimplicibus, aut catheteribus plumbeis longè præcellere aſſerit, ſi ritè inſtituatur. Porrò in

hunc modum celebratur ſectio hujuſcemodi. Ægro præparato & immiſſo in urethram, dùm lotio turget veſica, cathetere ſulcato ad apicem aperto, inciduntur cutis & adeps ad duorum pollicum longitudinem, & in catheteris ſulcum ſcalpellus adigitur, qui ad extremum uſque ſulcum decurrens viam ſternit acui tricuſpidatæ, ac tubulo pariter ſulcato incluſæ, ut in veſicam penetret, facilè ac tutò ſubeundam, ſi demiſſa manu oſſium pubis flexura ſuperetur; acu è tubulo extractâ, fluunt urinæ, & ope ſulci in tubulo exarati ſcalpello inciditur locus urethræ arctatus: abſque negotio tunc intromittitur in veſicam cannula exigua, ibi loci relinquenda, donec ſufficientem ſuppurationem paſſus ſit urethræ canalis: eductâ tum cannulâ per balani orificium intromittitur in veſicam catheter ſygmoideus, quo effluit lotium, dum cicatrix interea efformatur. Sunt qui jam dictam ſectionem adhibuerunt adhibitis corroſivis, quibus denudatum ſectione obicem exeſum voluere, fruſtraneâ prorsùs, imò & nocivâ operâ, cicatricem inductam excipiente majori urethræ arctatione.

3° Deventum eſt ad remedia mechanica, quibus locum urethræ anguſtatum dilatandum fore ſperabatur: hinc uſurpatæ fuerunt turundæ cerâ, aut unguento oneratæ, & ſenſim incraſſandæ, quæ filo alligatæ, ut extrahi poſſent, ope cannulæ argenteæ cavo donatæ, & utrinque apertæ, necnon ſtyli, quo pelli poſſent, ad uſque contractionis ſedem, adigebantur: educebatur tunc cannula, relictâ ſuper obicem per horas aliquot turundâ, quæ iis elapſis, ope fili extrorsùm penduli extrahebatur. Experientiâ compertum eſt loci affecti dilatationem partium urethræ utrique turundæ extremo reſpondentium contractione excipi. Hinc etiam in uſum vocati ſunt catheteres plumbei, qui primùm tenues, ſenſim craſſiores in urethram immitti debent.

4° Tandem his omnibus palmam ſubripuerunt candelæ ſimplices & compoſitæ, quales habet *Daran*, *Goulard*, *Sharp*, &c. Silemus ingredientia quibus conſtant, modum quo componuntur, dimenſiones quibus gaudent, variam ipſarum adhibendarum rationem, tempus in ipſarum applicatione inſumendum, aliaque id genus apud citatos Auctores paſſim legenda.

Sequentia circa variarum candelarum uſum ſatis ſit annotaſſe. Candelæ ſimplices, è telâ ſcilicet & cerâ tantùm factæ, præſtant ſemper catheteribus plumbeis, & ſæpiſſime malo depellendo ſufficiunt: ratio eſt quod obices urethram arctantes ſunt utplurimùm hujus canalis varices, quas premunt, ſuſtentant, delent citra irritationem candelæ hujuſcemodi. His etiam, necnon catheteribus plumbeis gradariè incraſſatis curatæ ſunt urethræ contractiones: in caſu glandularum urethræ tumentium, cicatricum elevatarum, ulcerum margine tumidorum, calloſorum, intumeſcentiarum textus urethræ ſpongioſi induratarum, & ſimilium, candelæ Daranianæ, Goulardianæ curam & citiùs & certiùs expediunt: dolendum quod irritatio modò major, modò minor earum uſum ſequatur; huic occurritur, quantum fieri poteſt, ſi candelis varia impertiatur energia, & à mitioribus ad potentiores ſucceſſivè fiat tranſitus.

Aquarum

Aquarum Selteranarum uſu ad plures menſes protracto pro potu ordinario ſuum ægrotum cum ſanitate in gratiam reduxit *Hoffmannus.*

2. *Dyſpermatiſmus nodoſus ; Tarda ſeminis emiſſio à nodis corporum cavernoſorum* La Peyronie Mem. de l'Acad. de Chirurg. Tom. 1 pag. 428 ; *Nova pudendi diſtorſio* Schenckii ex Arantio de Tumor. præter natur. cap. 50 ; *Nodus penis* Clar. Lieutaud Compend. Med. Pract. pag. 533. L.

Pluries obſervavit La Peyronie in corporibus cavernoſis protuberantias nodis, aut gangliis ſimiles, duras, indolentes, erectionem ita depravantes, ut ſi ſeriem efforment concatenatim diſpoſitæ difformis ac gibbis plena ſit mentula arrecta ; ſi medium corpus cavernoſum dextrum, ſiniſtrumve occupent, dextrorsùm, vel ſiniſtrorsùm incurvetur penis erectus ; ſursùm verò, aut deorsùm, ſi ſupernam, aut infernam eorumdem corporum partem teneant. Vigente jam dictâ corporum cavernoſorum labe, dolore quandoque non vacat erectio validiſſima, nuſquam exinde impeditur liber urinarum fluxus ; ſeminis ejaculandi non eadem eſt ratio, quod etſi è vaſis ejaculatoriis effundatur cum vi debitâ, & non minori forte voluptatis ſenſu ; attamen ex urethræ orificio ſtillat, remittente erectione tantùm, longove poſt voluptatem perceptam intervallo paulatim effluere incipiens. *Vide obſervationes à La Peyronie relatas loco citato.* Hunc dyſpermatiſmum ſpecificè determinat nodi præſentia, qui vigente erectione faciliùs cognoſcendus, & pro cauſa cellularum quarumdam corporum cavernoſorum laxitatem agnoſcens, earum eſt quædam herniæ ſpecies ex *celeb. Lieutaud*, potiùs corporum cavernoſorum quaſi anevryſma dicendus. Nodi penis virus venerei utplurimùm effectus ſunt ; hos tamen in duobus viris nulla uſquam labe cypriâ tactis obſervavit *La Peyronie* ; imò & in ſenibus qui fervidiori temperamento plus æquo indulſerunt, rara non ſunt hujuſce affectûs exempla. Emollientibus ac reſolutivis variis auſcultari renuunt hæ protuberantiæ ; neque venereas ipſas fugat hydrargyrum. Aquarum Bellilucanarum, Borbonienſium vim eludit malum, ſolis Baregienſibus reſiſtere neſcium ; ex *La Peyronie* itaque in protuberantias hujuſce modi inſtituendæ ſunt multiplices embrocationes, qualibet tempeſtate iterandæ, donec penitùs evanuerint : redit tunc peni arrecto forma nativa, & emiſſo ſemini jactus celer & ſaltuoſus. Notabis fallere in caſu venereo efficaciſſimum hocce remedium, ſi priùs adhibeatur quàm hydrargyroſeos ope, ex humorum maſſâ penitùs exulet labes ſyphilitica ; hanc ubi unctionibus mercurialibus debitè celebratis debellaveris, aquas præfatas integer in nodos ſuperſtites manebit ſucceſſus : probat *ſexta La Peyronie obſervatio.*

3. *Dyſpermatiſmus præputialis*, ſive *phimoſicus. Tarda ſeminis emiſſio ab anguſtiori præputii orificio* Schenckii ex Arantio de Tumor. præter natur. cap. 54. L.

Pars præputii extrema, vitio, vel congenito, vel accidentali, ita exiguo foramine prædita eſſe poteſt, ut non ſolum glandem detegi prohibeat, verùm etiam interdum urinæ expulſionem & ſeminis ejaculationem remoretur, ubi præſertim orificium præputii glandis foramine anguſtius eſt. Teſtatur *Arantius* ſe non ſemel vidiſſe homines, ob præfatam præputii ſtricturam tardiori ſeminis

ſeminis emiſſione, & impotentiâ laborantes, adhibitâ convenienti medelâ ſemen jactu debito profudiſſe, & prolificos factos fuiſſe. Porrò hæc ipſi non alia fuit quàm ſectio chirurgica, quâ phimoſis venerea auxiliis incruentis immorigera tollitur. Præputii ſtricturæ nimiæ accommodatum pariter præſidium eſt circumciſio. De binâ hacce operatione legantur Auctores Chirurgici. Notabis præputium orificio anguſtius ex utero allatum ætate creſcente ſenſim & ſpontaneè utplurimùm dilatari, neque modò dictis operationibus locum eſſe, niſi in viris quibus vitium hocce, nec ſponte, nec remediorum mitiorum ope evanuit.

4. *Dyſpermatiſmus mucoſus*, ſive *catarrhalis. Tarda ſeminis emiſſio à muco urethram infarciente*, obſervante D. S**. perito hujuſce Urbis Chirurgo & Reg. Scient. Societ. Sodal. L.

Viro annos quadraginta nato, vegeto, cæterùm ſaniſſimo, ita augebatur liquoris mucoſi veſicam internæ obliniientis, & lymphæ viſcidæ per urethræ glandulas percolatæ excretio, ut muco per penis expreſſionem ſtillante infarciretur urethra, & hujus copiam maximam urinæ ſecum foras educerent. Supra quartam urinæ emiſſæ partem ferè aſcendebat mucus ipſi mixtus. Morbus erat qui cum albo mulierum fluore magnam alit convenientiam; neque multùm abludebat ab illâ gonorrhœæ nothæ ſpecie, quam benignam vocat *Frid. Hoffmannus*; catarrhalis vero nomine ſalutant Auctores nonnulli ex *Ettmullero*. Similem morbum *Frid. Hoffmannus* ſub titulo rari veſicæ affectûs, & *celeb. Lieutaud* ſub veſicæ fluxûs catarrhalis nomine deſcribunt. Id verò diſcriminis inter Auctorum modò laudatorum ægrotos & noſtrum intercedebat, quod in noſtro, ſimili vitio veſica ſimul & urethra tentarentur, & exularent dolor veſicæ, ardens mictio & acrimoniæ ſigna. Cave pro veſicæ calculo, renum ac veſicæ ulcere, & gonorrhœâ verâ cum excretione mucoſâ combinatâ, affectum vendas de quo loquimur: Catarrhus fuit veſicæ & urethræ. Partes hujuſcemodi eadem laborare poſſe defluxione, quæ in narium, oris, bronchiorum membranas ſæpiſſimè depluit, credunt magna nomina *Lieutaud* & *egregius Senac*. Porrò ſequentia incommoda patiebatur vir jam dictus, ſi coitui indulgeret; probè ipſi erigebatur quidem virile membrum; grato veneris ſenſu, minùs licet quàm antea intenſo, titillabantur genitalia: aſt quod olim ipſi rapido jactu emovebatur ſemen, hoc jam muco irretitum ac permixtum ſenſim reddebat urethra citra tamen interjectam à voluptate perſentitâ moram. Character ſpecificus ex ſignis genericis deducendus venit, & catarrhi præſentia cujus prognoſim ſpeciem hujuſcemodi ſequitur. Hanc curabis, ſi veſicæ & urethræ catarrhum noveris depellere. Atqui huic competunt varia remediorum genera, quæ leucorrhœæ acrimoniæ experti proficiunt, necnon ea medendi methodus, quâ gonorrhœam catarrhalem debellari vult *Etmullerus*.

In caſu Lieutaudiano natura & expectatio morbo ſanando ſatis fuerunt. Aquas Spadanas, eſſentiam caſcarillæ ſuccini eſſentiæ maritatam, ſuccinum præparatum

præparatum, potum ex ſalſæparillæ, ſcorzoneræ, & ſimilium decocto ægro ſuo injunxit *Hoffmannus.*

5. *Dyſpermatiſmus hypertonicus; Tarda ſeminis emiſſio à validiori penis erectione. Seminis in actu venereo retentio* Cockburni Eſſais d'Edinburg Tom. 1. art. 35. L.

Nobilis Venetus, annos natus duos & viginti, cum muliere pulcherrimâ, quæ ſibi in uxorem ceſſerat, rem habens, ſemen nuſquam ejaculari poterat, quamvis per inſomnia pollutiones nocturnas pateretur. Quod cùm ſibi & parentibus curam injiceret, fruſtra tentato Medicorum Venetorum auxilio, per Legatos Reipublicæ in variis Europæorum Principum Aulis degentes conſilium à famigeratiſſimis Medicis petiit, ut ſi cauſam & remedium tam ſtupendi aperirent mali, quod vigilantem eâ defraudabat facultate quâ pollebat dormiens. Viſum eſt *Cockburnio* morbum hærere in urethrâ, quæ inter coeundum per validiorem erectionem ad obturationem uſque ferè conſtricta, tantam ſeminis exitui objiciebat reſiſtentiam, quantam vincere non poterat liquor hujuſcemodi in ipſâ effuſus, & per potentias ejaculatorias propulſus: in inſomniis verò ob minùs validam penis erectionem, urethrâ non arctè adeò conſtrictâ, ſemini erumpenti congrua patebat via. Ex dyſpermatiſmo ſpaſmodico epileptico intelligi poſſunt & modus & tempus, quibus ſub œſtri venerei remiſſione effundebatur ſemen. Morbum debellarunt diæta tenuis, refrigerans, humectans, necnon leves evacuationes.

6. *Dyſpermatiſmus epilepticus; Tarda ſeminis emiſſio ab epilepſiâ ſpaſmodicâ in coitu adveniente*, obſervante D. B ***. Doct. Monſpel. clariſſ. & in Noſocom. Sti Eloiſii Med. Vicar.

Vir quadragenarius, temperamento ſicco donatus, amatæ conjugi nuptus, abſque prole erat ab annis duodecim, cujus uxor cauſam ſterilitatis ſuæ, quæ ipſa erat viri impotentia, ut Medico prælaudato aperiret, narrabat 1° quòd maritus ad rem veneream capeſſendam alacris, eam tantâ petulantiâ perſequatur, ut ad medium opus in ipſam concideret totis membris rigidus, ſenſu & loquelâ orbatus, & gravis adeò factus, ut in alteram lecti partem præ oneris impotentiâ viribus collectis ipſi excutiendus veniret: 2° quòd per novem, decemve annos adeò brevis paroxyſmus fuerat, ut primâ vice ad ſe rediret ſponſus, dùm ipſa timore perculſa opem admovere feſtinabat: 3° quòd à duobus tribuſve annis invaluerat malum, accedente ſcilicet oris ſpumâ, neque tam citò ſenſu redeunte: 4° quòd tandem, remittente corporis rigiditate, effluebat ſemen ex urethrâ paulatim, & membro flaccido exituriens. Frigida in lumbos denudatos paroxyſmi tempore ex alto ad tres vices projecta epilepſiam non fugavit; obſervatum eſt tantummodò hujus ſtimulo epilepticum cogi ut artus inferiores retraheret. Ad morbum debellandum varia uſurpata ſunt remedia, nimirum venæ ſectiones iteratæ, cathartica pluries repetita, balnea ad plures menſes protracta, juſcula refrigerantia, lacticinia; quibus minùs proficientibus, tandem radix Valerianæ ſylveſtris ad tres menſes in infuſo & in ſubſtantia ex-

hibita fuit. His omnibus peractis, (erat annus quo cœlebs vivebat,) plenariè convaluit, rem jam habens cum uxore integram, mente ac ſenſu illibatis, & rapido jactu proſiliente ſemine.

7. *Dyſpermatiſmus apractodes ; Nimis tarda ſeminis excretio à genitalium ignavia*, Aëtii Tetrab. 3. Serm. 3 cap. ultimo ; Matth. de Gradi Conſ. 69 ; Amati Luſitani Cent. II cur. 18 & 81 ; Marc. Donat. Hiſt. Med. Mir. cap. 18 ; Schenckii ex Hollerio Lib. IV de impot. vir. ; Foreſti Lib. XXVI obſ. 18 & 19 ; Veſlingii Epiſt. & Obſ. Epiſt. 38 ; Ettmuller de morb. viror. cap. 2 p. 459.

Hujus ſpeciei duæ ſunt inſignes varietates : in alterâ penis erectio toto veneris tempore ; una in culpâ eſt emiſſio ſeminis, quod paulatim ac lento rivo funditur. In alterâ præſente etiam ſeminis emiſſi tarditate, peccat membri virilis erectio, quatenus vel nulla prorſus eſt, vel debilius fit, vel ante abſolutam venerem ceſſat, ipſa ineunte ſufficiens : poſterior hæc nunc à ſolo erectionis vitio, viribus ejaculatoriis illæſis, ſoboleſcere poteſt ; nunc verò cum priori varietate combinari.

Singularem hujuſce ſpeciei characterem ſiſtunt fractæ erectionis, ejaculationis, vel utriuſque ſimul vires. Manifeſtum eſt erectionis deficientis, infirmatæ, non ſatis perſiſtentis, vitium. Vires ejaculatorias labefactatas eſſe potiſſimùm cognoſcitur 1° exploratâ ſub ſeminis emiſſione, imò ſub guttularum urinæ ad mictionis finem in urethrâ reſtitantium ejectione vibratoriâ, penis radice, quæ minùs intendi, debiliùs contrahi, imbecilliùs concuti percipitur : 2° ex minori quam vulgò inter ejaculandum obſervari ſolet urethræ & balani intumeſcentiâ : 3° ex defectu cauſarum quibus ſpecies dyſpermatiſmi reliquæ natales debent : 4° ex principiorum prægreſſione, quibus debilitas, dyſcineſia inducuntur, quæ præ maximo ipſorum numero hîc non recenſenda, ex aliis morborum generibus petenda ſunt. Si cum erectionis defectu, aut debilitate combinentur modò dicta, varietatem hujus ſpeciei alteram cum primâ complicari indicium eſt.

Dyſpermatiſmi apractodæi curatio adversùs cauſas erectionem, ejaculationem, vel utramque impedientes dirigenda eſt ; quæ cùm numero luxurient, & de cætero apud Auctores plurimos ipſarum expugnandarum ratio declaretur, in aperiendis, quæ ipſas tollunt, auxiliis operam non locabimus, brevitati ſtudentes. Monuiſſe in univerſum ſatis ſit ſæpiùs in hac ſpecie ſtimulantibus, roborantibus, antiparalyticis, excitantibus, aliiſque id genus medicamentis locum eſſe.

8. *Dyſpermatiſmus ſeroſus*. L.

Eſt ejaculatio ſeminis aquoſioris, adeoque ad geneſim inepti, quæ ſpecies eſt frequentiſſimum ſterilitatis virilis principium ; hujus exempla proſtant apud *Ettmullerum*, alioſque plurima.

Semen aquoſius idque copioſiſſimum in coitu effunditur, ſub molliſſimâ & momentaneâ erectione ; illud enim nimis effœtum eſt quàm ut debitè titillare poſſit, & ſine titillatione nulla niſi arte coacta erectio. Litem intentabat nuper marito ſuo mulier Itala, quòd ab octo annis nupta prolem non ſuſce-

ſuſcepiſſet; maritus quidem antequam foret uxoratus generando par erat, ſed fortè maſtuprio repetito penem ita debilitaverat, ut non niſi uxoris auxilio penis arrigeretur, & vix introductus flacceſſeret, tuncque ſine ullo voluptatis ſenſu, poſt inſignem & voluntarium niſum, magnam ſeroſi humoris copiam effundebat, à quo humore non aliud reſtabat quàm quod urina reliquiſſet in linteis veſtigium. Hac de re conſultus cum *illuſtr. D. Haguenot* & *clariſſ. Chaptal* judicavimus virum illum laborare dyſpermatiſmo ſeroſo, & matrimonium fuiſſe nullum, ſeu à viro generationi conſtanter inepto tantùm fuiſſe celebratum.

Huic morbo ſanando conferunt aphrodiſiaca medicamina, ut cocolata, ambara, moſchus, vinum optimum, ſed præſertim cremor ex drachmâ unâ radicis Salep quotidiè hauſtus; radix Ginſeng quotidiè ad drachmas tres, vel ſemi-unciam manducata, ut apud Canadenſes fieri ſolet, minori enim doſi non ſufficit; adde electuarium, diaſatyrium, & ſynapiſmum genitalibus admotum ex ipſis ſynapis & erucæ ſeminibus.

9. *Dyſpermatiſmus refluus. Aſpermatiſmus* clariſſ. D. Cuſſon, D. M. M. diſſert. de Bradyſpermatiſmo.

Eſt refluxus ſeminis ex urethrâ in veſicam, aut in veſiculas ſeminales, adeoque tempore coitûs nulla ſeminatio, deinceps verò ſeminis cum urinâ mictio. *Vide Mem. de l'Academ. de Chirurg. Tom. 1. pag. 434 auctore Petit.*

Quandoque ille refluxus ſeminis in veſicam accidit ob verumontani reſiſtentiam, ut in illis qui plures gonorrhœas paſſi, nodos, ſcirrhos, &, ut aiunt, carunculas in urethrâ geſtant; quandoque verò à forti penis compreſſione inter ejaculandum ſemen intra veſiculas ſeminales & canalem deferentem reprimitur. Sic vir quidam qui inter ſomniandum pollutionem incipientem præpedire conabatur, pene manibus fortiter compreſſo, paſſus eſt paulò poſt tumorem teſticuli, ſemine inibi vel hærente, & collecto, & fortè à veſiculis refluo.

Impotentiam huic affinem memorat *ill. Deidier*, *Conſult. 1. Tom. 3.* quâ laborabat calculoſus ob fiſtulam è veſiculis ſeminalibus in rectum pertingentibus; is de cætero vegetus quoties uxorem ſuam premebat, toties ſemen vix ullum è pene, at reſiduum in inteſtinum emittebat cum urinâ mixtum, unde ſterilis erat.

XXXII. GALACTIRRHŒA; *Sparganoſis* Dioſcorid. lib. 2. cap. 98. *Lactis redundantia* Sennerti.

Cognoſcitur ex ſpontaneo lactis è papillis effluxu.

Lac in gravidis paratur eò copioſiùs, quò ad partum propiùs accedunt, ſed tenue & ſeroſum; verùm tribus circiter à partu diebus ephemera lactea papillarum & mammarum vaſa galactophora diducit, & major fit lactis ſecretio, cujus quæ vulgò ſecernitur copia ad libras tres circiter quavis die aſſurgit. Puerperæ licet tantam lactis è mammis copiam fun-

 dant,

dant, ſi almæ nutrices ſint, nihilominus tamen partem aliam lactis in ſanguine geniti per diverſa loca evacuant, partim lochiorum formâ ex utero; urinas turbidas, feces minùs brunneas, ſi ſanæ ſint, imò viri-deſcentes ſi ægrotent, ſudores etiam acidos copioſiores ejiciunt; ſanguis etiam in patella extractus lacte ſupernatante albeſcit in gravidis & puerperis.

1. *Galactirrhœa mammarum; Ecoulement de lait des mammelles.* L.

Hoc ſymptoma puerperis quandoque accidit à lactis redundantiâ, cùm ſcilicet mammam alumno ſugendam præbere recuſant; unde intumeſcentia; & quandoque inflammatio, caſeatio, aliaque mala ipſis mammis ſuperveniunt, lac continuò è mammis exſtillat. Viſæ ſunt mulieres, quæ quinto graviditatis menſe libram & ſemiſſem lactis quotidiè fundebant; in puerperis hoc ſymptoma ſuctione alumni vel catellorum, phlebotomiâ, catharſi, potu diuretico tollitur.

2. *Galactirrhœa erronea; Lactis effluxus ptyaliſmi formâ* Puzos: aut *ſalivæ deglutiendæ formâ* Ephemer. Natur. Curioſ. Ex *umbilico;* ex cute mammarum *ſudoris* ſpecie; ſub *urinæ* formâ Journ. de Med. Fevr. 1758; ex *oculis* epiphoram lacteam inducens; ex *femore*, parte ſcarificatâ; ex *venâ ſectâ;* ex diverſis viis extraordinariis elabens, de quibus conſulatur *Synopſis Ephemerid. Natur. Curioſ.* ad verbum *Lac.*

3. *Galactirrhœa virorum* Collectio Academica, Tom. 3. pag. 63.

Teſtantur plurimi Auctores, ut *Scholtzius*, *Dolæus*, *P. Borellus*, *Laurembergius*, &c. dari viros è quorum mammis lac purum & ſincerum effluebat, aut continuò per longum tempus deſtillabat, imò quorum alii nutricum officio functi ſunt; recens verò nati ferè omnes ſerum quoddam albeſcens in mammis gerunt, quod mulierculæ primis diebus emungere ſolent.

4. *Galactirrhœa purulenta* J. Bauhini Obſerv. med.

5. *Galactirrhœa atra* Ephemer. Natur. Curioſ. Dec. 2. ann. 4. pag. 207.

6. *Galactirrhœa lutea* Ephemer. Natur. Curioſ. ibid. pag. 203.

7. *Galactirrhœa viridis* Ephemer. Natur. Curioſ. Dec. 1. ann. 6.

8. *Galactirrhœa ſeroſa.*

Eſt lactis aquoſioris ex mammis effuſio, quod accidit prægnantibus, ſi fœtus in utero moriatur; mammæ etenim flacceſcunt, & lac ſeroſum fundunt, ſed hoc eſt accidens parvi momenti: aſt in nutricibus lac ſeroſum ultra primos dies à partu vitioſum alumno præbet pabulum; cognoſcitur verò ſeroſum, ſi guttulæ etiam minimæ in manu poſitæ ſtatim ſuo pondere diffluant aquæ inſtar; illud lac utplurimùm ſimul eſt calidius, & minùs dulce quàm par eſt, adeoque rejicitur. Curatur illius vitioſa qualitas bono nutricis regimine.

XXXIII.

XXXIII. OTORRHŒA, Linn. gen. 171; *Fluxus aurium* Sennerti c. 9; *humidité ou écoulement des oreilles.*

Fluxus eſt ſæpius ſeroſus, purulentuſve ac fœtidus ex auris cavo, quandoque ex hujus ambitu aut parte poſtica.

1. *Otorrhœa ſeroſa*; *humiditas aurium*, Ettmuller. L.

Eſt humiditas quæ ex cryptis pone auriculam ſitis, in pueris cacochymicis, ſoboleſcit, & puris adinſtar linteis maculas flavas ac firmitatem conciliat; ea verò humiditas excrementitia locum tenet veſicatorii, caput, oculos, faciem ab aliis incommodis liberat; hac repreſſâ accidit ut vel fluxus ex aure interna etiam procedat, aut ophthalmia infeſtat. Uberrimam otorrhœam ſeroſam ex ictu vide in *Ephemer. Nat. Cur. Dec. Ann. 6 obſ. 12.*

2. *Otorrhœa purulenta.* L.

Ea eſt quæ prægreſſam otalgiam inflammatoriam aut parotidis ſuppurationem aut cephalalgiam gravem ſequitur: Vide *Ephemer. Nat. Cur. Dec. II Ann. 7. &* authores de ulceribus aurium.

3. *Otorrhœa menſtrua* Ephem. Nat. Cur. Dec. II Ann. 7. App. p. 157. P.

In viro ſcilicet quotis menſibus liquor croceus ex aure effluere ſolebat, non ſine fœtore: fluxus hæmorrhoidalis ex aure etiam recenſetur Dec. III. Ann. 4 & 6 Obſ. 162.

ORDO QUARTUS.

AERIFLUXUS.

CHaracter eſt flatûs vel halitûs emiſſio inaſſueta. Flatus eſt motus aëris vel vaporis, cum ſono & impetu; *halitus* eſt fluidum elaſticum vaporis inſtar expanſile.

XXXIV. FLATULENTIA; *Flatulence.*

Eſt morbus cujus præcipuum ſymptoma eſt flatuum ex primis viis per ſuperiora aut inferiora frequens rejectio.

Rejectio ſimplex flatuum per ſuperiora vocatur ructus, eructatio, Græcis *eryge*, Gallis *rot*, *rapport*; qui ructus ſunt acidi, nidoroſi, putres, inſipidi, &c. Flatus per inferiora delapſi vocantur *borborygmi*, ſi cum humiditate quadam edantur; *bombi* verò, ſi cum ſono erumpant, qui Latinis

crepitus audiunt, *Gorræi definit.* Neoterici borborygmos vocant inteſtinorum murmura.

Omnia alimenta, potiſſimùm vegetabilia & potulenta non ſatis fermentata, magnam aëris copiam continent, ut fusè docent experimenta *Hales Statique des Végétaux*, & *Cotes Leçons de Phyſique.* Ille aër ex vegetabilibus fermenteſcentibus extricatus maximam expanſilitatem obtinet, ita ut ſibi relictus ſpatium portentosè majus priori poſſit occupare. Præterea aër purus inter alimentorum bolos quotidie deglutitur, & in ſtatu ſano ventriculum & inteſtina molliter diſtendit, eorumque vacua replet calore loci debilitatus, ſeu expanſilitate moderatâ præditus. Aërem in corpore, ſive genitum, ſive adſcititium continuò abſorberi, ſenſimque expanſilitate ſuâ orbari ſeu deſtrui, docent phyſici, & potiſſimùm *Mayow*, *Haleſ*que: ſic duodecima ferè pars aëris inſpirati deſtruitur; ſed ille aër non ad nihilum redigitur, quippe docet analyſis chymica eum fluidorum, ſolidorumque noſtrorum compoſitionem ingredi, ipſiſque ſolidis duritiem impertiri; ſaltem certum eſt ea quæ cæteris duritie præcellunt, ut veſicæ calculi, aëris contenti copiâ cæteras partes ſuperare. Volumen aëris qui exit ex ſanguinis ſuilli pollice cubico 33 pollices cubicos replet; qui ex cornu damæ pollice exivit, 234 pollices æquavit; qui verò ex calculi humani pollice, 648 pollices, &c.

Aër qui per ſpontaneam fermentationem è pane, fructibus, ſeminibus, herbis educitur intra ſtomachum, ſi digeſtio langueat, deſtruitur ſeu abſorbetur, ſi ſalivæ ſanæ miſcelâ digeſtio benè fiat, ut ſuadent experimenta *Ill. Pringle*, in vitro capta; bilem hujus aëris nimiæ expanſioni obſtare, ſuadent etiam experimenta *Stewartii*; quippe ſi cani vivo per vulnus veſicæ felleæ inflictum bilis effluxus intra duodenum præpediatur, animali ſuperveniunt borborygmi & tympanitidis ſymptomata; bullæ aëris quæ urinæ ac aſciticorum lymphæ in cyatho collectæ ſupernatant, illicò cum crepitu diſſiliunt & evaneſcunt, ſi contingantur pauxillo ceruminis aurium.

A putrefactione etiam extricari aërem ex animalibus, docent inflationes abdominis in cadaveribus potiſſimùm ſubmerſis, quæ ideò accedente putredine aquis ſupernatant. Duplex eſt itaque principium expanſionis in aëre intra animalia & vegetabilia contento, ſcilicet fermentatio & putrefactio præter caloris intenſitatem. Cùm ſaliva eſt ſana, & ſufficienti copiâ alimentis bene præparatis, non immodicis ſuppeditatur, fermentatio, in vaſe vitreo ſaltem, ſine tumultu & ſine copioſis bullis peragitur; aſt cùm alimenta non ſunt ſatis maſticata, vel ſunt copioſiora, cùm carnes nimis firmæ aut adipoſæ, aut mixtæ cum farinoſis non fermentatis, aut cùm ſaliva eſt parcior vitioſa, non intimè alimentis immixta, fermentatio tumultuoſa evadit, flatibus repletur vas vel ſtomachus, in quo ſupervenit pyroſis vel ardor interaneorum, qui ſalibus alkalinis frænandus eſt: Vide *Pringle T. II. p.* 250.

1. *Fla-*

1. *Flatulentia acida ; Oxyregmia* Tralliani lib. 12. cap. I. de iis qui ex cruditate acidâ febricitant, Amati Cent. IV. obſ. 54 ; Pringle Exp. 36. pag. 250. *Rots aigres.* D.

Ad acidum vergere omnia vegetabilia, herbas, fructus, radices, panem, vinum, cereviſiam, exceptis plantis tetrapetalis cruciformibus & condimentis piperatis, &c, docent Chemici ; ex horum alimentorum morâ in ventriculo, ob defectum bonæ digeſtionis producuntur flatus acidi ; ex oleo, pinguedine, larido, aliiſque ſimilibus, ut piſcibus vehementiam ignis paſſis ſeu frixis extricatur acidum quoddam volatile, ſaporis urentis, maximè ſi fumum camini exceperint, cum odore ingrato empyreumatico ; his aſſumptis oritur indigeſtio, & *flatulentia empyreumatica* acris, cum pyroſi in œſophago, ſalivatione frequenti. Hæc flatulentia curatur catharticis, dein verò ſi reſiſtat, utendum eſt abſorbentibus, teſtaceis præſertim, oculis cancrorum, coralliis, catechu ; interea ſi æger ſit pituitoſus, frigidus, ſi viſcida, inſipida ſit ſaliva, ſuadet *Trallianus* medicamenta ſtomachica calida, præſertim piper. Si verò ſit temperamenti calidi & ſicci, jubet ut utatur cibis frigidis, ex conchyliorum claſſe petitis, ut oſtreis crudis, mytulis, &c, nec non in utroque caſu conſultum eſt abſtinere à cibis vegetabilibus, & potiſſimùm carnibus animalium indulgere : Aſt aquæ ſale Glauberiano fœtæ cæteris præſtant.

2. *Flatulentia nidoroſa ; Eryge cniſſodes* Græcis. *Rots pourris. Rapport d'œufs couvés.* B.

Eſt ructatio ovorum putridorum odorem & ſaporem referens. Illi ſtipantur utplurimùm anorexiâ, nauſeâ, cardialgiâ, linguæ ſorditie albâ vel luteâ, ſalivâ mucoſâ ; è contra in oxyregmiâ ſaliva eſt limpida, copioſa, nulla anorexia, lingua nitida eſt.

Licet omnia vegetabilia putredini ſint obnoxia, certum eſt faciliùs & frequentiùs multò à cibis animalis proſapiæ ructus nidoroſos pendere ; maximè verò ſi ſucci digeſtivi ad putredinem vergant, ut in ſynocho, amphimerinâ, typho, &c : inter carnes putredini obnoxias, quæ ſunt diutiùs ſervatæ, ex annoſis animalibus quæ magis teneræ, coctæ, ſucculentæ, ad putredinem faciliùs tendunt quàm quæ ex junioribus deſumuntur ; ita quæ ſunt duriores, viſcoſiores, difficiliùs putreſcunt, ut conchylia. Docent experimenta *Pringle* quod pauxillum ſalis putredinem accerſit, multùm verò ſalis avertit ; à vino, cereviſiâ, aceto, ſucco limonum etiam putredo corrigitur ; ſed medicamina corrigentia vix uſurpari queunt, niſi priùs emeticis vel catharticis primæ viæ expurgatæ fuerint, ſuccenturiato copioſo aquæ calidæ potu, qui has eluat, dein ad abſorbentia ſtomachica eſt deveniendum, ubi præ aliis eminet confectio hyacinthina.

3. *Flatulentia hypochondriaca ; Flatulentia hyſterica* Junckeri. *Erygmatodes nouſos* Hippocratis ; *Flatos* Hiſpanis ; Gallis *Ventoſité.*

Symptoma eſt ſæpius hypochondriaſeos, ſed quandoque in ægritudine præcipuum, unde mutatur genus ; cognoſcitur ex pertinaciâ morbi, ex flatubus ano & cato, potiſſimùm durante digeſtione, erumpentibus, ructibus

verò

verò nec acidis, nec nidoroſis; ſed vel inodoris, aut tantùm aſſumptorum odorem retinentibus. Adeſt utplurimùm pravus mos tuburcinandi, aut cruda & dyſpepta manducandi, cum querelis continuis de flatibus, borborygmis, doloribus colicis, ſpaſmodicis diverſarum partium affectibus, ptyaliſmo mucoſo, urinis limpidis, averſationibus moroſis. Vide *hypochondriaſim & hyſteriam.* Hic morbus pertinaciſſimus eſt ex ſe, & potiſſimùm ex pertinaciâ & moroſitate ægrorum, qui ſæpiùs & Medicos & methodum medendi mutant, nec regimini addicere ſe volunt, aut cathartica repetere amant.

Curantur diætâ, potu aqueo, balneis & equitatione; abſtineant à cibis dyſpeptis, cibos diu maſticent; utantur aquâ, ſero lactis, juſculis emollientibus, aquâ pulli, aquis acidulis, balneis; ſed potiſſimùm equo vel rhedâ conſtanter utantur, ut à curis, mœrore ſe liberent, & humoribus ſuis fluxilitatem & blanditiem concilient. *Hippocrates 5. Epidem.* repetitis phlebotomiis hunc morbum debellavit; noſtrates hanc methodum mirantur, non imitantur.

Hiſpani huic flatulentiæ ſunt valdè obnoxii, & plures utuntur Edicto Imperatoris Claudii, quo licebat cuilibet & ubilibet flatus emittere, ut docet *Suetonius, cap.* 32. Qui utuntur catharticis, adſtringentibus, ut rheo, ad hunc morbum ſanandum, evadunt ſæpè inſanabiles, ut vidi. Nihil magis nocet flatulentis quàm alvi conſtipatio, quæ exinde ſolet induci; ambara in hoc morbo laudatur à *Zacuto Luſitano, obſerv. 7. libro 2;* & ab *Amato Cent. IV. cur. 54.* exantlatio flatuum ex recto ope ſyringæ quod excogitatum ſibi tribuit.

4. *Flatulentia accidentalis.* B.

Eſt ea quæ à principiis procatarcticis, fugacibuſque dependet, ut à cibis fermenteſcentibus, ut muſto, cereviſiâ immaturâ, ſyrupis, leguminibus, vino vappido, frigore ſuſcepto, conſtipatione, potu frigido: differt à colicâ flatulentâ defectu doloris fixi, atrocis, &c.

Curatur diluentibus calidis, potu thé, caffé, ſtomachicis, theriacâ, extracto juniperi, cortice aurantiorum & carminativis omnibus, aniſi, carvi, fœniculi, cumini ſemine.

5. *Flatulentia infantilis. Cardiogmos* Junckeri, Tabul. 137 n°. 32. A.

Torminibus, flatibus, alvi obſtructionibus, & primarum viarum ſordibus fovetur hic morbus apud infantes, unde ventriculus & præcordia inflata ſunt.

Mulierculæ accuſant apud Germanos diſtorſionem vel luxationem partis cujuſdam.

Sæpius hic morbus a repreſſis ſudoribus, vel achoribus fovetur.

Curatur lenibus catharticis, mercurio dulci, ſyrupis de cichorio, de floribus perſicorum, ſpermate ceti, oleis carminativis umbilico calidè inunctis, ut oleo ruthæ, petroleo, &c.

6. *Flatulentia lochialis* Junckeri Tabul. 135. n°. 7.

Puerperæ & gravidæ ob alvi conſtipationem & calorem hypogaſtrii, aut preſſionem recti, obnoxiæ ſunt borborygmis & ructibus. Hunc affectum præ-
vertunt

vèrtunt in gravidis potus copioſus, clyſmata emollientia, exercitium moderatum. In puerperis ſuadet *Junckerus* oleum amygdalarum, nitrum, crocum, & præterea pulveres abſorbentes, juſcula carminativa, aliaque in noſtris regionibus non uſurpanda.

7. *Flatulentia convulſiva. Spaſmus abdominis* Sennerti lib. 3 part. 10 cap. 8, Heurnii de morbis capitis, cap. 15.

Jeſuita ab *Hœckſtettero* obſervatus per paroxyſmos patiebatur flatuum copiam, rugitus & murmura in ventre, hypochondriorum dolores, accedebant ſimul convulſiones totius abdominis & thoracis, cum difficili & anhelosâ reſpiratione, involuntariâ ſeminis excretione, mentis alienatione. Similem ægrum vidit *Heurnius* Patavii, eo diſcrimine quòd teſtes ad inguina retrahebantur. Hæc ſpecies ad epilepſiam valdè accedit, unde ab hypochondriacâ diſcrepat.

XXXV. ÆDOPSOPHIA.

Eſt flatuum à genitalibus emiſſio ſonora; à Græco *aidoia* pudenda & *pſopheo* peditum edo. Hic affectus non ita rarus eſt, ut debeat à Noſologis prætermitti. Accidit autem & viris & mulieribus.

1. *Ædopſophia urethræ.* Vide Freind, de febrib. comm. 6, Zacut. obſerv. 112. l. 2.

Quidam laborabat dyſuria quam calculoſam putabant Medici; urinas purulentas, ramentoſas reddebat, & identidem cum urinis magno cum impetu & ſonitu quodam flatus erumpebant; aperto cadavere colon erat ulcere rotundo perforatum, & adhærebat firmiter veſicæ, quæ inter extimam, mediamque tunicam ductu quodam pennæ anſerinæ diametro erat pertuſa; inde verò à colo ad veſicam flatus pertingebant. Similem morbum nuper obſervavit Monſpelii *Collega Illuſtr. D. Fizes in peregrino*, cui erat fiſtula in recto, & materies ſtercoraceæ cum urinâ effluebant.

Per penem in coitu flatus excerni novum eſt; id autem obſervavit *Zacutus*; loco ſeminis ſcilicet flatus erumpebat; hinc ſterilis remedia quæſivit; profuerunt verò cathartica quibus ſudorifica ſucceſſere, & demùm balnea domeſtica, quibus fertilis evaſit.

Ædopſophiam urethræ inter coeundum, ſeu flatuum cum ſemine exploſionem obſervatam videſis cum dyſpermatiſmo apud *Frid. Hoffmannum de gravi ſpaſmo & dolore veſicæ obſervatione 5.*

2. *Ædopſophia uterina* Zacut. Luſitan. lib. 2. obſerv. 141, 142; *Tympanitis fugax* Aſtrucii de morb. mulier. lib. 2 art. 2 cap. 9.

Notum eſt tympanitides uterinas ſolvi ſolitas per flatus, cum impetu ex utero erumpentes; ſed hæc flatuum eruptio fugax eſt; verùm in tympanitide fugaci *Aſtrucii* quoties mulieres corpus ſuum antrorſum flectunt, aut abdomen, aut in coitu premi patiuntur, toties flatum ſonorum ex utero emittunt; teſtis *Martialis* qui garrulitate vulvæ offendebatur; ex ipſamet vaginâ ſemi-prolapſâ & aërem nunc includente, nunc pro ſitu corporis excludente peditus illos quandoque proficiſci veroſimile eſt.

Mulieri zelotypiâ, aut vehementi irâ percitæ, uterus portentosè intumuit, illâ lecto commiſſâ, ſtragula alternatim attollebantur, quaſi ſubtus maximus ventus à folle fuiſſet exploſus, hinc ſibilus, qui ſenſim deſiit, ſed ſupervenit ſtrepitus flatu cum impetu ex utero exeunte; *Bianchi Journ. de Medec. Mars 1756 pag. 174.*

XXXVI. Dysodia, *Puanteur.*

Eſt fœtidorum vaporum è corpore exhalatio, ſive è naribus, ore, ventriculo; ſive ex axillis, pedibus, vulvâ, inguinibus.

Plures ſunt fœtores qui ad alia genera morborum tanquam ſymptomata vel accidentia pertinent, quive fugaces ſunt, & dyſodiam non conſtituunt; talis eſt fœtor in *febribus* continuis, ac remittentibus, in *phlegmaſiis*, ut variolâ, miliari, in *fluxibus* alvinis purulentis, in *cachexiis*, ut carcinomate, gangrænâ tabe ulceroſâ, &c: hîc fœtores ab aliis morbis independentes tantùm referre noſtrum eſt.

Fœtor autem à miaſmatis ſalino-ſulphureis volatilibus per aëra diſperſis procedit; hæc miaſmata nares ingratè feriunt, licet oculis & auribus, aliiſque ſenſibus non percipiantur. Si aëre multò leviores ſint, illi ſurſum tantò velociùs avolant, quo leviores illo ſunt; ſi ejuſdem gravitatis ſpecificæ, tunc illi quoquo verſus ſe diffundunt, & cum aëre inſpirato nares adſtantium ſubeunt, ſecùs cohibitâ inſpiratione per nares non ſentiuntur.

1. *Dyſodia ozœna; Ozœna* Galeni, non Celſi; *Ulcère du nez, Punaiſie.* Ægri Gallis *Punais.* L.

Eſt fœtor narium cum putridi ichoris effluxu ob ulcus membranam pituitariam exedens.

Ulcus illud vel eſt ſimplex, vel virulentum, ut cancroſum, ſyphiliticum, ſcorbuticum; ratione loci vel eſt in ipſo narium, vel in ſinuum frontalium, maxillariumve cavo alterutro.

Ex fœtore ichoris exeuntis non tutò pronunciatur adeſſe ulcus, cùm ex narium ſtenochoria ob moram muci putridi fœtidus humor, nec tamen purulentus exſtillet.

Utplurimùm inſanabilis eſt ozœna, & anoſmiam accerſit, atque ſi oſſium carie ſtipetur, ſi cancroſa ſit, ſi ſyphilitica, periculum utut ſerotinum vitæ portendit.

Curatio exigit in ulcere ſimplici deterſionem quotidianam quæ fit inſpirando decoctum hordei cum melle, vel foliorum hederulæ, ſeu glechomatis, vel aquam calcis; ſi ulcus ſit ſyphiliticum, præmitti debet hydrargyroſis, & cum medicamentis inſpirandis mercurii dulcis pauxillum addere convenit. In hoc caſu præter ſpiritum antivenereum aqua errhina ſæpius naribus eſt attrahenda, quæ fit ex aqua majoranæ, melle, chelidonio, oleo amygdalarum, & tinctura Aloës; Locher p. 23. Si ulcus ſit ſcorbuticum, remedia antiſcorbutica, lacticinia ſunt adhibenda.

Si ſinus maxillaris alteruter pus fundat, quod cognoſcitur ex effluxu ichoris, ex determinatâ capitis poſiturâ, tunc nihil eſt melius quàm primum aut ſe-

ſecundum dentem molarem ſuperiorem ejuſdem lateris avellere, & ſi via puri ſic non paretur, intruſo in alveolum ſtylo ferreo viam puri cudere, quæ operatio feliciter inſtituta fuit Monſpelii.

Injectiones deterſivæ & exſiccantes parantur ex vitriolo & viridi æris ac alumine; huc balſamum viride Metenſe, aliaque in Auctoribus memorata.

2. *Dyſodia à rhinoſtenote. Punaiſie des camards.* L.

Fœtor eſt narium ab earum anguſtiâ, quippe accidit ut vel mucus, vel aër in locis anguſtatis, diu retentus, fœtorem adipiſcatur, qui aëri exſpirato per nares conciliatur.

Anguſtia autem eſt multiplex; vel enim nares ſunt reſimæ, id eſt radicem verſus depreſſæ, vel ſunt polypo, ſarcomate, muco ſpiſſo intùs obſtipatæ, vel excreſcentiâ, fluxione obturatæ.

Si ab ortu reſimus ſit æger, affectus inſanabilis eſt, & cura palliativa exigit ut quotidie aqua tepida & odorata naribus inſpirata in os adducatur, ſicque viæ illæ conſtanter eluantur, dein tabaco & odoramentis fœtor ille, prout fieri poteſt, corrigatur: unde meritò dixit *Martialis*:

Hic malè ſemper olet, qui benè ſemper olet.

ut adoleſcentes quidam moſchati, ambarati, &c.

Si à polypo pendeat anguſtia, is eſt vel eradicandus, vel exedendus, atque cum ſæpe pendeat à ſyphilide, hydrargyroſi eſt curandus.

Si à muco narium viſcido, ut in coryzâ, exſpectanda ſolutio ejus, quæ vapore lactis calidi, aquâ tepidâ inſpiratâ acceleratur; in puerulis hæc cauſa vel aliqualis ſimitas, aut nativa naſi depreſſio fœtorem conciliat fugacem; quippe ſucceſſu temporis naſi radix attollitur, & via libera aëri ſpontè paratur, vel & mucus fluidior evadit.

3. *Dyſodia ſtomatica. Puanteur de bouche.*

Oris fœtor Auctorum vel procedit à dentibus carioſis, vel à calculoſo concremento circa dentes, vel ab ſtomacace ſcorbuticâ, vel ab ulcere gurgulionis ſimplici, ſyphilitico, gangrænodeo.

Si à carie dentium, vel ea caries eſt humida odontalgiam inferens & per ſe fœtida, atque tunc temporis dentes carioſi avellendi, vel caries ferro candenti comburenda, aut palliativè oleo caryophyllorum & cinnamomi eſt curanda. Si caries ſit ſicca, tardiſſimè progrediens, per ſe vix fœtens, tunc fœtor procedit ex reliquiis carnium pridiè comeſtarum in cavo dentis putreſcentium, quæ reliquiæ poſt ſingulos paſtus dentiſcalpio auferendæ, & dein os vino collui debet. Si fœtor ſit ab ſtomacace, ſucco acetoſæ, limonum, cochleariæ, ejuſque ſpiritu os colluendum. Si à calculis dentium radices obſidentibus, illi ferramentis aptis ſunt identidem auferendi. Si adſit ulcus gangrænodeum, ut in pædanchone, ſeu cynanche gangrænosâ & malignâ, vitæ ſummum imminet periculum à morbo, cui propriis auxiliis medendum. Si ab ulceribus oris, illa ulcera vel pendent à ſyphilide, & hydrargyroſi præmiſſâ debent bis in die elui ope guttularum aliquot collyrii Lanfranci in aquâ roſarum; vel ulcuſcula ab hydrargyroſi fortiori procedunt cum ptyaliſmo fœtido & frequenti; hoc malum eſt fu-

gax, & ſublatâ hydrargyroſi evaneſcit; ulcera verò ſimplicia oris vix fœtent, niſi ſint fiſtuloſa, ſordida, cancroſa, &c.

4. *Dyſodia ſtomachalis. Puanteur d'eſtomac.*

Eſt fœtor anhelitûs procedens ab ſtomacho & œſophago; ille ut plurimùm eſt putridus, & ab accidentali, vel habituali indigeſtione putri carnium procedens, ructibus potiſſimùm ſuperveniens, jejunis familiaris, à paſtu recedens; eaque curatur emeticis, catharticis & ſtomachicis.

5. *Dyſodia pulmonica.* L.

Vide *phthiſim*, *anacatharſim*, à quibus pendet; odor ille eſt qualem ſputa phthiſicorum fundere ſolent.

6. *Dyſodia ab otorrhœâ. Puanteur des oreilles.* L.

Otorrhœa eſt fluxus ſeroſus, vel purulentus aurium; ex auribus ſcilicet apud pueros non rarò fluit humor ſeroſo-purulentus qui eos à morbis capitis tutos facit, ſed qui ob moram in hiſce cavis odorem fœtidum contrahit; hic fluxus ſiſtendus non eſt, ſed locus optimè detergendus, renovatis quotidiè ſpleniis, injecto hordei decocto, &c.

7. *Dyſodia à tineâ. Puanteur de la tête.* L.

A tineâ malignâ, achoribus, porrigine, teſtudine, trichomate, phthiriaſi, aliiſque ſimilibus morbis capillitii, fœtor non rarò horrendus promanat, qui curandus eſt, ut morbi primarii à quibus pendet.

8. *Dyſodia axillarum; Puanteur des aiſſelles.*

Eſt odor ſpecialis acer, ruſticis ſudantibus, ſordidis communis; acutior eſt apud homines ſanguine acri & bilioſo donatos.

Curatur balneis repetitis, ſero lactis, quæ ſanguinem edulcorant; palliatur aquis deſtillatis thymi, roſmarini, ſimilibuſque quotidiè axillas eluendo.

9. *Dyſodia hircina; Odeur de bouc.*

Eſt fœtor genitalium qui promanat ex unguine, ſeu ſebo quo perinæum, vulva, & ſcrotum illita ſunt, necnon à vapore ſpermatis, qui vapor fœtidus apud hircos œſtro venereo percitos procul diſpergitur; mulieres emunctæ naris affinem huic odorem in viris cognoſcunt.

10. *Dyſodia urinoſa.*

Eſt fœtor urinæ quo inficiuntur qui enureſi laborant poſt lithotomiam, veſicæ fiſtulas, ſimileſque morbos, niſi ſummâ cautelâ utantur; is odor haleces ſalitos etiam refert apud homines qui munditiem contemnunt; mulieres hoc morbo viris graviùs afficiuntur.

11. *Dyſodia pedum; Senteur du pied de muletier.*

Eſt fœtor teterrimus, qui ex pedibus ſudantibus exhalat, apud eos potiſſimùm qui tibialia & udones non mutant.

Sudores illi olidi minimè ſunt adſtringentibus repellendi, ſed ſanguinis acrimonia eſt lacticiniis, juſculis temperanda, pediluvia ex infuſis aromaticis adhibenda; fontanellæ quas ſuadet *Zacutus Luſitanus* in hoc caſu ſunt ipſo morbo pejores, & odorem ulceroſum ipſæ referunt.

De periculoſa ſudoris pedum fœtidi repreſſione, vide *eruditam Diſſert. Illuſtr. Comitis Buchneri, Acad. Naturæ Curioſ. Præſidis ſapientiſſimi.*

FLU-

FLUXUUM THEORIA ET PRAXIS.

1. SYmptomata in excretis Pathologorum. *Morbi laxi*, Proſper. Alpini, *Medic. methodic. Lib.* 12 & *mixti*, *Lib.* 13.

Morbi quos Græci *rheumata*, *catarrhos*, Latini *fluxiones*, *deſtillationes*, *defluxiones*, Cælius Aurelianus *Rheumatiſmos* vocarunt, licet vi nominis *fluores* & *fluxus* ſignificent, ad hanc claſſem minimè pertinent, & ex cauſâ hypotheticâ denominati ſunt; aſt diarrhœa, perirrhœa, leucorrhœa, rectè à *Rheo* fluo nomen mutuatæ ſunt.

2. *Character.* Morbi evacuatorii ſunt illi quorum præcipuum ſymptoma eſt quilibet effluxus, ut ſanguinis, ſeri, urinæ, ſudoris, puris, alvi, uteri, &c.

Symptoma verò præcipuum eſt illud, monente *Platero*, de quo ægri maximè conqueruntur, quod intenſitate, extenſione & duratione notabilius eſt, aliorumque ſymptomatum ſæpè principium eſt.

Commodè dividuntur in *ſanguifluxus*, *ſerifluxus*, & *alvifluxus.* Claſſis hæc eſt maximè obvia, atque mirum eſt eam ab omnibus Auctoribus omiſſam fuiſſe; Methodici ipſi hos morbos in duas claſſes amandarunt; Stahliani quidem, ut *Juncker*, *Nenter*, ſanguifluxus ſatis aptè in ordinem redegerunt; ſed ſerifluxus & alvifluxus perperam cum morbis omninò heterogeneis miſcuerunt; magis foret homogenea claſſis, ſi abortus & dyſtocia aliò poſſent amandari.

THEORIA.

3. Partes contentæ quæ extra corpus debent amandari, ſunt vel *fluidæ*, ut urina, ſudor, vel *firmæ*, ut feces, fœtus, placenta; ambæ verò tùm ſibi mutuò, tùm cum partibus continentibus adhærent (*ex definitione partis in Phyſiol.*), adeoque non niſi per vim hac adhæſione majorem poſſunt extra corpus ejici; hoc norant Veteres, ſolo inſtinctu in mechanicis eruditi, quique vires expultrices à retentricibus diſtinguebant, optimèque ſenſerant in omni fluxu vim expultricem retentrice majorem requiri.

4. Neoterici, hanc cohæſionem prætermittentes, & corporibus ſeſe loco movendi facultatem tribuentes, rectius ſe philoſophaturos crediderunt, ſi everſâ illâ Veterum theoriâ vaſorum ſoli aperturæ, ut rixi, diabroſi diæreſi, tanquam cauſæ, hos effluxus tribuerent; unde nil vulgatius in Scholis, quàm pro cauſâ proximâ ſanguifluxûs vaſorum ſanguiferorum ſolutionem, & pro cauſâ alvifluxûs, urinæ fluxûs, ſphincterum laxitatem incuſare.

5. Alter error Neotericorum eſt conſiderare moleculas fluidorum, ſenſibiles globulos v. g. cruoris, tanquam duros, ita ut ex eo quod orificia

vaſculorum lymphaticorum, aut cutis, diametrum illis globulis minorem habeant, exinde tranſitûs eorum impoſſibilitatem concludant; verùm uti ſolida per digeſtionem abeunt in fluida, ita fluidorum moleculæ etiam craſſiores & firmiores per reſolutionem, ut aqua, per fervorem abeunt in vaporem, ſeu halitum omnium tenuiſſimum; ſic humores noſtri perſpirabiles, & quæcumque ſit globulorum viſcoſitas & cohæſio, illi vi ſufficienti adhibita minimos vaſorum hiatus pervadere poſſunt.

6. Cohæſio itaque fluidorum noſtrorum, quæ nondum vaporiſationem adepta ſunt, aut in fluidum elaſticum & electricum mutata, ſola impedit quominus citò è machinâ noſtrâ turbuloſâ undique poroſâ & perviâ effluant; non verò impedit molecularum craſſities, quæ viribus prementibus obſecundans evaneſcit, ut quiſque in alvi depoſitione experitur. Errant ergò Neoterici, qui ad omnem fluxum ſanguinis requiri putant vaſorum ruptionem, ſolutionem, cùm ſufficiat ut cruoris guttulæ, ſi cohæſerint nimis, elongentur & anguſtentur, aut ut orificia vaſorum, non amiſſâ integritate, nec contractilitate elaſticâ diducantur; ſic fœtus per vim expreſſus ab utero elongato capite, & diſtracto uteri orificio citra vulnus, eroſionem & laxitatem ejicitur.

7. Diverſi generis ſunt vires, quæ contentorum effluxui reſiſtunt, & quæ eorum effluxum excitant; Effluxui reſiſtunt 1° mutua partium ejiciendarum cohæſio; ſic ſcybala, ob duritiem inteſtinorum viribus vix ſolvendam, effluxui reſiſtunt; ſic grumi cruoris, frigore, debilitate cordis, adſtringente medicamine firmati, poſſunt reſiſtere viribus eos trans uterum promoventibus, unde ſuppreſſio fluxûs. 2° Poſitâ vi truſivâ fluidorum eâdem, receptaculorum & orificiorum contractilitas, ſphincterum contractio, craſſities, elaſticitas impediunt effluxum; verùm impedimentum nullum abſolutum eſt, & nulla eſt vis retentrix tanta, quæ ab antagoniſtâ expultrice ſuperari nequeat.

8. Vires expultrices receptaculorum ſunt 1° muſculi, & membranæ muſculoſæ ea receptacula componentes vel ambientes, quatenus vires obtinent à conatibus tum liberis, tùm naturalibus fluidum nerveum in eos immittentibus. Sic ventriculi vis expultrix eſt vis fluidi nervei fibras ejus organi, & muſculos illud ambientes contrahentis, eo ordine, eaque directione quæ requiritur, ut tùm in œſophagum, tùm in pylorum ejiciantur, atque ſi fiat alterutrius directionis delectus, ea vis pendet à facultate ſentiente, ut naturâ, aut libertate. 2° Gravitas ipſius fluidi ejiciendi poteſt effluxui ſufficere, ſi ea orificium deorsùm vergens inveniat, & reſiſtentiis major ſit; ſecùs obſtat ipſi effluxui gravitas; in quo errant illi qui lienteriam, tanquam à gravitate ſolâ feces ad alvum ducerentur, ab inteſtinorum ſola lævitate deducunt, licet pars inteſtinorum ſurſum, pars deorſum vergat.

9. Aſt quæcumque ſit vis expultrix, ea nunquam effluxui producendo ſufficit; neceſſariò verò requiritur ad effluxum, ut vis expultrix ſuperet vim retentricem, & in hoc exceſſu conſiſtit effluxûs cauſa, unde intelli-

gitur

gitur 1° quòd utcumque ſanguis viſcoſus, grumoſus, craſſuſque ſit, is poteſt effluere, ſi vis vaſa premens, exprimens major fuerit; 2° quòd utcumque fluxilis, tenuiſque ſit, poteſt ſiſti, ſi vires fluidi ſubſequentis, aut vaſis continentis minores fuerint; 3° quòd utcumque fortis ſit contractio receptaculi, ut uteri, recti, ea non ſufficiat ad expulſionem fœtus, fecum, niſi minor ſit orificiorum reſiſtentia; 4° quòd utcumque debilis ſit vis fluidum exprimens, ea ſufficiat ad effluxum, ſi minor fuerit adhuc ejus reſiſtentia. Meritò itaque Medici methodici effluxus ad laxos partim, & ad ſtrictos morbos redegerunt, cùm fluxus principia ſint æquè vaſorum conſtrictio & orificiorum laxitas.

10. Falſa eſt Humoriſtarum theoria quæ cauſam fluxuum omnium in fluidorum tenuitate reponit; falſa Solidiſtarum doctrina quæ illam à ſolo ſolidorum vitio deducit; falſa Chymicorum ætiologia, quæ effluxus ſolis adſcribit Chymicis partium elementis; vera Veterum, & verè mechanica theoria, quæ incuſat vim expultricem retentrice majorem, quæque omnes Sectarum doctrinas conciliat, praxique velificatur.

11. Sanguifluxus alii ex vaſis ſanguiferis immediatè extra corpus erumpunt, ut ex mariſcis, vulneribus; alii in cava quædam ſtatim irruunt, ut in inteſtina, ventriculum, pulmones, veſicam, ex quibus deinceps foras eliminatur ſanguis: in prioribus ſufficit, ut vel orificia vaſorum excretoria, ut uteri, narium, diducantur per anaſtomoſim, nec ea dilacerari, vulnerari neceſſum eſt, quod ſine violentiâ externa, vel internâ fieri vix poſſet, & ſine phlogoſi, dolore, ac dein ſubſequente ſuppuratione non accideret; cùm verò ſæpius hæc omnia ſigna ruptionis, diabroſeos, & diæreſis deficiant, veroſimilius eſt ſæpiùs eos effluxus fieri per anaſtomoſim, ſeu dilatationem oſculorum excretoriorum; tales ſunt ſanguifluxus qui à plethora, aut à febrili orgaſmo ſimpliciter oriuntur, & revertuntur, hos voco *ſanguifluxus ab anaſtomoſi.*

12. Dantur *ſanguifluxus* à *diabroſi*, quoties ſcilicet eroſa, ulceroſa, fiſtuloſa ſunt organa ex quibus ſanguis effluit, ita ut ſponte ad minimum horum organorum motum pus cruentetur, vel ſanguis ex ulcere dimanet, nunc guttatim, nunc ubertim, talis eſt hæmoptyſis phthiſicorum.

13. Dantur *ſanguifluxus à diapedeſi*, quos nimia ſanguinis fluxilitas excitat, quoties ſcilicet ſanguis eſt dilutior, diſſolutuſve, ita ut per orificia nativa, etiamſi non dilatata, per ipſos cutis poros, fluidum rubrum, aut intensè flavum eliminetur; talis eſt ſudor ruber axillarum æſtate pluribus accidens, talis eſt hæmaturia, hæmatydros, hæmorrhagia, ſcorbuticis familiares.

14. Sunt etiam *ſanguifluxus traumatici* à rixi vel à diæreſi, per violentiam ruptis, aut ſectis mechanicè vaſis; *à rixi* quidem, ſi impetus, & preſſio ſanguinis vaſorum integritatem ſolvat, & tenacitatem jam fortè debilitatam ſuperet, quod accidit in hæmoptyſi, quam validi clamores, vehementia conamina, aut pathemata excitant; in hæmorrhagiâ febrili criticâ: per *diæreſim* verò fit ſanguifluxus, quoties extrinſecè admotum, vel

intù

intùs ſumptum corpus quoddam ſecans vaſa dilacerat, ut accidit in hæmatemeſi ab hirudinibus deglutitis, à clavis, fruſtis vitri, piſcium oſſiculis ſumptis.

15. Qui verò fluxus ſanguinis fiunt intra receptacula, illi, ut perficiantur, requirunt naturæ conatum, ut inde foras ejiciatur cruor; adeoque cauſa duplex ad eos concurrit; ſic non datur hæmoptyſis ex eo ſolo, quod rupta, eroſa vaſa pulmonum ſanguinem fuderint, inde enim quandoque ſupervenit orthopnœa, ſyncope lethalis ſine ſputo cruento; ſed requiritur ut naturæ conatus, tuſſis dictus, ſeu expectoratio ſanguinis effuſi, cum priori causâ concurrat; ita & in hæmatemeſi, hæmaturiâ, aliiſque, in quibus ſanguinis extravaſatio eſt principium morbi ſanguifluxus dicti, cujus cauſa eſt conatus naturæ ad expellendum illum ſanguinem extravaſatum.

16. Alvifluxus alii per ſuperiora fiunt, ut vomitus; alii per inferiora, ut diarrhœa; quidam ano ſimul, & cato ut cholera. Dejectio per inferiora fit viribus expultricibus inteſtinorum, diaphragmatis, & muſculorum abdominalium, concurrentibus ani elevatoribus, & ſphinctere, qui ſimul detenduntur, ſeu gradariè laxantur, ut in omni motu concurrit antagoniſtarum laxatio cum ſociorum, & directoris muſculi contractione; concurſus ille ſimultaneus tot muſculorum, diverſis modis ad eumdem ſcopum conſpirantium, non intelligitur, niſi principium movens idem ſit quod horum contractionem, illorum laxitatem dirigat, datoque tempore & ordine, viribus ad reſiſtentias proportionalibus exſequatur; nec enim alia poteſt eſſe ratio cur eo ordine, eo rhythmo tot actiones diverſæ perficiantur: ergo veroſimillimum eſt principium illud idem eſſe quod neceſſitatem hujus actionis ſentit, ſeu animam eſſe; nec ulla alia ratio ſufficiens poteſt aſſignari cur ex ſtimulo ubique diffuſo potiùs ſubſequatur periſtalticus quàm antiperiſtalticus inteſtinorum, aut ventriculi motus.

17. Qui ex ſtimulo vellet explicare cur ægri v. g. in extremo periculo certis verbis Dei auxilium implorant, illi deberent exponere cur certi linguæ, laryngis, pectoriſque muſculi dato ordine certâ vi, certaque combinatione moveantur potiùs quàm modis aliis, æque poſſibilibus, & numero infinitis, ex quibus hæc verba minimè pronuntiarentur; determinari autem facilè poteſt quod ille concurſus determinatus organorum facultati ſeligenti ſoli tribui debeat, atque eadem demonſtratio valet pro aliis actionibus ſimilibus, quas proinde veteres Medici animæ facultati meritò tribuerunt, ut patet ex *Riverii Phyſiologiâ*.

18. Vis expultrix itaque ventriculi, ad vomitum v. g. agens, non eſt ſolummodò, ut Neoterici putant, vis fibras muſculares ventriculi contrahens, quæ viget in digeſtione, in gaſtrodyniâ flatulentâ, abſque ullâ expulſione, quæque viget etiam in lienteriâ abſque ulla vomitione; ſed eſt præptereà vis quæ determinatè pylorum occludit, cardiam reſerat, & ſimul motum antiperiſtalticum ventriculi efficit, quæ denique organis ad finem optatum

optatum conſpirantibus, & ſelectis utitur. Hanc verò vim agere in vomitu ex attentâ effectuum conſideratione demonſtrari poteſt.

19. Hanc facultatem, cui ea vis debetur, eſſe animam, probatur ulteriùs ex eo quòd nullus ferè ſit alvi fluxus, vomitusve, quem anima, ſolummodo pathemate affecta in corpore priùs ſaniſſimo non poſſit excitare. Quot ſunt concionatores, qui cùm prima vice cathedram conſcenſuri ſunt diarrhœâ laborant? Quot delicatæ mulieres, quæ ſi appoſitâ mensâ audiant ulceris cancroſi aut cadaveris putris deſcriptionem, nauſeant, & vomunt? Quot qui pro lubitu tuſſiunt, ructant, vomitum cient? Quot qui alvum onuſtam pro tempore ſupprimunt, pro lubitu exonerant, qui præ irâ largiùs mingunt, præ pavore ſudant, præ ſuavis fructûs ideâ ſalivam fecernunt, præ commiſeratione lachrymas fundunt, ut millena alia mittam?

20. In ſtatu æquilibrii inter potentiam quæ ope fibræ circularis comprimit cylindrum, & reſiſtentiam illius cylindri, ſpatium percurſum à potentiâ motrice eſt ut circumferentia, & ſpatium à reſiſtentiâ percurſum eſt ut radius: ergo vis impenſa à potentia motrice in ſtatu æquilibrii eſt ad vim reſiſtentem ut 7 ad 44, ſeu circiter ſexies minor; momenta enim ſunt æqualia, quando vires ſunt reciprocæ ſpatiis eodem tempore percurſis.

21. In contractione maximâ muſculoſæ fibræ unâ ſui tertia parte poſſunt decurtari: fibræ itaque circulares, quæ veſicam, uterum, aliudve viſcus ſphæroideum conſtringunt, poſſunt maximâ ſui contractione ejus cavum imminuere in ratione 27 ad 8, ſeu plus quàm ſubtriplâ prioris amplitudinis; cylindrorum verò cavitas à fibris circularibus poteſt imminui in ratione 9. ad 4, ſeu circiter ſubdupla.

22. Si veſica alteram diametro decies ſuperans, & æquali prædita orificio imminuatur eadem quantitate quoad diametrum, ita ut diameter majoris ſit 10. pollicum, minoris unius pollicis, & utriuſque diameter intra idem tempus decreſcat per contractionem fibrarum circularium uno pollice, quantitas fluidi, quæ ex majori exibit, erit ad quantitatem, quæ fluet ex mediocri ut 271 ad 1: verùm velocitates fluidorum per orificia eadem fluentium ſunt ut quantitates eodem tempore effluentes; ergo in priori velocitas effluxûs eſt 271 vicibus major quàm in poſteriori; ita ut vel minima majoris receptaculi contractio ſufficiat ad magnum effluxum excitandum; minimè itaque æſtimanda eſt quantitas effluxuum ex receptaculorum contractione, niſi habeatur eorum capacitatis conſideratio.

23. Quantitas effluxûs ex diverſis orificiis ſub diverſâ velocitate fluidi, & diverſis temporibus, eſt in ratione compoſitâ orificiorum, velocitatum, & temporis, ita ut, ſi cætera ſint paria, quantitates fluidi effluentis ſint ut numeri, & magnitudines ſimul orificiorum; ſi orificia ſint paria, ut & tempora, quantitates creſcunt aut decreſcunt pro ratione velocitatum; & demùm ſi orificia, & velocitates pares ſint, quantitates ſunt, ut tempora quibus fit evacuatio.

24. Quantitas fluidorum in diverſis ſubjectis ſanis, & ſimilibus, eſt eorum ponderi proportionalis, ita ut cùm pondera ſint in ratione triplicatâ qua-

rumvis dimenſionum, in adulto ſex pedes alto quantitas fluidorum ſit octies major quàm in puero decenni utplurimum tres pedes alto.

25. Evacuatio morboſa eò periculoſior cenſetur, quò intra datum tempus quantitas effluxûs major eſt, & quantitas nativa hujus fluidi minor eſt in corpore; ergo jactura unius libræ ſanguinis in puero eſt æque periculoſa cæteris paribus, quàm jactura octo librarum in viro duplo altiori.

26. Periculum ſanguifluxûs eò majus eſt, quò copioſior eſt, & ſimul breviori tempore abſolvitur; quippe minus eſt periculi ſi jactura duarum librarum ſanguinis fiat intra ſeptimanam, quàm ſi fiat intra diem, cùm intra id temporis tantò minus reparetur jactura, quò minùs temporis intercedit, & è contra.

27. Malum quod ex ſanguifluxibus immodicis reſultat, minùs pendet à quantitate fluidorum imminutâ, quàm ab eorum qualitate mutatâ, quippe cùm juſcula, & potus quartâ quavis horâ ad uncias ſex circiter ingerantur, adeoque fluidi quantitas corpus ſubiens intra diem aſcendat ad 72 uncias; facilè accidit ut multò major ſanguinis amiſſi quantitas reſarciatur. Verùm quoniam non niſi ſucceſſu temporis, & viribus vigentibus, quantitas chyli cruoris qualitates adipiſcatur, ſeu ruber, ſapidus, inflammabilis, actuoſis principiis fœtus evadat, evidens eſt damnum à ſanguifluxibus imminens, ut emolumentum à phlebotomiis ſpectandum, eſſe potius repetendum à craſi cruoris mutatâ quàm à copiâ imminutâ.

28. Phænomena, quæ à profuſis ſanguifluxibus procedunt, ſunt varia pro diversâ quantitate, & diuturnitate effluxûs. Audiamus Illuſtrem Medicum, qui in ſanguineis ægris rheumatiſmo affectis viginti libras ſanguinis intra biduum emittere ſolitus eſt. Quidam nauta, *Coſte* vocatus, rheumatiſmo laborans, & meticuloſus, more meo decem intra biduum phlebotomias paſſus eſt, in ſingulis libras duas ſanguinis amiſit, & eodem tempore ſanguis ad libras duas è pede, & totidem è brachio tùm mane tùm ſero effluebat; in primis phlebotomiis præ timore incidebat in lipothymiam, ita ut adhortandus eſſet, ut bono animo eſſet, nares & tempora aquâ Reginæ Hungariæ fovenda, & ut ſufficiens cruoris copia flueret, aqua in faciem erat projicienda, aut etiam vinum ipſi propinandum; cùm nova ſequenti die vix celebrata eſſet phlebotomia, ſyncope ſupervenit cum convulſionibus, facie extinctâ, & plumbeâ, corpus evaſit frigidum, & in tantum ſoporem incidit, ut vix ulla vitæ indicia exhiberet; pulſus nullus, oculi clauſi, ſudor frigidus terrore adſtantes & Chirurgum proſtravere: adſtantes conclamantes effugerunt; Medicus ope cardiacorum ipſi opitulabatur; paulò poſt pulſus, calor, viſus rediere, ſoporeque diſcuſſo, æger dixit ſe neſcire unde veniat, perfectâ quiete, & dulci ſomno ſe potitum eſſe; horâ tamen quartâ veſpertinâ ultima phlebotomia è pede ad libras duas feliciter celebrata fuit; & vigeſimo poſt die æger, quem mortuum crediderant, videre omnes in plateis optimè valentem: *Obſervations intéreſſante ſur la Goute 1745. pag. 377.*

29. Virgini 25 annos natæ, ſimiles phlebotomias patienti, poſt quartam ſuper-

ſupervenere lipothymiæ fugaces, & dein moroſis hyſterica, in qua nunc ridebat, nunc plorabat, dein in magnum mœrorem incidebat, cui ſuccedebat terror panicus; quæ ſymptomata poſt ſyncopem etiam graviorem ſequentibus phlebotomiis ſupervenere; demùm ſynochus putris acceſſit, atque poſt longam convaleſcentiam pallida, & pedibus œdematoſa vixit. Quotidianum autem eſt videre quòd ab intempeſtivis, & pluries repetitis phlebotomiis aut ſanguifluxibus œdemata pedes, tibias, imò anaſarca, & aſcites invadant.

30. Ex hiſtoriâ priori videtur concludi poſſe pavorem potiùs quàm inanitionem vaſorum hiſce ſyncopibus, & convulſionibus anſam præbuiſſe, cùm poſt quartam phlebotomiam acceſſerint, & poſt decimam ſequenti die peractam nil ſimilis acceſſerit, utcumque duodecim inſuper libras ſanguinis amiſiſſet ille Rheumaticus; quare verò diu pallidi, frigidi, œdematoſi evadant, qui multùm cruoris amiſere, hoc procedit ex eo quod chylus diù crudus remanet in vaſis loco boni cruoris ſpumoſi, phlogiſto ſcilicet deficiente, quod fluidum nerveum ſuppeditat, quod chylum in ſanguinem convertit, & ſic robur labaſcit: deficiente autem cordis robore, cur œdematoſus evadat æger explicabimus in cachecticorum claſſe.

31. Nonne videtur ex hac hiſtoriâ, & quotidianâ obſervatione circulationem ſanguinis ita eſſe connexam cum animæ vigore, ut ſi æger metuat, ut ſi animoſitas ipſi deficiat, ſuſpendatur illico circulatio, vel maximè retardetur; atque ſedato metu, ſanguiniſque fluxu ſuppreſſo, vires vitales non exercentur, ne omninò virium penus exhauriatur, quibus per quietem reſtitutis, iterùm revertitur circulatio. Errant itaque illi qui vires cordis minimè ab animâ pendere putant, ex eo quod non pendeant ab ejus voluntate; plura ſiquidem facere nolumus, aut non lubenter exſequimur, quæ neceſſitate urgente coacti facimus.

32. Evacuationes ſalubres, ait *Hippocrates*, paſſim benè ferunt ægri; ita ut ab ipſis non ſolùm ſubleventur mala, ſed etiam robur priùs proſtratum reſurgat: illæ verò ſalubres, ſeu criticæ ſunt, quas natura, priùs inutili aut noxio fluidorum pondere onuſta aut irritata, excitat, & illæ ideò conferunt, quia ſunt neceſſitati proportionales ac benè feruntur, quia illud tantùm detrahitur quod copia ſua onerabat aut qualitate noxiâ moleſtabat; ergo ex euphoria potiſſimùm æſtimanda evacuationum ſalubritas, & ex dyſphoriâ inſalubritas.

33. Imminutio molis corporum diverſæ dimenſionis ab eadem fluidi jactura eſt vix conſpicua in majoribus, cùm conſpicua eſt in minoribus, ut ſequitur ex n°. 22; ergo etiam ſi aliquot libræ ſanguinis detrahantur ex corpore humano, cutis non videtur quoad molem, & plenitudinem ſenſibiliter imminuta; non minùs tamen, uſquequò jactura reſarciatur, vaſa ſingula partem ſuæ tenſionis amittunt, & fluidi nervei quantitas detrahitur, atque ex hoc duplici fonte dependet debilitas ſubſequens, niſi vires forent ab hac ſarcinâ priùs oppreſſæ.

34. Natura videtur proſpicere ſimul ſuo robori, & neceſſitati evacuan-

dæ materiæ morbificæ, quippe quæ urgentiori ſatisfacit, tùm ſimul & ſemel cùm neceſſitas expoſtulat, largam vomitionem & ejectionem materiei putridæ & venenatæ eliciendo, ut in cholerâ, tùm per epicraſim, & interpoſitis moris materiam minùs noxiam per alvum, aut vomitionem evacuando, ut accidit in vomitu & diarrhœâ, in quibus licet copioſa ſit in ventriculò & inteſtinis materies morbifica, ea non continuos, ſed pluribus horis quandoque interpolatos edit conatus, ut interea temporis robur reſarciatur.

35. Hoc intelliget ille qui ſenſerit non à quantitate, ſed à qualitate pendere ut plurimum actionem materiæ morbificæ in nervos; nec enim tinctura, aut ſuperficiaria ſpiritus nitri illitio ſuper manum minùs nocet, quàm ſi in eadem ſuperficie triplo major quantitas ejus incumberet; cùm itaque à primâ vomitione remaneat ſaltem ille litus materiæ acris intus ventriculum humectantis, ibi remanet quod ſufficeret ad ventriculum convellendum, niſi ad hanc contractionem requireretur influxus fluidi nervei minimè in ſua origine mechanicus.

36. Nunquam magis elucet naturæ activitas & providentia, ſi ita loqui fas ſit, quàm in partu; ea enim illicò, cùm maturus eſt fœtus, conatus ad uteri orificium ſenſim dilatandum, & dein fœtum expellendum adoritur: verùm ea eſt proprietas fibrarum animalium, ut ſi ſubitò eas vehementer diſtraxeris, rumpantur, aut dolorem intolerabilem inferant, ſi ſenſim, & repetitis vicibus, cedant, & extendi ſe patiantur; ergo debent ſenſim produci; conatus continui defatigant, alterni diutius ſuſtinentur; nam *quod non habet alternam requiem, durabile non eſt*; ergo ut diu & ſine virium detrimento extendantur fibræ, illæ per alternas morulas ſunt extendendæ; denique cùm ad excluſionem ventum eſt in partu ſano, niſus tùm naturales, tùm liberi conſpirant, & ut abdomen fortius agat, rigeſcit pectus, rigeſcunt artus, in quo ſolo ſtatu fortiſſimè deprimitur diaphragma, & uterus feliciter compreſſus, & contractus chorion, ac amnion vi diffringit, & aquarum interventu lubricatâ viâ fœtus excluditur.

37. En perfectam criſeos imaginem! In his conatibus ut & criſibus mentem ſibi conſtare, metu & timiditate immunem eſſe, atque omnes facultates motrices viriliter, & animoſè concurrere, his peractis, levamen perſentire, dulcem requiem experiri, præteritorum dolorem citò obliviſci, hoc eſt quod in partûs felici ſalubrique criſi obſervare eſt.

38. Mulieres parturientes in primorum nixuum intervallis pacatè quieſcunt; imò ſæpius obdormiſcunt, ut vires citiùs reficiantur, dein ſubitò expergefactæ nixus iterant ſucceſſivè frequentiores. Qui putant ea mechanicè fieri à pondere fœtûs uterum diſtendente & vellicante, ignorare videntur ab eadem cauſâ eoſdem effectus exſpectandos eſſe; & cùm pondus ſit idem inter utroſque conatus, nulla eſt ratio cur accedat alterna requies, cur per totum graviditatis decurſum nulli conatus, ultimâ verò die, vel tribus ultimis diebus conatus accedant; numquid naturæ

naturæ aliis quàm mechanicæ legibus directæ ibi molimina cernere difficile eſt ?

39. Evacuationes humorum in ſerifluxibus & alvifluxibus eò faciliùs tolerantur, quò humores illi ſunt minus ad ſanitatem utiles, magiſque noxii ; ſic vidimus alvifluxus ſeroſos, bilioſos, mucoſos diutiùs tolerari, minuſque robur infringere quàm ſanguifluxus ; quia ſanguis eſt multò utilior humoribus illis, & ſæpiùs cum humoribus quàm cum ſanguine plus ejicitur materiæ morbificæ quàm ſanæ ; adde quod humores è ſanguine ſenſim ſecernantur, adeoque ſenſim fiat eorum à maſsâ ſanguineâ ſeparatio ; & etiamſi è receptaculis ubi aſſervantur deinceps ſubitò & affatim ejiciantur, non ita infringuntur vires, quàm ubi vaſa ſanguifera pari velocitate evacuantur tùm humoribus, tùm ſanguine ; robur enim non infringitur ab alvifluxibus & ſerifluxibus in hoc caſu à vaſorum collapſu, & fluidi nervei jacturâ, ut accidit in ſanguifluxibus.

40. Quò plus virium impendit natura in contrahendis muſculis ad fluxum efficiendum neceſſariis, eò plus imminuitur robur in ratione magnitudinis, & intenſitatis conatuum, eorumque durationis ; ſi ad vomitionem unam intra diem unus gradus virium impendatur, ad decem vomitiones intra idem tempus decem gradus abſumentur ; jam ſupponamus vomitiones eſſe intenſiores, alias verò leviores duplo, eodem dato numero ; quæ erunt duplo intenſiores ratione virium contractioni adhibendarum, virium impendium exigent duplo majus ; ſi verò ad unam vomitionem duplo plures muſculi agant eadem intenſitate quàm ad alteram, duplo plus virium impendetur ; denique ſi per dies duplo plures perſeveret vomitio, duplo plus virium etiam ab hoc titulo requiretur.

41. Si itaque æſtimetur magnitudo conatuum ex numero muſculorum qui contrahuntur, & eorum conatuum numero, intenſitas verò ex altitudine ad quam hi muſculi contrahuntur, demum duratio ex longitudine temporis per quod morbus perſeverat, evidens eſt, quod neglectâ etiam differentiâ à quantitate & qualitate materiei rejectæ, periculum mirè variare poteſt, & in caſu ſuperiùs recenſito ſequitur unum fluxum eſſe ſexdecies perículoſiorem altero ejuſdem ſpeciei ; atque ſi quantitas humoris effluentis, ejuſque qualitas utilis ad virium diſpendium, concurrat in eadem ratione trigeſies, vel ſexageſies, &c, majus fieri poſſe periculum.

42. Periculum mortis eò majus eſt, quò virium diſpendium in morbo majus eſt, & robur vitale minus. Robur enim eſt penus virium, quas exhaurire citra mortem impoſſibile eſt ; cùm itaque tantò faciliùs exhauriatur penus, quò minor eſt, & quò diſpendium actuale majus ; ſequitur plurimùm periclitari eos qui morbo prægreſſo, pravo victu, inediâ, ætate provectâ, aut juniori ſunt infirmi, ſi gravis fluxus illis ſuperveniat, atque ſub eodem fluxu periculum eſſe proportionale infirmitati habituali ætatis, conſtitutionis, &c.

PRAXIS.

43. Cùm cauſa fluxûs cruoris ſit exceſſus virium expellentium ſupra vires retentrices, evidens eſt, quòd ſi ſanandus ſit ille fluxus, tollendus eſt neceſſario ille exceſſus, quod fit augendo vires retentrices, vel imminuendo expultrices, ita ut poſteriores prioribus non prædominentur; ergo duplex eſt indicatio adimplenda ſimul; ſive enim augeamus vires quæ retinent, non auctis expellentibus; ſive expellentes vires minuantur intactis prioribus; ſive denique augeantur retentrices in majori ratione quàm expultrices, neceſſariò tolletur fluxus.

44. Verùm apprimè cognoſcendum eſt priùs num fluxus ille ſit morbus ſalutaris, qui ſcilicet majorem præcaveat, vel ſanet illius principia auferendo. Vidi pluries, ſanatâ diarrhœâ ſeroſâ, ſupervenire aſcitem; ſuppreſſo diabete hyſterico, anaſarcam reverti, gonorrhœâ repreſſâ, ſyphilidem nidulari; anacatharſi retentâ, dyſpnœam intendi; menorrhagiæ ſuppreſſæ diverſos morbos ſuccedere, &c: nullum itaque fluxum activum reprimat Medicus, quin attenderit num plus emolumenti ab eo ſanato ſpectandum ſit, quàm timendum ab eo ſanato detrimenti; ſæpè Medici operosè nihil agunt, aut nedum proſint, magis nocent.

45. Fluxus activi ſunt illi in quibus vires expellentes ſunt vires naturæ ad effluxum ſollicitatæ, vel per quantitatem materiæ morbificæ, vel per ejus qualitatem, vel per errorem. Fluxus paſſivi ſunt illi qui ab imminutis tantùm reſiſtentiis, non auctis naturæ conatibus, dependent, ut ſanguifluxus à vulnere, ulcere, rupto varice, anevryſmate, à diapedeſi ſcorbuticâ, ſudor ab aſtheniâ, alvifluxus à laxato ſphinctere ani, enureſis à ſimili principio, ptyaliſmus à laxitate, &c; in iſtis evidens eſt nullam eſſe utilitatem fluxûs, adeòque eos eſſe curandos, quod de activis non ſemper verum eſt.

46. Vires expultrices ideò agunt fortiùs quòd ſollicitantur, atque apprimè reſpiciendum eſt num 1° copiâ materiæ morbificæ; num 2° ejus acrimoniâ; 3° num cauſâ morbificâ; 4° num erroneo conatu natura ad hunc fluxum ſollicitetur; 5° num ob nimiam ſenſibilitatem & hyſtericam diſpoſitionem, conatus ſint vehementiores quàm par eſt; 6° num intempeſtivi ſint.

47. Si copia materiæ morbificæ conatus proportionales ſollicitet, æger fluxum benè feret, adeoque fluxus eſt naturæ committendus, ut ſi plethorico proportionalis accidat ſanguifluxus; ſi helluoni diarrhœa ſtercoroſa, ſi aſcitico larga enureſis, aſthmatico plenaria anacatharſis, crapuloſo vomitus, &c: Si verò major judicetur, moderandus eſt fluxus; ſi intempeſtivus, detinendus eſt uſque ad tempus opportunum.

48. Si verò acrimonia materiæ morbificæ fluxum ſollicitet, indicationes deſumendæ ſunt à quantitate fluxûs robori relativâ, & ab acrimoniâ materiæ peccantis; præterea diſtinguendum an hoc fluxu liberetur corpus ab hac

hac acrimonia; num verò minimè: ſi ſanguis acer ſcorbuticus effluat, imminuitur quantitas ſanguinis minimè excedens, nec reſidui mitigatur acrimonia, ergo ſupprimendus eſt effluxus, & mitigandus tantùm ſanguis. Sed ſi ſaburra in ventriculo contenta alvifluxu anoterico ejiciatur, liberatur corpus ab hac noxa per vomitum, ergo juvandus, aut moderandus, aut naturæ committendus; juvandus, ſi vires naturæ langueant; moderandus, ſi metus ſit ne robur deficiat; naturæ committendus, ſi rectè procedat.

49. Si à cauſâ mechanicâ ſollicitetur fluxus, illa cauſa eſt auferenda; ſi v. g. hæmatemeſis ab hirudinibus, pyuria à calculo, menorrhagia à placentâ poſt partum relictâ in utero, evidens eſt hirudines eſſe necandas, vel ejiciendas, calculum extrahendum, placentæ fruſtum educendum, ut naturæ conatus ceſſent, & fluxus ſiſtatur, aut ſi ablatio impoſſibilis ſit, naturæ conatus anodynis & narcoticis ſedandus.

50. Si errores ſunt naturæ conatus, ſeu non conducant ad principium morbi auferendum, ut in ultimis exemplis, aut ubi ex tuſſi ſit hæmorrhagia, ex vomitu menorrhagia, enureſis, ex cranii ictu vomitus, ex ſternutatione abortus, &c: quia evidens eſt effluxus illos à naturâ non intendi, nec proinde utiles eſſe, illis opponenda ſunt remedia; quorum tutiora ſunt quæ tollunt materiem morbificam, quam reſpiciunt illi conatus. Sic in vomitu ab ictu capitis phlebotomia; in enureſi à tuſſe bechica; in ptyaliſmo à nauſeâ vomitum juvantia, & ſimilia conveniunt.

51. Si nimia ſenſibilitas, aut ut hodiè placet, irritabilitas, fluxui anſam præbeat, ut in vomitu hyſterico, gonorrhœa, oneirogmo, epiphora ophthalmica, diarrhœa à dentitione, ſedandus eſt fluxus, ſi inutilis, aut excedens; tollendus verò omninò per narcotica, dolorem phyſicè, vel mechanicè lenientia.

52. Si intempeſtivus ratione loci, vel temporis, tunc ad debitum locum & tempus eum dimittere opus eſt; ſic ratione loci menorrhagia ex naribus, podice, digitis, papillâ, ea ad uterum ſi fieri poteſt revocanda; diarrhœa quæ noctu revertitur, quæ gravidam moleſtat, quæ exhauſtum enervat, ſupprimenda.

53. Vires expultrices agunt fortiùs, quia ſollicitantur; ſed etiamſi non nimium ſollicitentur, illæ debent quandoque imminui, cùm ſcilicet majus impendet periculum à fluxu perſeverante, quàm à virium expellentium imminutione; vires autem illæ imminuuntur, 1° detracto ſanguine per phlebotomiam, aut aliam quamcumque viam; 2° fluxu ipſomet, ut ſeroſo, alvino, uterino, &c: 3° diætâ parcâ, liquidâ; 4° potu laxante, diluente, refrigerante; ea etenim omnia robur ſanis conſuetum detrahunt, & detracto robore omnes vires minuuntur, niſi inæqualis earum diſtributio fiat, ob partis cujuſdam neceſſitatem, ut cordis, aut irritationem ſingularem.

54. Sic in vehementi cholerâ, dyſenteriâ, aliiſque effluxibus acutis, non ſolùm initio detrahitur ſanguis reſpectu plethoræ, & infarctûs inflammatorii, qui timetur; verùm etiam, ut detractis viribus cordis, contractio fortior ventriculi, & inteſtinorum ſedetur; ſic in hæmoptyſi, hæmorrhagiiſque aliis febre

bre acutâ, aut plethorâ ſtipatis, non ſolùm detrahitur ſanguis ut plethora tollatur, verùm etiam ut robur imminuatur, adeoque moderatiores evadant vires ſanguinem trudentes; cùm autem in ſerifluxibus, & alvifluxibus chronicis robur non majus ſit quàm par eſt, & continuò minuatur à morbo, phlebotomiam omittimus, & ſolum diætâ jurulentâ, potu diluente, ſi ſit acrimonia, vel ſiccitas, roboris moderamini proſpicimus.

55. Utile eſt etiam vires expultrices minuere per diverſionem, id eſt, fluidi nervei impetum aliò divertendo, quod præſtant irritantia procul ab effluxûs loco admota; ſic in hæmorrhagiis narium, Veteribus ſolemne erat ligaturas dolorificas cruribus, tibiiſque injicere; in menorrhagiâ cucurbitulam ſiccam mammis apponere; ſed hoc eſt incommodum, quod dolor, irritationes illas neceſſariò concomitans, robur detrahat, adeoque non minùs noceat ex eâ parte, quàm revellendo ex alia prodeſſe poteſt, adeoque ſatius eſt iis revulſivis auxiliis abſtinere juxta Neotericos.

56. Non idem ſentiendum eſt de derivationibus ex parte nobiliori, & magis ſenſibili in minùs nobilem, ſenſibilemque, maximè cùm pauca eſt effluxio, & hujus deſuetudo eſt inducenda; ſic feliciter in epiphora catarrhali, quæ oculos lædit, per lobum auriculæ ſetaceum ex cortice thymelææ trajicitur, vel veſicatorium pone aures applicatur, ut huc derivetur ſeri acris oculos moleſtantis effluxus; ſic per diuretica, & ſudorifica diarrhœam ſeroſam ſanamus, & ephidroſim habitualem per cathartica avertimus, quæ in ſerifluxibus tantùm obtinent.

57. Jam verò vires retentrices augemus multiplici modo per auxilia mechanica, tùm chirurgica, tùm gymnaſtica, & per auxilia phyſica, tum hygietica, tùm pharmaceutica.

58. Auxilia chirurgica ad ſiſtendos ſanguifluxus ſunt, torcular, quo in amputationibus utimur, preſſio manualis interventu lintei carpti, aut boleti igniarii, turundæ ex linteo intra nares intruſæ, faſciæ & ſplenia in vulneribus, &c: Auxilia gymnaſtica ſunt, poſituræ commodæ, ut ſtatio erecto capite in hæmorrhagiâ narium, ſitus horizontalis & quietus in alvifluxibus, ſeſſio comprimens partem ex quâ quid effluxurum eſt.

59. Auxilia hygietica ſunt aër frigidus, aqua frigida in ephidroſi, in ſanguifluxibus calore, febre ſtipatis; frigida enim poros, vaſaque externa conſtringunt, cruoriſque fluxilitatem imminuunt; alimenta incraſſantia, refrigerantia, demulcentia, prout materies morbifica eſt acrior, calidior, magis activa & concentrata.

60. Auxilia demùm pharmaceutica vocantur, adſtringentia medicamina tùm intus, tùm extus adhibenda.

CLASSIS

CLASSIS DECIMA.

MORBI CACHECTICI,

SEU

DEFORMITATES.

1. QUalitates mutatæ Pathologorum; *Vitia corporis*, Fel. Plater, ſcilicet *deformationes*, *diſcolorationes*, *extuberantiæ*, *defœdationes*, & *conſumptiones*: *Morbi ſeroſo-lymphatici*, Stahlianorum; à Græco *cacos* pravus, & *exis* habitus, forma.

2. *Character* eſt ægritudo chronica, cujus præcipuum ſymptoma eſt vitium formæ in magnitudine, figurâ, vel colore.

Ægri vocantur *cachectæ*, *cachectici*, *cacochimi*, *deformes*; Gallicè *cachectiques*, *cacochymes*, *malingres*.

Theoria.

3. Forma, pulchritudo eſt complexus jucundus omnium qualitatum, quæ ætati, ſexui, regioni conveniunt.

4. Qualitates in Phyſiologia ſunt corporis diſpoſitiones ſenſibus obviæ, ſine motu locali ſpectatæ; aliæ mechanicæ, ut moles, ſeu magnitudo, figura, numerus, proportio partium; aliæ phyſicæ, quarum non niſi confuſa poteſt obtineri idea, ut color, odor, &c.

5. Nares reſimæ, capilli lanati, labia prominentia, color niger apud Africanos complexum jucundum qualitatum, adeoque pulchritudinem deſignant;

gnant; facies rhomboidea, oculi parvi, lutei, labia craſſa, pallida, dentes nigri ex Bethele, color brunneus, ſtriis cæruleis pictus, ungues prælongi, aures pendulæ, mentum imberbe, &c, placent apud Siamæos. Statura tres pedes alta, caput ſubquadratum, color fuſcus, labia craſſa & reflexa decent Pygmæos Hudſonienſis ſinûs, ut ſtatura gigantea, macies, color niger Groenlandicis arridet; nares craſſæ, depreſſæ, clavo ligneo perfoſſæ, aures ſimili clavo ornatæ, caput amplum, globoſum, capilli breves, rubro-luteo & cæruleo-variegati, apud novæ Guineæ Incolas; apud Timorenſes color aurichalceus; apud Magellanicos cupreus; apud novæ Hiſpaniæ Incolas color initio ruber, dein nigricans, viſus hemeralopum; in Madagaſcar cutis nigra, cicatricoſa, adipe fœtido illita, ut Gallis Indicis, vox glociens, aut ſingultuoſa; apud Caffros pedum elephantia, ut apud Alpigenas quoſdam bronchocele; apud Jaggas os anticè edentulum mulieribus, & oculi ſtrabones; in regno Loango pallor cadaveroſus, oculi ſtrabones, & hemeralopes; apud Hottentotos unius teſtis caſtratio, appendix hypogaſtrii apud mulieres pudenda tegens, illitus corporis ex adipe & fuligine, fœtor, &c, pro totidem leporibus habentur.

6. In hac claſſe verò Europæorum tantùm deformitates morboſas, ſeu notabiles enumerabimus, & eas maximè quæ ſymptomata in functionibus, aut in excretionibus accerſere ſolent; atque dividemus hos morbos in macilentos, tumidos, tuberoſos, leproſos, & decolores.

7. *Moles* corporis abſoluta, ſive major, ut gigantea, ſive minor, ut pygmæa, nullam deformitatem involvit; verùm moles deformis eſt cùm aliæ partes relativè majores aut minores ſunt, atque ea eſt quæ viget in tabidis, & in tumidis.

8. Tabidi ſunt illi in quibus moles partium corporis mollium minor eſt reſpectu ad compagem oſſeam, quàm fert formoſa corporis fabrica in ſtatu ſano adultorum; adeps dimidiam corporis partem componit; ita ut pingues ejuſdem altitudinis duplo magis ponderent tabidis; viſcera in tabidis ejuſdem ætatis, & altitudinis, ſi omentum excipiamus, aut adipem detrahamus, ſunt æqualia pondere pinguium viſceribus: arteriæ verò, & venæ reſpectu ad pondus corporis duabus quintis partibus ampliores quàm in adipoſis, licet ſint abſolutè æquales.

Comparatio ponderum totius & partium in macilento.

Pondera.	*unc.*	*dragm.*
Corpus totum.	1140.	0.
Cerebrum.	56.	0.
Pulmo cum mediaſt. & pericardio.	66.	0.
Cor nudum.	10.	0.
Hepar.	45.	0.
Inteſtinum tenue.	21.	6.
craſſum.	17.	4.
Meſenterium.	8.	0.

Lien.

	unc.	dragm.
Lien.	6.	4.
Ventriculus.	5.	3.
Veſica.	5.	0.
Ren ſiniſter.	4.	4.
dexter.	4.	3.
Pancreas.	2.	4.
Epiploon.	1.	0.
Capſulæ renales duæ.	0.	3.
Cutis ſine adipe.	160.	0.

9. Pondera viſcerum in macilentis ſunt duplo majora reſpectu ponderis totius corporis humani quàm in ſanis pinguibus; ergo ſi jecur v. g. renitatur tactui, tunc ejus moles videbitur major abſolutè, quàm in ſtatu ſano, etiamſi minimè tumeat; difficile eſt itaque in macilentis judicare de augmento ſeu tumore viſcerum.

10. Adeps ſolvitur in omnibus morbis febrilibus, inflammatoriis, alvifluxibus, ſerifluxibus, maximè in ſuppuratis, & ſudantibus, necnon ab agrypniâ, labore, pathematis diuturnis, ut mœrore, à doloribus, &c: ergo his ſuccedit macies.

11. Quadratum cutis ſegmentum in pectore cadaveris atramento deſcripſeram, cujus longitudo 85. 7. linear., latitudo 102, adeoque ſuperficies 8751 lin.; reſectæ verò cutis illa pars habuit in longitudine 57. 2, & tranſverſæ latitudinis 94 lin. adeoque ſuperficies fuit æqualis 5386 lin. ergo plus quàm tertiâ parte minor priore.

12. Minima vis fluidum impellens intra plures veſicas valet ſuperare intra longum tempus magnam reſiſtentiam; textus celluloſus, intra quem adeps à vi circulationis adigitur, debet itaque, licet lentiſſimè diſtenſus in adipoſis, cutis contractilitatem ſuperare, eamque nitidam, glabram, turgidulam reddere; verùm ubi viſcoſitas, quâ reſiſtit adeps, calore, alkaleſcentiâve ſoluta eſt, tunc adeps cedit vi contractivæ cutis, quæ ſui juris facta, rugoſa, ſtricta & arctior evadit, ut patet experimento allato: ergo & corporis moles debet in partibus carnoſis imminui, color floridus in ſordidum mutari ob cruoris expulſionem à cute contractâ, imò ſi adeps uberiùs effluat quàm quod à cutis contractilitate ſpectandum eſt, cutis debet eſſe flaccida, marcidaque, ut in atrophiâ accidit.

13. Quoniam verò oſſium capita ſeu apophyſes in genubus, manibus, omoplatis, &c, ſolâ cute teguntur, nec à macie decreſcunt, illa videntur excreviſſe, ſi de eorum volumine ex carnium mole judicemus, ut non raro defectu attentionis accidit; ergo in hoc caſu articuli in macilentis protuberare videntur, & fieri poteſt, ut rachiticos judicemus, qui ſimpliciter macilenti ſunt.

14. *Extuberantia* partium eſt earum ſupra conſuetam libellam elevatio; fit autem vel in partibus omnibus carnoſis ab adipe, ut in polyſarciâ, vel ab humore collecto, ut in anaſarcâ, vel in partibus quibuſdam

tantùm, ut in aſcite, phyſconia, vel in oſſeis partibus, ut in rachitide, vel in ſubcutaneis cutaneiſque glandulis, ut in leproſis; in quibus duo ſunt potiſſimum ſpectanda, ſcilicèt extuberantia, quæ eſt ſymptoma claſſis, cujus theoriam ex theoriâ tumorum primæ claſſis deducere eſt; & ſymptomata acceſſoria, quæ ut plurimum vitioſam ſanguinis humorumque craſim arguunt, ut virus ſyphiliticum, ſcorbuticum, cancroſum, leproſum, ſcabioſum: quandoque inſectis tribuenda ſunt, ut phthiriaſis, malis, &c.

15. Vitia craſeos, quæ hos morbos fovent, adhucdum in obſcuro latent; & nondum Chemia ſatis adolevit, ut ad eorum cognitionem claram nedum diſtinctam nos poſſit manuducere; quidquid enim novimus de ſalium alcaleſcentium, & acidorum indole, aut viribus, nimis eſt genericum, nec quidquam ferè prodeſt ad ſpecificam virus ſyphilitici, ſcorbutici, cancroſi cognitionem aſſequendam; cùm itaque horum theoria ſit confuſa, neceſſum eſt ut therapeia ſit empirica.

16. Corpus humanum præbet hoſpitium multis inſectorum generibus, ita ut nulla ſit ferè pars quæ inſectis ſui generis evolvendis, nutriendiſque non inſerviat. Capiti inſident pediculi; cutim ſugunt cimices & pulices; aures infeſtant forficulæ; in narium ſinubus muſcæ ova ſua deponunt; in carnibus dracunculi; in ventriculo, & inteſtinis lumbricus, tæniæ plurium ſpecierum; in recto aſcaris; in ductu choledocho ovium alia inſecta nidulantur; horum venena ſunt nobis medicamina, quæ ſola experientiâ cognoſcuntur: omnia autem inſecta vel ex ovis incubatis pronaſcuntur, ut pediculi; vel fortè ex fruſtis majorum reſectis, ut polypi, germinant; quod de tæniâ veroſimillimum eſt; verùm ea theoria nondum ſufficienti luce eſt colluſtrata, ut ad praxim medicam deducere non valeat; ergo iterum hic ſola valèt empiria, imò cognitio vermium horumce hiſtorica nondùm ſatis eſt evecta.

17. *Decoloratio* eſt nativi coloris in alienum mutatio. Europæorum color alius eſt in genis, ut rubro-roſeus; alius in cute reſiduâ, ut albo-roſeus; alius in iride, ut dilutè cæruleus, fuſcus: datur in uvea niger, in nævis etiam color ab illis omnibus diverſus, fruſtraque hos omnes à nativo cujuſdam humoris peculiaris colore repeteremus, cùm nullus ſit humor in nobis cæruleus; atque ex theoriâ colorum mechanicâ, quam *Newtonus* adumbravit, *Eulerus* elaboravit, reſultat tantùm ex datâ tantummodò craſſitie molecularum inconſpicuarum, & datâ denſitate pendere diverſos colores ſeu determinati toni vibrationes in lucis radiis; verùm inde nil ad praxim utilis adhuc redundavit; ergo merè empirica eſt decolorationum quâ talium therapeia, & hoc tantùm ſupereſt, ut obſtructiones viſcerum, vaſorum debilitatem, cacochymiaſque varias hiſce morbis conjunctas curemus: quod in generibus tantùm atque ſpeciebus quibuſdam horumce morborum exponemus.

18. Chronici ſunt omnes morbi hujuſce claſſeos, id eſt diuturni, & pericoloſi ſimul, ſi gangrænam excipiamus, quæ brevis, & pericoloſa eſt, adeoque

adeoque acuta. Morbus eſt naturæ conatus ad corrigendum corporis viventis ſtatum : corrigere eſt in melius mutare ; cùm itaque vitioſus eſt corporis ſtatus, natura hujus confusè conſcia utitur ſuis organis ad vitium illud fluidorum, & ſolidorum corrigendum ; vitium illud eſt vel materies noxia functionum exercitium lædens, vel obſtruendo vel irritando, & prout organa utiliora impedit vel lædit, eò promptiora, & fortiora conamina exerit natura ut ab illâ materie ſe liberet.

19. Verùm quò potentia motrix limitata fortiora exerit conamina, eò ſymptomata ab hiſce conatibus oriunda, ut febris, convulſio, fluxus, dolor, graviora ſunt, & virium impenſæ majores ; atque ex eo quod ſymptomata graviora ſint, viriumque impenſæ majores, eò minùs perſeverare poſſunt ſine periculo ; ergo eò brevior, & periculoſior eſt morbus ſeu acutior.

20. Mors omnium virium exhauſtionem aut ſuppreſſionem ſupponit ; exhauriuntur eò citiùs vires, quò majores conatus exeruntur, & quò parcius eſt virium promptuarium, ſeu minus eſt robur ; ſupprimuntur ſeu ſuffocantur eò promptiùs vires, quò materies morbifica eſt vehementior, & cum robore minori vires impenſæ majores ; in morbis acutis materies morbifica vehementiùs agit ; & vires impenſæ proportione eâdem ſunt magnæ : ergo duratio morbi eſt in hoc caſu plus minuſve brevis, prout robur nativum minus vel majus eſt.

21. Si materies morbifica obſtruat vaſa ſanguifera, ea vel intercipit totam molem ſanguinis circulantis per obſtructionem in quâcumque alvei ſanguiferi ſectione factam, & in hoc caſu mors in promptu eſt. Si dimidia pars ramorum primi ordinis obſtruatur, circulatio fit per aliam partem dimidiam, morbuſque duplo minus eſt acutus : ſi dimidia pars ramorum ſecundi ordinis obſtruatur, quarta tantùm pars circulantis ſanguinis intercipitur, & periculum eſt quadruplo minus ; ſi demum decimi ordinis pars dimidia vaſorum obturetur, obſtructio intercipit tantum 512am ſanguinis partem, & periculum toties minus eſt.

22. Obſtruitur ferè totus alveus ſanguinis in orthopnœâ, ſeu ſubitâ totius pulmonis inflammatione, conſtrictione, aut ingurgitatione, qualis in ſuſpenſis, fumo ſulphuris præfocatis : totus enim ſanguis tranſiturus per ultima vaſa pulmonum ſubitò hærens infarcit totam arteriam pulmonarem, cor extremos conatus eoſque fruſtraneos exerit, illico perit animal.

23. Si verò dimidia pars vaſorum pulmonarium infarciatur, ut in peripneumoniâ gravi, tunc conatus maximos, & huic reſiſtentiæ proportionales exerit natura, uſquequò reſolutus ſit infarctus, unde ſalus intra tres, vel quatuor dies : vel uſquequo vires ſint exhauſtæ, unde mors intra illum circiter terminum.

24. Verùm ſi ren alteruter obſtruatur, quoniam una arteria emulgens decimam circiter totius ſanguinis à corde ejecti partem tranſmittit, decies minus eſt periculum mortis quàm in orthopnœâ, & quinquies minùs intercipitur ſanguinis quàm in peripneumoniâ gravi ; ita & labor morboſus ad

multò plures dies extendi poteſt, & morbus non ita acutus eſt.

25. In morbis febrilibus & inflammatoriis, quales ferè ſunt omnes acuti, datur in interceptione ſanguinis ratio ſufficiens periculi; verùm in ſoporoſis, ut apoplexiâ, idem vaſorum cerebri infarctus datur, & ex eo infarctu interceptio fluidi nervei, unde virium ſuppreſſio, & proinde debilitas. In dolorificis, ut gaſtrodyniâ, colicâ, non ſolùm ob dolorem abſumitur fluidum nerveum, verùm ut inflammatio ſæpiùs accedit, ex conſtrictione vaſorum circulatio intercipitur; ergo ea theoria omnibus acutis intelligendis ſufficit.

26. Chronici ſunt illi, qui juxta *Hippocratem*, ultra 14 dies extenduntur, & juxta Neotericos, ultra ſeptem ſeptimanas; in illis verò major eſt diſtantia ab initio ad incrementum, ab incremento ad ſtatum, & ſic tardigradus eſt morbus, ſeu lentè ſuâ percurrit ſtadia, & in hoc differt à diuturnis, quòd periculoſus ſit, ut Neotericis placet.

27. In chronicis materies morbifica minimam intercipit ſanguinis circulaturi partem, utpote quæ materies afficiat vaſa ultimorum ordinum, ſcilicet ſeroſa, vel lymphatica, in quibus tantò minor ſanguinis copia trajicitur, quò numeroſiores ſunt à corde numerando diviſionum vaſorum ordines; obſtructa ſint vaſa lymphatica oriunda circa 24um ordinem diviſionis arteriæ v. g. lienaris, cujus ſectio eſt ad ſectionem cœliacæ, ut 1 ad 3: cùm verò cœliaca tranſmittat vix octavam partem ſanguinis aortam trajicientis, ſanguis lienem ingrediens vix eſt 24a pars ejus; ergò primæ diviſionis dimidium vix 48am partem, dimidium ſecundæ 96am, & ſextæ diviſionis dimidium obſtructum vix 1500am partem totius ſanguinis intercipiet; itaque non plus intercipietur ex obſtructis omnibus lymphaticis, quæ ex hac ſexta diviſione poſſunt ſucceſſivè pronaſci, quàm 1500a pars totius.

28. In remotis diviſionibus arteriarum dantur anaſtomoſes venarum ſanguinearum cum ſuis arteriis, antequam ad diviſiones lymphaticas perventum ſit, ut videre eſt in meſenterio; ergo fieri poteſt ut ferè totus ſanguis per arterias delatus, obſtructis etiam omnibus lymphaticis inde oriundis, per venulas ſanguiferas revehatur; ergo non niſi exiguiſſima datur reſiſtentia cordi oppoſita ex illis obſtructis, ferè nullum itaque exinde vitæ periculum, ferè nullum naturæ conamen, nullus itaque morbus acutus, niſi acceſſus quartanæ febris in hoc cenſu reponatur.

29. Interea tamen lien ſenſim diſtendetur ab hoc infarctu, tumeſcetque, unde vicina viſcera prementur; præterea lienis actiones phyſicæ, ſeu præparatio ſanguinis ad bilem conficiendam, & ſi quæ aliæ ſunt, deficient; unde bilis iners minùs ad chylopoieſim apta; hinc chylus minùs aptus, magis crudus, imperfecta hæmatopoieſis; inde pallor, frigus, œdema pedum, anaſarca, aliaque mala oriunda; parcior præſertim liquidi nervei ex crudo ſanguine ſecretio, robur minus; inde periculum quod remotiſſimè tantum vitæ imminet.

30. Alterius eſt originis periculum, quod à morbis evacuatoriis chronicis infertur, ut à ſerifluxibus & alvifluxibus; malum enim illud oritur vel ab acrimo-

acrimoniâ irritante, quæ ſimul diſſolvit ſanguinem, unde deficit reſiſtentia illa ad perfectionem machinæ neceſſaria (*Claſſ. 6. n°. 37*), ſimulque influxus fluidi nervei ad ejectiones ano, vel cato producendas vires detrahit in ratione frequentiæ, & vehementiæ conatuum, ſi fluxus fiat per organa, quæ motu muſculari agunt in effluxibus; denique in quovis effluxu diuturno, ob imminutam in organo ſecretorio reſiſtentiam, lympha nutritia, maximè ſi fluxilior, per organum laxius effluit cum ſucco excrementitio, unde deficit ſuccus nutritius, & vires à laxitate organorum labaſcunt; cùm muſculi laxi, flaccidique non poſſint tranſmittere ad artus vim fluidi nervei quam accipiunt, laxatur ipſius cordis textus, & ſanguificatio impedita impar eſt præparando fluido nerveo, necnon tandem hiſce de cauſis ſucci digeſtivi inertes chylum aptum præparare nequeunt; hinc inappetentia, inedia, chyli, ſanguinis, fluidique nervei penuria.

31. Ex hoc morborum circulo, ſcilicet ex vitiatâ digeſtione, vitioſa ſanguinis craſis; ex quâ fibrarum atonia, fluidi nervei, proindeque virium penuria; ex hiſce etiam principiis fibrarum & vaſorum atonia; hinc ſtaſes fluidorum, unde vitium majus contrahunt; hinc extravaſationes & hydropes, qui partem magnam chronicorum terminant; reſiduam verò partem tabes amphimerinæ, hecticæ, potiſſimùm phthiſis ad mortem comitantur: verùm his addendi ſunt halitus putridi, venenati, qui ex certis corruptelis humorum, & ex omni ſphacelatâ parte exhalant, qui fluido nerveo vel extinguendo, vel deſtruendo mortem inferunt, & hæc ſunt pericula ultima à chronicis metuenda.

32. Vitia itaque ſatis cognita in chronicis ſunt, 1° cacochymia, 2° cacochylia, 3° debilitas, & mollities in ſolidis, 4° obſtructio ab ſpiſſo & acri in vaſis potiſſimum lymphaticis. Auxilia itaque generalia in his indicata, ſunt, 1° quæ colatoria perſpirationis, urinæ, cæterorumque excrementorum pravis ſuccis inquinata depurant; 2° quæ vitioſas digeſtiones corrigunt; 3° quæ tonum ſolidis reddunt; 4° demum quæ obſtructa vaſa, viſcera reſerant, acrimoniam edulcorando, ſimulque viſcida fluida reſolvendo.

Cacochymiam bilioſam, ſeu bilem in hepate, & ſanguine redundantem educunt cathartica iterata, modò priùs hujus excrementi fluxilitas huic expurgationi locum præbuerit; in hunc itaque finem juſcula & apozemata ex plantis cichoraceis, hepaticis dictis, præmittuntur, ſerum lactis æſtate potiſſimùm uſurpatur, necnon aquæ martiales adhibentur.

Cacochymiam purulentam, ſeu purulentiam in quovis viſcere enatam, expurgat natura per anacatharſim in phthiſi, per mictum in pyuriâ, & ſic deinceps; ergo Medici officium eſt illam evacuare.

CLASSIS

CLASSIS DECIMÆ ET ULTIMÆ

SYNOPSIS.

CACHEXIÆ.

Character. Vitioſus corporis habitus quoad volumen, æqualitatem, levitatem & colorem.

ORDO I. Macies, (*Conſomptions*) morbi quorum præcipuum ſymptoma eſt imminutio voluminis à pinguedinis defectu.

I. Tabes, (*Etiſie*) macies cum amphimerinâ lentâ ſine tuſſi.
II. Phthisis, (*Phthiſie*) macies cum amphimerinâ lentâ, tuſſi & anacatharſi purulentâ.
III. Atrophia, (*Atrophie*) macies ſine febre.
IV. Aridura, (*Deſſéchement*) macies unius tantùm partis.

ORDO II. Intumescentiæ, (*Enflures*) deformitas à volumine adaucto.

V. Polysarcia, (*Corpulence*) intumeſcentia univerſalis ab adipe.
VI. Pneumatosis, (*Bouffiſſure*) intumeſcentia univerſalis corporis à flatu.
VII. Anasarca, (*Anaſarque*) intumeſcentia totius corporis œdematoſa.

VIII.

VIII. Phlegmatia, (*Œdématie*) intumeſcentia partium inferiorum œdematoſa.

IX. Physconia, (*gros Ventre*) intumeſcentia abdominis à partibus ſolidis ſine graviditate & fluctuatione.

X. Graviditas, (*Groſſeſſe*) intumeſcentia abdominis ab hypogaſtrio incipiens, opus generationis ſubſequens & partu terminanda.

ORDO III. Hydropes partiales, (*Hydropiſies locales*) tumor à fluidis in capite, abdomine, uterove congeſtis.

XI. Hydrocephalus, (*Hydrocéphale*) eſt hydrops capitis à ſero.

XII. Physocephalus, (*Enflure de tête*) eſt hydrops capitis à flatu.

XIII. Hydrorachitis, tumor cyſticus ex hiatu vertebrarum lumbarium in recens natis protuberans.

XIV. Ascites, (*Aſcite*) hydrops totius abdominis à fluido non elaſtico, ſeu gravis & fluctuoſus.

XV. Hydrometra, (*Hydropiſie de matrice*) tumor hypogaſtrii ſine graviditate ab utero fluidis diſtenſo.

XVI. Physometra, (*Tympanite de matrice*) tumor hypogaſtrii à flatu uterum diſtendente.

XVII. Tympanites, (*Tympanite*) hydrops totius abdominis à flatu, ſeu elaſticus & levis.

XVIII. Meteorismus, (*Météoriſme*) eſt inflatio flatulenta, vel epigaſtrii, vel in morbo acuto ipſius abdominis.

XIX. Ischuria, (*Iſchurie*) tumor hypogaſtrii ex urinæ retentione ſæpiùs intra veſicam.

ORDO IV. Tubera, (*Protubérances*) tumores partium ſolidarum, non hydropici.

XX. Rachitis, (*Rickets*) deformitas ex articulorum tumore duro, carnium marcore, capitis mole, cum ingenio præcoci, in puerulis.

XXI. Scrophula, (*Ecrouelle*) tumor ſcirrhoſus glandularum colli, meſenteriique, cum labiis & naſo craſſioribus.

XXII. Carcinoma, (*Ulcéres chancreux*) ulcera cancroſa cum doloribus lancinantibus.

XXIII. Leontiasis, cognoſcitur ex papillis ſetaceis, vel corniculatis cutim exaſperantibus.

XXIV. Malis, (*Clavelée*) tumores ſæpiùs purulenti, vel ulcera, cum inſectis vermiformibus, paſſim enata.

XXV. Frambæsia, (*Yaw, Pian*) excreſcentiæ fungoſæ mori inſtar granuloſæ, ſæpiùs cum ulceribus, &c.

ORDO V. Impetigines, (*Maladies cutanées*) morbi contagioſi, chronici, qui cutis excreſcentias, tumores gregales, exulcerationes, cruſtas, &c. inducunt.

XXVI. Syphilis, (*Vérole*) cognoſcitur ex ulcuſculis, porris, bubonibus, ficis, quibus primò utplurimùm genitalia afficiuntur, prægreſsâ non rarò gonorrhœâ, dein puſtulis cruſtoſis, doloribus nocturnis, exoſtoſibus, cariebus, &c. quibus cæteræ partes inficiuntur.

XXVII. Scorbutus, (*Scorbut*) cognoſcitur ex ſtomacace, necnon maculis lividis, flavis, purpuro-violaceis, potiſſimùm tibiarum.

XXVIII. Elephantiasis, (*Ladrerie*) cognoſcitur ex facie deformi, tuberibus calloſis, ozænâ, raucedine, cute elephantinâ, craſsâ, unctuosâ, in extremis artubus anæſtheſiâ.

XXIX. Lepra, (*Lépre*) cognoſcitur ex tuberculis calloſis, ſcabie majoribus, vel cruſtis & ſquamis diffuſis, herpeticis, per cutem diſperſis, pruriginoſis.

XXX. Scabies, (*Gale*) cognoſcitur ex puſtulis cruſtoſis, lentis magnitudine, pruriginoſis, manus potiſſimum obſidentibus.

XXXI. Tinea, (*Teigne*) cognoſcitur ex cruſtis flavis, vel griſeis, ulceroſis, per caput diſperſis.

ORDO VI. Icteritiæ, (*Couleurs dépravées*) cognoſcuntur ex totius cutis colore inaſſueto, pallido, flavo, nigro, rubro, ſine pyrexiâ acutâ.

XXXII. Aurigo, (*Jauniſſe*) cognoſcitur ex oculorum & cutis flavedine ad auream, vel aurantiam vergente.

XXXIII. Melasicterus, (*Ictere noir*) cognoſcitur ex cutis colore nigro, vel atro-livido, atro-fuliginoſo.

XXXIV. Phœnygmus, (*Ictere rouge*) cognoſcitur ex rubore diffuſo, vel maculoſo ſine pyrexiâ.

XXXV. Chlorosis, (*Pâle couleur*) eſt pallor, vel fuſcus color cutis, oculis minimè flavis, ſæpiùs cum picâ.

ORDO VII. Cachexiæ anomalæ, cognoſcuntur ex ſignis claſſeos, & affinitate cum prioribus ordinibus.

XXXVI. Phthiriasis, (*Phthiriaſe*) cognoſcitur ex pediculorum exortu, cum alopeciâ, & ſæpiùs exulceratione capitis.

XXXVII.

XXXVII. TRICHOMA, (*Plique*) cognoſcitur apud Polonos ex capillis invicem complicatis, agglutinatis in globos inextricabiles, ſæpiùs cum phthiriaſi.

XXXVIII. ALOPECIA, (*Alopécie*) cognoſcitur ex capillorum lapſu, cuticulæ deſquamatione, &c.

XXXIX. ELCOSIS, (*Mal St. Lazare*) cognoſcitur ex numeroſis, vel amplis ulceribus chronicis, carioſis, fœtidis, &c, cum pyrexiâ lentâ.

XL. GANGRÆNA, (*Gangrene*) eſt initio mors partis, dein ejus putrida diſſolutio.

XLI. NECROSIS, (*Ergot*) eſt partis mors, ſine tumore prævio, deinde verò exſiccatio, induratio & nigredo.

CLASSIS DECIMA.

CACHEXIÆ,

SEU

MORBI CACHECTICI.

SUnt morbi quorum præcipuum ſymptoma eſt fœditas, ſeu formæ nativæ alteratio notabilis.

Cùm forma ſeu pulchritudo ſupponat concurſum qualitatum ſenſibilium; ut figuræ, molis, numeri, proportionis partium, nec non glabritiei, coloris, conſiſtentiæ, &c, quales apparent in hominibus qui eâ ratione cæteris omnibus placent, quoties alterutrum ex hiſce deficit, datur deformitas, quæ tamen non eſt morboſa, niſi notabilis & conſtans ſit, atque utplurimùm aliis gravibus ſymptomatis ſtipetur.

Deformitas Græcis *cachexia* vocatur, ſeu pravus corporis habitus. Cachexiæ titulo vulgò Veteres deſignant macies, icteritias, impetigines, diverſaſque lues chronicas, ut ex definitionibus *Gorræi* deducitur.

Non omnis fœditas accenſeri poteſt inter morbos hujuſce Claſſis; ſic pravus *odor* licet ad qualitates vitioſas attineat, eſt potiùs ſymptoma aliorum morborum, ut ozænæ, enureſeos, diarrhœæ; *caloris & coloris* vitium in febribus phlegmaſiis, aliiſque morbis acutis, non eſt præcipuum ſymptoma, adeoque licet vitioſæ ſint qualitates illæ, ad alias claſſes, quarum ſunt ſymptomata, rectiùs pertinent.

Habitus vitiatur *mechanicè* ubi ſitus, numerus, figura, proportio partium ſenſibilium mutatur, ut in rachitide, gibboſitate, vulnere, herniâ, monſtroſitate, hydrocephalo, &c: *phyſicè* verò pervertitur ubi debita proportio vel humorum inter ſe, vel molecularum inſenſibilium diverſæ qualitatis mutatur, ſic bile prædominante flaveſcit cutis, lymphâ excedente palleſcit, partibus

partibus igneis nimis extricatis calet, denſata frigore cutis riget, &c: Conſulatur *Phyſiologia de temperamentis*, *pag.* 241.

Vitia corporis mechanica vocantur vitia *ſtructuræ*; vitia phyſica vocantur vitia craſis ſeu *mixturæ*. Omnis mutatio fit per motum, adeòque per vires motrices vel reſiſtentes; omne vitium eſt mutatio in corpore ſano facta; ejus proinde cauſa ad vim mutantem reduci debet, eamque vel *mechanicam*, qualis ad luxationem, excreſcentiam, aliaque vitia organica concurrit; vel *phyſicam*, ut adhæſionem, ſecretionem, motum inteſtinum, ex quibus vitia phyſica ſeu intemperies oriuntur; ſi vires corporis humani mechanicæ & phyſicæ concurrant ad eumdem finem propter quem à ſummo Numine inſtitutæ ſunt, ſanitas viget, *Phyſiologiæ*, *pag.* 128. & tunc ſtructura & mixtura partium ſe habent perfectiſſimè *Pathol. n. 8.* Cauſa itaque vitiorum corporis conſpicuorum in ſtructurâ & craſi, eſt virium earum diſſenſus, fuſiùs demonſtrante *Ill. Schreibero in Phyſiologia.*

Natura vitioſis organis utens & mediis ad finem ſuum obtinendum aptis deſtituta non poteſt ſolito vigore & ſucceſſu machinæ humanæ vitia mechanica & phyſica corrigere, ut ea corrigit, vel emendare nititur, dum vigor eſt in machinâ, viget ætatis robur, & vires animæ longo morbo non ſunt fractæ; in morbis itaque cachecticis, in quibus nec ea eſt ſolidis firmitas, nec ea fluidis activitas, quæ ad virium exercitium vegetum requiritur, maximè ſi ætas ingraveſcens, debilitas nativa, vel morbis acquiſita accedant, deficiunt illi naturæ conatus, qui febres acutas, metaſtaſes, criſes, celereſque mutationes excitant; morbi itaque cachectici ſunt utplurimùm chronici, id eſt, tardè procedunt, lentè mutantur, & deficiente facultate ſæpè morte terminantur.

Pertinent juxta methodicos ad morbos *laxos*, in quibus ſcilicet ſolidorum tonus nativo minor eſt, juxta Galenicos ad *intemperies frigidas* & *pituitoſas*; juxta Chymicos ad aquei ſeu *phlegmatici* principii prædominium; juxta Mechanicos ad inæquilibrium ex ſolidorum *atoniâ* oriundum, & ad obſtructiones lymphaticas.

ORDO PRIMUS.

Macies.

SI preſſio lateralis vaſis illata à fluidis prætereuntibus perſeveret, ea vaſa conſuetam ſervant diametrum & tenſionem, adeoque partes ex iis vaſis conflatæ ſuam firmitatem & magnitudinem; preſſio verò lateralis decreſcit tum ex imminuto influxu liquidorum ex arteriis in vaſa minora, tum ex aucto eorum in venas & vaſa excretoria effluxu, atque ex exceſſu effluxûs ſupra influxum pendet lateralis preſſionis imminutio.

Decreſcente verò laterali preſſione fluidorum in ſolida, ſi vaſa ſint ſatis elaſtica, pari paſſu coarctantur partes, cutiſque corrugatur, fit conſumptio cum aridura & ſiccitate; ſi verò vaſa elatere careant, partes marceſcunt, ſeu flaccidæ magis quàm macilentæ evadunt. Hinc diſcrimen inter marcorem & macilentiam; marcor laxitatem ſupponit, non voluminis imminutionem; macies voluminis potiſſimùm imminutionem importat; quo verò pacto ab imminutâ laterali preſſione vaſorum oriatur macies per vim elaſticam, tanquam cauſam, & ſolâ imminutâ preſſione marcor oriatur, intellectu facillimum eſt.

Influxus fluidorum in vaſa minora minuitur imminutâ *facultate* cor contrahente, ut à mœrore, ſenectute, languore, longo morbo prægreſſo, longo jejunio, laboribus immodicis, pathematis diuturnis, vigiliis, vel etiam auctâ *reſiſtentiâ* locali in magnis arteriis alicubi compreſſis, ut à tumore, luxatione, fracto oſſe, excreſcentiâ, vel ab anevryſmate impetum ſanguinis intercipiente, vel à concretione polypoſa idem præſtante.

Effluxus fluidorum è vaſis minoribus ſanguiferis, lymphaticis & adipoſis, augetur in majori ratione quàm influxus, ſi *orificia* excretoria ſudoris, urinæ, perſpirationis, aut colatoria morboſa, ſcilicet ulcera, fonticuli, inteſtinorum emunctoria, nimis patula ſint, vel etiam irritata ad excretionem, quod accidit in evacuatoriis ſeroſis, purulentis, alvifluxibus, nec non ſi fluidorum *viſcoſitas* nativa minuatur diluentibus, potulentis, medicamentis fundentibus, exercitiis, venenis, laconicis, ammochaſia, vel diſſolventibus miaſmatis, medicamentis alkalinis, mercurialibus, diureticis, acribus.

Macies itaque erit in ratione exceſſûs quo effluxus ſuperat influxum; & elaſticitatis vaſorum.

I. TABES. *Etiſie.*

Character eſt totius corporis macilentia, cum pyrexia lenta, habituali; citra tuſſim & puris ſputum.

Differt ab atrophiâ, quæ febre habituali caret; à phthiſi, quæ tuſſi & puris ſputo, vel alterutro ſtipatur; alia eſt primaria, ſeu morbi præcipuum ſymptoma; alia ſecundaria, quæ morbo alterius generis jam degeneris ſupervenit aut ſuccedit, eaque frequentiſſima eſt.

Ægri vocantur tabidi, *étiques*.

Symptomata eſſentialia ſunt *macilentia* & *hectica*. Hecticæ quidem cauſa eſt conatus naturæ ad expurgandum ſanguinem à purulentis, acribuſve miaſmatis per frequentes cordis & vaſorum pulſationes, ſed ob facultatis imbecillitatem, lentas & interpolatas; maciei verò cauſa eſt elaſticitatis nativæ exceſſus ſupra preſſionem lateralem fluidorum in ſolida, ſeu hujus preſſionis lateralis imminutio. Preſſio autem lateralis imminuitur maximè in tabe ob auctum effluxum humorum è vaſis, ſive quia ea fluida ſunt acria, & ad ſecretionem cutaneam, ulceroſam vaſa ſollicitant; ſive quia ſunt ſimul diſ-

ſoluta

ſoluta, fluxiliora, unde perſpirando, ſudando, aut quovis modo avolant, eliminantur.

Differunt tabidi ab hecticis, quia in tabidis major eſt morbus ratione maciei, in hecticis verò ratione febris; nec non quia in hecticis nullum eſt viſcus, nulla pars vitio fixo & organico affecta, quod valet ſæpè in tabidis. De cætero vulgò confunduntur ſine errore in praxi periculoſo.

1. *Tabes dorſalis* Lommii Obſ. l. 2. *Phthiſis notias* Hippocratis lib. de morbis. C.

Ea eſt quæ recens uxoratos & luxurioſos, in venereis rebus non ſatis continentes, aggreditur; febre carent initio, & cibos appetunt, aſt emaciantur; formicarum à capite ſecundum ſpinam decurrentium ſenſum ſe habere putant; urinam emittendo ſemen ſimul emittunt, vel mucum proſtatarum viſcidum; anheloſi, debiles, capite graves, febriculoſi evadunt. Nimius veneris uſus teſte *Sanctorio*, nocet ſtomacho, oculiſque, perſpirationem præpedit, ſenes debilitat, refrigeratque, juvenes leviores & calidiores reddit. Qui diutiùs libidini indulgent, nec ſobriè vivunt, illi vires ſtomachi labefactant, & inde pravæ digeſtiones; unde cruditates, flatus & hypochondriaſis, ſimulque viribus imbecilles evadunt, colliqueſcunt, & tandem *exhauſti*, ſic enim vocantur ægri, pereunt.

Juxta *Lommium* accidentia tabis dorſalis ſunt cephalalgia vehemens, acuta, lumbago dolore formicanti collum & lumbos ſequente, rheumatiſmus inflexionem crurum impediens, alvus pigra, mictio difficilis, ſeminis effluxus inter mingendum & in ſomno, dyſpnœa & laſſitudo ab aſcenſu cum gravitate capitis & tinnitu aurium; febris nulla, macies in dies creſcens, dolor artuum creſcens: morbo inveteraſcente accedit phlegmatia, tremor manuum, amauroſis; ægritudo poſt annos plures reverti ſolet, non raró per ſeptennia: vide *Satyriaſim*, *Gonorrhœam*. Hæc deſcriptio optimè convenit ægro quem præ oculis habeo: tres autem varietates tabis dorſalis quas refert *Hippocrates*, citatus à *Riverio*, ſignis ſufficientibus ſunt deſtitutæ: Vide *Lumbaginem* 16am.

Præmiſſis univerſalibus *Hippocrates* præſcribit lac aſininum, deinde lac vaccinum per quadraginta dies, & poſtea cibis mollibus vires reficit.

Prodeſt etiam illis qui venere abſtinere recuſant, cibus euchymus & reficiens ex carnibus ſucculentis aſſis, cocolatâ cum vanillâ, moſcho, ambrâ; ſemina pinuum, radix ginſeng, piſtaciæ, avellanæque fructus, bulbi ex orchide, ſalep, ex quibus parantur cremores.

2. *Tabes renalis. Phthiſis nephritike* Hippocratis. C.

Ea eſt ſpecies quæ ex renum exulceratione dependet. Memorabilis huc pertinet caſus chiliarchæ Townshend, quem refert *Cheynæus*, *the English malady pag. 308.* A multis annis laborabat ille doloribus nephriticis, cum conſtanti vomitu, unde vitam miſeram ducebat. Uſus erat ſtricto regimine, lacte aſinino, & aquis Briſtolii. Is ipſe pro lubitu modò in ſedili ſe componeret ſibi omnia vitæ ſigna eripere, deinde reſtituere poterat, cujus ſingularis facultatis, & in proprium cor imperii teſtes fecit Ill. Cheynæum, Baynardum

Baynardum & Pharmacopolam Skrine. Facto experimento ſuis valedixit, codicillum teſtamento ſuo addidit, & Sacramentis aſſumptis tranquillè expiravit.

Secto cadavere omnia ritè ſe habuerunt, excepto rene dextro, qui quadruplo major erat ſolito, veſicæ inſtar diſtenſus, & pulte albeſcente, quæ durante morbo poſt urinas excernebatur; turgidus erat calcereâ materie vel gypſeâ; & carnea renis ſubſtantia diſſoluta evanuerat, hoc nephritico cancro exeſa.

3. *Tabes apoſtematodes. Tabes ab apoſtematibus & ulceribus* Morton Phthiſiol. cap. 5. C.

Ea eſt ſpecies quam fovet apoſtema, vel ulcus, vel fiſtula cujuſcumque partis muſculoſæ. Subſtractio ſucci nutritii à maſſâ ſanguineâ huic originem præbet. Hanc comitantur ſitis, languor, inappetentia, vigiliæ, febris, continua hectica veſpere exacerbans, quæ ad ultimam maciem ægrum deducit.

Sedes abſceſſûs ulceriſve eſt in quâvis parte, ut in tegumentis, capite, corde, diaphragmate, glandulis colli, lumborum, crurum, pedum, &c. Vide *Sepulchretum Boneti Tom. 3. ſect. 7. de Tabe*; *Mortonum Phthiſiologiæ cap. 5.*

Curatio ex *Mortono* fusè habetur. In genere ſecto apoſtemate, pus expurgetur auxiliis chirurgicis, intùs balſamicis; craſis ſanguinis demulceatur lacticiniis, aquis ſulphureis, decoctis ex chinâ, ſalſaparillâ, dulcamarâ.

4. *Tabes nutricum* Morton Phthiſiol. cap. 6. C.

Tabes à nimiâ lactatione cognoſcitur 1° inappetentiâ: 2° languore virium: 3° frequenti hyſteriâ: 4° calore hectico, quibus non raro tuſſis, dyſpnœa, & ſigna ipſius phthiſeos imminentis accedunt.

Tabes illa recens curatur 1° ablactione alumni: 2° cibis euchymis nutrici oblatis: 3° hilaritate animo conciliatâ: 4° uſu diætæ lacteæ, in loco ubi jucundam vitam tranſigere poſſit.

5. *Tabes ab hydrope* Morton. Phthiſiol. cap. x. C.

Hydropis nomine non genus morbi, ſed ordinem morborum intelligo, ubi continentur aſcites, hydrothorax, hydrocephalus, &c. Hos morbos tabes ſubſequitur ob ſanguinis depauperationem, ſucco nutritio in abdomen vel thoracem effuſo. Signa ſunt pallor faciei, ſitis aſſidua, urina pauca & lateritia, languor virium, inappetentia, febris lenta; eventus eſt ſæpiſſimè lethalis.

Indicantur 1° hydragoga repetita, ſi vires vigeant: 2° vel diuretica ſalina: 3° aperientia martialia, ut principium morbi, ſcilicet jecinoris vel lienis aut ovarii obſtructio, tollatur. *Vide Sydenhamum* & *Alex. Trallianum de Aſcite.*

6. *Tabes ſudatoria; Tabes à ſudoribus immenſis* Morton. Phthiſiol. C.

Hanc ſpeciem ſudores aſſidui vel nocturni atque febricula comitantur. Hæc phthiſi confirmatæ comitem ſe adjungit; aſt quandoque ſeorſim à craſi ſanguinis

guinis diſſoluta, acri, ſcorbutica pendet. Vide *Ephidroſim*, in morbis evacuatoriis.

7. *Tabes à pericardio*, Salius de affectibus omiſſis; Zacutus Prax. admirabil. lib. 2. obſerv. 137.

Galenus hanc tabem in ſimiâ & gallo ob tumorem in pericardio ortam obſervavit ſectis animalibus: *Zacutus* ter obſervavit, cujus ſigna ſunt frequens animi deliquium, cordis palpitatio, pulſus durus, parvus, febricula & abſumptio.

Secto cadavere tubercula dura intùs quandoque ſuppurata reperiuntur in pericardio.

Hic affectus chronicus, inſanabiliſque eſt.

Similem tabem in bove obſervavit *Bartholinus*, *Hiſt.* 32 *centur.* 2; *à cordis abſceſſu Galen. lib.* 5. *cap.* 1. *de locis affectis.*

8. *Tabes hepatica* Boneti Sepulchret. T. 1. pag. 742. *Tabes à ſcirrho hepatis* Ol. Borrichii obſ. 95. C.

In hac ſpecie ſubſtantia hepatis eſt referta granulis duris, albis, qualia in jecore porcorum ſtrumoſorum vulgò obſervantur.

Hanc tabem in adoleſcenti obſervavit *Borrichius*; plures hujus hiſtorias vide in *Boneti Sepulchreto*. Si ſuppurati hepatis ſubſtantia per ductum choledocum feratur diſſoluta in inteſtinum, inde oritur hepatirrhœa purulenta. Hanc tabem inciſo hypochondrio curarunt *D. Chicoyneau* & *Soulier.*

a *Tabes hepatica* D. Monro Eſſais d'Edinburg Tom. IV. art. 47 obſ. 5.

Incipit ab hepatalgiâ gravi; apparet tumor dolorificus in hepatis regione, color faciei plumbeus evadit, pulſus parvus & frequens, paroxyſmi nocturni ſudore matutino terminantur, anorexiâ; à paſtu magis dolet epigaſtrium; ſitis continua, ſomnus interruptus, diarrhœa pertinax.

Obſervavit *Monro* talem tabem, ubi admotis epigaſtrio cataplaſmatis maturantibus, diarrhœâ ope ſeri lactis perſeverante, intra aliquot dies, tumor qui fluctuabat ſenſim evanuit, licet nullum pus in fecibus appareret.

9. *Tabes meſenterica* Baglivi; *Tabes à glandulis meſenterii* Boneti Sepulchret. pag. 745, 746 Tom. 1; Frid. Hoffmanni de affectione phthiſicâ, cap. XI. 3. C.

Ea ſpecies pendet à glandulis meſenterii ſcirrhoſis tantùm, ut ſæpiùs obſervavi in Noſocomio generali, vel etiam ſimul ſuppuratis; in illis quandoque nulla ſcrophulæ ſigna alia reperiri potui. Infantes circiter ſeptennes ex ſcortis nati maximè huic tabi ſunt obnoxii; pallent, mœrent, cum addephagiâ, ſeu fame voraci, quandoque pica accedit, alvi laxitas, lienterica, emaciantur, febriculâ abſumuntur, & ſæpè in aſcitem, vel phlegmatiam morte terminandam delabuntur.

Vide horum ſcirrhorum deſcriptionem apud *Whartonum Adenograph.*

cap. XI. & delineationem apud *Ruſſellum de Tabe glandulari*, Londini 1750 in-8°. Curantur martialibus, aquis chalybeatis, infuſo rhei pro potu, & deinde lacticiniis.

10. *Tabes glandularis* Ruſſelli de Tabe Gland. *Glandulæ induratæ* Pauli Æginetæ; *Tabes ſcrophuloſa.*

Ea eſt quæ glandularum colli, aurium, bronchiorum, & meſenterii ſimul tumore fovetur, eoque albo duro. Triplex eſt tempus diſtinguendum, 1° indurationis glandularum, 2° inflammationis, 3° ſuppurationis. Glandulæ lymphaticæ affectæ conſtituunt catenam quæ ex auribus ad collum thymum in pectus, & inde in abdomen deſcendit utrimque.

Glandulæ illæ indurantur à viru ſcrophuloſo, quod per litum mercurialem fruſtra aggreſſi ſunt percelebres Medici; ſuadet in hoc caſu *Geofroy* antimonium crudum in pollinem tenuiſſimum redactum ad grana pauca per menſes continuandum; *Ruſſellus* verò in libello de tabe glandulari, & aquâ marinâ, ſuadet in hoc primo ſtadio tanquam expertum pluries remedium, & à *Sereno Samonico* ac *Celſo* olim laudatum, aquam marinam ſive puram, ſive melle edulcoratam, quæ nunc *Thalaſſomel* vocatur, & ad libram unam ſingulis diebus manè hauriatur, non neglecto lactis uſu in tertio ſtadio.

11. *Tabes ſyphilitica; Tabes Gallica* Roderici à Fonſecâ tom. 1; Schenckii lib. 6; *Atrophia à lue venereâ* Aſtruc. lib. 4. cap. 3. C.

Ea eſt quæ poſt concubitum impurum, gonorrhœamque virulentam inopportunè repulſam, ulcuſcula in pudendis, bubones inguinales, herpetes, varoſque frontis, vel colli, demum dolores nocturnos, vomeris, tonſillarum, uvulæ, palati exeſionem, ac oſſium eroſiones & tumores accerſivit; ea quidem ritè adminiſtratâ hydrargyroſi, poſt ſufficientem juſculorum, lactis & balneorum uſum, curari ſolet; verùm ſi imperitè tractata fuerit, adeòque reſtiterit, non rarò ſyphilis in tabem eò magis curatu difficilem abit. Vel etiam ſi ritè curata fuerit ſyphilis, interea tabes ſyphilitica perſeverat, ſi oſſium medulla tabo & carie putruerit, in quo caſu non alia tentari medela poteſt, quàm oſſis apertio, raſio, exciſio, uſtio, ſi vires ægri ferant, interea dùm inunctus æger eſt hydrargyro; dein verò lacticinia, juſcula ex teſtudinibus parata colophonem imponunt.

12. *Tabes ulceroſa.*

Ea non aliam curationem exigit quàm quæ fit ab abſceſſibus, excepto quod cùm ulcus & fiſtula pertinaciora fuerint, timendum eſt ne vel à latente carie cujuſdam oſſis fiſtulæ foveantur, vel ne pus à ſinubus & labirintheis foveis partes internas excavantibus ſuppeditetur, vel demùm ne ſanguinis labes quædam ſyphilitica, ſcorbutica, varioloſa, cancroſa, vel ſcrophuloſa morbum ſuſtineat, in quibus caſibus auxilia chirurgica remediis internis conſocianda ſunt.

13. *Tabes catarrhalis* Frid. Hoffmann. de affect. phthiſicâ, §. 3. *Hectica catarrhalis* Guarinonii. C.

A catarrho inveterato, rheumate neglecto febricula quotidie cum rigore

re exacerbans accidit ; inde inappetentia, inedia, tuſſis, mœror, marcor, macies. Quomodo hic affectus à phthiſi imminente diſtingui poſſit, & an ſit ab eâ diverſus, judicent alii.

Curatur præmiſſis generalibus, per ea quæ lymphæ fluxilitatem & blanditiem conciliant, lacticinia ſcilicet, & diætam mediocrem.

14. *Tabes à ſtomacho* Collect. Acad. Tom.3. pag. 252. obſerv. 4 : *Mal ſubtil*, Furetiére Dictionn. C.

Fredericus Archiepiſcopus Bremenſis ob tuſſim ſiccam, maciem, aliaque ſymptomata pro phthiſico apud Medicos habebatur ; in cadavere pulmo ſanus repertus eſt, ſtomachus verò corruptus quaſi ſphaceloſus, & ita fœtidus, ut nihil magis.

15. *Tabes à vomicâ* Vandermonde Journ. de Med. Nov. 1758. pag. 449. C.

Febris adeſt quaſi recidiva poſt peripneumoniam, cum dyſpnœâ, ſeu oppreſſione pectoris, tuſſi ſpaſmodicâ, difficultate decumbendi in quodvis latus, dolore obſcuro in interiore pectoris creſcente, cùm in alterum latus vomicæ oppoſitum jacet, febris hectica, macies in dies creſcens, demùm poſt violentum tuſſis paroxyſmum rejectio cyſtidis, vel membranæ pus continentis. In obſervatione citatâ *D. Cauſſe Aquiſmortuenſis Medici*, viginti vermiculi in pure cyſtidis natabant.

16. *Tabes rachialgica* Tulpii Lib. III obſ. 24 ; *Tabes dorſalis* 2ª *Hippocratis.*

Ea non eſt venerea ; pendet ab acri humore medullam ſpinalem opprimente, cum doloribus atrocibus totiùs ſpinæ dorſalis & febriculâ lentâ : *Boneti Sepulchr. T. I p. 762* ; *Journ. de Med. Mars 1764. p. 216.*

Hæc tabes notatur facie macilenta, mœſtâ, marcida, oculis languidis, artubus extenuatis, ferè immobilibus ; corpus ſceleto ſimile eſt ; ſynochus, quæ ſecundam rachialgiæ periodum ſtipabat, jam hecticæ locum cedit ; meſenterii glandulæ ſæpius ſcirrhoſæ & ſuppuratæ hanc fovent ; ſolida ſunt exſucca, indurata ; fluida acria & ſicca. Ægri nutriantur decocto cichorii & gruti ; utantur lacte aſinino per autumnum, vaccino & caprino cùm aſininum deficit : & dilui debet decocto chamæmeli, pauxillo ſaſſafras, vel miſceri cum acidulis ferrugineis ; æſtate balnea domeſtica uſurpentur.

17. *Tabes à veneno*, Amati Cent. II cur. 65. C.

Ab arſenico exiguâ copia aſſumpto, vel ab ejus levi decocto *aqueta Italorum* dicto, ſenſim tabe aſſumi, & ſeriùs ociùſve perimi haud dubium eſt, niſi longus lactis uſus veneni acrimoniam deleat.

II. PHTHISIS, Græcis *Phthoë* & *Phthiſis* à *phthino* vel *phthoo*, corrumpo ; *Phthiſis pulmonaris* Morton Phthiſiol. *Pulmonia* Cirigli Conſult. ; *Tiſe* ac *Tiſichezza* Italorum ; Gallis *Phthiſie*, *Pulmonie*, *Conſomption*. Ægri *Phthiſiques*, *Pulmoniques*.

Character. Eſt corporis emaciatio cum amphimerinâ lentâ, tuſſi, dyſpnœâ, & utplurimùm puris ſputo.

Conatus naturæ ad expurgandos pulmones à purulentâ, aut ichorosâ materiâ eos irritante, videtur omnium ſymptomatum cauſa.

Principium verò eſt infarctus pulmonis ſuppuratorius, initio ſcilicet ſcirrhoſus, vel tuberculoſus, cum acrimoniâ ſummâ; unde tuſſis ſicca & frequens, ex quâ tuberculorum illorum ſuppuratio promovetur, fortè puris pars fluxilior reſorpta ſanguinis maſſam inficit, diſſolvit, vaſa irritat, febremque amphimerinam ſollicitat, cujus paroxyſmi ſudoribus colli, capitis, pectoris effuſis terminantur; hinc faciei pallor, marcor, corporis macies, colliquatio, debilitas, ſomnus tuſſi interruptus, anxietas, quâ fit ut ſine ratione ſibi & aliis facilè iraſcantur; nullus tamen pectoris dolor conſtans, unde fortè nunquam de recuperandâ ſanitate deſperant.

Cognoſcitur phthiſis 1° tuſſi initio ſiccâ, pertinaci, quæ rheuma neglectum, pertinax & recidivans ab ægro vocatur, cum vocis tono ſolito acutiori, clangoſo, pondere & oppreſſione pectoris, mœrore, difficili inter ambulandum reſpiratione, quæ mucosâ uberi expectoratione ſublevatur. 2° Pyrexiâ quæ habitualis eſt, poſt paſtum exacerbans, cum genarum rubore roſeo circumſcripto, dum reſidua facies pallet, ſordet, marceſcit; eſt cum pulſu parvo, frequenti; veſpere & noctu incenditur, unde vigiliæ, calor acer, & ſummo mane ſudor; pyrexia autem illa identidem veluti peripneumonica evadit, cum dyſpnœâ majori, quandoque ſputo ſubcruento, & dein uberiori expectoratione, quæ purulenta eſt; hinc ſitis, urina rubra, macies creſcit. 3° Sputa initio pauca, expectoratu difficilia, viſcoſa, dein remittente febre, mucoſa, copioſa evadunt, griſea, ſubdulcia, vel ſalſa & acria, fœtida, flava dùm ſiccantur, & viſcoſa, in aquam conjecta demerguntur, niſi ſpumâ ſuſtineantur; ſupervenit demùm diarrhœa colliquativa ſputa ſupprimens, ungues curvantur, capilli delabuntur, corpus extenuatur, &, vix unquam ab ægro præviſa, mors ſupervenit.

Sectio cadaveris monſtrat pulmones tuberculis duris reſperſos, cum diverſis interpoſitis abſceſſibus; hinc pulmones nedum exeſi ſint, ut vulgus putat, ſunt tumidiores & ſolito ponderoſiores, pure & muco referti, adeps in toto corpore nullus, muſculi exiles, cutis rugoſa, flaccida, tempora concava, facies exſucca, Hippocratica dicta: Vide hiſtoriam & curam *Dictionnaire de Santé.*

Phthiſes primariæ.

Illæ ſunt quæ ſæpiùs hæreditariæ à decimo octavo ad trigeſimum ſextum ætatis annum ſupervenire conſueverunt, vel acquiſitæ, quæ quavis ætate prædiſpoſitis accedunt.

Prædiſpoſitio autem eſt ſiccitas & macies habitualis, vox exilis, & levi de causâ rauceſcens, cutis alba & mollis, ſcapulæ prominentes velut alatæ, pectus anguſtum, aut malè conformatum, collum longum, genæ rubræ, exſcreatio matutina, copioſa, frequens; ſpecies ſequentes ſunt velut gradus diverſi phthiſeos, qui tamen ob diuturnitatem morbi ſingularem medelam tanquam diverſæ ſpecies exigunt, maximè cùm aliquando ſuos ægros ipſe

ipſe primus gradus auferat, antequam ſequentia ſtadia morbus percurrat.

1. *Phthiſis ſicca; Tubercula pulmonis*, vulgò *Phthiſis incipiens* Morton. *Tuberculum crudum* Hippocrat. *Phthiſis à ſcirrhis pulmonum; Phthiſie ſéche.* C.

Illa eſt quæ ſine ullo aut notabili puris ſputo ægrum ſucceſſivè emaciat, ſudoribus extenuat, cum febre amphimerinâ, dyſpnœâ, manuum & pedum calore intenſo, ſicco.

Principium ejus eſt induratio & intumeſcentia glandularum bronchialium, quas per totum pulmonem reſperſas, duras & nigricantes in cadaveribus obſervavi, nequaquam in centro ſuppuratas, ſed veluti cohærentes & firmas, avellanarum, aut nucum magnitudine; interea ex illis in bronchia exſudabat mucus purulentus, quem in ſputis nunquam obſervare potueram.

Cognoſcitur hæc ſpecies, 1° tuſſi chronicâ non unius circiter, ut in rheumate, ſed plurium menſium, eaque etiam initio & continuò ſicca, quæ in rheumate humida eſt; tuſſis illa phthiſica, mitis initio, dein ferina evadit, & vomitionem à paſtu excitat; hanc tuſſim ægri ſæpè tribuùnt humori acri in laryngem depluenti, eamque ſtimulanti; unde niſibus repetitis, mucum quidem gutturis & ſalivam uberem exſpuunt, ſed nihil, aut quid paucum expectorant, contra quàm accidit in rheumate; hanc tuſſim phthiſicam comitatur vox habitualiter exilis, quaſi caſtratorum, necnon dyſpnœa ex motu corporis, pectoriſque oppreſſio, unde pro aſthmate ſicco ſæpè Medicis ipſis imponit; comitatur etiam anorexia, necnon difficilior in alterutrum latus decubitus, accedit ægri moroſitas inſolita, ut vix ab amicis tolerari poſſit. 2° Cognoſcitur ex febre cum ſiti, inappetentiâ, urinæ rubedine, fervore volæ manuum & pedum, veſpertinâ & pomeridianâ exacerbatione, unde à rheumate & catarrho diſtinguitur, quæ quidem febris lenibus etiam catharticis reſiſtit, & nunquam deſinit. 3° Tandem macies quæ eò velociùs procedit, quò craſis ſanguinis eſt acrior; aſt in pituitoſis & adipoſis ſæpe vix per annum eſt ſenſibilis.

Lympha concreſcens in glandulis bronchialibus ſcirrhos, ſeu tubercula ſteatomatica producit, ac proinde indicatio curativa eſt, ut huic lymphæ fluxilitas concilietur eâ cautelâ, ut ſine violentiâ & irritatione reſerentur hæc vaſa lymphatica; ſed hoc opus, hic labor eſt, adeoque incidentia leviſſima, antequam febris acceſſerit, ſunt præſcribenda, & cum lacticiniis, vel edulcorantibus ſimilibus diù uſurpanda. Huc conferunt, præmiſsâ phlebotomiâ, juſcula ex pullo, ranis, teſtudine, cum uno, aut altero cancro fluviatili, foliis hederulæ, floribus tuſſilaginis, vere & autumno repetenda. Si chloroſis, menſium ſuppreſſio, ſcrophuloſa diſpoſitio adſit, pulvis tenuiſſimus ferri, antimonii crudi ad grana duo per menſes addantur, aquæ chalybeatæ pro potu uſurpentur.

Serum lactis cum ſucco cichorii, ſyſimbrii aquatici & decem aſellis, opiata ex catechu, aſellis pulveratis, nec non granis decem antihectici Poterii, pro quavis doſi cum ſyrupo de eryſimo alternis diebus ante lactis hauſtum deglutiatur. Lac autem aſininum cum calore nativo, ſaccharo edul-

 cora-

coratum, purum, mane, per autumnum & ver hauriatur ad uncias octo vel plures. Lac caprinum vere, vaccinum quâvis tempeſtate coctum, ſolum, vel offæ formâ, vel cum oryzâ, ſagou meridie & veſpere ſumatur.

Æger interea aëre puro, libero, non ventis perflato utatur, hilaritatem ſectetur, levi exercitio lymphæ fluxilitatem conciliet.

Æſtate acrimonia lymphæ, ejuſque viſciditas corrigantur potu aquarum ſulphurearum, quales de Cauterets apud Bigorrenſes, de St. Laurents apud Vivarienſes, d'Euzet apud Occitanos, ex quibus tres vel quatuor tantùm in die cyathos hauriat. Tuſſis ſyrupo de papavere albo noctu ſedetur; ſitis leviſſimo infuſo foliorum veronicæ, vel hederulæ, ſeu glechomatis compeſcatur.

Machina Muſelii Berolinenſis eſt vas conicum, orificio amplo inſtructum, decocto pectorali ad tertiam partem onuſtum, cujus orificium ori phthiſicorum tertiâ quâque horâ admovetur, ut naribus clauſis halitus balſamicus inſpiret: *Boenekenii Obſ. in Collectione Franconica tom.* 6, qui uſum crudorum cucumerum in phthiſi felicem expertus eſt.

2. *Phthiſis humida; Phthiſie humide.* C.

Phthiſis vulgatiſſima, quam tuſſis humida, & tantùm initio, aut in febris exacerbatione ſicca, comitatur, cum expectoratione materiæ griſeæ, flaveſcentis, viſcidæ, non ſpumoſæ, dulcis vel ſalſæ, putris, fœtidæ. Differt ab aſthmate humido per febrem veſpere exacerbantem, genarum ruborem, ſputorum fœtorem, calorem, corporis maciem. Ab *anacatharſi* quæ vomicam ruptam ſequitur, per puris copiam exiguam, cùm in vomicâ ruptâ initio ſit copioſa expectoratio; phthiſis humida ſæpè eſt gradus tertius ſiccæ; cùm enim peripneumonicæ febres accedunt phthiſicis, illæ per copioſiorem puris expectorationem accedentem remittuntur, & phthiſis humida fit quæ priùs erat ſicca, ſimulque omnia ſymptomata à ſuppuratione oriunda, ut macies, calor, ſudor intenduntur. Cadaver oſtendit tubercula pure turgida.

Curatio. Eadem eſt ac ſiccæ, eo diſcrimine quod detergentia bechica debeant adjungi, qualia ſunt balſama, ut de Mechâ, Copaivum, nec non Canadenſe, ad guttas octo vel plures in cochleari ſyrupi de capillis veneris, vel violacei ante hauſtum lactis matutini.

Poſſunt etiam aquæ de Cauterets, & ſimiles paulò majori doſi, ut ad libras duas vel tres, per novem dies manè uſurpari calidæ, eo fine ut ſanguis eluatur, initio per alvum, dein per urinas ac ſputum, ab acri & ſalſo pure eum inficiente; verùm cavendum eſt maximè ne aquæ in corpore cumulentur, & reſtitent.

Si lactis uſus tolerari nequeat, quod malum omen, tunc juſcula edulcorantia ſuperiùs laudata debent advocari, cremores oryzæ, ſagou, juſcula ex pulmone vitulino dimidio, cochleis, ranis, teſtudinibus, cum foliis ſiccis pulmonariæ Italorum, Gallorum tuſſilaginis, glechomatis debent lactis loco uſurpari, præmiſſis lenibus & raró repetendis catharticis, ut mannæ unciis duabus, tribuſve.

Phthiſes

Phthiſes ſecundariæ.

3. *Phthiſis ſcrophuloſa* Morton. cap. I. C.

Omnium frequentiſſima eſt, & ſæpiùs curatur quàm aliæ ſpecies. Cognoſcitur ex ſignis ſcrophulæ antecedentis, ex decurſu miti, tardigrado, paucâ macie, febre leni; lympha magis viſcida quàm acris eam ſuſtinet, adeoque lentè procedit morbus.

Curatio exigit initio, antequam ſuppuretur, levia incidentia præmiſſis & repetitis phlebotomiis, vere & autumno uſurpanda; tales ſunt pilulæ balſamicæ Mortoni quæ ſic parantur.

Rec. Millepedum pulverat. drachmas tres; gummi ammoniaci, drachmam unam & ſemiſſem; florum benzoini, ſcrupulos duos; extracti croci & balſami Peruviani, ana ſcrupul. ſemiſſem; balſami ſulphuris terebinthinati, quantum ſatis; fiant pilulæ deaurandæ, vel pulvere glycyrrhizæ involvendæ. Sumat æger hujus maſſæ ſcrupulum unum ſerò & manè, ſuperbibendo hauſtum lactis, vel apozematis pectoralis.

Apozema paretur ex foliis millefolii, piloſellæ, pimpinellæ, taraxaci, pulmonariæ, botryos, ſcabioſæ; ex floribus hyperici, violarum, papaveris rhœados, leucanthemi ana manipulo ſemiſſe, jujubarum, dactylorum ana paribus ſex, croci in nodulo ligati ſcrupulo ſemiſſe, ſeminum aniſi, baccarum juniperi drachmis tribus; infunde & coque in aquæ fontanæ ſufficienti quantitate ad libras tres, in colaturâ calidâ miſceatur conſerva roſarum rubrarum ad uncias quatuor; adde ſyrupum violaceum vel capillorum veneris ad uncias tres, fiat apozema in uſum.

Martialia etiam parcâ manu ad prophylaxim conducunt, & tuſſes in puerulis ſcrophuloſis ſæpè ſanatas vidi longo uſu martis ad granum unum, aut aquæ fontanæ in qua clavi, claves ferreæ infuſæ fuiſſent; utile eſt aquam more ruſticorum Gebennenſium bibere ex cratere ferreo in ſitulâ ſemper merſo; unde apud eos rara ſcrophula, ſed floridus viget color.

4. *Phthiſis ſcorbutica* Mortoni; *Phthiſie ſcorbutique.* C.

Cognoſcitur ſudoribus copioſis, ubere mictione, ſalivæ & muci tonſillarum exſcreatione aſſiduâ, tuſſi humidâ & frequenti; exſcreata tamen materies eſt viſcida, tenax, vix irritans, ſed voluntariis ferè niſibus expectoranda; phthiſis illa mitis eſt & chronica ab admiſſo frigore, vel errore in victu; febris accedit cum inappetentiâ.

Cognoſcitur ulteriùs eruptione exanthematum inſtar herpetis miliaris, & eroſione gingivarum.

Indicantur in hac ſpecie rarò opiatica, quæ ſputum ſupprimunt, nec juvant lacticinia, quæ ſtomacho vix tolerari poſſunt, ſæpius conducunt apozemata antiſcorbutica ex naſturtio aquatico, beccabungâ, hederâ terreſtri, lapatho, nec non abſtergentia, ut mel, ſyrupus de eryſimo, millepedes, balſama, ex quibus pilulæ parantur. Verùm cùm ſuppuratio aperta eſt, tunc aquæ ſulphureæ, juſcula incraſſantia & præmiſſis opiatis abſorbentibus

lac

lac aſininum, quod non ita facilè coagulatur, eſt uſurpandum.

5. *Phthiſis aſthmatica* Morton. cap. 3; *Phthiſis ſenilis* Morton. ibidem. *Phthiſie aſthmatique.* C.

Ea eſt quæ aſthmaticis ſupervenit, atque ab aſthmatis paroxyſmis fovetur. Cognoſcitur ex eo quod per totum ægritudinis decurſum reſpiratione difficili, ſibilante, ſit ſtipata, ob mucum viſcidum è nodis ſeu tuberculis pulmonum exſtillantem, & tracheæ tenaciter hærentem. Phthiſis illa chronica eſt, & inſanabilis, ſenibus familiaris; febre, macie ab aſthmate diſtincta.

Exigit in paroxyſmis non quidem incraſſantia, multò minùs narcotica quæ ſputum ſupprimerent, unde ſuffocatio; ſed parcas phlebotomias, incidentia, bechica, ut mel, hydromel, ſyrupum de eryſimo, balſamica, millepedes, benzoinum, ſtoracem, ſperma ceti; & ſi ſpaſmodicum fuerit aſthma, ſpiritum cornu cervi, vel ſalis ammoniaci; mixtura Riverii emetica ex æqualibus partibus oxymelis ſcillitici, & aquæ cinnamomi cautè, ſi nauſea accedat, eſt adhibenda. Juſcula ex gallo veteri, enulâ campanâ, iride Florentinâ, marrubio albo, ſeminibus aniſi, anethi, paſſulis, liquiritia laudantur à *Riverio*, nec non ſyrupus de peto, ſeu nicotiana Quercetani; verùm acriora ſunt remedia in hoc morbo: terebinthinæ drachma una, cum ovi vitello exhibeatur ad expectorationem movendam, vel balſamum Canadenſe ad guttas decem, cum ſyrupo de tuſſilagine, ſuperbibendo lac vaccinum ebutyratum, & infuſo florum tuſſilaginis, vel gnaphalii montani temperatum. Potus theiformis ex foliis hederæ terreſtris etiam conducit.

6. *Phthiſis hæmoptoica* Morton. cap. 5. D.

Ea eſt quæ hæmoptyſim habitualem ſubſequi conſuevit; quæ hæmoptyſis tum pulmonarium vaſorum laxitatem, tùm ſanguinis acrimoniam & motus febriles ſupponit; hæc verò phthiſis præcavetur præmiſſis generalibus per corticem Peruvianum, vel kinkinam, quod optimè vaſis tonum reſtituit, acrimoniam alkalinam emendat, & motus febriles reprimit.

Illius phthiſeos duplex eſt varietas; altera acuta, altera chronica; utraque exitialis; acuta verò periculoſior. In hac ſputum ſanguinis levi de cauſâ revertitur; & ſæpè ægrum de medio tollit; in hac phlebotomiæ, decocta adſtringentia, pectoralia, ex ſymphyto, hederâ terreſtri, pilulæ ex trochiſcis de karabe, ſanguine draconis, narcotica maximè conveniunt; aſt ſuper omnia in hac acuta phthiſi decoctum & ſyrupus de kinkinâ ſunt palmaria remedia.

In chronicâ lacticinia, & æſtate aquæ chalybeatæ non magnâ copiâ, ſed pro potu ordinario hauſtæ laudantur à Mortono.

7. *Phthiſis calculoſa.* Vide Morton. cap. 6. C.

Ea ſpecies cognoſcitur calculis per tuſſim rejectis, ſæpius aſperis, ſiccis, lentis magnitudine, poſt tuſſim ſiccam, nec non doloribus acutis pectoris, quandoque etiam ſputum cruoris accerſentibus.

Ea

Ea diſpoſitio muci ad concretiones cretaceas producendas ſæpè in eodem ſubjecto calculum in renibus inducit; ex hac verò calculorum pulmonarium minerâ phthiſis chronica inducitur, quæ aquis ſulphureis parca doſi & diu uſurpatis, lacte etiam aſinino; in paroxyſmo verò tuſſis, doloris, aut ſpuitionis cruentæ, narcoticis potiſſimùm debet ſedari.

8. *Phthiſis ſyphilitica*, Vide Morton. cap. 7. & 8. *Phthiſie vérolique*. C.

Illa cognoſcitur ex ſyphilidis conjunctæ ſignis, & ex eo quòd aſthmatica eſt & humida, multum phlegmatis viſcoſi expectorans; circa quod duplex varietas diſtingui debet; vel enim phthiſis vera, & ex pulmonibus eroſis, materiæ viſcidæ, purulentæ ejiciuntur, atque ea ſpecies certè apud nos nunquam ſanata eſt; utrum verò per decocta ſudorifica & pilulas ex æthiope minerali ſanetur, ut aſſerit *Mortonus*, dubito.

Verùm videre mihi contigit alteram ſpeciem, in quâ licet omnia phthiſeos pulmonaris ſigna forent, tuſſis ſcilicet, ſputa purulenta, amphimerina lenta, & emaciatio ſumma, cum puſtulis venereis hac illac reſperſis; & ea hydrargyroſi perbellè ſanata fuit; verùm pus ex tonſillis, palato, uvulâ & vicinis partibus ulceratis muco albido tectis oriebatur, cum tono vocis naſalis, & intra ſeſquimenſem ſine ptyaliſmo omnia ſanata ſunt.

9. *Phthiſis à metaſtaſi puris* Morton. cap. 8. C.

Adoleſcens vulnus in crure ab exploſâ catapultâ paſſus, ibi loci largam & diutinam ſuppurationem expertus curabatur; aſt phthiſis pari paſſu accedebat, quo ulcus cruris exſiccabatur; poſt plures menſes ulcus in crure reverſum eſt, atque phthiſeos ſymptomata evaneſcebant; ſanato cruris ulcere iterùm phthiſis revertebatur, &c; unde facile eſt concludere in ſimili caſu non ſolùm diætam lacteam & balſamica, juſculaque antiſcorbutica vulneraria convenire, ſed etiam ulceris externi cicatricem integram eſſe præcavendam, ut fontanellæ ad inſtar hoc emunctorio purulenta materies poſſit è ſanguine eliminari.

10. *Phthiſis chlorotica*. Vide Morton. cap. 9; Schenckii lib. 2; C. Leigh. Phthiſiol. Lancaſtrienſ. C.

Ea eſt quæ mulieres, ſive virgines, ſive nuptas, quibus catamenia ſupprimuntur, cum tuſſi ſiccâ & pertinaci, ac cachectico vel pallido colore, doloribuſque pectoris atrocibus, demum emaciat.

Chlorotica licet nuncupetur, non tamen illis parcit virginibus quæ optimæ coloratæ ſunt, imò floridæ; verùm à ſuppreſſis catameniis, vel rariùs & parciùs fluentibus, dolores laterales, dorſales, tuſſis ſicca habitualis, ſputum quandoque cruentum, demùm febris nocturna, & cætera phthiſis prænuncia ſymptomata, colorem citò mutant in pallidum.

Illa phthiſis præverti debet uſu martialium, amarorum, juſculorum aperientium, & catamenia reſtituentium; verùm cùm mœrore ſummo & animi languore ſtipetur, neceſſarium eſt ut quæ cœnobiis incluſæ virgines hoc mor-

bo tentantur, ruſticanum aërem reſpirent, exerceantur, phlebotomiis, lacte; cæteriſque auxiliis tempeſtivè utantur; à cantu tamen aſſiduo, frigore veſpertino caveant; nil eſt meliùs antequam febris accedat, quàm ſyrupi martialis cochlear unum ſingulis diebus, vel limaturæ martis granum unum, alterumve per plures menſes in cochleari offæ deglutire; & hoc ſolo remedio novi puellas quibus hæc phthiſis imminebat, radicitus ſanatas.

11. *Phthiſis à peripneumoniâ* Morton. cap. 10. C.

Ea eſt quæ à pulmonis inflammatorio morbo quovis, ut peripneumoniâ vel pleuritide neglectis, ortum ducit, ſive prædiſpoſiti pulmones fuerint vitio hæreditario, ſive non ſufficientes & maturè inſtitutæ fuerint venæ ſectiones, ſive bechicis & acribus nimiùm inſtiterit Medicus; ſive demùm ægri infantes catarrhali peripneumoniâ oppreſſi ſint; cùm enim expectorare neſciant, facilè in phthiſim ex hoc morbo delabuntur.

Ea phthiſis, cùm ſanguinis craſis acris non eſt, & pulmones de cætero benè conſtituti ſunt, facilè curatur, licet copioſa puris viſcidi, griſei, gelatinoſi expectoratio, febris amphimerina lenta eam comitetur. Præmiſſis lenibus catharticis ex mannâ, floribus malvæ, perſicorum, ad diætam lacteam properandum eſt, & ſedato pectoris fervore, præmiſſis ptiſanis detergentibus, ut ex infuſo theiformi, hederæ terreſtris, balſami Canadenſis, vel opobalſami guttæ ſex circiter ſingulis diebus ex cochleari ſyrupi ſunt hauriendæ, hac methodo convaluere quidam quos obſervavi. In hac ſpecie quam peripneumonia vel hepatitis præceſſerant, quæque ſtipata erat phlegmatiâ, aurigine, diarrhœâ colliquativâ, amphimerinâ lentâ & ſudore nocturno, ſucceſſit uſus lactis in infuſo ſemidrachmæ rhei intra ſemilibram aquæ calcis; lac ſcilicet coquebatur cum hoc infuſo: *Mémoire des Etrangers T. III. p. 460.*

12. *Phthiſis rheumatico-arthritica.* Vide Morton. cap. 11. C.

Ea eſt ſpecies quæ dolores rheumatiſmales vel arthriticos excipit & tollit. Aſthmaticæ ſimilis eſt, ſed ab aëre craſſo non exacerbatur; tuſſim non ſiccam, ſed phlegmatis viſciditate moleſtam creat.

Prævertitur phlebotomiis, diætâ lacteâ, & thermis ſulphureis, ut Balneolenſibus, Barregianis, St. Laurent apud Helvios. In hac *Mortonus* laudat kinkinam, vomitoria etiam repetita, quæ ab Anglo nuperiori mirum in modum extolluntur.

13. *Phthiſis à febribus* Morton. cap. 12; Tralles de Opio ſect. 4 pag. 22; Werlhof de febribus p. 54. C.

Ea eſt quæ ab intermittentibus potiſſimùm febribus ortum ducit. In hac ab ipſis febris primordiis tuſſis, dyſpnœa, aliaque phthiſeos imminentis ſigna adjunguntur; ſequitur etiam ſynochos potiſſimùm crapuloſas, & tunc à peripneumonicâ tuſſi ordiri conſuevit, & paulò acutior eſt; verùm prior chronica & mitis eſt, & nihil peculiare exigit cura, niſi ut kinkina bechicis admiſceatur, quo etiam ſolo remedio tuſſim phthiſicam, quæ alias à kinkinâ exaſperatur, ſedatam aliquando vidi.

14. *Phthiſis*

14. *Phthiſis exanthematica*, Vide Morton cap. 12; *Phthiſis impetiginoſa* Carol. Leigh. Phthiſiolog. C.

Ea eſt ſpecies quæ à febribus exanthematicis, potiſſimùm variolis, morbillis repreſſis, cutaneis etiam eruptionibus chronicis retropulſis ortum ducit, inter quas ea quæ rubeolam repreſſam ſequitur eſt infantibus & frequens & funeſta, atque Monſpelii anno 1752 epidemica fuit : à ſcabie repulſa, vide *Fr. Hoffmann. III. 287.*

15. *Phthiſis ictteritia* Morton. cap. 13. *Phthiſis hepatica* ejuſdem. C.

Cognoſcitur 1° ex urinis intensè flavis, coloris etiam brunnei, qualis decocti caffé : 2° flavedine cutis ſæpè pruriginoſâ : 3° pondere, duritie, imò quandoque tumore hypochondrii dextri : 4° inappetentiâ & cacoſitiâ inſuperabili : 5° Sæpè accedunt etiam dolores atroces hepatici ad viciniam & pectus extenſi, & tribus à paſtu horis recrudeſcentes : 6° Mœror & proſtratio animi ſumma : His verò ſe comites addunt ſymptomata phthiſeos, ſed chronicæ tardigradæ, quæ dolores hepaticos & tandem aſcitem inducit.

Prævertitur hæc phthiſis remediis generalibus, & potiſſimùm illis quæ bilem dilutam per urinas & alvum ducere valent, ac primò præmiſſâ phlebotomiâ, ad apozemata aperientia properandum eſt ; ex radicibus bruſci, aſparagi, foliis cichorii, pimpinellæ, ſcolopendriæ, incoctis ſimul intra linteolum, rheo craſſiuſculè trito & limatura ferri. Serum lactis etiam cum ſucco chærophylli, naſturtii aquatici, levis cereviſia lupulata, millepedes potiſſimùm debent uſurpari. Verùm nihil eſt præſtantius, antequàm pectus moleſtè affectum ſit, quàm aquas Vallenſes identidem epotare, & ſi jam phthiſis ſigna ſe prodant, aquas ſulphureas uſurpare, interpoſitis catharticis ; decoctum cichorii, infuſum croci martis pro potu ordinario ſit.

16. *Phthiſis hypochondriaca* Morton. cap. 4; Cirigli Conſult. medic. cent. 1. pag. 66. C.

Ea eſt quæ melancholiam, hyſteriam, hypochondriaſim, mœrores inveteratos ſubſequi ſolet tùm ratione ſpaſmodicæ pulmonum & pectoris conſtrictionis, quæ frigore ſubito pernicioſior eſt pulmonibus, tùm ob ſpiſſitudinem humoribus inductam, unde pulmones obſtruuntur.

Hæc phthiſis eſt chronica & funeſta, nec multùm à curâ phthiſeos genericâ differt hujus curatio, niſi quod ex *Mortoni* mente, volatilibus, ut ſpiritu cornu cervi, caſtoreo, animi vires excitandæ ſunt ; narcoticis liberaliùs ſumptis mœror & pectoris conſtrictio ſublevanda eſt ; aquis martialibus antequàm pus efformatum fuerit, potiùs quàm lacticiniis utendum eſt ; imò ſi fides ipſi adhibeatur, levibus vomitoriis initio utendum.

Ciriglius in hoc morbo ineunte uſum rhei, juſcula viperina, juſcula Lud. Septalii, & pilulas balſamicas pectorales ſuadet.

17. *Phthiſis chyloſa* Car. Leigh Phthiſiol. Lancaſtr.

Albeſcunt feces, intumeſcit abdomen, marceſcit corpus, gravis tuſſis divexat,

vexat, obſtructis veroſimiliter lacteis vaſis, & intumefactis meſenterii glandulis.

18. *Phthiſis à vomica*; *Vomica* Ill. Linnæi Gener. Morb. Vide Pleurodynem 16 & dyſpnœam 6am.

In hoc differt ab aliis ſpeciebus quòd confeſtim multum pus ſæpe fœtidum exſpuatur, ſine præviis phthiſeos vulgaris ſignis; 2° quod ſi folliculus hoc pus contineat nulla pyrexia morbum comitetur; 3° quod ſæpius ſanetur, maximè ſi folliculus pus continens ejiciatur. Hic morbus *vomica rupta* vel *aperta* vulgò dicitur.

19. *Phthiſis à plicâ*, Stabel Hiſtor. 8.

Sanata fuit poſt biennium plicâ evolutâ.

20. *Phthiſis cellularis*, Ill. de Haen Tom. 3. cap. 5. p. 89.

Ea eſt quæ, ſine ulcere pulmonum, pendet ab anacatharſi cruſtæ albæ, quâ ſolent obduci pulmones poſt inflammationem, quæ materies puriformis è pulmone fungo tranſſudat intus.

III. Atrophia; *Maraſme.*

Illud eſt genus morbi macilenti in quo corpus, vel ejus pars ſine febre notabiliter marceſcit, & extenuatur, unde differt à tabe & à phthiſi per febris abſentiam. Derivatur nomen à *trophe* nutricatus, & *a* privativo. Maraſmus derivatur à Græco *maraino* marceſco, quod de floribus languentibus dicitur abuſivè; maraſmi ſignificatus etiam extenditur ad tertium gradum phthiſeos & tabis; quòd ſi nomen genericum pro gradibus mutaretur, triplicandus eſſet nominum genericorum numerus, unde obrueretur memoria.

1. *Atrophia nervoſa* Morton. de phthiſi nervosâ, cap. 1; *Atrophia Anglica & Virginiana* Mortoni; *Tabes nervea*, Lorry de Melânch. p. 182; *La Conſomption*; *Phthiſie nerveuſe*, Dict. de Santé. C.

Eſt conſumptio totius corporis abſque ullâ inſigni febre, vel tuſſi, vel dyſpnœâ, verùm cum appetitûs & digeſtionis everſione, unde languor & marcor in dies creſcens.

Habitus initio œdematoſus, facies pallida, ſqualida, ciborum omnium faſtidium præter potulenta. Languor virium qui lecto ægros continuò affigit; urina ſæpè pauca & rubra, quandoque pallida & copioſa; febris nulla, nec dyſpnœa, niſi quæ à debilitate ſummâ oritur. Principia procatarctica, pathemata animi graviora, liquorum ſpirituoſorum potus liberalior, aër inſalubris, ut Virginianus: morbus eſt chronicus, & in phlegmatiam lethalem degenerat.

Curatio. Initio morbi exigit ea quæ tonum ſolidis valent reſtituere, ut ſtomachica, nervina, martialia, cephalica, amara. Purgetur æger tertio, vel quarto quoque mane, decocto amaro, rheo, myrobalanis. Potus ordinarius ſit ex vino, vel cereviſiâ alteratâ abſinthio, cinnamomo, menthâ, juniperi baccis, ferro. Pilulæ fiant ex balſamo, pulvere ari, galangâ, zedoariâ, calamo aromatico, caſcarillâ, kinkinâ. Opobalſamum, ſpiritus cornu

cervi,

cervi, & ſalis ammoniaci cum pauxillo ſacchari uſurpentur. Victus varius, jucundus in aëre puro, cœtu hilari.

2. *Atrophia à ſanguifluxu : Vid.* Morton. lib. 1 cap. 3. C.

Ea eſt quæ à quovis ſanguifluxu per nares, tuſſim, vomitum, ſeceſſum, uterum, mictum, &c, uberiori, vel longiori procedit; ſi menorrhagia ab uteri ulcere ſyphilitico procedat, ſyphiliticum virus eſt impugnandum. De cætero in quocumque caſu, diæta lactea, cremores de ſagou, ſalep, oryzâ ſunt eximia remedia.

3. *Atrophia lactentium* Frid. Hoffmanni Tom. 2. de tabe infantium.

Ea eſt quæ defectu lactis accidit infantibus qui ſugunt ubera exſucca & lacte deſtituta, tum quia nutrix pabulo caret, tum quia gravida eſt; hos *ingannatos*, ſeu deluſos vulgò vocamus. Cognoſcitur infantes non ſufficienter lactari ex eo quod parùm mingunt, parùm dejiciunt, vagiunt, marceſcunt, & accepto lacte copioſo conquieſcunt.

4. *Atrophia à leucorrhœâ* : *Tabes à gonorrhœâ*, *fluore albo* Mortoni; *ab oneirogmo* Hippocr. Epidem. VI. ſect. 7. 52. C.

Ea eſt quæ ex longo ſeminis tùm fertilis, tùm infœcundi in maribus & fœminis effluxu procedit, a tabe dorſali diſcrepans per definitionem generis.

Initio mœſtitia hypochondriaca, nimia cogitatio, virium languor, famis dejectio, hæc in viris ex largo ſeminis effluxu; in fœminis verò pallor œdematoſus, ſqualidus, pathemata hyſterica, laſſitudo inſignis cum debilitate, inappetentiâ; hæc in fœminis ex leucorrhœâ ſimplici accedunt, ſitis, marcor creſcens, emaciatio ſine ullo phthiſeos ſigno. *Vide* caſum Satyri in *Hippocr. pag. 1201.*

Cura. Siſtatur quantocius effluxus gonorrhoicus, non virulentus, & leucorrhœa per remedia his propria, fames exercitiis levibus, frictione leni, aëre ruſticano ſuſtineatur, cibis variis, gratis, euchymis excitetur, à vino & ardentibus liquoribus ferè abſtineat; cathartica & omnia evacuantia fugiantur.

Accedente calore hectico aquæ minerales æſtate, & vere ac autumno lacticinia uſurpentur.

5. *Atrophia nutricum.* Vide Tabem nutricum. C.

6. *Atrophia ab alvi fluxu*, Morton. cap. 7 lib. 1; *Tabes à dyſenteriâ, diarrhœâ* Mortoni; *A lienteriâ* Mortoni Append. pag. 23. C.

Si acrimonia humorum alvi fluxum foveat, bibantur aquæ ſale Glauberiano ſcatentes pro potu ordinario; ſerum lactis chalybeatum cum bolo abſorbente uſurpetur, dein lac ipſum adhibeatur.

Opiatæ abſorbentes & adſtringentes cum narcoticis interponantur factæ ex terra catechu, oculis cancrorum, cretâ campanâ, & ſyrupo de roſis ſiccis.

7. *Atrophia à ptyaliſmo* Morton. cap. IX. de tabe à ſalivatione. C.

Eſt ea quæ ptyaliſmum quemcumque uberiorem ſequitur, ſive ſit ptyaliſmus ſcorbuticus, ſive qui à pravâ exſpuendi conſuetudine oritur, ſive qui ab uſu hydrargyroſeos procedit, inde ægri emaciantur, & ad tabem, aut

ad phthiſim vergunt; ſi à pravo more procedat ptyaliſmus, ab eo deterrendi ſunt ægri, illos docendo ſalivam eſſe digeſtioni neceſſariam; ſi ab acrimoniâ ſanguinis, aut ab hydrargyroſi, diæta lactea eſt præſcribenda.

8. *Atrophia rachitica* Frid. Hoffmann. cap. VIII tom. 3. *Tabes pectorea* Bonet. Sepulchret. tom. 1 pag. 742. C.

Hæc non ſeriùs, nec ociùs ſe prodit quàm dentitionis tempus; infantes magnum caput, ingenium præcox, articulos, potiſſimùm genua, carpos, tarſos, craſſos habent; ſæpè ſunt valgi, vel compernes, gibbive, ſed in reſiduo corpore emaciati & flaccidi. Vide *Rachitidem*.

Non raró infantes antea ſani, & per omnia rectè valentes, abſque prægreſsâ manifeſtâ causâ languent; corporaque extenuari incipiunt; atque hoc patiuntur, quando maturiùs ablactantur, ſeu à lactis uſu ad ſolidorum ciborum uſum deferuntur; illi pedibus inſiſtere recuſant, artus evadunt penduli, corporis habitus, potiſſimùm in natibus & naſo, evadit flaccidus. Qui affectus rachiticæ atrophiæ affinis eſt; aſt curatur bono lacte reſtituto.

9. *Atrophia à vomitu* Velſchii. C.

Tabes à pyloro obſtructo quaſi cartilagineo non ita raró accidit; hinc vomitus habitualis à paſtu ſuperveniens, ipſa duodeni durities aliquando tactu percipitur. Hunc morbum aliquoties obſervavi, nec quidquam profuit præter diætam lacteam.

10. *Atrophia à crinonibus* Horſtii. Vide Malidem.

Comedones, vel crinones ſunt pili rigiduli, per dorſum potiſſimùm ſparſi, qui recens natis ſuboriuntur, eoſque puncturâ quâdam ita divexant, ut illi miſelli ſomnum capere nequeant, marceſcant, & atrophiâ laborent; illi pili pro vermiculis habentur à pluribus Medicis, quibus aſſentiri vix poſſum; hos nutrices ſolent quotidiè manibus abſtergere, confricare ut elabantur; ſunt qui infantes calidâ eluunt, ut ſuadet *Hoffmannus*: Hic affectus non raró ſolet recurrere. Vide *Malidem* infra in ordine ultimo.

11. *Atrophia ſenilis* Mercurialis. *Maraſmus ſenilis* Galeni; *Morbus frigidus* Galeni; *Maranſis* Ariſtotelis. *Senium* Philippi. C.

Eſt ea quæ vel omnibus hominibus ſeneſcentibus accidit, quæ vulgò tribuitur ſicceſcentiæ corporis; nam, ut aiunt, ſeneſcere eſt ſicceſcere, & ea propriè *maranſis* vocatur *Ariſtoteli*; vel eſt atrophia, quæ licet nullâ febri ſtipetur, febrem ſequitur, unde differt à maraſmo torrido, ſeu hecticam comitante. Hic morbus exigit eximium cibum, & uſum vini generoſioris, calorem aſſiduum hieme, & Sunamitæ concubitum, qualis Regi Davidi profuit.

12. *Atrophia ſcorbutica* Severini; *Atrophia ſcorbutica infantum* Frid. Hoffmanni de morbis infantum cap. 8 §. 9; Willis de Scorb. c. 5. C.

Hoc nomine non ſolùm inſignitur atrophia, quæ à lue ſcorbuticâ fovetur cum ſtomacace, maculiſque diverſicoloribus extremorum inferiorum; verùm etiam ea quæ morbis diverſis chronicis, aut acutis ſuccedit in pravâ con-

convaleſcentiâ ; nam apud Anglos , imò Pariſinos , plurimi morbi cachectici pertinaces ad ſcorbutum referuntur.

Vide *Mortonum de tabe ab hydrope , à ſudoribus , &c.*

13. *Atrophia infantilis* Frider. Hoffmanni tom. 2. cap. 8 ; *Hectica infantum* Sydenhami Schedul. mon. C.

Eſt paulatina corporis conſumptio cum abdominis inflatione. Vide *Tabem meſentericam.*

Initio artus ſuperiores & inferiores marceſcunt , macreſcunt , abdomen verò diſtenditur , plenum eſt & craſſum ; reſpirandi difficultas , laſſitudo corporis ; fames magna utplurimùm , unde prava digeſtio ; hinc alvus inconſtans , ſæpè laxa , abdomen dolet ; facies palleſcit , palpebræ manè liveſcunt ; urina modò craſſa , modò rubra ; noctu calor & ſiccitas cum ſiti inextinguibili ; frigent extrema , pejus habent hieme.

Mortuis meſenterium glandulis duris , quandoque ſuppuratis obſitum ; tument & hepar , lien ; amurca nigra in inteſtinis vacuis flatu diſtentis , muſculi tenues.

Aqua in quâ ferrei clavi infundantur ſit potus ordinarius ; in primo cochleari offæ nunc rhei , nunc limaturæ martis grana duo , vel tria , nunc pulvis cachecticus Hartmanni ex limaturâ martis , cinnamomi pulvere & ſaccharo factus , pulvis ex radice chinæ ad gr. vj. ſingulis diebus ſumatur , aqua pauxillo vino tingatur.

Juſcula ex radicibus graminis canini , fœniculi , petroſelini , aſparagi , apii dulcis.

Abdomen oleo chamæmeli , vel anethi ungatur.

14. *Atrophia verminoſa* Frid. Hoffmanni de tabe infantum ; *Atrophia à faſcino* Plebis. Salmuth Cent. I Obſ. 5. C.

Eſt macies ſucceſſiva ſæpiùs infantum ablactatorum , quæ fovetur à lumbricis , aliiſve vermibus inteſtinalibus , cibum ſuffurantibus , quæque apud Plebeios ob ſymptomatum contumaciam & cauſæ obſcuritatem faſcinationi tribuitur. *Manget Bibl. T. I p. 219.* aliam ſpeciem verminoſæ refert.

15. *Atrophia lateralis* ; *Atrophie de la moitié du corps* , Collect. Acad. Tom. 3. pag. 693. C. J. Dolæo. C.

Corporis pars dimidia ab axillis ad calcem pedis erat emaciata , ita ut oſſa tantùm cute involuta viderentur , dùm latus dextrum pingue fuit ; admotis ſpinæ dorſali hujus pueri ſeptennis topicis antiſpaſmodicis , & ſumptis ſudorificis melius habere cœpit.

16. *Atrophia febriſequa ; atrophia febri ſuperveniens* Williſii de Morbis conv. Cap. 8. C.

Eſt ea macies univerſalis quæ febribus longis aut acutis , potiſſimùm ardentibus ſudatoriiſque , ſupervenit , ut ſynocho ardenti , tritæophyæ , cauſoni , elodi , &c : finitâ febre illa eſt maxima & procedit à fluidorum acrimonia , ſiccitate , depauperatione , ſeu inopiâ lymphæ mucilaginoſæ , nutritiæ , quæ ſenſim reparatur juſculis ex pullo , ranis , teſtudine , ruſticatione , vectura in rheda , aliiſque gymnaſticis auxiliis corpus roborare aptis.

IV.

IV. Aridura Ettmulleri ; *Deſſéchement.*

Aridura eſt macies partis, ut manûs, brachii, cruris, pedis, oculi, &c: & in hoc ab atrophia diſcrepat, quòd atrophia ſit macies univerſalis, non verò unum aut alterum artum exſiccet.

Pendet itaque aridura à vitio topico ipſius artûs, aut nervorum & arteriarum ipſi proſpicientium, quod vitium eſt ut plurimum preſſio his nervis, vel vaſis, aut medullæ ſpinali illata, unde ſupprimitur influxus, ſaltem ſufficiens, fluidi nutritii in hanc partem, dum cæteræ ſolitam pinguedinem aut evexiam obtinent.

1. *Aridura rachialgica ; Aridura ſcorbutica*, Ettmulleri T. I p. 250 ; Boneti ſepulchr. T. I pag. 761 Obſ. 96. L.

Illa cognoſcitur ex eo quòd præceſſerint dolores rachialgici, potiſſimùm ſpinæ dorſalis, quandoque cum convulſionibus, dein verò pars formicatione, ſtupore, contracturâ laboret; ille morbus pertinaciſſimus ſæpius brachium, rarò crura, afficit, emaciat & ferè ſenſu tactûs orbat: vide *Rachialgiam* quam ſcorbuticum affectum judicabant ſuperioris ſæculi Authores.

2. *Aridura hydropica*, Ephemer. Nat. Cur. paſſim ; Bartholini in Boneti Sepulchr. T. I p. 762.

Eſt macies partium ſuperiorum, dùm omnes infimæ œdematosè tumeſcunt: Vide *Hydropes.*

3. *Aridura traumatica* ; Vide Ettmullerum de Aridura. L.

Eſt ea quæ à vulneribus, ulceribus, fiſtulis, carie, fractura veteri, luxatione veteri non repoſita artuum procedit: Vidi ariduram cruris à ſecto nervulo.

4. *Aridura paralytica*, Ephem. Nat. Cur. Dec. II Ann. 6 Obſ. 27.

Vide *Contracturam*: Artus enim dudum paralytici fere ſemper contracturâ & macie, quandoque flacciditate laborant.

5. *Aridura ab arthrocace.*

Arthrocace ſeu tumor geniculorum oſſeus, hydarthrus ſeu tumor eorum lymphaticus, tumor etiam articulorum ſcrophuloſus ejus ſunt principia.

6. *Aridura ſpaſmodica*, Ephem. Nat. Cur. Dec. I. Ann. 3 Obſ. 236. L.

7. *Aridura ſcorbutica*, Ephem. Nat. Cur. Ann. III Obſ. 78. Vide Atrophiam. C.

ORDO

ORDO SECUNDUS.

INTUMESCENTIÆ.

VOlumen corporis humani, vel ejus partium creſcit quoties à fluidis ſufficienti copiâ genitis & congeſtis preſſio lateralis infertur vaſis, quæ ſolito major ſit. In ſtatu ſano certa eſt inter ſanguinem & humores proportio quæ mutatur in ſtatu morboſo, maximè verò in morbis cachecticis; quantitas lymphæ, ſeri, bilis, adipis, alteriuſve humoris reſpectivè ad cruoris quantitatem exſuperat, & ſic cauſa cachecticorum, tumidorumque affectuum eſt preſſio lateralis facta major à lymphâ, vel humore excedente.

Si pinguedo excedat, & textum cellularem diſtendat, datur corpulentia obeſa: ſi lympha dilutior prædominetur in textu celluloſo, datur phlegmatia; ſi in abdomine, aſcites oritur; ſi lympha viſcida in glandulis cumuletur, ſcrophula oritur; ſi bilis, vel bili affinis humor exundet, aurigo naſcitur.

Quandiu debita vi pelluntur fluida à corde in arterias liberas, exindeque per venas ad cor revertuntur, tandiu debita fluidorum craſis perſeverat, excrementitii humores ex ſanguine ſegregantur, nullibi fiunt ſtaſes ſeri, quod vaſa relaxaret; ſanus & albo-roſeus cutis color efflorеſcit, verùm imminutâ vi cordis, retardato fluidorum in vaſis circuitu, craſis eorum mutatur, ſerum ab ipſis nec per urinas, nec perſpirationis via ſatis ſegregatur; hinc vaſa laxantur, color cutis defœdatur, nec cruor ruber præparatur; hinc in dies ejus proportio ad lympham imminuitur; hinc calor decreſcit cum rubro colore, creſcit verò cacochymia ſeroſa; hinc fit ut cachectici illi morbi frigus, pallorem & carnium laxitatem comites habeant.

Deficiente vi truſivâ, cruor minori vi truditur quàm ut poſſit arterias ultimas laterales diducere, adeoque ſubire, unde deficit in vaſis cutaneis; hinc iterùm pallor, nec eâ vi atteritur quâ poſſit calor nativus foveri; hinc caloris imminutio, nec fluidum electricum nerveum ſatis extricatur; hinc virium omnium languor.

Potulenta non benè miſcentur ſanguini, nec in ſanguinem commutantur, tùm ob bilis ſeroſæ inertiam, tùm ob languorem pulſationum cordis; hinc urinæ pallidæ, crudæ; hinc etiam accidit ut ſanguis abeat in duas ſubſtantias, unam caſeoſam, ſpiſſam, non ſatis elaboratam, quæ vaſa ultima infarcit, obſtruit; hinc viſcerum infarctus, obſtructiones; alteram aquoſam, quæ fluxilior ſolito facilè in vaſa lymphatica lateralia, inde in textum celluloſum loco adipis influit; hinc ſenſim textus ille celluloſus ſeroſâ & aquoſâ lymphâ diſtenditur.

Totus in humano corpore textus celluloſus eſt continuus ; cellulæ omnes perviæ ſunt, ita ut facilè à capite ad pedes, & à dextris ad ſiniſtras, prout declivitas ſinit, illud ſerum intra textum celluloſum elabatur ; verùm cùm illud ſerum à preſſione cordis ſit immune, illud viribus ſolius gravitatis regitur, atque ideò ſtante ægro in pedes delabitur, eoque in latus dextrum jacente in illud latus facilè defluit.

Si ob cibum viſcoſiorem, uberiorem ſeri evacuationem prægreſſam, aut virus peculiaris energiam lympha viſcidior, craſſiorve evadat, ea faciliùs hæret in glandulis & glanduloſis viſceribus, quia hiſce in locis ob vaſorum anguſtiam ſummam, & iteratam complicationem affrictus ſunt majores ; ergo in hiſce vaſis lympha viſcida cumulatur ; hinc lateralis preſſio lateralibus vaſis inde prodeuntibus major infertur ; hinc durities & intumeſcentia & viſcerum & glandularum.

Acrimonia humorum quiete exaltatur, ut cryſtalli ſalium in lixivio quieſcente coeunt, datâ verò fluidorum ſtaſi deficit neceſſaria in vaſis excretoriis ſanguinis depuratio, aut ab excrementitiis fluidis repurgatio ; hinc acrimonia intenditur ; unde patet cur in cachecticis morbis ab eodem principio & vaſa minima obſtruantur, & fluidorum craſis acris evadat.

Hæc ſunt itaque ferè omnibus cachecticis communia ſymptomata, ſcilicet 1° virium vitalium languor, minor fluidi nervei ſecretio, lentior circulationis impetus ; 2° minor calor, proindeque debilior cruoris attritus, parcior ejus geneſis, major vappiditas ; 3° pallor & ſqualor cutis, tùm ob debiliorem ſanguinis motum, tùm ob excedentem ſeri & lymphæ etiam craſſæ copiam ; 4° vaſorum minorum obſtructio, & infarctus, & ſæpe difluxus aquoſi ſeri in textum cellularem ; 5° humorum acrimonia major defectu excretionis & depurationis, quæ continuò per emunctoria fieri debet, ſine quâ ad putredinem & ranciditatem ſanguis, lympha, adeps, facilè vergunt ; 6° demùm laxitas & mollities ſolidorum, quâ fit ut prementibus fluidis maximè congeſtis cedant, & in tumores frigidos, indolentes, pallidos excreſcant.

Praxis. Hinc evidens eſt ad genericam horum morborum curam requiri ad medicamina, & præſidia quæ valent cordis vires recreare, fluidique nervei copiam adaugere, quod præſtant, 1° volatilia, aromatica, ſpirituoſa elixiria, ſpiritus volatiles, liquores fermentati, vinoſi. 2° Calefacientia, ut calida actu, & calida potentiâ, ut ſtomachica, cephalica, cardiaca, amara, frictiones, thermæ, ammochaſia, veſtes laneæ calefactæ. 3° Stimulantia excitantia, quæ fluidi nervei & cruoris appulſum ad exteriora ſollicitent, ut ſinapiſmi, dropaces, modò vires non diſſolvant. 4° Maximè conveniunt reſolventia, aperientia, quæ fluidorum ſpiſſitudinem corrigant, ut caſcarilla, kinkina, antimonii pollen, ferri limatura, reſinæ, ammoniacum, bdellium, opoponax, aloë. 5° Diuretica calida, ut cancri, millepedes, radices ruſci, aſparagi, eryngii, apii, cichorii, necnon antiſcorbutica, ut folia ſyſimbrii aquatici, ſii, cochleariæ, armoraciæ, erucæ. 6° Simul ea indicantur quæ ſanguinem edulcorant, ut juſcula ex pullis, teſtudinibus, ranis

ranis cum aperientibus & diureticis, atque ſi ſiccitas ſit in ſanguine, ſerum lactis, lacticinia, aquæ acidulæ. 7° Demùm indicantur quæ tonica ſimul ſunt & aperientia, adeoque martialia, rhabarbarum, rhaponticum, kinkina, caſcarilla palmam cæteris medicaminibus præripiunt. 8° Verùm frictiones, deambulatio, equitatio, ruſticatio, maximè proſunt ad roborandos muſculos, excretiones juvandas, coctionem & famem inſtaurandam, fluorem ſpiſſis humoribus conciliandum, & ſi fiat rure in aëre puro, ſicco, loco amœno, animus ſimul recreatur, mœror cachecticorum morborum principium & fomes abigitur.

V. POLYSARCIA, *la Corpulence.*

Is eſt morbus qui nimiâ pinguedinis mole figuram corporis deturpat, ejuſque agilitatem minuit.

Unde differt à giganteâ, ſed proportionali partium omnium magnitudine, quæ nec decori quidquam detrahit, vireſque moli reſpondentes obtinet. Differt maximè à phlegmatiâ & pneumatoſi, quod textus cellularis non ſero, nec flatu, ſed bono adipe ſit turgidus, unde color & tonus non minuuntur, cùm tamen moles movenda major ſit, nec organa motûs muſculoſa ſint potentiora, ſegnities & pigritia accedunt, & inter agendum dyſpnœa defatigat.

1. *Polyſarcia adipoſa ;* Cyrilli Conſult. 17. Cent. IV ; De la Tour Journ. de Med. Juin 1757 p. 422. *Obeſitas* vulgò ; *Corpulentia ſaginoſa* Foreſti lib. 31 ; *La Corpulence.*

Differt à corpulentiâ carnoſâ, ſeu athletico habitu, quod ſit ſegnities ad motum, & reſpirandi difficultas in motu. Corpulenti brevioris vitæ putantur, atque apoplexiæ & orthopnœæ magis obnoxii.

Vis coctrix ſtomachi valida, diæta plena ex cibis euchymis, habitus corporis laxus, tranſitus ex regione calidiſſimâ in frigidam, convaleſcentia ex ſynocho malignâ, vita hilaris, opipara, otioſa, ſunt corpulentiæ principia.

Sennertus refert mulierem triginta ſex annos natam, quæ 480 lib. & virum qui 600 libras pendebant.

In euſarchis non ſaginatis ſubjectis quondam inveni pondus adipis eſſe dimidiam totius corporis partem, & in his hominibus adipoſis inveni arterias, venas ac viſcera non eſſe majora quàm in macilentis ejuſdem ſtaturæ, adeòque hepar v. g. ſplen, pulmo in adipoſis dimidio minores reſpectu ponderis totius quàm in macilentis.

Cura exigit 1° abſtinentiam à ſomno longiori, à deſidiâ tùm corporis, tùm animi, ita ut nihil magis extenuet corpus quàm curæ & ſollicitudines, ac quævis pathemata ; 2°. detractio alimoniæ quoad quantitatem & qualitatem ; 3° excretionum quarumvis augmentum, maximè perſpirationis, per exercitia, venationem, curſus, ſeminis per matrimonium ; 4° adipis liquatio per ſalita, piperata, acetum, caffé, oxymel ſcilliticum, per me-

dicamina omnia evacuantia, maximè cathartica, diuretica, ſudorifica, nitrum, tartarum, ſemen fraxini; epiſpaſtica, &c. vel quotidie ſaponis drachmam unam, aut alteram.

VI. Pneumatosis; *Hyderos* Galeni; *Empneumatoſis* Cœlii Aureliani; *Sarcites flatuoſus* Smetii; *Tympanitis univerſalis* Schenckii; *Emphyſema univerſale. Bouffiſſure.*

Eſt elaſtica & flatulenta cutis intumeſcentia.

Cauſa eſt expanſio aëris in fluidis latentis, qualis in cavo ipſius abdominis, in tympanite abdominali, accidit, & in emphyſematis ſub cute ſæpiùs obſervatur. Aërem elaſticum generari 1° à putredine in animalibus aquâ ſubmerſis docet obſervatio multiplex; 2° à fermentatione ex reliquiis alimentorum in primis viis colica flatulenta teſtatur. Diſcrepat à phlegmatiâ per elaſticitatem partium, necnon ab anaſarcâ per crepitum ſub tactu.

1. *Pneumatoſis à veneno* Linnæi Faun. Suec. n. 261. A.

Smolandi narrant à morſu colubri *aſping* dicti corpora horrendum in modum intumeſcere.

An flatu expanſo, an alio modo? ignoramus: Id à pluribus venenis ſubitò fieri notum eſt *Williſ. de tympanite, pag. 146.*

2. *Pneumatoſis à vulnere.* Littre Mem. de l'Ac. R. des Sc. 1713; *Tympanites univerſalis* Williſii cap. 4; Sennert. pag. 954; Haller Phyſ. de tela celluloſa Tom. I. p. 13. A.

Juvenis Leodienſis vulnus punctim factum ſub axillâ dextrâ in thoracem penetrans acceperat, poſtridie toto corpore turgidus apparebat, non ſolùm pectore, ſed dorſo, ventre, lumbis, ſcroto, femoribus, brachiis, humeris, collo, vultuque, ut ne palpebras quidem diducere poſſet, quin etiam in vertice ipſo, cute ubique diſtensâ & tumefactâ, tumor ubique erat tenſus, & cum dolore non pauco. *Smetius.*

Similem caſum obſervavere *Sennertus* & *Williſius*; aërem in obliquo vulnere ex thorace exeuntem textum cellularem ſubire, & per totum corpus inſinuari facilè crediderim hiſtoriâ ſequenti ſuffultus.

Ante duodecim annos miles, à nefariis lanionibus in ſpecu Jovis deprehenſus, inſufflatus eſt tubulo in vulnus inguini inflictum immiſſo; totum citò corpus intumuit, exceptis manibus, pedibuſque; paulò poſt creſcente colli tumore, & inde dyſpnœâ miles cultro ſibi collum ſcarificavit; ſequenti die in Noſocomium delatus eſt, cutis erat ſanæ concolor, ſed tenſa & elaſtica, manibus tractata crepitabat; novas hic, illic inciſiones cutis expoſtulabat æger, ut levaretur à doloribus, & immobilitate artuum; ſolæ autem ſcarificationes profuerunt. Eadem operatione utuntur Medici Guineenſes ad ſanandos morbos chronicos; ſic inflatos ægros potu ſudorifico aſſumpto currere cogunt, uſquequò ſudor accedat, & ſic pneumatoſis cum morbo

morbo priori evaneſcit. *Act. Societ. Harlem. T. VI p. 676* : eam curam in canibus inſtituit cum ſucceſſu *Cl. Negre ibid. p. 688.*

Si quæ pneumatoſis à flatu dependeat, ea certè quæ vulnus thoracis ſequitur; interea *Williſius* hoc negat, & contendit hunc tumorem à ſpirituum nerveorum agmine indignabundo, furente & tumultuario cutem ſubeunte fieri; ſic *Baglivi* meteoriſmum abdominis à muſculorum ejus ſpaſmo deducendum putat, errore haud abſimili.

Curam vide apud *Heiſter. Chirurg. pag. 181.*

3. *Pneumatoſis hyſterica.* Vide Sydenham. Diſſ. Ep. pag. 41.

Ut hyſteria omnes partes internas, ita & externas quandoque afficit, carnes ſcilicet muſculoſas, ut maxillam, humeros, manus, crura, tibias, nunc dolorem adducens, nunc tumorem, in quo genere is qui tibias diſtendit tumor præ reliquis conſpicuus eſt; cùm enim in hydropicorum tumoribus duo hæc ſemper obſervari poſſint, ut tumor ſcilicet ſub veſperam ſe majorem exhibeat, tùm etiam ut paſtæ inſtar madentis veſtigium digiti fortiùs impreſſi, formamque referat, jam in hoc altero, tumor matutino tempore protuberantior eſt, nec digito cedit prementi, aut veſtigium ullum manet; plerumque etiam tibiarum alterutram tantùm inflat; de cætero ſive magnitudinem ſpectes, ſive etiam ſuperficiem, hydropicorum tumores ita ad amuſſim æmulatur, ut ægræ ſe haud facilè ab eâ quæ inſedit ſententiâ ſe hydropes eſſe, dimoveri patiantur.

Illa pneumatoſis cum diabete & ptyaliſmo hyſtericis alternat, ab his ſolvitur, his ſuppreſſis revertitur : *Vide Ill. Raulin des maladies vaporeuſes, pag. 221.*

4. *Pneumatoſis febrilis.* Vide River. obſerv. 69 cent. 2. A.

Inflatio totius corporis in puero. Infans 18 menſium æſtate toto corpore inflatus eſt ſubitò, cum febre; alter ejuſdem familiæ ex eodem morbo interierat. Varia præſcripta remedia per 12 dies cathartica, aperientia, veſicatoria; tandem alvifluxu & urinæ profluvio excitatis, ſanatus eſt.

Vidi & Chirurgum qui cùm diù quartanâ conflictaretur, toto corpore intumuit cum pallore, atque tumor in quibuſdam locis erat quidem œdematoſus; verùm in facie, pectore, manibus, ſuris erat ſimul emphyſematoſus, elaſticus; per duos ferè annos auxilia medica ferè incaſſum expertus eſt; ille verò paucis ab hinc annis quater electriſatus, ita ſubitò convaluit, ut vires, colorem, ſomnum naturalem ſimul recuperaverit, & tumor omnis evanuerit. *Vide Acta Societ. Reg. Monſpel. ann. 1751.*

Quid eſt apoſtema ventoſum Avicennæ quod inter tendines & ſub perioſteo oriri tradit, quem flatum per vices accedere, currere, & membra diſrumpere tradit? Eſt fortè rheumatiſmus flatuoſus, *Nakir* Albucaſis.

Nota. Adoleſcens dùm enſis tractandi arte informabatur, & pro more ſolito ah! ah! clamaret, gladio præpilato commilitonis in faucibus percuſſus eſt, atque die ſequenti media pars pectoris antica, abdominiſ-

que cutis emphyſemate mirè intumuit, cum dolore & febre; undecim phlebotomias paſſus eſt, & ſic ſanatus, narrante *Illuſtriſſimo Profeſſore Antonio Fizes.*

Adoleſcens ab aratri mole in pectore compreſſus, & magno conatu equum coercens, fractâ coſtâ toto corpore intumuit, cum ſenſu ſtuporis, voce clangoſâ; cutis ubivis premeretur ſtrepitum edebat, ut charta pergamena; ſectâ venâ aër cum ſibilo, ſimulquè ſanguis effluebat. Curatus eſt diverſis cutis ſcarificationibus, & fomentis reſolventibus. *Daniel Hoffman. Diſſert. de aëre factitio, Diſput. Halleri, Tom. 3.*

In bobus dyſenteriâ epidemicâ affectis familiaris eſt pneumatoſis, non tamen univerſalis, Hippiatris cognita; ea diverſas dorſi & lumborum partes obſidet. Si manu prematur hæc pars, dolet animal, & pars ſonitum levem edit; ſectis eorum cadaveribus, ipſe inveni pulmones emphyſemate diſtenſos; eadem emphyſemata in equis obſervavi.

P. de Sorbait in *Act. Naturæ Curioſorum*, narrat apud Auſtriacos endemicam eſſe pneumatoſim, quam ipſe emphyſema, Germani verò *Rauſch* appellant, quæque ſuffitu è foliis myrthi vulgò ſanatur; ſed hæc ex auditu narrat.

VII. ANASARCA; *Leucophlegma* Platonis; *Hypoſarcidios* Hippocratis IV de Rat. Vict. in Acut. *Ileus* Hippocratis Foeſii pag. 555, *Phlegmatites* Aretæi de Diut. Lib. II, Gorræi Defin.; *Anaſarca* Galeni; *Epiſarcidium*, *Cataſarca* Galeni in Hipp. de Diæta Acut.; *Intercus* Latinis; *Leucophlegmatia* Cælii Aureliani. M. C. Lib. III. c. 8; Gorræi Definit. *Hydropiſis vera* & *hypoſarca* Gordon. de paſſionibus hepatis; *Pituita alba* Gorræi; *Hypoſarca* Dodon. p. 575 & Jonſton. Idea Medic.; *Phlegmatia* Junckeri Tab. 87; *Hydrops univerſalis* Auctorum; Gallis *Anaſarque, Hydropiſie par infiltration.*

Character. Eſt cutis totius intumeſcentia, mollis, pallida, non elaſtica.

Diverſis gradibus diverſa nomina generica malè tribuit *Proculus*, teſte *Cælio Aureliano*, ut leucophlegmatiæ initio morbi, cataſarcæ vel anaſarcæ ſtatui, &c. cùm enim quivis morbus ſuos gradus, ſua ſtadia habeat, nulla eſt ratio cur huic diverſa nomina tribuamus, non verò alteri; unde nominum multiplicatio vana.

Sedes eſt in textu celluloſo totum corpus ambiente, ipſiuſque muſculos, tunicaſque ſubeunte. In hoc itaque lympha aquoſa & copioſa ſi cumuletur, fit tumor mollis, veſtigium digiti fortiùs impreſſi retinens, pallidus & ſqualidus, per totum corpus diffuſus.

Hinc differt a phlegmatiâ in quâ tantùm partes infimæ veſpere tument, manè detumeſcunt; in anaſarcâ verò totus habitus tumet, ut etiam manè magis tumeant partes, potiſſimùm palpebræ genæ, accedit difficultas reſpirandi, laſſitudo, inappetentia, urinæ tenues, aqueæ, febricula, ſæpe ſomnus non levans.

1. *Ana-*

1. *Anaſarca metaſtatica.* C.

Illam ſic voco quæ ſuppreſſis evacuationibus ſolitis ſanguinis, urinæ, hæmorrhoïdum, diarrhœæ, ulceris, ſupervenit. Cùm enim moles ſanguinis ac proinde lymphæ creſcit in vaſis, preſſio lateralis in vaſorum lymphaticorum oſcula pari paſſu creſcit; hinc uberior ingreſſus lymphæ in ea, & inde in adipoſa quæ textum cellularem conſtituunt; textus autem illius cellulæ implentur & diſtenduntur eadem vi quâ follis hydroſtaticus. Ex hac ſeri diffuſione laxantur carnes, motus cordis debilior evadit, vix cruor ad vaſa cutanea pervenire poteſt; hinc pallor, frigus, mollities, corporis gravitas, ſegnities. Cùm autem aliqualis ſit transfluxus, tardus tamen lymphæ è cellulis in venas, ex arteriis lymphaticis in cellulas, ejus liquidi putredo arcetur, aut tardiùs fit; hinc minùs periculum in anaſarcâ quàm in aſcite.

Curatio. Eò debet collineare Medicus, ut preſſionem lateralem ſanguinis in vaſorum parietes, & lymphæ in ſanguine prædominium tollat.

1°. Ut primum ſcopum obtineat neceſſum eſt ſuppreſſa catamenia, ſuppreſſas hæmorrhoides revocare, unicâ præmiſſâ phlebotomiâ, medicamentis diureticis, emmenagogis, martialibus, reſinoſis, formâ juſculi, apozematis, ptiſanæ, pulveris, opiatæ. Huc ſpectant potiſſimùm radices aſparagi, ruſci, eryngii, pimpinellæ, apii, petroſelini, dauci, menthæ, dictamni, capparidis, ononidis, curcumæ, cyperi, galangæ; folia tanaceti, matricariæ, abſinthii, ruthæ, menthæ; flores croci, calendulæ, matricariæ.

2° Succi, aſſa fœtida, bdellium, opoponax, myrrha, aloë, ut lympha excedens eliminetur, conveniunt, quæ alvum, urinam, ſudores, vomitum movent; ſed potiſſimùm conducunt cathartica & diuretica; cathartica autem hydragoga cæteris maritata maximè proſunt, nec non tonica aperientia. Huc refer jalappam, ſcamoneum, iridem, ſambucum, ſyrupum de rhamno, aquam vitæ Germanicam, rheum, mannam. Diureticis accenſe præter radices & herbas cichorii, chærophylli, eryngii, ruſci, &c, millepedes, cineres plantarum, ut geniſtæ, fabæ, in vino albo infuſos, corticem radicis ulmi, cochleariam, apium, naſturtium aquaticum, trifolium aquaticum, rubiam, balſama, terebinthinam, boracem, tartarum.

3° Demùm evacuatis aquis ſuperfluis tonus eſt vaſis reſtituendus uſu martialium, cinnamomi, macis, caſſiæ ligneæ, rhei, myrobalanorum, aquis thermalibus, ammochaſia, laconicis, ſuffitibus aromaticis. Plurima exempla anaſarcæ per fonticulum aut ſcarificationem, ambuſtionem, aquis effluentibus ſanatæ vide apud *Hallerum Phyſiol. T. I pag. 14.*

Hujus varietas eſt.

a *Anaſarca periodica.*

Sex octove diebus antequam fluerent catamenia, intumeſcebat toto corporis habitu virgo viginti quatuor annos nata; in quacumque corporis parte imprimeretur digitus, illius veſtigium retinebat, tumor ille evaneſcebat in ea ratione quâ fluebant menſes. Tertiùm redibat morbus cùm virginem inviſi prædictis ſymptomatibus laborantem; ſolutionem morbi, quæ priùs ſucceſſe-

ſucceſſerat, exſpectavi, & reapſe eadem die quâ fluxerunt catamenia, tumorem decreſcere, & cum menſibus deficientibus penitus evaneſcere obſervavi. Exacto tempore illo, præmiſſis præmittendis, juſcula refrigerantia, chalybem fractâ & interpolatâ doſi præſcripſi, inſtanti menſtruâ purgatione, opiata cum antihyſtericis maritata uſurpavi, & non rediit anaſarca. Obſervatio *Clariſſ. Doctoris Brouſſounet.*

b. *Anaſarca ab adiapneuſtiâ.*

Tertiâ morbi die ruſticum inviſebam qui obſidebatur tumore molli per totum corpus diffuſo; referebat ille ſe poſt meſſem factam ſanum recubuiſſe; manè verò ſequenti ſurgere non potuiſſe propter corporis intumeſcentiam. Inter varia reſponſa quæſtionibus à me factis, dixit ſe recubuiſſe ſuper ſtramen in loco humido. Hanc cauſam morbo natales dediſſe judicans juſſi, ut linteis calidis perfricaretur, ut panibus mox è furno extractis cooperiretur, pro potu biberet decoctum calidum radicis ruſci, quâ methodo intra biduum redintegratur perſpiratio, & evaneſcit anaſarca. Communicabat *Clariſſ. Doctor Brouſſounet.*

2. *Anaſarca à fluxu.* C.

Talis eſt ea quæ longis hæmorrhoidum, catameniorum fluxibus, hæmorrhagiis, phlebotomiis repetitis, necnon diarrhœis, lienteriis, diabeti, &c, ſupervenit. In hoc caſu ob virium vitalium & digeſtivarum exolutionem chylus craſſus & crudus, ſanguini mixtus, non ſatis elaboratus, non poteſt reparare cruoris jacturas; totus ſanguis chyloſus, aqueus, crudus evadit, unde obſtruuntur ultima vaſa, & ſerum in lymphatica, hinc in adipoſa vaſa fertur uberiùs, in illis ſtagnat, cumulatur.

Scopus Medici eſt ut 1° vires fractas ſuſtineat analepticis, ſtomachicis, cibis facillimæ coctionis, abſtinendo ab omnibus medicaminibus, quæ evacuando vires ulteriùs exhaurirent; 2° ut tonum vaſis laxatis, & fluxilitatem congeſtis liquidis conciliet citra ullam irritationem; uſus autem docuit diætam lacteam his indicationibus ſatisfacere, quod expertus ſum ex ſuaſu *Alexandri Tralliani*; interim non negligenda aqua in quâ rheum & ferrum cum cinnamomo infuſa fuerint.

3. *Anaſarca exanthematica.* C.

Ea eſt quæ ſcabiei ſuppreſſæ, quæ puerulis à rubeolâ, variolâ retrogreſſâ, ſimilibuſque morbis cutaneis ſupervenit.

Huic præter generalia remedia competunt maximè curcuma & radix lapathi acuti in juſculis; feliciter ſanatum hunc morbum, necnon aſcitem ex eodem principio oriundum vidi indutâ ſcabioſi tunicâ, ſeu ſcabie reſumptâ.

In eâ verò quæ à rubeolâ ſuppreſsâ non ſatis erumpente ſupervenit, auxilia generalia, ſed potiſſimùm ſerum lactis ſucco chærophylli alteratum proſunt.

4. *Anaſarca à febribus.* C.

Ea eſt quæ ab obſtructione hepatis lienis febres intermittentes foventibus, ut quartanam, tertianam, ortum ducit.

Illa

Illa ſpecies eodem modo curatur ac aſcites febri intermittenti ſupervenient. Conſule *Sydenham de febr. intermitt.*

5. *Anaſarca gravidarum* Puzos pag. 82.

Si phlegmatiæ limites tumor œdematoſus excedat, tunc intumeſcunt hinc & inde lumbi, qui tumor vulgò *le Bourlet* dicitur; partes ſuperiores, ut manus, facies ſimul intumeſcunt; vera anaſarca eſt à phlegmatiâ quoad prognoſim longè diſcrepans, maximè ſi febris hectica, & polydipſia accedant.

In hoc caſu uſurpanda ſunt juſcula aperientia ex cichorio ſylveſtri, ſyſimbrio aquatico, chærophyllo, & cryſtallo minerali, vel ſale Glauberi; cathartica identidem uſurpanda; opiata dein aperiens præſcribetur ex millepedibus, viperis, antimonio diaphoretico, amaris & febrifugis; imò initio una proderit phlebotomia, nec diæta ſicca negligenda eſt; partus præmaturus eſt exſpectandus.

Si verò his reſiſtat anaſarca, partus non vicinus ſit, creſcat tumor, dyſpnœa moleſtet, timenduſque ſit aſcites, vel hydrothorax; tunc labia vulvæ quæ ultra modum turgere ſolent, vel infima pars tibiæ leviter incidenda ſunt, unde uber ſeri proventus, & partûs facilior exſpectatio, à quo ſananda eſt mulier.

6. *Anaſarca hyſterica; Leucophlegmatie hyſtérique.* C.

Ea eſt quæ mulieribus hyſtericis, ſiccis, melancholicis, ſupervenit, v. g. poſt ſynochum mediâ æſtate; in hac veſtigia digiti prementis cutis vix retinet, unde à ſeroſâ, ſeu flaccidâ differt.

Cathartica & diuretica nocent; ſerum lactis, urinæ fluxum reſtituit; hoc ſolo per menſem continuato corpus detumeſcit, lac aſininum deinde feliciter uſurpatur. *Pomme Eſſai ſur les vapeurs, obſ. 16. pag. 145.*

Differt à phlegmatiâ, quòd brachia, manus, facies ipſa intumeſcant etiam veſpere.

Eam ſpeciem vidi olim diabete terminatam in muliere hyſtericâ.

7. *Anaſarca Americana*; *Mal d'eſtomac* Labat Voyage en Amérique. Chevalier des maladies d'Amérique. C.

Nomen vulgare ineptum eſt; morbus enim eſt vera anaſarca, juxta deſcriptionem *Patris Labat.* 1° Pallent etenim ægri, tumeſcunt, cum aliquali flavedine, pedes, tibiæ, totum corpus, & potiſſimùm facies, ſi fides ſit *D. Chevalier*, œdematosè turgeſcunt: 2° ſummâ laſſitudine proſtrati ſunt: 3° cum cephalalgiâ gravativâ: 4° inde ſomnolentia continua; 5° epigaſtrium & abdomen intumeſcunt, & tandem aſcitici fiunt.

Tribuitur hic morbus eſui cancrorum, qui vulgò *Crabes* dicuntur, utpote cibo dyſpepto, gravi, niſi corrigatur cruditas vino & aquâ vitæ ſacchari vulgò *Tafia*; ſæpiùs ortum ducit à decubitu ſub dio, mœrore. Nigritæ Braſilienſes qui duriſſimè tractantur, huic ſunt obnoxii, & ut ſanentur ab hero dimittuntur rus, ubi libertate fruuntur, mœrorem diſcutiunt, & fructus acajou ſubacidi uſu intra paucos dies convaleſcunt. Apud Europæos qui in Americâ degunt, hic morbus familiariſſimus eſt; illi verò utuntur in curationis initio potibus cardiacis & ſudorificis, balneis calidis, cibo fa-

cilis digeſtionis, vino generoſo, dein verò auxiliis hilaritatem conciliantibus, & potiſſimùm exercitio ita vehementi, ut ſudor copioſus proritetur.

8. *Anaſarca rachialgica* Theod. Zelſt de dolore colico-ſcorbutico in hydropem mutato, Tract. de podagrâ, pag. 30 ann. 1738. C.

Eſt faciei, pedum, manuum, ventriſque tumor cum dyſpnœâ, pulſu debili, inæquali, urinâ rubrâ, biliosâ, clarâ, arenulis refertâ, parcâ, ſuccedens colicæ ſcorbuticæ, ſeu rachialgiæ, quam arthritidem intropulſam putat *Theod. à Zelſt.*

Laudat maximè aquam gemmarum pini per fermentationem paratam, ad unc. ſex; tincturam mineræ martis nativæ, ad unc. duas; tincturam vermium maïalium drach. 1. ſyrupi de cichorio compoſiti cum rheo drach. ſex, de quâ mixturâ ſingulis bihoriis ſumat unc. duas.

9. *Anaſarca purulenta*, Haller Phyſiol. Tom. I. p. 14; Jac. Nic. Weiſs progr. 5.

Eſt intumeſcentia cutanea à pure diffuſo intra telam celluloſam.

10. *Anaſarca hydropotarum* De Meyſerey Malad. des Armées, 571. C.

Ea eſt quæ ab alimentis aquoſis, frugibus horæis, aquis mollioribus, cœnoſis, aut etiam acidulis intempeſtivè adhibitis procedit. Curatur diæta exſiccante, carne toſta, vino generoſo albo, vel cereviſiâ, ptiſanis diureticis vel ſudorificis, catharticis hydragogis: tibiæ in ſitu horizontali ſunt ſervandæ; linteis panniſve ſiccis calidis fovendæ, molliter fricandæ; lateribus calefactis, furfure calido, avena fervida involvendæ; prodeſt etiam fotus ex aqua vitæ camphorata, addito ſale ammoniaco &c, modò nulla ſint erythemata.

11. *Anaſarca urinoſa*, *Leucophlegmatie urineuſe* Journ. de Medec. Nov. 1765 p. 421.

Pluries ſupervenerat puero iſchuria calculoſa affecto; extracto per lithotomiam calculo veſicæ, is tamen iterum incidit in iſchuriam nephroſpaticam, unde anaſarca urinoſa, ſopor, tumor univerſalis ad collum uſque ſenſim aſcendens, pulſus durus, depreſſus, hypogaſtrium vacuum.

Linteis humidis tepidiſque omni horæ quadrante mutatis per quadrihorium æger involutus fuit, multamque frigidam bibit, ſyncope acceſſit, urina ubertim fluxit, hinc ſalvus evaſit.

VIII. PHLEGMATIA, *Leucophlegmatia* F. Plateri; Gallicè *Œdématie.* Vandermonde *Infiltration des jambes : Piés enflés.* Dictionn. de Santé. *Ægri Œdipi.*

Eſt intumeſcentia œdematoſa artuum inferiorum, ſeu turgeſcentia mollis, non elaſtica, cuti concolor, indolens; in diverſis tamen ſpeciebus varia.

1. *Phlegmatia vulgaris*; *Leucophlegmatia* Veterum; *Enflure œdémateuſe*; *Infiltration ſéreuſe.* C.

Prodromus eſt & comes 1° aſcitis; 2° anaſarcæ; 3° hydrothoracis; 4° pediſſequa empyematis; 5° prodromus puerperii; 6° comes chloroſeos aurigi-

auriginis ; 7° quandoque morbus ſolitarius ; harum verò varietatum, aut ſpecierum ſigna diſtinctiva deſiderantur. In genere tumor incipit à malleolis, veſpere creſcit, mane minuitur, aut evaneſcit, digiti prementis veſtigium ſervat, ſubpellucidus eſt, ſenſim ad tibias, dein ad femora, lumbos aſcendit. Curatur diureticis, catharticis, aperientibus, tonicis, martialibus, ut aſcites ; necnon topicis, potiſſimùm foliis ebuli, aut ſambuci ſub cineribus coctis, calidis, artus involventibus, necnon foliis hederæ in aquâ, aut vino coctis, & calidè applicatis.

2. *Phlegmatia hyſterica* Sydenhami de paſſione hyſtericâ. C.

Ea ſpecies à nullo alio Auctore memorata differt à priori ex eo quod tumor digito preſſus illicò reſtituatur, ſeu veſtigium digiti non ſervet ; quod etiam faciei pallore non ſtipetur. An pneumatoſis ? Verùm tumor non crepitat.

3. *Phlegmatia lactea* D. Levret ; *Infiltration laiteuſe* Journ. de Medec. Juill. 1759 des Mem. de l'Acad. R. de Chir.

Differt à vulgari, 1° quòd puerperas, raò verò nutrices, aggrediatur ; 2° quòd lactis uterini, aut mammaris repreſſionem ſequatur ; 3° quòd ab hyſteralgiâ lacteâ incipiat ; 4° quòd infarctus circa inguina ſit initio dolorificus ; 5° quòd crura & dein tibiæ, demùm pedes ſucceſſivè tenſione, dolore afficiantur, non verò ordine retrogrado, ut in vulgari, ſeu feroſâ ; 6° quòd dum partes intumeſcunt dolor recedat ; 7° quòd tumor ſit opacus, non pellucidus.

4. *Phlegmatia gravidarum : Œdématie des femmes groſſes. Enflure des extrémités aux femmes groſſes* Puzos pag. 84 ; Mauriceau lib. 1. cap. 17. L.

Familiaris eſt ultimo ac penultimo graviditatis menſe tumor œdematoſus pedum, dein & tibiarum & femorum, ſucceſſivè aſcendens, veſpere creſcens, noctu evaneſcens, mane nullus ; qui tumor, licet vulgò tribuatur preſſioni ab utero venis iliacis illatæ, aliquot ante partum diebus ſolet recedere, ubi tamen compreſſio minimè imminuta eſt. Ea varietas nullius ferè momenti eſt ; curatur accedente partu ; prævertitur abſtinentia à ſitu erecto, aut ad ſummum catharſi circa duos ultimos menſes adhibitâ.

Altera varietas ortum ducit à ſolito majori abdominis & uteri intumeſcentiâ, unde dolor & pondus ; plures hac phlegmatiâ laborantes melius habent, ſi ſtent erectæ, quàm ſi decumbant, & ſtant ut faciliùs reſpirent, cujus ratio mechanica facilè intelligitur, cùm ſtantibus abdomen extrorſum magis protuberet, tantòque minùs ſurſum prematur diaphragma. Curatur difficiliùs ; interea quæ ſanguini fluorem conciliant ſuadenda, dein partus exſpectandus ; creſcente eo morbo jam eſt anaſarca gravidarum.

Si phlegmatia lumbos non tranſcendat, vigeatque fames, color faciei non ſit plumbeus, & ſi ſexto, ſeptimove graviditatis menſe abdomen magis prominet quàm aliis, nono prominere conſuevit, tunc vel graviditas eſt duplicata, ſeu plures fœtus utero geſtat mulier, vel hydrometrâ laborat, & citra noni menſis finem paritura certò eſt. Hactenus *Puzos*.

Mulieres quæ duplicem fœtum utero gerunt, quæ pluries pepererunt,

quæ multùm diùque pedibus inſiſtunt, duobus ultimis potiſſimùm graviditatis menſibus ſunt huic obnoxiæ, quia cùm premantur venæ iliacæ ab utero, lympha à ſanguine repreſſo, & in venis congeſto uberiùs in textum cellularem divertitur, ibique congeritur; ſed ſi textus ille à quâcumque causâ ſit ſolito laxior, vires cordis truſivæ minores, tunc impreſſio digiti foveam diuturniorem relinquit, & veſpere magis intumeſcunt extrema, atque concurrit preſſio iliacarum cum principio quod œdematiam in non gravidis excitat, vi ſcilicet imminutâ circulationis, unde utriuſque habenda eſt ratio.

Phlegmatia gravidarum ab uteri in iliacas venas preſſione tantùm orta, ſponte poſt partum evaneſcit fluentibus lochiis; imminuitur etiam decubitu in lecto, quo preſſio iliacarum minuitur; nec impedit illa œdematia phlebotomiam. Si concurrant varices tibiarum ab eodem principio oriundæ, illæ lenibus faſciis circumductis reprimendæ ſunt, non verò aperiendæ. Si dolores crurum & tibiarum vexent ægram, phlebotomia ipſa indicatur, quæ contraindicatur ubi œdematia ab altero principio fovetur; ea autem phlebotomia è brachio tutò celebratur, non è pede.

Si concurrat ſolidorum laxitas, & virium cordis imminutio, ſufficit durante graviditate ad topica adſtringentia & tonica confugere; paretur ſcilicet vinum aromaticum ex decoctione foliorum roris marini, lauri, thymi, majoranæ, ſalviæ & lavendulæ, ana, manipul. 1; roſarum rubrarum manipul. ſemiſſe; balauſtiorum & aluminis, ana, unc. 1: bulliant in vini rubri libris ſex, ad tertiæ partis conſumptionem; cola & ſervetur ad uſum; lintea hoc vino calido madida bis vel ter in die partibus œdematoſis applicentur.

5. *Phlegmatia à Menoſtaſiâ*, Obſervat. 102. Lamotte des tumeurs. L.

Puellæ à ſuppreſſis catameniis ſupervenit chloroſis, ſcilicet faciei pallor; laſſitudo, faſtidium omnium, inappetentia, lumbago, gravitas femorum, eorumque, necnon tibiarum & brachiorum œdema.

Brachio ſiniſtro multùm œdematoſo, inciſis tegumentis manûs inter oſſa carpi, quæ reſpondent digitis annulari & auriculari, pollicis magnitudine, non ſolum copioſum ſerum ſucceſſivè extillavit, & brachium detumuit; ſed & hæc virgo inde convaluit.

6. *Phlegmatia ulceroſa*; *Blak-leg* Anglis; *homa* Cl. Linnæi. C.

Eſt tibiarum & pedum turgeſcentia œdematoſa, & eryſipelatoſis ulceribus ſtipata.

Nil eſt frequentius illo ſymptomatum concurſu, adeòque mirum eſt inde ſpeciem ſingularem nondum fuiſſe conſtitutam.

Rubent, tumentque tibiæ, rubore quandoque liveſcente, cum calore moleſto; inde exulcerantur, & fundunt ſeroſi puris copiam. Signum imminentis exulcerationis eſt cuticulæ ſeparatio à cute rubrâ, tenſâ, dein vel à levi ictu, vel à puſtulis rubris ſpontè obortis orditur ſuppuratio, quæ vel ſeroſa, vel legitima, ſemper autem pertinaciſſima, nec œdematis inde fit imminutio.

Illa ulcera ſunt duplicis indolis; vel enim eſt mera exſudatio ſeri ex cuticula

cuticulâ abraſâ, aut ulcere molli, humido, fungoſo, & tunc diureticis juſculis, ſimul & antiſcorbuticis, ſerum illud verſus renes derivandum, pars affecta ſiccanda, tonicis ſpirituoſis, ut vino, aquâ vitæ camphoratâ, & ſimilibus fovenda eſt; huc conferunt unguenta ex foliis ſclareæ; ipſa etiam folia parti admota: vel ulcera ſunt eryſipelaceo rubore in viciniis ſtipata, pruriginoſa, rodentia, & tunc calor & acrimonia temperantur medicamentis ſaturninis, ut ceruſſâ, albo Rhaſis, foliis adſtringentibus, ut plantaginis, vel refrigerantibus, ut vitis, betæ, butyro illitis.

Si œdemate rigeant, duræ ſint tibiæ, & doleant, exponantur vapori aquæ cum pauco aceto, vel pauxillo ſalis ammoniaci, deinde oleo palmæ illinantur, vel leviter frica cum flanella calida quæ exceperit fumum ambaræ, vel benzoini accenſi, vel aquæ ſpirituoſæ accenſæ. Si ulcera ſint ſordida, inungantur melle roſaceo, ſpiritu vitrioli acidulato.

Ea omnia vana ſunt in ſenibus, cachecticis, valetudinariis, imò in vegetis, niſi utantur diætâ vegetabili, identidem purgentur, ſumptis remediis ſanguini depurando & edulcorando aptis. Vide *Heiſterum de eryſipelate*, *de ulceribus*, *&c.*

7. *Phlegmatia Malabarica; Hyperſarcoſis ulceroſa pedum* Kempfer. obſ. VIII. Amœn.; *Perical* Malabaris endemium, ſive *Pikal*, ſeu *pes febricitans*; *Pædarthrocaces* Chriſtianis Sancti Thomæ familiaris; *Peju de Sancto Thoma* Luſitanis Indis. *Kojaſſi* Japponenſibus. C.

Viget hic affectus maximè in montibus quos Chriſtiani, Sancti Thomæ religionem amplexi, & ideò ex Provinciâ Coromandel à Paganis ejecti, incolere coacti ſunt, tribuiturque malum aquis nitroſis, acribus hujus loci. Indigenæ narrant à Diis gentilibus pœnam illam inflictam eſſe; verùm ſimilem morbum in Ceilan & Omeræ in Japponiâ obſervavit *Kempferus*.

Crus tantum alterutrum afficitur à ſurâ ad pedes, genu nunquam, digiti rariùs; hanc partem ſingulis menſibus cum lunæ incremento phlegmone corripit, quâ intra aliquot dies defervente, tumor tamen non remittit, ſed in carnem vitioſam ſecedit, ut ambitus cruris creſcente ætate, duplo, triplove major ſit quàm ſanis; craſſities eſt inæqualis, œdematoſa, duriuſcula, aſpectu ſcirrhoſa, fungoſâ, ulceroſâque ſanie ſcatens: qui hydrocelem fovent, à malo illo ſunt immunes; *Kempferus* ſuſpicatur oſſis cariem.

Malum eſt inſanabile, & licet ſit nigricans & fœdum, non facilè in ſphacelum degenerat; imò ſi ulcuſculis ſcateat, non impedit bajulos ne gravia onera geſtent, & palmas altas agiliter ſcandant.

Morbum illum ſublevant Malabarici excitatis circa femora & genua multis fonticulis, quibus ſunt toti veluti faſciati; aſt ab ipſo mali initio poſt paucos tantum inflammationis recurſus, ſic avertitur ſeri acris influxus in tibias; ſerius inſtituti fonticuli non proſunt.

Japponenſes verò tumorem ſcarificant, & pluries moxâ comburunt.

8. *Phlegmatia elephantina*; An diverſa à Malabaricâ Kempferi? *Elephantia* P. Alpini Med. Ægypt. Amati Cent. II cur. 34. C.

Hac correpti pedes multis magnis duris tuberculis tumidos, magnos, at-

que deformes habent, elephantinis pedibus maximè ſimiles, cruribus etiam tumefactis, quod Malabaris non accidit; æger nullum dolorem patitur, ſed ad ambulandum ineptus eſt; interea capſulis ligneis calceorum loco utens pedetentim progreditur.

Tribuitur hic morbus piſcium & aquarum ſemiputridarum uſui, necnon cibis craſſis, ex baminiâ melochiâ, anguriâ batochel, eidemque principio tribuunt hernias, pneumatoceleſque ibi frequentes.

9. *Phlegmatia cruralis*, Zacuti Prax. L.

Vidi quinquies in gravidis octi-vel novimeſtribus crura tumida & aquoſo humore plena, ac œdematoſa ſimul labia uteri pudendi; ſcarificatis cruribus intra horam detumuere coxæ, & fœtus ad ſtatutum tempus ſervatus eſt: *Bonet. Mercur. Compital. p. 582.*

10. *Phlegmatia exanthematica.* C.

In confluente variola, cùm puſtulæ maximæ ſunt, cutis tenditur & intumeſcit; facies primò quidem, quippe ibi puſtulæ tument citius, dein collum; ſicceſcentibus puſtulis facies detumeſcit, oculi palpebris tumidis antè clauſi aperiuntur, & tunc brachia, manus, deinde verò extrema infima intumeſcunt: Vide *Ptyaliſmum varioloſum.*

In miliari, tum primariâ, tum potiſſimùm ſymptomaticâ, quâ ſynochis & typhis non raró apud Septentrionales ſupervenit cum tuſſi & dyſpnœâ, inclinante morbo, non raró phlegmatia, imò abdominis intumeſcentia ſuccedit, cum vel ſine aridura partium ſuperiorum, donec tandem ſudoribus vel ſpontaneis, vel arte prolectis, ex toto cedat.

11. *Phlegmatia Delienſis*, Æſchines in Epiſtolis Philocrati.

In Inſula Delos endemia erat hæc phlegmatia in qua œdema, partibus inferioribus parcens, ſuperiores tantùm pallore & tumore afficiebat, potiſſimùm collum & pectus; hoc erat autem ſingulare quod non ſolùm facies, ſed etiam capilli albeſcerent: nulla febris, dolor nullus: hæc Apollinis irâ ſibi eveniſſe putabant.

IX. Physcònia. *Hypoſarca* Ill. Linnæi Gen. Morb. 218.

Eſt intumeſcentia totius ferè abdominis à partibus ſolidis citra graviditatem.

Phyſconum nomine Græci indigitarunt homines ventricoſos; inde *Ptolomeus* cognominatus eſt *Phyſco* apud Ægyptios ex *Tito Livio.*

1. *Phyſconia hepatica* Cl. Cuſſon. Bonet. Sepulchr. de Graviditate falſa Obſ. 3. n. 8. 9. 10. Verduc Patholog. du Rachitis. (*a*) *ſcirrhodea* Georg. Segeri Miſc. Nat. Cur. Ann. IV. Obſ. 142: (*b*) *calculoſa* Bonet. Sepulchr. de hypochondrii tumore obſ. 5: (*c*) *hydatidoſa* Winckeri diſp. de hydatidibus apud Bonet. Med. Septentr. T. II. pag. 313. C.

Mulier ob ſuppreſſionem menſium gravida habebatur; hepar habuit quadraginta librarum pondus.

1° Puellulam primo ætatis anno optimæ ut videbatur conſtitutionis, eo elapſo,

elapſo, varia afflixere accidentia, primùm quidem levia, aſt quæ intrà ſex menſes mirè ingraveſcebant. Apparebat tumor totius abdominis durus, in hypogaſtrio maximus, ſummè dolorificus, ac plumbeus. Emiſſis urinis purulentis per aliquot dies, erumpentibus ad tertiam uſque vicem in pedibus præprimis ac collo quibuſdam, ſcorbuticorum adinſtar, maculis, accedente diarrhœa, intrà quatuor menſes, debitum naturæ ſolvit. Aperto poſt mortem corpuſculo, omentum cum meſenterio, magnâ parte, putredine abſumptum apparebat; pancreas putridum erat; ren ſiniſter diſciſſus copioſam fundebat ſaniem; hepar magnitudine donatum inſolitâ, pallidoque colore, totam abdominis replebat cavitatem.

2° A longo tempore conquerebatur mulier de tumore ac duritie hypochondrii dextri; adhibitis in caſſum remediis multigenis, ictero tandem correpta intra aliquot dies fato fungitur. Aperto cadavere, hepar repertum eſt impensè magnum, libras circiter 12 pendens, durum, flavum, calculis hinc inde flavis reſperſum: Veſica fellea, arenulis flavis & calculis duobus, meatus hepaticus calculo unico fœta erant.

3°. Diſſecto virginis 43 annos natæ, & abdominis tumore laborantis cadavere, inveniebatur hepar multis obſitum hydatidibus, quarum aliæ ovi gallinacei, aliæ ovi columbini, aliæ minoris erant magnitudinis.

Tumorem in regione hepatis à quindecim annis ferebat mulier quadragenaria, de anno in annum eò increverat tumor, ut vidua illa in procinctu duplicis partûs diceretur. Tumor externam hepatis figuram retinebat; erat duriſſimus, volumine monſtroſus; illo fortiter compreſſo, vix dolebat ægra; inter aſcendendum anhelabat; pedes nunquam intumuerunt, catamenia ritè fluxerunt. Pertæſa mulier illa medicamentorum, quæ clariſſimi Doctores per plures annos & ego per plures menſes in vanum uſurpabam, devoravit ſimul & ſemel drachmam unam & ſemiſſe mercurii dulcis, quod remedium in conſervâ enulæ campanæ exceptum in plures doſes partitum, & intra quinque dies aſſumendum præſcripſeram; ab aſſumpto remedio vix tres elapſæ erant horæ, cùm vividiſſimum dolorem in abdomine conqueritur, & inter cruciatus exclamat ſe perſentire aliquid è pectore in infimum ventrem ruens; interea evaneſcit tumor, & ferè exanimis in lecto procumbit ægra; illam inviſurus accedens vires proſtratas, pulſum vix micantem, inteſtina velut in aquâ innatantia deprehendo; compreſsâ levi manu parte quam priùs obſidebat tumor, dolorem acutum perſentiebat ægra; viribus per quatuor dies refocillatis, abdomen intumuit, ſenſibilis fit fluctuatio & jam ſeptimus excurrebat dies, quo clariſſimo *Doctore Farjeon* in conſilium vocato, paracenteſim inſtituendam decrevimus, juxta quam ad decem, quindecimve libras educta fuit aqua limpida; tribus verò à punctione diebus elapſis, redit aſcites, & non modò abdomen, ſed & totus corporis habitus intumeſcit; in hoc debellando hydrope incaſsùm uſurpavi hydragoga vegetabilia melioris notæ, ad mercurium dulcem & antimonium crudum confugiendum erat, quibus hydropem penitus fugavi, & ægram adeò perfectè ſanitati reſtitutam dedi, ut à ſanitate adeptâ tertius excurrat annus;

nus; nullum dolorem ampliùs perpeſſa in hepate, licet valdè compreſſo: ex communicat. *D. Brouſſonet* D. M.

2. *Phyſconia ſplenica* Cl. Cuſſon; (*a*) *emphractica* Haller Diſp. Pathol. T. IV. diſp. 109; Tulpii Obſ. Med. Lib. II. cap. 30. (*b*) *ſcirrhodea* Bonet. Sepulchr. de ventris tumore Obſ. 34. n. 3. C.

1°. Puer 9 annos natus, per remedia purgantia ab aſcite liberatus, graviſſimis dein tentatus in infimo ventre doloribus, hypochondrium ſiniſtrum tandem oculis & palpo exhibebat valde tumidum ac dolens. Præter alia in ipſius cadavere obſervata, deprehendebatur lien inſignis magnitudinis, aſt immutatæ figuræ, ſuper ventriculum aſſurgens, hepar reprimens, quoad colorem & conſiſtentiam hepati ſimilis, non ſcirrho, non ulcere, non inflammatione tentatus, verum ab uberiùs affluente, quàm tranſeunte ſanguine infarctus atque obſtructus.

Infans malè habitus à nutrice, & loco lactis altus graviore cibo, quàm tenella ætas ferendo fuit, collegit inde plurimum lenti ac viſcidi ſucci, infercientis uſque eò anguſta lienis vaſa, ut viſcus illud ſummoperè intumeſcens abdomen prorsùs diſtenderit, contabeſcente interim corpore univerſo. Sublatâ obſtructione & imminutâ uberiori ſucci copiâ, decrevit tam manifeſtè lien; ut luce clariùs apparuerit tumorem hunc, non tam fuiſſe à malâ conformatione, quàm à redundante alimento.

2°. Refert ex *Hyppol. Boſco Theoph. Bonetus* ſectionem mulieris laborantis ſcirrho lienis in tantam molem excreti, ut totum ferè repleret abdomen & libras 33 penderet. Morbum præfatum decem & ſeptem annos mulier tulit, munia ſua de cætero obiens. Exemplis ſimilibus ſcatent hiſtoriæ Medicæ, quæ brevitatis ergò miſſa facimus apud *Schenkium*, in *Boneti Sepulchreto*, *Medicinâ Septentrionali*, &c. legenda.

3. *Phyſconia renalis*: Cl. Cuſſon, Bonet. Sepulchr. de gravid. falſa Obſ. 3. n. 7. (*a*) *calculoſa* Plater Obſ. L. II. p. 449; River. Cent. IV. obſ. 34. (*b*) *ſarcomatico-cyſtica*, Haller Diſp. Pathol. diſp. 114. C.

In cadavere muliebri *Franc. Plazzonus* unum duntaxat renem invenit in medio ventre ſitum tantæ molis ut initio fœminam prægnantem putaret, *Rhodius Mantiſſ. anatom. obſerv.* 32.

1° Nobilis quædam matrona multos annos graviſſimis renum doloribus, ſiniſtro præſertim in latere, divexabatur; & quatuor decies uterum geſtans toties ante abſolutum graviditatis terminum parturiebat. Tandem unâ cum ætate doloribus invaleſcentibus de dextri præſertim lateris dolore, ita ut nec contactum nec decubitum in illam partem ferre poſſet, conquerebatur: rejectis interim, toto morbi tempore, multis calculis & puris ac ſanguinis copiâ per urinas, accedente inſuper graviſſimo ſtomachi & gutturis ardore. Culter anatomicus exhibebat renem ſiniſtrum penitus conſumptum, puriforme, ſinubus amplis, ſcirrhoſis tuberculis refertum, cum uretere dilatatiſſimo, inteſtini ſimili; dextrum verò renem tumidum, in immenſum adauctum, in quo per medium diſſecto, calculus tantæ molis nidulabatur ut ſinum ſecundum omninò adimpleret &c: *Riverius* renem vidit calculis 22 refer-

refertum in magnitudinem nativâ quadruplo majorem excreviſſe.

2° Refert *Joan. Martin. Ottus* caſum fabri ferrarii qui biennio ante mortem perſenſit in ſiniſtro lumborum latere tumorem abdomen, eâ in parte præprimis ac ſiniſtro hypochondrio, maximopere tandem diſtendentem, borborygmos, jejuno præſertim ventriculo, edentem ac ſi verum quoddam animal intus deliteſceret & vocem, ſeſe hinc inde commovendo, ederet: hanc moleſtiam cibis ingeſtis mitigare diu noverat æger: increverunt in dies ſymptomata; acceſſit immedicabilis dyſpnœa, inſultus apoplecticus, dyſphagia, pſelliſmus, dextro lateri hemiplegia, mors. Aperto abdomine mox prodibat corpus immane, globoſum, tenſum, vaſis ſanguiferis ac nerveis dives, magnitudinis cucurbitæ mediocris, inflammatione gangrænodea inferne tactum, intùs farctum ſanguine fuſco, copioſo, parum vel nihil fœtente, conjuncto cum ſubſtantiâ flaveſcente, ſpongioſâ, lamellatim ſibi incumbente; in quâ hinc inde apparebant vomicæ atro ſanguine ac pure collecto diſtentæ. Nihil erat morboſum hocce corpus præter partem renis ſiniſtri dimidiam; illæſa ac ſana erat renis ejuſdem medietas altera.

4. *Phyſconia uterina* Boneti Sepulchret. de gravidit. falſâ, obſ. 2 n. 5, 6, 7. C.

In muliere quæ utero geſtare putabatur, uterus apparuit undique diſtentus, durus, craſſitie quinque digitorum, pendens libras novem cum dimidiâ, in capacitate maſſa carnea concreverat. In alterâ uterus poſt partum tantam molem retinuit, ut totum infimum ventrem ſolus occuparet. In altera utero adnata erat exteriùs excreſcentia candida, ſeu lipoma.

5. *Phyſconia ab ovario.* Monroo Eſſais d'*Edinburg* tom VI art. 74 obſerv. 1.

Mulieri 36 annos natæ priùs hydrometrâ graviditatem mentiente affectæ, catamenia quæ eruperant ſtetere, venter intumuit cum omnibus graviditatis alterius ſignis; ſub finem noni menſis acceſſere tormina partûs in quibus obiit. Aperto cadavere, inventum ovarium dextrum molis graviditatem mentientis intùs cellulis farctum, & intra cellulas materiem ſteatomatoſam obſervavit *Monroo*, vaſis ſanguiferis in ejus molis ſuperficie repentibus; præterea lien mollis erat, ſuperficies viſcerum nigro humore infecta, cyſtis fellea plena grumis, mori fructus colore & ſuperficie referentibus, ſexdecim aquæ brunneæ libræ in abdomine.

6. *Phyſconia meſenterica* Cl. Cuſſon: (*a*) *hydatidoſa* Greg. Horſtii Lib. V. Obſ. 33, Tulpii Obſ. Lib. II. c. 34; (*b*) *ſtrumoſa*, Bonet ex Rudnicio de ventr. tumore Obſ. X. n. 15; Ambr. Parei Lib. VII c. 21, Scultet. Armamentar. Chirurg. Obſ. 38; (*c*) *ſcirrhodea*, Marc. Donati Hiſt. Med. mir. lib. VII, c. 15, Claudin. Conſult. Sect. II. conſ. 134, Trincavell. Lib. III Conſ. 22, Riolan. Anthropogr. lib. II. c. 26, Morgagni de ſedib. & cauſ. morb. Epiſt. 39 n° 2 Tom. II; (*d*) *ſarcomatica* Bonet. Sepulchr. de falſa gravid. Obſ. 3 n. 1; (*e*) *ſteatomatoſa*, Barth. Cabrol. Obſ. 33 & 35, Tulpii Obſ. Lib. II c. 32 & 33, Joh. Lechelii apud Bonet. Med. Sept. T. II p. 486; idem Collect. Acad. Tom. III p. 585; Hierne Collect. Acad. Tom. III

p. 226 Obſ. 166. (*f*) *fungoſa*, Bonet. Sepulchr. de gravidit. falſa Obſ. 3. C.

1°. Juvencula, altero poſt nuptias anno, cœpit variis torqueri in imo ventre & hypochondriis doloribus, qui nunc omnino evaneſcebant, nunc ad lipothymiam uſque ſæviebant: pallebat facies; venter in tumorem ſurgebat inæqualem. Irritis Empiricorum ineptiis nec-non Medicorum conſiliis ita increverunt dolores, præprimis circa uterum, parturientium inſtar, ut obſtetrix accerſita vel molam vel ſimile quid ex utero proditurum expectaret: ſed præter aquea quædam effluvia nihil apparuit; & dolores paulatim omninò remiſerunt: interpoſitis diebus aliquot tumor ventris & dolores aucti ſunt. Purgantibus, cataplaſmate & inſeſſionibus adhibitis ſubſidit inſigniter tumor; dolores fere ſublati; ægrâ rurſùs munia domeſtica perficere incipiente. Haud ita multò poſt accedentibus ſubitò convulſionibus, ea ipſa die vitam cum morte commutat. Aperto cadavere loco glandularum meſenterii apparuerunt veſicæ venulis ejuſdem implicitæ ac tectæ, uti & toti meſenterio hinc indè adnatæ, ultra viginti omnes inter ſe connexæ, mole variæ, aquâ limpidiſſimâ turgentes: harum maxima caput infantis, ſex aliæ pugnum, reliquæ ova gallinacea & columbina æquabant.

Filia celebris pharmacopolæ, diſſecta poſt obitum ob aſcitem, oſtendit in meſenterio ſuo inſignem tumorem libras viginti ponderantem, involucro membranaceo extus tectum, intùs verò refertum veſiculis pluribus aquâ limpidâ diſtentis. Increvit tàm lentè hæc moles, ut prægnationis ſuſpicionem moverit: ſed elapſo partûs tempore, conflixit deinceps miſera hæc integrum triennium cum funeſtiſſima aſcitis ſpecie; adeò ut vix unquam ſpiritum liberè traxerit. Huic Phyſconiæ ſpeciei, ruptis veſiculis, ſocius acceſſit aſcites.

2°. Virum ingluviei deditum varii corripuerunt affectus, qui quidem curati, nuſquam tamen in totum ſublati ſunt: tandem totius abdominis inæqualem tumorem percipiens, ſenſimque languore univerſali affectus dolorem in lumbis gravativum, in ſiniſtro hypochondrio obtuſum & ſub ventriculo tranſverſalem, conſtrictorium, conqueſtus eſt: Irritis remediis ſenſim contabuit. Aperto cadavere obſervabantur glandulæ omnes tùm meſenterii, tùm externæ abdominis, maximè in regione lumbari, induratæ; cellulæ inteſtini coli ſcybalis, fruſtiſque caſeorum ingeſtorum ferè omnes infarctæ; denique lien cruſtâ ſuboſſeâ partim obductus.

Mulieri ſexagenariæ ab octo annis abdominis tumor cœperat ſenſim atque indolenter ad ſummam magnitudinem progredi: interim naturæ, animæ, ac vitæ munia, perinde ferè ac ſana, ægra obibat: duobus antè mortem menſibus tantum lecto ſe tradere coacta fuit, febre ſuperveniente. Secto cadavere inventum eſt meſenterium tumore miro ac propè incredibili turgens, librarum decem & ſemis pondere, totum extus ſcirrhoſum, ſolis parte ſui poſticâ lumborum vertebris adhærens, anticâ autem peritonæo ſcirrhoſo pariter ac prorſùs cartilagineo, nullatenus verò inteſtinis, aliiſque partibus, quibus velut commune alligatur. In ipſo ſuberant infiniti tumores cyſtici materiâ variâ, aquoſâ nimirùm, oleoſâ, melleâ, ſebaceâ, albugineâ, pultaceâ referti,

referti, &c..... Aquæ ſitulam habebat abdominis cavum, aſcite in phyſconiæ ſocietatem tandem veniente.

3° Puer octennis ab alio puero fuſte circa lumbos percuſſus, aliquot diebus poſt malè habere cœpit, & ſeptimanis aliquot præteritis, licet ad vitæ tempus ultimum cibo ſufficienti nutriretur, tabe aſſumptus obiit. Huic licet nec tuſſis moleſta eſſet, nec febri laboraret; nihilominùs tamquam phthiſicus à quodam tractatus fuit. Parentibus mortis cauſam intelligere cupientibus, decreta eſt mortui pueri exenteratio. Cadavere denudato, abdomen turgidum & utrinque circâ umbilici regionem renitens inventum eſt: quo aperto glandulæ meſeræi non ſolùm tumentes, ſed etiam ſcirrhoſæ apparebant, atque ita conglobatæ ut duorum pugnorum magnitudinem ſuperarent. In thorace & pulmonibus vitii nihil penitus occurrit. Varietatis hujuſcemodi Hiſtorias habent *Claudinus*, *Trincavellius*, *Riolanus*, *Morgagnius* locis citatis.

4° Refert *Bonetus* ex *Welſchio* mulierem Pariſiis viſam fuiſſe ingenti totius abdominis tumore correptam cum aliquo lumborum dolore, quam Medici quidam gravidam exiſtimantes ad partum accingi jubebant, parùm omnino proficientes. Abdomen univerſum quod tractatum, non aquæ, ſed carnis duræ conſiſtentiam præ ſe ferebat, ita elevaverat tumor, ut geminos utero geſtare videretur: cæterum aderat appetitus; alvi & veſicæ beneficio liberè fruebatur mulier, de re aliâ nullâ conqueſta, niſi de tumoris moleſtiâ & indecentiâ. Accitus poſteà *Honoræus* bono animo hanc eſſe jubebat, reique familiari operam dare, neque de onere illo die deponendo quidquam ultra cogitare; prægnationem enim hanc non eſſe, ſed meſenterii ſarcoma, cujus ſcilicet glandulæ mirum in modum intumuerant, accedente quâdam inſenſibili ſyſſarcoſi: tres jam eodem affectu laborantes fœminas ſibi olim fuiſſe obſervatas.

5° Puella menſes nata tredecim inſigni ventris tumore ac tenſione vexabatur, tanto reſpirationi facto impedimento, ut ſtatim ſuffocatione jugulanda videretur. Tumoris ad ilia utrimque pertingentis aliqualis palpo deprehendebatur circumſcriptio: quinque adhuc menſes ferè duravit affectus hujuſcemodi, quem intrà octiduum lethalem pronuntiabant optimæ notæ Medici ac Chirurgi. Factâ cadaveris ſectione occurrebat in ſiniſtro latere tuber immenſæ molis cyſti duplici venis varicoſis intertextâ præditum, libras 10 pendens, materiâ pulmentum, ova cocta, ficus, carnem referente farctum, tuberibus tribus aliis, pondere trium librarum, quoad cyſtidem & materiem contentam ſimilibus fœtum, quod ab apophyſibus tranſverſalibus vertebrarum lumbarium ortum ducens, deinde ſub liene tranſiens totum id latus occupabat; dextrum verò latus tenebant duo itidem immenſa tubera prope vertebras originem trahentia, quoad cyſtidem & incluſam materiam ſimilia, libras 4 pendentia: quorum alterum cavam jecoris partem adimplebat; alterum ad os uſque pubis deſcendebat. Diaphragmate ad claviculas impulſo duorum digitorum ſpatium pulmonibus non erat reliquum. Sana erant reliqua omnia thoracis atque abdominis viſcera.

Puero intrà biennium excrevit abdomen in eam molem ut crederetur firmiter aſcite laborare. Sed ſectio cadaveri deinceps adhibita, invenit tamen illic nihil liquoris; verùm ingens ſolummodò ſteatoma quod ex meſenterii glandulis excreſcens devenerat in eam magnitudinem; ut bilanci impoſitum ultra libras octodecim ponderaret. Erant jecur, lien, ventriculus illæſa, pancreas pingue ac ponderoſum, & alterutrum latus rene ſuo deſtitutum....

Steatoma meſenterii capitis magnitudine, ſenſu gravitatis, doloribus per intervalla, & vomitionibus ſtipatum; quandoque diarrhœa torminoſa accedebat; pedes ante obitum œdematoſi fuerunt, nullum ſerum in abdomine.

Miles quem hydropicum exiſtimabant, omnino macilentus, œdematiâ, ſeu phlegmatiâ crurum & tibiarum laborans, abdomen portentoſi voluminis habebat cum dyſpnœâ, debilitate, anxietatibus præcordiorum, & fame maximâ ſine ſiti.

Gerebat in abdomine molem adipoſam, trilobam, quinquaginta quinque librarum pondere, quilibet lobus tumoris intus cavus continens liquidi obſcuro-flavi circiter libras ſex, in altero quid arenoſi latitabat, vix aquæ libræ duæ circa tumorem, qui vaſis ſanguineis, imò quibuſdam lacteis circumdatus erat; unde jure refertur glandulas meſenterii portentosè auctas fuiſſe.

Fungus eſt excreſcentia mollis; ille innaſcitur meſenterio, & ita ſenſim creſcit, ut mulieribus graviditatem mentiatur. Plures ſunt obſervationes, ut *Welſchii*, *Slegelii*, *Severini*, *Horſtii*. Appetitus, alvi, veſicæque munia benè ſe habent; tantummodo eſt in hoc morbo magni, carnoſique tumoris in abdomine moleſtia & indecentia. *Pigræus* hunc tumorem vocat *Sarcoma* meſenterii; alii *Suaſarcoſim*; Galli *Champignon*.

Aliam hiſtoriam vide apud *Boneti Sepulchret. tom. 3. pag. 93 n°. 8.*

7. *Phyſconia inteſtinalis*, Cl. Cuſſon; (*a*) *concreto-glomerata*, Morgagni de Sedib. & cauſ. morbor. T. II Epiſt. 39 n. 21. 25; (*b*) *ſarcomatica*, Fantoni Obſ. Med. ſelectiores, Obſ. 11. C.

1°. Vir hypochondriacæ affectioni & fluxui hæmorrhoïdali obnoxius vivebat: imminuto fluxu præfato dolores quidam ventris, ſæpe repentini & momentarii, nonnumquam paulò longiores, ipſi interdum creabant moleſtiam, quæ, fluxu penitus compreſſo, major in dies facta eſt. Elapſis pluribus menſibus animadverti cœpit in ventre durities quædam, ac tumor: prædicta incommoda alvi adſtrictio ſtipabatur; acceſſerunt vomitiones contumaciſſimæ, nulli morigeræ remedio, ſupervenit macies, febricula; interim ventris tumor ita increverat ut jam circulum æquaret cujus diameter eſſet octo digitorum: erat autem is non tactu modò, ſed & viſu perſentiendus, cuti concolor, medius inter enſiformem appendicem & umbilicum locatus, & ab utroque modicè diſtans: tuberoſus, renitens ex corporibus glandulofis quaſi compactus palpo videbatur; dolebat à preſſione, & etiam cùm flatibus vexaretur æger, huc illuc movebatur, ſi manu utraque comprehenderentur ipſius latera: facile erat animadvertere eum non ventris parietibus, verùm his proximum eſſe. Docuit abdominis apertio totum ileum inteſtinum & jejuni

proxi-

proximi partem aliquam ſurſum retracta, coacervata, & inter ſe arctiſſimè conjuncta magnam illam ac circumſcriptam protuberantiam efficere &c. &c. Signa quibus hæc phyſconiæ varietas utcumque dignoſci poſſit, necnon cauſas quibus debebatur hæc inteſtinorum retractio, & coacervatio, memorat laudatus Author. Patent ex concretionis theoriâ apud *Gorterum* alioſque legendâ cauſæ quæ arctiſſimam inteſtinorum conglobatorum connexionem in hac varietate obſervatam induxerunt.

2°. Puer 10. circiter annorum, habitûs corporis carnoſi, cœpit ægrotare dolore ventris violento, cum febre & vehementi vomitu: obſervabatur infra ſiniſtrum hypochondrium verſus epigaſtrium oblonga eminentia cum aliquali duritie, quæ videbatur æmulari prolapſum lienis. Febre, quæ fugata fuerat ope congruorum remediorum, redeunte, dolore continuò nullis remediis auſcultante, & protuberantiâ immutatâ permanente, puer extinctus eſt. Aperto cadavere omnia ſatis ſana inventa ſunt, præter inteſtinum colon in latere ſiniſtro & ſub ventriculo, longitudine palmari valde durum, diſtentum, & tumore carnoſo, fibroſo, admodùm denſo, ipſius cavitatem coarctante, inſtructum. Secedebat tunica ejus exterior purulento humore infarcta, & fracida.

8. *Phyſconia omentalis*; Frid. Reebman Diſſ. de Omento; Cl. Cuſſon C.

Eſt abdominis intumeſcentia ab omenti mole adauctâ cum duritie ſcirrhoſâ, cartilagineâ, vel ab infarctu ejus & convolutione.

Scirrhoſum totam epigaſtrii regionem occupans omentum *Riverius* in Canonico Monſpelienſi vidit. *Prax. lib. 13. cap. 5.*

Scirrhoſum & adipoſo-carneum vidit *Ruyſchius Obſerv. anat.* 63. In eodem craſſo carnoſo piloſum glomum *idem* vidit. *Obſerv. 18.* In puellâ carnoſo-glanduloſum craſſum, *Warthonus Adenogr. cap. 12*; *Bartholinus, Anat. lib. 1 cap.* 8. Cancroſum ventriculo & hepati adnatum, *Hallerus comment. in Boerhaave.* Craſſum, durum, ferè lapidoſum, *Panarolus pentec. 3. obſ. 10.* Oſſeum tredecim librarum pondere, *Mongin*, *Hiſt. de l'Acad. des Sciences 1732, pag. 34.* Auctum ad quinque libras refert *Veſalius*, teſte *Bartholino.* Multis millenis glandularum infarctam, *Segerus Ephemer. German.* Conglobatum viginti ſex libras pendens, unde mulier primùm gravida, dein hydropica habebatur, *Keiſelius*: triginta libras pendens, unde orthopnœa exorta, *Furſtius* & *Boerhaave*, *Haller. comment. in Inſt.* Capitis infantis magnitudinem adæquans, *Raygerus.* Durum ingens ſexdecim libras pendens, atroces dolores creans in feminâ, *Huxham Philoſoph. Tranſact. vol. 7. pag. 519. & pag. 194.*

Mulier ventris tumorem gerebat qui aſcitem ingentem quantitate mentiebatur. Ab aliquot annis exordium ſumpſerat affectus, & pedetentim invaluerat, irritis remediis omnibus ad reſolutionem & diſſipationem tumoris accommodatis. Tanti ponderis extenſione non ſolùm doloribus variarum partium conſumebatur, ſed inſuper præcedente reliqui corporis atrophiâ tandem extinguebatur. Aperto abdomine in conſpectum veniebat tumor ingens, totam ven-

tris capacitatem implens, libras 56 pendens, undique ſatis craſsâ ac robuſtâ membranâ donatus, ſubſtantiâ conſtans primùm adipoſâ, dein ſcirrhoſâ ac glanduloſâ, cujus medium tenebat cavitas fœtidâ ac ſordidâ ſanie repleta. In parte inferiori ac in lateribus facili negotio ſine partium reliquarum læſione ſeparabatur tumor; aſt ſuperiùs à fundo ventriculi, partibuſque circumjacentibus non ſine laceratione divellebatur. *Greg. Horſtii Prob. 10. Dec. VI.*

Cura obtinetur longo uſu martialium, mercurialium, ſalinorum, necnon extùs ſaponaceis, reſinoſis, emplaſticis, interpoſito uſu laxantium, millepedum, ſalinorum, ſaponis, aceti, &c.

9. *Phyſconia polyſplachna* Cl. Cuſſon; (*a*) *ſcirrhodea.* Fabr. Hildani Cent. II. Obſ. 45; (*b*) *ſcirrhodea & ſarcomatica*, Huldenreich Miſc. Nat. Cur. Ann. VI & VII p. 321; (*c*) *ſcirrhodea & adipoſa*, T. Bartholin. Cent. III Obſ. 6; (*d*) *hydatidoſa*, Wolch. Coiter Obſ. Anat. p. 117, Maur. Cordæi Comm. 5 ad lib. priorem Hippocr. de muliebr. (*e*) *hydatidoſa & ſcirrhodea*, Halleri Diſp. Pathol. Tom. V p. 256. C.

1° Secabat *Fabr. Hildanus* mulierem morbo jampridem detentam, quæ ſibi perſuaſerat fœtum mortuum, poſt fœtûs alterius intrà triduum mortui partum, per menſes 14 in utero remanſiſſe. Hanc ipſi opinionem injecerat durities ſiniſtro in latere manifeſta, oblonga, infernè rotunda, caput infantis repræſentans, aduſque ilia ſeſe extendens, & ſimul comprehendens regionem umbilici unà cum lateris dextri coſtis ſpuriis. Reperiebat autem hepar tantæ magnitudinis, ut coſtas ſiniſtri lateris ſpurias tranſgrederetur; lienem verò mole portentoſum, durum, infernè rotundum, ſanguine aduſto plenum, hepatis lobo adnatum.

2° Mulier annorum 45, temperamenti bilioſi, poſt conſolidatum ulcus, quod ſub axillâ dextrâ per aliquot menſes aluerat, incidit in ciborum faſtidium, vomitum, ſitim intenſam, cum dolore circa hepatis regionem gravativo & inſigni dextri hypochondrii tumore: invaluerunt in dies ſymptomata; non remiſerunt dolores; tumor nec emolliri, nec diſcuti potuit; acceſſit icterus; tandem miſera, dextro latere, præ tumoris ipſam trahentis ac fermè opprimentis mole, versùs terram inclinato, dies noctesque ſedens animam efflavit. Secto abdomine inventum eſt hepar ſcirrhoſum, vaſtiſſimum, libras 14. pendens: in meſenterio autem detecta fuit excreſcentia carnoſa, caput infantis magnitudine æquans. Viſcera reliqua à nativâ bonitate nihil defecerunt.

3° Fœmina prægnans ab obſtetrice judicabatur ob ventris tumorem ac duritiem: per intervalla modò remittebat durities, modò augebatur: pedes ſubinde tumidi, interdum abſque ſenſibili evacuatione ſubſidebant: cæterum eleganter toto corpore carnoſa ac florentis ætatis erat fœmina. Intra 4 menſes ita invaleſcebant ſymptomata præfata, ut doloribus ingentibus excruciata vivere deſierit. Culter anatomicus ſiſtebat inteſtina tenuia omnia, arctiſſimè inter ſe connexa, eminentia, membranis & pinguedine cooperta; hepar grandius, utrumque implens hypochondrium, ſcirrhoſum, cum ventriculo, liene &c, mediante pinguedine cohærens; lienem adipi immerſum;

ven-

ventriculum denſum, cartilaginis duritie; inteſtina craſſa ſub membranâ præpingui, ac per abdomen protenſâ univerſum, deliteſcentia; inteſtini recti vicinias pinguedine obſitas &c. In vitiorum prædictorum ſocietatem venerat ſanguis ſeroſus in ventris ac thoracis cavum magnâ copiâ effuſus.

4° Phthiſici ventrem diſtentum ſecabat *Coïterus*, & inveniebat veſiculas inæquales, aquâ lympidâ refertas, ubique peritonæo, meſenterio, inteſtinis, hepati, lieni, viſceribus denique omnibus adhærentes. Conſumpta & exſucca erant viſcera præfata. Aquam nullam habebat abdominis capacitas. Simile exemplum hydatidum loco citato refert *Cordæus*, qui in mulieris cadavere nullum cavum obſervabat in quo non penderent veſicæ aquâ citrinâ & fœtoris experti repletæ: his ſcatebant intùs & extùs veſica urinaria, renes, uterus, ventriculus, inteſtina, pericardium, cor, &c: his tegebatur hepar, lienque univerſus: Octingentas numerus facilè ſuperaſſet.

5° Mulier 46 annos nata, temperamento ſanguineo-phlegmatico & habitu corporis macilento prædita, poſt ſuppreſſa menſtrua, acerbiſſimos abdominis dolores patiebatur. Trium annorum ſpatio in dies ità intumeſcebat abdomen, ut ambulatio ei ob difficultatem reſpirandi denegaretur; & ſumma oriretur imbecillitas: pedes & femora nullo tumore affecta, imò & contabida erant: nulla corpore moto ſentiebatur fluctuatio; verùm hepar durum, ſcirrhoſum percipiebatur, non ſecùs ac regio circa veſicam urinariam: interim paracenteſim urgebat ægra, quâ aſciticam non ità pridem curatam norat: reluctabantur Medici: inſtituitur tandem paracenteſis in latere ſiniſtro, molliſſimo, tenuiſſimoque: fluebat aqua pauca, viſcida, gelatinoſa, tenax, quæ ad veſperam ſponte ſubſiſtebat: profundiorem inciſionem idem ſequebatur effectus. Ex aperturâ identidem prodibant cuticulæ: exacto biduo cum impetu proſiliebant hydatides, partim diſruptæ, partim ſero limpido repletæ, majores, minores, quæ ſub quâlibet deligatione per tres dies exire pergebant. Secto cadavere, muſculi abdominales, peritonæum, uterus cum ſuis ligamentis, & veſica urinaria ſcirrhodea inventa ſunt; viſcera verò reliqua veſicis ſero repletis vel cooperta, vel referta: Plura vide loco citato.

10. *Phyſconia viſceralis* Bonet. Sepulchr. de gravid. falſ. Obſ. 3; *Megaloſplachnos* Hippocratis; *Phyſconia megaloſplachna* Cl. Cuſſon, Marc. Donati Hiſt. Med. Mir. Lib. VI cap. 2, Schenck. ex Garnero de Liene Lib. III obſ. 9, Salmuth Cent. I Obſ. 21, Boneti Med. Sept. Lib. VII p. 487, Bianchi hiſt. hepat. T. I. p. 130. C.

Mulier novem menſes utero geſtare putabatur; inſtante partûs tempore obiit præ dolore; totum corpus internum, epiploum, meſenterium, hepar, lien, pulmones, cor quoque & peritonæum erant obſita verſiculis aquâ limpidâ plenis, cuique veſiculæ triplex erat tunica. *Ballonius Parad.* 186. In aliâ hepar & ſplenem immenſæ molis invenere.

Hanc ſpeciem ſiſtit viſceris unius aut multiplicis, inculpabili undequaque ſubſtantiâ contexti, magnitudo abdomen elevans atque diſtendens: perſtat illæſa viſceris functio: una peccat moles, palpo judice: quod non ita tamen intelligi volumus quaſi functionum aliarum à viſcere juſto majori non pendentium

tium nuſquam adeſſet læſio ; in hac ſpecie non ſemel obſervantur dyſpnœa, ponderis ſenſus, moleſtia ſub vario corporis motu & ſimilia : Cæterum vita vel ſana eſt, vel à ſanitate parum omnino abludit. Megaloſplachniæ plurima apud Auctores proſtant exempla. Hepar mole maximâ præditum, naturalis tamen habitudinis, in ſubjectis plurimis per varia morborum genera denatis invenit *Bianchi*. Fœminæ optimâ ſanitate fruentis, & hepar vaſtæ molis in corpore alentis hiſtoriam *Salmuthus* commemorat. In puellâ ſimilem hepatis magnitudinem dyſpnœa nullâ ſtipatam, quamvis alia adeſſent ſymptomata dolorifica quæ in hepatis molem abnormem refundenda certè non veniebant, vidit *Carolus Offredus*. Non ſemel tamen difficultatem ſpirandi comitem habet Megaloſplachnia hepatica. Exempla de hoc genere apud præfatum *Offredum*, *Dominicum de Marchettis*, alioſque legere datur. Quod de hepate modò diximus in liene etiam locum invenit, qui ob malam conformationem vel hypertrophiam ſuâ mole, ſanâ licet, nonnumquam ſpectabilis eſt, abdomenque diſtendit. Hiſtorias Megaloſplachniæ ſplenicæ referunt *Schenckius*, *Marcellus Donatus*, *Veſalius*, *Helvigius*, & ſexcenti alii. Hujus cum hepaticâ combinatæ caſum, ut alios ſileamus, deſcribit in *obſervationibus Anatomico-Medicis Schraderus*, qui inciſo quodam cadavere hepar & lienem inſignis magnitudinis invenit, parenchymate interim utriuſque viſceris integro ac bene colorato...... Cæterum ex hac ſpecie exulare jubemus obeſorum megaloſplachniam adipis copiæ abdominalia viſcera obſidenti tribuendam, quæ nimirum Polyſarciæ ſymptoma eſt vulgatiſſimum : Speciei hujuſcemodi varietatem tunc tantùm creat pinguedo, cùm interiores abdominis partes ita obruit, ut ventris protuberantia, cum reliqui corporis marcore aut ſaltem impinguationis defectu conjungatur.

11. *Phyſconia externa lupialis*, Cl. Cuſſon, Walter Graham Tranſ. Philoſ. Compend. Vol. IX cap. 4 p. 187. C.

Puella 30 annos nata, proſperâ ſatis valetudine gaudens, niſi quod interdum de menſtruorum ſuppreſſione quereretur, dum pondus abdomini applicatum elevabat, niſum edidit validum, quem inſequebatur dolor vividus in ſiniſtro latere : exactis duabus tribuſve hebdomadis, in eodem latere obſervandus veniebat exiguus tumor rotundus ; & paulò poſt aſſurgebat abdomen univerſum, magis tamen in ſiniſtrâ quàm in dextra parte. Querimonias habebat ſæpius ægra de crebris ac vehementibus in inteſtinis doloribus, qui interdum ita ingraveſcebant, ut ſolo opii liberaliter aſſumpti uſu quies ac ſomnus obreperent : cæterum parcè admodùm fluebant urinæ, & tanta alvum tenebat ſegnities ut rarò admodum, niſi catharticæ potionis aut clyſteris beneficio, ea deſcenderet : à catharticis malè ſemper, ab emollientibus verò enematibus optimè habuit ægra : adeò non tumebant pedes, tibiæ, femora, ut potiùs artus inferiores, non ſecus ac reliquas partes marcor obſideret. Tumor abdominis erat inſignis, præprimis circa umbilicum, inæqualis, major ſcilicet latere ſiniſtro quàm in dextro, ita durus ut preſſioni prorſus obſiſteret. Regionem epigaſtrii ſiniſtram tenebat peculiaris protuberantia, molliuſcula, quæ digito prementi ſeſe inflecti patiebatur. Tres ferè annos

annos morbus emenſus eſt. Culter Anatomicus exhibuit membranam adipoſam tenuiſſimam, muſculos abdominales graciliſſimos, peritonæum, præcipuam morbi ſedem, adeò portentosè incraſſatum; ut circa & infrà umbilicum pollicum quinque latitudinem ſuperaret, ſuprà ipſum craſſitie donatum paulò minori: in eo obſervanda veniebat numeroſiſſima lupiarum ſubſtantiâ albâ & ſpongioſâ diſtinctarum cohors; quarum aliæ rotundæ, oblongæ aliæ: maximæ in latere ſiniſtro reperiundæ ovum anſerinum æquabant, aliæ columbinum, his minores erant nonnullæ; colore ac conſiſtentia variabat materies in his contenta, quæ nunc tenuis, albida, nunc viſcoſa, gelatinoſa, pellucida, albumini ovorum ſimilis, nunc tandem ſpiſſa, alba, puri analoga: ut contentorum ita & cyſtidum varia erat conditio; membranæ his tenues, illis craſſiores, plurimis cartilagineæ. Debebatur peculiaris epigaſtrii ſiniſtri protuberantia cyſtidi aquoſæ, ſplenis ac renis regionem occupanti, intra peritonæum eo in loco tres ferè lineas craſſum efformatæ. Abdomine exulabat pus, nec-non aqua. Maximum erat hepar, ſanguineque farctum. Inteſtina in latus dextrum adegerat lateris ſiniſtri protuberantia cyſtica, &c.

12. *Phyſconia externa ſcirrhodea* Cl. Cuſſon, Ger. Blaſ. Obſ. Med. VI. C. Mulier 35 annorum, tabe confecta, & à molâ, uti credebatur, extincta per triennium ventris intumeſcentiâ ſenſim auctâ laboraverat; durum valde abdomen; ſic ut conſtitutionem lapideam referret, ubi manu attingebatur. Culter Anatomicus nec pinguedinis, nec membranarum, imò ne muſculorum quidem abdominalium veſtigia exhibuit: omnia hic in ſubſtantiam commutata reperiebantur alienam, ulnâ dimidiâ in regione umbilici craſſam, omninò cartilagineam, circa corporis exteriora, verſus interiora verò magis carcinomatodeam. Ortum duxerat malum ex tuberculo duplici ad ſpinam & os pectoris ſiniſtro in latere ſito, cyſtidi propriæ incluſo, cui protuberantiæ reliqua pars adnata quaſi incumbebat.

13. *Phyſconia externa hydatidoſa* Cl. Cuſſon, Bonet. Sepulchr. de Gravid. falſa Obſ. 3 §. 2. 3. 4. 11 &c, Acholtzii apud Schenckium lib. III. de Hydrope Obſ. 4, & apud Scholtzium Conſ. 339, Solenandri Conſ. 15. Sect. V, Riverii Obſ. communicat. ultim. C.

Inventus eſt in meſenterio puellæ tumor viginti libras ponderans, intùs refertus veſiculis. In feminâ alterâ quæ gravida habebatur, abdomen erat plenum veſiculis crebris, aquâ limpidâ refertis. Vide *Ballonium parad. 186.* Vide de hac re *Philoſoph. Tranſact. ann. 1722 n°. 370.* ubi inciſione in vivo octo millia globulorum, ſeu hydatidum educta ſunt ex abdomine.

Mulier plebeïa, annos circiter 40 nata, humiliorem domûs partem inhabitans, æſtate & autumno ventre tumere cœpit abſque moleſtiâ, ut gravidam ſe crederet; hyeme accedente, eam invaſerunt dolores gravativi, tenſivi, lancinativi, noctu vehementiùs affligentes, increſcente ſimul ventre, abſque reliqui corporis inflatione ullâ, imò potiùs emaciatione. Graviditatis ſpe in metum hydropis mutatâ, perquiſivit & admiſit undequâque remedia, ſed fruſtra: quin dolores, una cum ventre ſubinde magis aucti fuerunt, ut noctu neque in lecto, neque extrà quieſcere potuerit, ſed in ſummo gelu

extrà domum obambularit ejulabunda, donec tandem dolorum magnitudine examinata conceſſit. Sectione abdominis factâ, flatus nullus compertus eſt, aqua verò pauca; anguſto ſpatio arctabantur inteſtina & reliqua viſcera. Abdominis parietes à cute ad peritonæum quaſi albâ pinguedine dumtaxat contexti videbantur, nullâ muſculorum carneâ ſubſtantiâ interpoſitâ, ſed veſiculis crebris, majoribus ac minoribus, aquâ limpidâ refertis, atque invicem cohærentibus: elatior magiſque tenſa erat regio umbilicalis. Dùm, adactâ profundè novaculâ, circa umbilicum abdominis integumenta inciderentur, aqua obſcura, quaſi reſeratâ propriâ cavitate, largiſſimè profluxit; totaque citiſſimè evacuata fuit: in ſocietatem ergo morbi noſtri tandem venerat cyſtis aquoſa, ruptis in focum communem hydatidibus natales debens. Phyſconiæ hydatidoſæ caſum narrant Solenander, ſimplicem, Riverius cum apoſtemate combinatum, ægro emergente.

14. *Phyſconia ab adipe ſubcutaneo*, Cl. Cuſſon; (*a*) *ſimplex* Cl. Lieutaud Comp. Med. J. Mich. Fehr apud Bonet. Med. Sept. T. I p. 636; (*b*) *ſyphilitica* obſervante Celeb. Fizes. C.

1° In muliere obſervabat *Cl. Lieutaud* tumorem abdominis duritie ſcirrhodæâ præditum, lentè increſcentem, admodum dolentem, febre lentâ ſtipatum, tandem portentóſum, à coacervatione, ac congeſtione adipis ſubcutanei enatum. Abdominis integumenta, etſi craſſiſſima, partis hujuſce ambitum excedebant, ac duplicaturam paſſa femoribus incumbebant: Partes corporis reliquæ interim gradariè contabeſcebant: mulier fato fungebatur macie confectâ. Cadaver apertum exhibebat cellularem textum abdominis adipe ita diſtentum, ut in nonnullis locis ad ſex pollices aſcenderet ipſius craſſities; viſcera verò abdominalia obſtructionibus ſcirrhoſis, ſuppurationibus, ac corruptelâ tentata. *Hypogaſtrocele*, *Cl. Lieutaud* audit rara hæc Phyſconiæ ſpecies; quam remediis omnibus adhibitis immorigeram expertus eſt.

Varietatis ejuſdem exemplum cum copioſâ pinguedine nonnulla etiam abdominis viſcera obſidente combinatum ex *Fehrio* refert *Bonetus loc. cit.* Varios cruciatum labores exantlaverat patiens, cui in inſignem magnitudinem elevabatur abdomen, primo aſpectu hydropem mentiens, niſi hanc opinionem delere juſſiſſet durities ejus inſolita: cæterùm exſucca erant membra omnia. Sectâ abdominis cute pinguedo ſub ea occurrebat quatuor in umbilicali regione digitorum latitudinem æquans; copioſo adipe obvolvebatur lien ac renes: inteſtina omnia particulis pinguibus hinc inde conſperſa videbantur, &c.

2° In viro ſyphilide confirmatâ laboranti obſervabat alteram hujuſce ſpeciei varietatem *Celeb. Fizes.* Abdomen viru venereo tactum mirè turgebat, infarctis, diſtentis, induratis per adipem ſubcutaneum coacervatum telæ celluloſæ loculis. Celebratâ poſt debitas præparationes, ut Monſpelii moris eſt, hydrargyroſi, & inuncto; præ reliquis partibus illini ſolitis, ad ſeptimam uſque vicem abdomine, evanuit protuberantia; & in gratiam cum ſanitate æger prorſùs reſtitutus eſt.

15.

15. *Phyſconia ab excreſcentia. C.*

Ea eſt abdominis partialis durities, aut intumeſcentia quæ pendet ab excreſcentiâ obſtructionem mentiente.

Excreſcentiam *ad pylorum* memorant *Veſalius*, *Benivenius*, *Fernelius*; *ad inteſtina* reni ovillo ſimilem ano rejectam *Chr. Wincler. Collect. Acad. Tom.* 3. *pag.* 274.

X. Graviditas, Græcis *Cueſis; Groſſeſſe.* Ægræ *Gravidæ*, *utero gerentes.*

Verus eſt morbus, iſque apud mulieres pœnalis, (docet Geneſis) cujus ſignum præcipuum eſt abdominis intumeſcentia in axi hypogaſtrii prominens, ſenſim aſcendens, partuque terminanda.

Differt ab hydrometrâ, 1° quia ultra quartum menſem in graviditate verâ datur motus fœtûs in utero contenti, vel ſenſus molæ per graviditatem huc illuc inclinantis; 2° quia datur reſiſtentia tanquam à partibus ſolidis in utero contentis; in hydrometrâ verò nec motus tùm totalis, tùm partialis, nec firmitas adeſt, ſed potiùs fluctuatio tanquam à fluidis in utero congeſtis.

Principium graviditatis cujuſvis eſt coitus fœminæ cum mare, unde quæ viro non utuntur hydrometræ quidem, minimè verò gravidæ eſſe poſſunt; verùm dantur plures fallaciæ ex parte earum quæ innuptæ graviditatem celare, aut quæ nuptæ eam ſimulare cupiunt, præter errores involuntarios.

Cauſa graviditatis eſt evolutio fœtûs, vel placentæ in utero, aut tuba alterutrâ, præmiſſâ fœcundatione; ſi fœtus exolvatur, graviditas vera eſt tùm uterina, tùm tubalis; ſi verò ſuffocetur ab evolutione placentæ, datur molaris, non poteſt autem diſtendi uterus priùs in pelvi contentus, & creſcere ad hoc ut contineat fœtum novimeſtrem cum liquore amnii & placentâ, quæ omnia duodecim circiter libras adæquant, quin ſenſim ſurſum ultra umbilicalem regionem tumor in abdominis axi prominens aſcendat, quin ligamenta diſtendantur, diſtenſuſque uterus vicinas partes premat; unde dyſpnœa, conſtipatio, difficilis inceſſus, gravitas, ſeu laſſitudo totius corporis; præterea ſuppreſſâ majori ſanguinis menſtrui copiâ, quàm quæ primis ſaltem menſibus ad nutricatum exigui fœtûs impendi poteſt, ſuperfluo ſanguine onerantur viſcera acutiori ſenſu prædita, potiſſimùm ſtomachus; unde nauſea, malacia, aliaque gravidarum incommoda, initio graviditatis magis conſpicua.

1. *Graviditas vera* Mauriceau lib. 1 cap. 6.

Ea eſt quæ à fœtu in utero evoluto producitur, quæ cum molari eadem per tres, vel quatuor primos menſes habet ſymptomata, nec diſtingui poteſt à tubali, niſi quod tumor in axi hypogaſtrii conſtanter obſervatur; in tubali verò conſtanter ad alterutrum latus. Cognoſcitur 1° ex eo quod poſt coitum catamenia ſolito tempore priùs erumpentia jam deficiant, niſi valdè plethorica ſit mulier; 2° quod phænomena eadem ex parte appetituum ſuperveniant, quæ in prægreſſis gravitatibus, eaque diverſa in diverſis mulieribus; alia enim vinum, alia tabacum, alia panem, haleces, &c. quibus delectabatur jam faſtidit, aut quæ oderat jam ſectatur. 3° Intumeſcit

 hypo-

hypogaſtrium, colore tamen faciei florido permanente, unde à chloroſi, & aſcite incipiente cum opilatione diſcrepat. 4° Inter quartum & quintum menſem diſtinctè percipit motum partialem fœtûs qui initio velut exiguus mus titillabat, deinde alterutram corporis partem huc, vel illuc pro lubitu movet, calcitrat, extenditur, mox in alterum latus ſe provolvit; qui motus vegetiores quovis menſe evadunt, & ſæpe matri dolorem creant, quique palpo exploranti videntur fieri à capite fœtûs, vel à clunibus, vel à pedibus, hanc modò, vel illam uteri regionem prementibus, qui certè motus partiales in molâ deficiunt. 5° Ultra quartum menſem mammæ turgeſcunt lacte quidem ſeroſo, ſed tamen albeſcente, & multò copioſiori quàm in fœminis dudum vacuis, viduiſve. 6° Si digito in vaginam immiſſo tangatur orificium uteri, dùm alterâ manu jejunæ mulieris exploratur hypogaſtrium, & in partes oppoſitas alternis vicibus premitur, ut docet *Puzos*, graviditas inter ſecundum & tertium menſem detegi poterit; quippe eo tempore fundus uteri gravidi duobus, tribuſve tranſverſis digitis oſſa pubis ſupereminet, & preſſio hujus fundi transfertur ad digitum uteri orificio admotum; illa tamen exploratio in mulieribus ventricoſis non niſi inter tertium & quartum menſem profutura eſt; addit his ſignis *Mauriceau* orificii uteri clauſuram, cervicis ejus brevitatem & craſſitiem majorem, ejus etiam verſus poſteriora inclinationem, de quorum ſignorum veritate meritò dubitabat *clar. Puzos.*

Cura exigit ut initio & in fine graviditatis metuentes aborſum caveant à lapſu, ictu, pathematis, ſaltibus, ſimilibuſque nimiis commotionibus; quoad victum inſalubris modò jucundior & expetitus cibus minus nocet gravidis quàm non gravidis; plures gravidæ indigent phlebotomiâ bis terve in decurſu graviditatis repetitâ, & per illam à plurimis incommodis liberantur; phlebotomia verò è brachio tantùm, non è pede inſtituenda eſt juxta uſum; caveant ab arctioribus crocotis, thoracibuſque abdomen comprimentibus, nec non ab occaſionibus pathematum quibus magis percelluntur quàm non gravidæ; ultimo menſe butyro vias fœtûs inungant.

Quomodo verò liberentur per partum, vide in dyſtociâ.

2. *Graviditas molaris*, Mauriceau lib. I cap. 9 pag. 104. & lib. II cap. 31. Synopſis Ephemerid. Germaniæ. L.

Signa molæ vide in *Dyſtociâ à mola.*

Concreta carnoſa in utero ſunt vel falſa germina, vel ova immatura, vel molæ, vel fungi. *Falſa germina* ſunt placenta incraſſata, undique clauſa, in pyriformem molem efficta, intra quam vel aqua tantùm latet, vel nullus continetur embryo vivus, ſed tantùm embryonis rudimentum exiguum & informe. *Ovum* vel germen verum eſt folliculus filamentoſus, pellucidus, albumine pellucido plenus, in quo latet embryo menſis ætatem nondum adeptus, vermiculo ſimilis. *Mola* demùm eſt moles carnoſa vel hydatidoſa ex ſolius placentæ incremento per multos menſes facto prodiens embryone deſtituta.

Quoniam intra menſis ſpatium tantùm creſcit falſum germen, nullo ſigno illud, dum latet in utero, dignoſci poteſt. Abortus verò ejus, qui effluxio

propriè

propriè dicitur, illud in conſpectum prodit; verùm mola idem evadit cùm diutius, imò ultra novem menſes, in utero reſtitat, & fœtûs inſtar excreſcit; adeoque graviditatem veram mentitur uſquequò, cùm ad quartum menſem & ſemiſſem deventum eſt & ultra, nullus motus partialis in utero perſentitur, ſed tantùm motus totius in partem decliviorem pro diverſâ matris poſiturâ diverſus.

Adſunt ſcilicet initio graviditatis molaris anorexia, malacia, vomitus, ſuppreſſio catameniorum, aſthenia, ut in verâ graviditate, ſed illa non ita diu durant; identidem menorrhagia ſeroſa exigua & irregularis accedit, lumbago obſcura ſupervenit, quin ulli principio procatarctico nec menorrhagia, nec lumbago tribui poſſint. Exploratio etiam docet uterum non ita eminere intra abdomen, ac in verâ graviditate ſub eodem termino eminere ſolet ſupra pubem; ſi intra ſecundum, tertiumque graviditatis menſem ſubitò ſuperveniat gravis menorrhagia, cum lumbagine parturitionis prodromo, grumorum effluxu, & gravitate podicis, ſignum eſt certius falſi germinis, maximè ſi exploratum uteri orificium poſſit digitum admittere, & digito percipiatur in utero corpus molle quoddam extrorſum tendens, ferè certum eſt inſtare falſi germinis excluſionem. Vidi nuper poſt aliquot dies à menorrhagiâ gravi dolores partûs ſuccedere, ſedato aut ceſſante ferè ſanguinis effluxu & abortum feliciter terminari; quo facto vires ſenſim recuperabantur; quibus cautelis, debeat in hiſce caſibus ſollicitari partus, docet *Puzos de falſo germine*, *cap. 19.*

Molam viginti libras pendentem, aſſumpto ſpiritu ſalis ammoniaci ſalito Zwelferi, & cathartico expulit *Khonius Collect. Acad. Tom. 3. pag. 368.* Huic ſcopo frequentes clyſteres proſunt, ſi mola ſit extra uterum, ut ea quam refert *Chriſt. Fromman. ibid. pag. 50.* & ad phyſconiam pertinet, qualis in virginibus etiam reperitur.

Molas quinque imò ſeptemdecim annorum obſervarunt *Academiæ Germanicæ Socii.* Vide *Synopſim Ephemerid.* Molæ hydatidoſæ, veſicariæ, ſeu veſicales, ſebaceæ ſex pingues, ſanguineæ & carneæ obſervantur. Omnes verò vaſis, vel lymphaticis, vel ſanguineis placentæ infarctis, dilatatis fabrefactæ ſunt.

3. *Graviditas perennis*, Collect. Acad. Tom. 3. pag. 697. L.

Uxor militis gravida termino conſueto advocavit obſtetricem, ſed parere non potuit; decimo graviditatis menſe fœtus erat jam mortuus, cùm lochia ubertim fluxere, & lac per duos menſes è mammis promanavit; ſupervenit dein ſcabies maligna; tunc moles abdominis decrevit; interea fœtûs ſceletum in utero percipiebatur, carnes abſumptæ judicabantur. Hæc judicabat poſt ſex graviditatis annos *Georg. Hannæus Med. Danus.*

Monſpelii verò uxor Senatoris per multos annos ſterilis, paulò ante mariti obitum concepit, nono menſe conamina partûs experta eſt, & à peritiſſimis in arte obſtetriciâ viris explorata fuit, quorum teſtimonio minimè æquivoco, conſtabat eam fœtum geſtare novimeſtrem, cujus caput intermediâ tantùm membranâ craſſiori manibus ſuis tetigiſſe, ſe fidedi-

gni Chirurgi aſſeruerunt ; demum à menſe in menſem fruſtrà exſpectabatur partus, quievere omnia fœtus conamina, ipſe fœtus obiit, & tumor durus in regione hypogaſtrii ſphæricus per aliquot annos perſtitit, ea demum mulier Lugduni obiit poſt effluxum materiei putris ex utero ; in hujus cadavere repertum ſceletum fœtûs ruptum in tubâ fallopianâ dilatatâ latitans.

Steigerthal in Philoſoph. Tranſact. n°. 367 *anno* 1721. per quadraginta ſex annos geſſit in utero fœtum, ſeu potiùs molam, cujus iconem vide loco citato.

Rob. Houſtoum in Philoſoph. Tranſact. retulit graviditatem extrauterinam in quâ fœtus per quinque annos in abdomine latuit.

Oſſa fœtuum ano excretorum obſervavit *Bern. Shlever.* Fœtum per anum expulſum memorat *D. Nourſe.* Vidit Monſpelii *Caſtellanus filius Med. Profeſſor.* Graviditas novem annorum extra uterum contento fœtu, *Philoſoph. Tranſact. volum. 9. pag.* 191. *Bromfeild.*

4. *Graviditas veſicularis.* Tranſact. Philoſoph. 1728 n°. 405. *Mola veſicularis* Synopſis Ephem. German. Journ. de Med. Juill. 1758. Nov. 1761. pag. 438.

Ea eſt in quâ loco fœtûs maſſa hydatidum generatur ; omnium molarum vel falſorum germinum frequentiſſima eſt nullis ſignis ante abortum dignoſcenda. Vide *Hydrometram hydaticam.*

Littre obſervavit hanc graviditatem ; maſſa excluſa poſt decimum menſem novem libras pendebat, & ſimilis erat racemis groſſulariæ : acini albi, pellucidi, lineam in diametro obtinebant & racemus ramoſus erat.

5. *Graviditas à falſâ molâ.* L.

Eſt ea quæ loco fœtûs geſtat tantùm placentam, vel à prægreſſo partu reſiduam, vel concrementum lymphaticum, polypoſum à cruore effuſo effictum, quæ ſubſtantiæ molis quidem ſolent annumerari, attamen ita ab illis differunt, ut ſine coitu in utero viduæ, virginiſve generari poſſint ; cùm è contra veræ molæ prægreſſum coitum ſupponant, quandoquidem illæ nihil aliud ſunt quàm germinis involucra ex ovis immaturis aut ſubventaneis ex ovario in uterum delapſis, & ſufficienter accreta ; de cætero obſcuriſſima eſt earum diagnoſis. De his legi meretur Diſſertatio de generatione molarum Auctore Illuſtriſſ. Comite Buchnero, Acad. Natur. Curioſor. Præſide digniſſimo.

6. *Graviditas tubalis* Aſtrucii de morb. mulier. Tom. 4. pag. 44. C.

Eſt ea quæ fit à fœtu intra tubam Fallopianam creſcente, cujus exempla numeroſa proſtant. *Vide Littre Mem. de l'Acad. R. des Sc.* 1702 ; *Cyprianum, Diſſert. de fœtu ex tubâ exciſo* 1700 ; *Halleri in Boerhave Tom. V. pag.* 329 ; *Santorinum Obſerv. anat. cap.* 11 ; *Bonetum in Sepulchreto, libr.* 3. *tom.* 2.

Ex tubâ denique ruptâ fœtum in abdominis cavum delabi non novum eſt : hinc verò mors fœtûs & matris. *Vide* ſuperiùs relatam hiſtoriam ſimilis graviditatis perennis.

7. *Gra-*

7. *Graviditas ovarii* Abrah. Vater. Diſſertat. de graviditate apparente ex tumore ovarii dextri enormi orta per tres annos cum dimidio durante, Wittembergæ, 1722. C.

8. *Graviditas ſarcoma. Sarcoma uteri* Aſtruc. lib. 2. cap. 6 artic. 2. C. Eſt excreſcentia adipoſa uteri cavitati adnata, quæ, cùm notabiliter excrevit, graviditatem ſæpè mentitur, id eſt, mulieres viro utentes ſenſim intumeſcere hypogaſtrium percipientes, ſine ullo gravi incommodo facilè ſe gravidas eſſe exiſtimant, & ſi quondam hoc ſarcoma in lucem edant, videtur corpus uteri modulo accommodatum, adipoſum, ſolidum; unde à molâ, germine, aliiſque corporibus differt; initio, dum totum uterum non replet, catamenia liberè fluunt, dein verò ſupprimuntur, imò phlegmatia gravidis familiaris ſupervenit; ſunt tamen quibus hoc ſarcoma leucorrhœam accerſit. Vide curam apud *Ill. Aſtrucium.*

ORDO TERTIUS.

Hydropes Partiales.

SUnt tumores majores, ſed non univerſales, à fluido intra cavum capitis, abdominis, uteri, vel veſicæ contento, unde differunt ab intumeſcentiis textum cellularem earumdem partium flatu vel fluido quovis diſtendentibus aut partes ſolidas infarcientibus.

Differunt à cyſtidibus primæ claſſis ratione gravitatis ſymptomatum, huc itaque referre non juvat hydroceles, bronchoceles, hydromphalos, oſcheoceles, anevryſmata, varices, lupias, hydarthros, &c; nec hydrothoracem, hydrocardiam, eclampſias, apoplexias, &c, quæ à fluido in cavo thoracis, cerebrive effuſo, ſed nullo tumore conſpicuo, dependent.

Cauſa tumorum eſt preſſio lateralis fluidi congeſti in cavitatibus quarum clauſtra diſtenduntur. Principia frequentiſſima ſunt effluxus lymphæ per vaſa lymphatica in ſuis nativis emiſſariis obſtructa, ſi de aſcite agatur; flatuum geneſis aut expanſio, ſi de tympanite, & ſic de cæteris.

XI. HYDROCEPHALUS, *Hydrocéphale.*

Eſt tumor capitis, facie ſæpiùs excepta, mollis aut elaſticus à fluidi intra ipſum congeſtione.

Intumeſcit caput cum facie, & quandoque reſiduo corpore, in variola confluente. Vide *Ptyaliſmum varioloſum*: ſed hic affectus ad anaſarcam tertiam attinet. Intumeſcit etiam manè facies œdematoſè in cæteris anaſarcæ ſpeciebus, nec non emphyſematoſè tumet quandoque in pneumatoſi;

matoſi; quem affectum phyſocephali nomine quidam inſigniverunt; ſed ab his diſcrepat hydrocephalus, quod in cavitate notabili fluida congeſta ſupponat.

Morbus hic vel eſt congenitus, vel junioribus tantùm ſupervenit, cum nullo exemplo conſtat adultis accidiſſe; pars tota capillata capitis ſæpiſſimè intumeſcit; raró accidit ut tumor veſicoſus aquam ex ſuturarum hiantium intercapedine mutuans, & capiti ſuperimpoſitus morbum hunc conſtituat. Vide *Mangeti Bibliothec. Med. pag.* 872 *de Hydrocephalo.*

1. *Hydrocephalus interior. Hydrocéphale des ventricules.* C.

Ea eſt ſpecies in quâ ſerum intra cranii thecam latitat, eamque ita diſtendit, ut ſuturæ hient.

Illius ſeri origo in ſinubus ipſis cerebri, ſæpius à glandulis plexûs reticularis vaſorum, & vel tantùm ipſos ſinus cerebri ita diſtendit, ut plures hujus libræ in ipſis contineantur, vel inter meninges ipſas & cerebrum, meninges & cranium cumulantur. Si caput minimè intumeſcat, nullus propriè dictus eſt hydrocephalus, licet hydrops ſinuum cerebri hoc nomine abuſivè ſignificetur; ſed adeſt alterum genus morbi ſoporoſi, ſpaſmodici, veſani, &c.

Cognoſcitur ea ſpecies ex hiatu ſuturarum qui digito prementi innoteſcit.

Ægri ſunt ſæpius ſomnolenti, ſtupidi, tardi, cœci; non pauci ſpinâ bifidâ ſimul laborant, & ſive congenitus ſit morbus, ſive primis vitæ annis ſupervenerit, ea ſpecies omninò inſanabilis eſt; qui ſimul laborant ſpinâ bifidâ, eâ ſectâ citiùs moriuntur, inciſis enim ope chirurgica tegumentis, mors acceleratur; interea apud jumenta, ut boves, aquarum emiſſionem ope trepani factam vulgò inſtitui apud Helvetos, docet *Wepferus.*

Sunt hydrocephalici quorum caput portentosè tumet, ita ut reſiduo corpori præponderet, & ſimul eſt ferè totum pellucidum & molle, quale hîc nondudum vidi; illi ad annum unum aut alterum vitam prorogaſſe viſi ſunt, lac nutricis apprimè ſugentes, de cætero ſomnolenti, vix ſentientes, ſtupidi.

2. *Hydrocephalus exterior. Hydrocéphale des téguments.* C.

Eſt illa ſpecies in quâ omnia capitis integumenta turgida ſunt, alba, mollia, œdematoſa, non invicem hiantibus ſuturis; textu verò celluloſo aquis admodum diſtenſo. Illa diſtenſio fit ſucceſſivè, eadem ætate quâ in priori ſpecie, atque vel eſt ſimplex morbus, quod rariſſimè accidit, & tunc functiones cerebri vigent; vel ſimul adeſt vitium ſimile in cerebri ſinubus, & tunc ægri ſurdi, cœci, vel ſtupidi, ſomnolentive ſunt, imò utplurimum tumor conſpicuus ſecundarius eſt, & ab hydrope ſinuum cerebri dependet.

Cùm ſimplex eſt illa ſpecies curationem admittit quandoque; & in hoc caſu hydragoga cathartica diuretica tenellæ huic ætati accommodata uſurpantur.

pantur. His fruſtra inſtitutis ad veſicatoria, imò ſcarificationes, præmiſſis tonicis, reſolventibuſque deveniendum eſt.

XII. PHYSOCEPHALUS.

Eſt tumor totius capitis emphyſematoſus ſeu tenſus, elaſticus, ſub digito crepitans.

Hujus verò unica datur ſpecies à pneumatoſi diſtincta, eaque eſt à Græco *phyſao*, inflo, & *cephale*, caput.

Phyſocephalus artificialis. Artificioſus hydrocephalus Mangeti Bibliothec. Med. Pr.

Mendicus Pariſiis viſus anno 1593, ut pro monſtro ſuum natum lactentem oſtenderet, & inde quæſtum ſibi faceret, cuſo foraminulo in ejus vertice intra cutem & muſculos ope tubuli ſenſim quotidiè aërem inſufflavit, & intra menſes aliquot, repetitâ operatione, monſtroſam in molem nati ſui caput extendit, atque ſic per Galliam de oppido in oppidum viſendum exhibuit. Sceleratum hunc patrem Magiſtratus Pariſienſis morte mulctavit. Pneumatocelem artificioſam à mendico in ſimilem finem factam narrat *Paræus*.

XIII. HYDRORACHITIS, ab *udor*, aqua, & *rachis* ſpina; *Spina bifida* Ruyſchii; *Spinola* Linnæi Gen. Morb.; *Lupiæ ſpecies* $1_{æ}$ Editionis.

Eſt morbus cujus præcipuum ſymptoma eſt tumor cyſticus ſero turgidus ex hiatu vertebrarum lumbarium in recens natis protuberans cum anæſthеſia.

Propter hiatum vertebrarum lumbarium dicitur *ſpina bifida* ab Arabibus; hic autem eſt velut hernia hydrocelica perioſtei medullam cingentis, quæ dilatatio fit à pondere columnæ fluidi ſeroſi, quod ex quarto cerebri ventriculo trans medullam ſpinalem ad uſque caudam equinam Anatomicis dictam pertingit: ibi verò robuſtius factum illud perioſteum reſiſtit ulteriori ſuæ dilatationi, unde fit ut citra hunc obicem ille vectis aqueus vertebras divellat & trans hunc hiatum tumor extrorſum effundatur: ea ratione morbus dictus eſt ab *Illuſtr. Morgagni* hydrorachitis, quaſi hydrops ſpinæ medullaris.

Tam gravis eſt ille morbus ut recens natos ſerius ociuſve è medio tollat ut plurimùm hoc affecti anæſtheſiâ laborant, quaſi ſomnolenti, nil ferè ſentiunt, nec moventur, niſi à nutrice percuſſi ad lac ſugendum ſollicitentur. Quoties verò ignari Chirurgi hunc tumorem aperiunt, toties infantes illico pereunt. Quinquies vel ſexies Monſpelii hunc morbum vidimus; tumor autem erat mollis, caſtaneæ magnitudine ac figurâ, ut plurimum ſubfuſcus, indolens, preſſione recedens; atque canalem qui ex hoc ad cerebrum pertingit non ſolùm flatu demonſtrabat *Clariſſ. Doct. Tendon*, verùm erecto corpore aqua ex cerebro ad hunc ſaccum evidenter delabebatur.

XIV. Ascites, ab *askos* uter; *Pachu* 4um Hippocratis p. *559*. *Askites* Tralliani Lib. I; *Hydrops abdominis*; *Aſcite*; *Hydropiſie aſcite*; Ægri *Hydropiques*, *Aſcitiques*.

Character. Gravis & fluctuoſa abdominis intumeſcentia.

Si manu latus abdominis prematur, & alterâ latus oppoſitum percutiatur; tunc perſentitur repercuſſio ſeu antitypia quam vulgò *fluctuationem* nuncupamus; hoc ſigno aſcites diſtinguitur à phyſconiâ. Gravitatis ſenſu de quo ægri conqueruntur, & defectu elaſticitatis ac ſoni ex percuſſione editi, diſtinguitur à tympanite. Abdominis totius ſphæroideo tumore, non ſolius hypogaſtrii prominentiâ circumſcriptâ, qualis eſt in graviditate, ſaltem initio morbi, diſtinguitur ab hydrometrâ, phyſometrâ & graviditate: aſt hoc ſignum fallit in aſcite intercute, aliiſque non abdominalibus.

Seroſos voco eos qui ab humore lymphatico fiunt: *Non ſeroſos* qui à cruore, pure, chylo, urinâ, &c. *Abdominales* voco eos quorum humor fluitat in cavo eodem, ac viſcera abdominis; *non abdominales* verò, ſi humor coerceatur in alio quocumque cavo & intra cutem, muſculos, laminas peritonæi, ovarium, uterum, &c, portentosè dilatatum, hinc quatuor aſcitum differentiæ, quarum ſigna ante cadaveris exenterationem vix ulla ſunt, & Medicis reſtant indaganda.

1º. *Seroſi abdominales.*

Horum ſunt permultæ varietates, de quibus in genere agemus titulo aſcitis vulgatioris, dein eas ſigillatim examinabimus.

1. *Aſcites vulgatior.* C.

Aſcitis character eſt gravis & fluctuoſa abdominis intumeſcentia, utplurimùm cum polydipſia, urinâ paucâ lixiviali.

Incipit ab urinæ paucitate, colore intenſiùs flavo, rubeſcente, lateritio, pedum tumore molli, pallido, qui veſpere creſcit, mane diffunditur in faciem, palpebras potiſſimùm, manumque alterutram, in quam æger nocte recubuit; ſitis aſſidua accedit, abdomen tenditur, tumore non ſolius hypogaſtrii, ut in graviditate, ſed totius abdominis uniformi; ægro reſupino, ſi alterâ manu ut ſiniſtrâ prematur latus abdominis, dum dextrâ latus alterum ex adverſo percutitur, fluctus ſeu impetus aquarum perſentitur, clarior vel obſcurior, prout aquæ liberiùs vel difficiliùs volvuntur in abdomine; obſtructis alicubi in abdomine, ut in hepate, liene, ovario, vaſis lymphaticis exterioribus, lympha à retro urgente cruore pellitur, unde vaſa ſua diſtendit, vel rumpit, vel vicina patula diducit, unde ſtillatim in cavum abdominis effluit, lympha inquam non ſerum perſpirabile; fluidum enim paracenteſi extractum ad ignem concreſcit, ut albumen ovi; ſenſim itaque repletur abdomen hoc fluido quod premit quoquo verſus

verſus æqualiter ſub eâdem altitudine, ſi ſolâ gravitate premat; unde ſtante aſcitico hypogaſtrium magis tenditur epigaſtrio.

Verùm ſi turgidum ſit abdomen collecto fluido, & ejus tegumenta ſemel diſtenſa fuerint, tunc preſſio aquarum reſpondet tenſioni clauſtrorum abdominis & quoquoverſus eâ ratione æqualis eſt, unde diaphragma ſurſum in fornicem attollitur; hinc reſpiratio difficilis, maximè jacente ægro, hinc conatus ad reſpirandum, conatus ad molem corporis auctam movendam, quæ major eſt viribus aſſuetis, unde laſſitudo; lymphâ depauperatus cruor non reſarcit jacturas partium, hinc macies in dies creſcens, potentia motrix cordis decreſcit, hinc pulſus minuitur, & pari paſſu frequens evadit; cruor non ſatis elaboratur, unde lympha cruda prædominatur, quæ gravitati potiùs quàm viribus cordis truſivis obſequitur, unde juxta textum celluloſum cutis deorſùm ſemper ad partes infimas & declives delabitur, hinc pedum, crurumque œdema veſpertinum, lumborum, palpebrarum, manuum œdema matutinum; aſt progrediente morbo æger vix poteſt horizontaliter jacere, ob reſpirandi difficultatem, unde erecto trunco jacet; ſero ſuperfluo imbibitæ partes laxantur, hinc & cerebrum, unde ſomnus gravis, fortè & ſecuritas animi circa eventum morbi, hinc nullus metus, ſumma confidentia de recuperanda ſanitate; preſſis pulmonibus & laxatis ſupervenit tuſſis ſicca, quæ ſputum cruentum paucum dein excitat; effuſa lympha in ſcroto & præputio has partes laxas portentosè diducit; alvus ſicca eſt, & difficillimè ſolvitur, languente inteſtinorum ſero imbibitorum ſenſu & motu periſtaltico; facies pallet, ſordet, corpus ſupernè ſceletum repræſentat, abdomen quandoque ulceroſum exſtillat, unde æger ſublevatur; quandoque exulceratis & fluentibus tibiis detumeſcit, hinc natura monſtrante viam, Medici paracenteſim neceſſariam eſſe intellexerunt.

Si ſanguis mittatur aſcitico, thrombus ruber eſt exiguus reſpectu ſeri circumflui; ergo ſerum prædominatur, quod laxitatem ſolidorum, fluidorumque cruditatem indicat. Si cadavera aſciticorum ſecentur, viſcera plurima nunc hæc nunc illa obſtructa, indurata, vel etiam remollita, ſemi-putrida, calloſa, retorrida, granuloſa, ſuppurata, abſumpta, adaucta reperiuntur, & ſæpiſſime hepar, dein lien, meſenterium, pancreas, uterus, rariùs renes, epiploum, pulmones, cor. Si cutis pedum ſecetur, ea vix hiat quod atoniam ſummam ſignificat. Herpetes, exulcerationes, ſitis, humorum ſtagnantium acredinem ſimul indicant, unde gangræna vulneribus horum ſæpè ſupervenit.

Ex dictis patet cur plurimi aſcitici omninò inſanabiles ſunt, maximè inveterato morbo & ſolidis graviter vitiatis; inveteraſcente morbo omnia in pejus ruunt, fluidis ſcilicet ſtagnantibus, putreſcentibus, congrumatis vaſa laxantur, canales obturantur, vires vitales abſumuntur, unde morbus initio ſanabilis, dein curæ nulli cedit. Prognoſim pejorem reddit ignorantia principiorum hujus morbi in dato ægro; deſunt enim ſigna quibus diverſa hæc viſcerum & humorum vitia primaria cognoſcantur, unde methodum curandi genericam tantùm ſequimur, quæ cauſam ſæpè non attingit; in praxi ad ſequentes aſcitis varietates attendendum eſt.

 2. *Aſ-*

2. *Aſcites ab opilatione. Hydrops ab obſtructione viſcerum.*

In recenti ſunt 1° pedum œdema; 2° urina pauca rubra; 3° ſitis in dies creſcens; 4° abdominis intumeſcentia, gravis, fluctuoſa.

In vetuſto 1° febricula; 2° anorexia; 3° macies; 4° dyſpnœa; 5° tuſſis ſicca; 6° ante mortem hæmoptyſis parciſſima; 7° eriſypelas abdominis ichorem fundens; 8° decubitus horizontalis ſuffocans.

Deſiderantur in recente 1° obſtructionum reſeratio; 2° aquarum eductio per paracenteſim; 3° urinæ copioſus proventus; 4° diarrhœa ſeroſa; 5° abſtinentia à potu.

Obſtructiones reſerant 1° ſucci expreſſi ex herbis amaris, ut cichorio, ſyſimbrio aquatico, apio, addito rheo & limaturâ ferri; 2° apozemata ex radicibus petroſelini, aſparagi, fœniculi, ruſci, ononidis, herbis diureticis, millepedibus, rheo.

Urinas movent vinum Rhenanum, Moſellanum, *claretum* cum rheo, ferri limaturâ, abſinthio, ſalibus neutris, bolus ex terebinthinâ, ipſius ſpiritus, leviſſima cantharidum infuſio cum vino Campano facta, maximè acetum ſcilliticum; diarrhœam ſeroſam procreant ſuccus ireos, radicum ebuli, ſyrupus de rhamno, jalappa, aqua vitæ Germanica, remedium Medici Arabis, ſeu ſcammonium ſucco limonis correctum, gutta gummi, &c.

In inveterato aſcite ſola diuretica tolerari poſſunt; cathartica hydragoga vires nimis peſſumdant. Extùs emplaſtra reſolventia abdomini admota laudantur; ſuadentur etiam à *Tralliano* & ab *Hecqueto* inciſiones cutis in malleolis ad aquas ſtillatim educendas. Hoc natura quandoque iter ſibi cudit; imò in cute abdominis phlyctænæ ruptæ aquis viam præbent, ut vidi; verùm ſive ſponte, ſive arte educantur aut non educantur aquæ, ſphacelus ibi timendus; ex ulcere putri, verminoſo tibiæ, vidimus aquas effluxiſſe, & ægrum convaluiſſe; ſed in cachecticis annoſis, obſtructiſque vix ulla ſalus ſperanda eſt. Vinum medicatum hic conveniens, fit infundendo ſennæ fol. polypodiique radicum, ana, unc. II; rhei, jalappæ, ana, drachm. II; abſinthii, manip. I; macis, cinnamomi, ana, ſemi-drachm. in vini albi libr. III. colaturæ unciæ quatuor manè ſumantur.

Ex bulbis Colchici autumnalis in aceto maceratis & melle paratur oxymel Colchicum, quod ad drachmam ſumptum urinas feliciſſimè movet in aſcite, hydrothorace, aliiſque morbis hujuſce claſſis. Adhibetur etiam pulvis cantharidum intus, incipiendo à grani triente cum quadruplo camphoræ triturando intimè mixto, & augendo ſucceſſive utriuſque doſim, uſquequò vel urinæ fluant uberiùs, vel gravis dyſuria oborta finem huic medicamini imponat.

3. *Aſcites ab hepate. Ab hepate obſtructo, indurato, ſcirrhoſo, tuberoſo, calculoſo, flavo, corrupto, pallido, enormi, &c.* Boneti Sepulchret. obſ. 4. 5. 6. C.

Hepatis ſuperficies numeroſis ſcatet vaſis lymphaticis ad ciſternam lumbarem lympham devehentibus; obſtructo hoc viſcere, rupto alterutro lymphatico vaſe, lympha in abdomine affuſa ſenſim colligitur; operæ pretium eſt

itaque

itaque ut libertas circulationis in hoc viſcere reſtituatur; fruſtra enim aquæ per paracenteſim & cathartica educerentur, cùm novus ab hepate proventus ſemper exſpectandus eſt, adeoque in hoc caſu ab initio remedia aurigi-nis aperientia, martialia, radices aperientes debent uſurpari formâ apozematum, juſculorum, opiatarum quæ diù debent uſurpari.

Si bilis aduſta, viſcida, retorrida, ob labores, æſtivos ſudores, calorem ſummum, hepar obſtruat, tunc juvant ſerum lactis, aquæ minerales Vallenſes, Bellilucanæ, cautè tamen, juſcula diluentia, quæ omnia inveterato aſciti nocerent, cauſam primordialem morbi tollunt, ut expertus ſum; ſed non exſpectandum donec aquæ effuſæ ſint.

4. *Aſcites à liene.* C.

A liene tumido, adaucto, indurato, pallido, molliori, corrupto, lapidoſo, vel cartilagine obducto, craſſo, cruore turgido, apoſtematoſo, &c. *Boneti Sepulchret. obſ. 6.* 7.

Hæc vitia ſenſibilia ſunt ſæpius ſequelæ quàm principia aſcitis; aſt deſignant ſæpius latere in hoc viſcere vitium primordiale, ſcilicet obſtructionem quæ anſam dedit cujuſdam lymphatici vaſis ruptioni, aut diapedeſi, vel anaſtomoſi, quod conjectamus præcipuè ex hujus regionis tumore, renitentiâ; ex prægreſſis quartanis & tertianis febribus maturiùs ſuppreſſis, ſine ſufficienti aperientium uſu, deinceps revertentibus; ex ægri colore fuſco, habitu macilento, animo melancholico; hoc facit etiam hæmorrhoidis aſſuetæ ſuppreſſio, fontanellæ, ulceris, catameniorum, repreſſio.

Dum levis eſt vaſorum ſplenis, vel hepatis infarctus à ſanguine ſpiſſo, craſſo, vel lymphâ crudâ, feculentâ, curatur feliciter, aut prævertitur aſcites juſculis, ptiſanis, apozematis ex rheo, ferri limaturâ, cinnamomo, radicibus aſparagi, bruſci, ulmi, capparidis, enulæ, foliis abſinthii, chelidonii, armoraciæ, eupatorii, agrimoniæ, cerefolii, cichorii, ſyſimbrii aquatici.

5. *Aſcites ſcrophuloſus. A meſenterio ſtrumoſo.* C.

Hæc ſpecies infantibus craſſo cibo utentibus, ab impurâ venere ortis, non ſatis exercitatis, eſt familiaris; creſcit à liberaliori ſanguinis miſſione in morbis acutis eos infeſtantibus, ſuppreſſâ diarrhoeâ ſeroſâ intenditur, cum hydrothorace & anaſarcâ complicatur, & exigit levia attenuantia ſcrophulis adverſa, tenuiſſimum antimonii & martis pulverem, juſcula aperientia cum calendulæ, rutæ, xanthii, filipendulæ, bellidis, elatinæ, ſcrophulariæ, foliis aut radicibus incoctis; huc opiatæ ex rheo, martis tincturâ, millepedibus, ammoniaco gummi.

6. *Aſcites ab ovariis* Mead Monita de hydrope, pag. 127. C.

In quamplurimis mulieribus aſciticis origo morbi eſt in ovariis obſtructis, hydatidoſis, quorum lymphatica rupta lympham fundunt, quod evenit præſertim illis quarum catamenia defecere, viduis, ſterilibuſque, aut iis quæ morbos tubæ, ovarii, uterive paſſæ ſunt.

Flatus ex utero per tubas in abdomen fertur facilè, ut expertus ſum in cadaveribus humanis; mirum eſt quod hac viâ aquæ aſciticarum ex abdomine foras emitti nequeunt quodam artificio.

Illa ſpecies rariſſimè cedit remediis; ex *Mead* incipit à dolore & tumore inguinis alterutrius; mulieribus eſt familiaris; ſanatur quandoque longo uſu decocti ſummitatum geniſtæ viridium, & ſeminum ſinapis, cochleari uno bis in die vorato.

7. *Aſcites à ſanguifluxibus* Juncker. de aſcite; *Ab inanitione & colliquatione* Schenckii obſ. l. 5. *Idropiſia minaciante* Delpapa conſult. 37. tom. 1.

A repetitis phlebotomiis, catameniis, aut hæmorrhoidibus immodicis, ab hæmorrhagiis profuſis, non ſolùm ſuccedit cachecticus & œdematoſus totius corporis habitus, verùm etiam aſcites verus cum urinâ paucâ, lixiviali, ſiti intenſâ, aliiſque ſymptomatis, & magnâ debilitate.

Decreſcente ſcilicet vi truſivâ ſanguinis per arteriolas ob cordis debilitatem, quæ patet ex pulſu exili & frequenti, arteriæ majores & minores proprio elaterio complanantur, unde ſanguis illas difficiliùs permeans premit, & ſubit oſcula lymphaticorum in majori ratione quàm in ſanitate; lympha etiam illa debiliùs elaborata craſſior obſtruit vaſa ſua, hinc non mirum ſi alicunde effluat in cavum abdominis, ibique ut in textu celluloſo colligatur. In hoc autem caſu aliquoties expertus ſum, *Tralliani* ſuaſu, lacteam diætam eſſe præſtantiſſimum auxilium, quo non ſolùm ægri vires reparantur, hæmorrhagiæ prævertuntur, verùm etiam aſcites radicitùs ſanatur; an verò aſcites ille procedat à principio priùs aſſignato, an ab uberi adſtringentium & kinkinæ priùs adhibitorum uſu, non auſim decidere; illorum adſtringentium uſum neceſſarium reddit ſanguifluxus uber & pertinax cum febriculâ ſæpiùs quotidianâ eum concomitante. Quando hæmorrhagia eſt naſalis, uterina, vel alvina, ſimilem aſcitem longis diarrhœis ſeroſis, diureſi, vel diabeti etiam ſupervenire obſervavi; aſt in his caſibus magna adhibetur adſtringentium copia.

Curam aſcitis diureticis & lacticiniis perfectam vide apud *Williſium*, §. 3 *pag.* 142.

Hic morbus familiaris eſt mulieribus menorrhagiam vel à partu, vel à quavis origine copioſam paſſis: incipit à pallore pedum & tibiarum œdemate, inde aquâ turget abdomen, quæ pulſata fluctuat; ſitis, urina rubra pauca, aliaque ſymptomata accedunt; multi, ait *Hippocrates VI. Epidem.* ex hæmorrhagiis nimiis in hydropem incidunt.

Bis morbum vidi in quadragenariâ menorrhagiam maximam ter, vel quater in anno experiri ſolitâ cum nauſeâ, anorexiâ, ob uſum ſalſorum nimium; ille verò aſcites in eâ bis ſanatus fuit præmiſſâ levi catharſi per uſum lactis bis terve de die ad menſem continuati, & *Papa* in hoc morbo ſuadet 1° ut ſitis conſtanter toleretur; ſecus 2° pauco vini albi Avenionenſis, ejuſque chalybeati per infuſam ferri limaturam temperetur; 3° ut per diuretica lenia, minimè fortia, urinæ fluxus copioſus reſtituatur, in quem finem adhibeantur decocta ex radicibus aſparagi, apii; ſal tamariſci, quod idem eſt ac mirabile Glauberi, terebinthina, ſaſſafras; 4° à catharticis timet ne vires imminuantur, ſolum oleum amygdalarum & clyſmata concedit; 5° ad roborandum corpus juſcula ex columbis, guttulas

tulas elixirii proprietatis in juſculo, uſum theæ, infuſum lapidis medicamentoſi, &c. ſuadet.

8. *Aſcites ab exanthematis ; Ab ſcabie repulſâ* D. Deidier, Profeſſ. Monſpel. Obſ. *Ab herpetibus, maculis, &c. repreſſis* Charleton ; *A rubeolâ repreſſâ malè curatâ.* Vide *Anaſarcam.* C.

Bis in Noſocomio Monſpelienſi accidit à ſuppreſſâ ſcabie aſcitem ſuperveniſſe, qui, fruſtra tentatis cæteris auxiliis, ſanatus eſt aſſumptâ ſcabioſi tunicâ, unde repullulavit ſcabies, & aſcites evanuit; vix unquam in aſcite ſuccedunt ſudorifica, in hac ſpecie tamen indicata videntur.

9. *Aſcites arthriticus* Muſgrave de arthritide, cap. VII. hiſtor. 3. C.
Hanc ſpeciem aſcitis feliciter curatam videſis in Auctore.

10. *Aſcites artificialis* Loweri Experim.

Eſt ille qui canibus inducitur ligatâ venâ quadam majori ut cavâ; tunc enim ſanguine in venis congeſto alteri retro ſequenti opponitur reſiſtentia, quâ fit ut fortiùs premat oſcula omnium arteriolarum huc tendentium, ergo ut oſcula lymphaticorum ex his oriundorum diducantur, & majorem ſui liquidi copiam fundant; quod liquidum antea formâ tantùm halitûs in cava abdominis, pectoriſque tranſſudabat, jam formâ ſenſibili colligitur.

11. *Aſcites ſcorbuticus* Boerhaave Conſult. 16; Charletoni, Williſii de ſcorbuto.

Poſt auriginem, melaſicterum, à cacochymiâblioſâ ortum, & ſcorbuti ſigna, ut maculas pedum luteas, punctatas, maculas crurum & dorſi lividas, latas, gingivarum fœtorem, cruentationem, ſuperveniunt crurum & pedum œdemata, urinæ brunneæ, atro-flavæ, pauciſſimæ, lateritiæ, ſitis urgens, macies artuum, abdominis tenſio, tumor gravis, fluctuans, facies lurida; his comites ſe præbent hepatirrhœa ſcorbutica, tuſſis hydropum ſicca, dein ſanguinea mortis prænuncia, dyſpnœa, &c.

Curatio Boerhaaviana. In his circumſtantiis ſumat æger omni bihorio per dies quinque pilulas, ſingulas gr. IV. ſic paratas.

Recipe bulbi ari recentis & rhei ana, drach. i; aſſæ fœtidæ, croci, terebinthinæ, & balſami copaivæ, ana, gr. xv; ſaponis Veneti, unciam ſemiſſe; miſce, fiant pilulæ; ſuperbibat verò unc. i. de liquore ſequente. Recipe aquæ ſtillatitiæ baccarum juniperi, cochleariæ, ana, uncias ſex; ſalis polychreſti, drach. ij; tartari vitriolati, drach. i; rob. baccarum juniperi, unc. iv, ſpiritus rectificati baccarum juniperi, unc. unam & ſemiſſe; tincturæ myrrhæ, unc. i; miſce. Hæc per menſis decurſum fiant; interim pannis calidis ſiccis mane & veſpere totum abdomen fortiter confricetur; addatur exercitatio pedeſtris, vel equeſtris aſſidua pro viribus; victus ex lactucâ, ſpinachiâ, paucoque vino, aut cereviſiâ; hæc ineunte morbo ſuadentur, jam facto nulla ſpes ſupereſt. Hæc Boerhaave.

Franciſcanus Religioſus, quem hoc aſcite laborantem vidi, ſumptis vulgaribus remediis, poſt ſex circiter menſes, cùm uteretur apozematis antiſcorbuticis, interpoſitiſque catharticis, contra meam & omnium exſpectationem, ſuperveniente urinæ profluvio, liberatus eſt ab aſcite & ſcorbuto, & convaluit;

valuit ; illa itaque ſpecies aſcitis minùs multo periculoſa cenſenda eſt quàm cæteræ.

Ea ſpecies à ſanguinis diſſolutione dependet, ejuſque acrimoniâ, quâ fit ut defectu nativæ viſcoſitatis in ſanguine, pars ſeroſa ab eo facilè ſecedat, ex vaſis lymphaticis exhalantibus uberiùs in abdomen exſtillet, aut in carnium intercapedinem dimanans tonum earum deterat, ſimulque morâ acrior reddita putredinem contrahat, viſcera corrumpat ; hæc verò ſpecies etiam aſcitem inducere poteſt ob hæmorrhagias immodicas quibus ſcorbutici ſæpe exhauriuntur ; ſtipatur verò gingivarum tumore livido, ſanguifluxu ex ore, dentium nigredine, oris fœtore, tibiarum & crurum latis, liſveſcentibuſque maculis, ſimulque diſtinctis, nigris, flavis, luteiſque puncticulis.

Juſcula ex carne vitulinâ, rheo, lapathi radice, foliis cichorii, pimpinellæ, ſanguiſorbæ, &c, balneo mariæ parata, interpoſitis lenibus catharticis, indicantur ; & deinceps diuretica cum roborantibus mixta, quorum ope evacuetur abdomen, atque demum lactis aſinini uſu ſanguinis acrimonia temperetur.

12. *Aſcites febrilis ; Aſcites à colliquatione* Sennerti de hydrope aſcite. C.

Illam ſpeciem ab initio comitatur, vel immediatè præcedit febris acuta, continua, vel exacerbans, vel inflammatoria, mox accedit abdominis calor, intumeſcentia, & mors, ut obſervavi, minimè ſera ; unde diſcrepat ab aſcite intermittentibus febribus ſuccedente.

Aſcites ex quartanâ Werlhof. obſ. de febrib. p. 59. C.

Mulier à biennio quartanæ obnoxia, ab eo ferè tempore aſcitica ſenſim evaſerat cum menſium obſtructione, & dyſuriâ urinæ lixivioſæ ; crura & femora cum dorſo œdematiâ laborabant, turgebat facies, reſpiratio anhela, & laſſitudo ; omnibus remediis reſiſtebat hydrops & quartana ; *Werlhofius* ter manè ante paroxyſmum pomeridianum præſcripſit vini emetici unciam unam & ſemiſſem, unde mirâ imminutus eſt tumor abdominis, ſudor erupit poſt acceſſus ; præſcriptum deinde electuarium ex kinkinâ, enulæ radice, ſale ammoniaco, vitriolo martis & rob juniperi, unde omnia melius ſe habuerunt ; deinde purgata eſt ægra ſucco ex iridis vulgaris unciis quatuor in aquâ fœniculi maceratis expreſſo, cum pauco ſacchari ; quod plurimis arcanum eſt eximium.

Recipe radicum iridis vulgaris recentis ſubtiliter raſarum, uncias quatuor ; parum macerentur in aquæ fœniculi unciis duabus ; expreſſo ſucco addatur ſaccharum, & aquæ cinnamomi pauxillum ; fiat potio.

Kinkinam in aſcitis illâ ſpecie laudant *Francus*, *Reſtaurant*, *Boecler in Hermannum*, *Brunnerus*, *Alexand. Camerarius.*

13. *Aſcites calidus.* vide Sponii aphoriſm. 81 ; Mead. monit pag. 139.

Non infrequenter in praxi occurit ſpecies aſcitis, quæ largo potu, ſero lactis, ſanguinis miſſione feliciter tollitur, contra verò ſolitis aliàs artibus exacerbatur. Vidimus hydropem curatum viginti venæ ſectionibus, qui ab exhibitis hydragogis & diureticis cujuſvis generis magis ac magis intumuerat ;

rat; in hac ſiquidem ſpecie calor exſuperans fundit & liquat ſanguinem ac ferè totum in ſerum convertit; ac proinde dùm diagrydiatis aut ſalibus diureticis res peragitur, morbus ingraveſcit, cedit è contra benignioribus & refrigerantibus præſidiis.

Aſciticus, quem refert *Mead*, à colliſione in hypochondrio dextro per ictum violentum poſt ſex ſeptimanas intumuerat, dolor erat graviſſimus in abdomine, ſitis intenſa, urina lixivioſa pauca, adhibitis diureticis & catharticis pejus habebat, tumor in dies creſcebat, paracenteſis recuſabatur, demùm ad levandos dolores adhibita ſunt narcotica; mirum dictu, non ſolùm dolor ſedabatur, ſed urina fluebat, alvus libera erat, ſed cum finitâ ſomniferi actione rurſus pejus haberet, narcoticum octavâ quaque horâ adhibitum eſt, & ad famem inde languentem excitandam addita eſt infuſio amara, nec non vorabantur pilulæ ex ſtyrace & kinkina cum terebinthinâ, & ſic æger contra omnium ſpem convaluit. *Mead monita de Hydrope pag. 141.*

2°. *Seroſi non abdominales.*

14. *Aſcites intercus*, *Œdema* Lamotte Chir. T. I. obſ. 100 des tumeurs: *Hydropiſie du péritoine*, Tranſ. Philoſ. n. 106 art. 3. C.

In aſciticâ extra peritonæi cavum 54 menſuras aquæ ichoroſæ invenit *J. Scultetus Miſcel. Curioſ. ann. 4.*

In peritonæi duplicaturâ obſervavit *P. Barbette Anatom. pr. part. 4. cap.* 2; ſub cute ipſa *Platerus*, *lib. 3 prax.*; *Juvet Journ. de Med. Oct. 1761 p. 336.* cum ſignis hujus ſpeciei, ſcilicet defectu ſitis, defectu dyſpnœæ, phlegmatiæ & urinis minimè lateritiis.

Hæc ſpecies non confundi debet cum eâ in qua viſcera omnia abdominalia in glomum collecta & peritonæi lamellâ involuta locum cedunt aquis effuſis & totum abdomen replentibus, licet extra peritonæum contentis, quia verum aſcitem abdominalem ita repræſentat hæc poſterior, ut non niſi ab anatomico perito poſt cadaveris aperturam dignoſci queat: glomus verò viſcerum vel ſurſum vel ad alterutrum latus fertur, cujus exemplum vide apud *Mead. monit. de Hydrope.*

Cognoſcitur ex tumore partiali tegumentorum abdominis circumſcripto, intra quem fluctuatio percipitur ſine ſignis ſuppurationis ac effuſionis intra cavum abdominis.

Aperto ope acûs triquetræ ex hoc hygromate aqua limpida effluxit, & æger intra tres ſeptimanas convaluit; evidens eſt non œdema fuiſſe, ut putat *Lamotte*, ſed hygroma.

In obſervatione 101 ejuſdem Auctoris aqua limpida ex ſimili tumore fluctuante emiſſa eſt ope inciſionis, ubi pus adeſſe ſuſpicabatur, & hunc morbum *abſceſſûs* nomine indigitat. Sedes ejus erat inter peritonæum & muſculos abdominis.

15. *Aſcites uterinus* Nicolai Decad. obſervat. Argentorati, 1725 obſerv. 9. In cadavere viduæ ſexagenariæ, uterum ſphæroideâ diſtentione cartilagi-

nem xiphoideam attigiſſe vidit; ille ſexdecim menſuras aquarum inſtar amurcæ continebat; orificium arctè clauſum erat, ubi limus fuſci coloris, extus hydatides multæ, inteſtina verſus ſuperiora protruſa, ovaria oblitterata, viſcera abdominis partim ſcirrhoſa, partim livida: mulier ante duodecim annos lochiorum regimen in puerperio malè obſervaverat, inde malum indies crevit.

Videatur apud *Verdier anatom.* alterum hujus morbi exemplum.

Vidua ſexagenaria, quæ pro aſciticâ habebatur, tumore abdominis tenſo, non fluctuante, ſine ullo umbilici veſtigio, habuit integumenta communia valde extenuata, muſculos abdominis oblitteratos, peritonæum calloſum juſto craſſius; in illo cavo uterus tendineo-cartilagineus, ſphæroideus, uſque ad cartilaginem xiphoideam diſtenſus, aquæ amurcoſæ ſexdecim menſuras Argentinenſes continebat cum limo fuſco in fundo, hydatibibus orificium uteri exactè claudentibus; ovaria & tubæ Fallopii oblitteratæ, inteſtina verſus ſuperiora omninò protruſa, hepar reneſque ſcirrhoſi, gangrænodei, lien exiguus, lividus, omentum abſumptum: *Saltzmann. Obſ. Dec. Obſ. 9.*

16. *Aſcites ſtomachi*, Riverii Centur. 4. obſ. ab Anton. Jodon, Altiſſiodorenſi communicata pag. 107.

Hydrops ventriculi eſt aſcites à nonaginta libris ſeri in ſtomacho contenti in muliere quadragenariâ, quæ pro gravida habebatur.

17. *Aſcites intermuſcularis*, Thom. Short Philoſoph. Tranſact. vol. 9. pag. 150. C.

Aderat triplex aſcites; 1° intermuſcularis in latere ſiniſtro abdominis; 2° abdominalis in cavo; 3° in ovario omnium maximus.

Cognoſcebatur ex lateris dextri mollitie; aderat inappetentia, vigilias, ſitis exigua, febris lenta, dolor multus, ovarium viginti libras pendebat.

18. *Aſcites omentalis*, Munnicks obſervat.

Illa eſt ſpecies in quâ cavum omenti aquis collectis diſtenditur; verùm nullum eſt in ſymptomatis nec in curâ diſcrimen quo ab abdominali vulgari dignoſcatur.

19. *Aſcites ovarii*, Mem. de l'Academ. de Chirurg. tom. 2. pag. 431; *Aſcites ſaccatus*, vulgò *hydropiſie enkiſtée.* C.

Eſt ſpecies quæ incipit à tumore alterutrius lateris hypogaſtrii, unde differt ab aſcite vulgari ſeu ab effuſo liquido: creſcens tumor ſenſim totam abdominis cavitatem implet, ſed fluctuatio eſt multò obſcurior, & extractus humor eſt craſſior, viſcoſior multò quàm lympha aſcitis vulgaris, humor lutoſus, cruentus, fœtidiſſimus, urinis lateritiis paucis, febre, ſæpè vomitu, abdominis dolore, alvo conſtipatâ; inciſione factâ, injectis deterſivis, fiſtula ſucceſſit, & demum exhauſto humore per fiſtulam convaluit: *Le Dran obſerv. 11.*

Aquæ gelatinoſæ copioſiſſimæ intra ovarium & tubam ita diſtenſam ut totum abdominis cavum occupans primâ paracenteſi viginti lymphæ pintas ſuppe-

ſuppeditaret. Multi ſcirrhi in abdomine ab ovario, cætera viſcera ſana *D. Montaulier.* In abdomine aſciticæ inventa duo ovaria ſcirrhoſa intus hydatidibus turgida, alterum quindecim, aliud duodecim librarum. *M. Malaval.* Moles enormis ovarii dextri aſcitem in toto abdomine referens continebat ultra quadraginta libras gelatinæ pellucidæ viſcoſiſſimæ. *M. de la Porte.*

a. *Aſcites ſaccatus* Abraham Mercklini, Collect. Academ. tom. 3 obſerv. 183.

Eſt aſcites à ſero urinoſo contento intra folliculum ex ovario pronatum.

In puellâ ante ſexdecim annos abdomen intumeſcere cœpit ſine dolore, ſine difficultate progrediendi; nupta ter gravidata peperit, nec tumor evanuit, imò acceſſit progrediendi difficultas, iſchias, anxietas in interaneis, urinis rite fluentibus, demùm dyſpnœâ, & tumore creſcente obiit.

Inventus ſaccus membranaceus portentoſæ molis, urinoſo ſero plenus, viſceribus impoſitus, omento ſursùm retracto.

3°. *Non ſeroſi abdominales.*

Sunt ſanguinolenti, purulenti, urinoſi &c.

20. *Aſcites cruentus*; *Ab aquâ ſanguinolentâ*, Ger. Blaſii obſerv. 11; *Ab aquâ nigreſcente*, Bonet. Sepulchr. obſ. XX. §. 5; *A cruore loturæ carnium ſimili*, Holler. de morbis cap. 39; *A cruore mero*, Saxonia lib. 3 cap. 32; Beniven. cap. 76; Tulpii cap. 40; Severin. de abſceſſ. pag. 279; Ant. Pozzis Collect. Acad. volum. 3 pag. 209. C.

Monialis trigenaria menſtruis tunc deficientibus abdomine intumuit poſt inguinis dolorem. Inventa eſt tuba uteri liquido ſeminali diſtenſa, & moles ſanguinis atri octoginta libras pendens inter peritonæum & muſculos abdominis, præter quadraginta libras ſeri in cavo abdominis effuſi.

21. *Aſcites purulentus*, Mead de hydrope; *A pure aquoſo, fœtido, abdomen replente*, Saltzman. obſerv. anat. 31; Journ. de Med. Avril 1761 p. 364. *A purulentiâ ſaccatâ*, Boneti Sepulchr. obſerv. XX. §. 7; *A pure abdomen diſtendente*, Plateri obſ. C.

Illa ſpecies ſæpe tympanitidem refert, ſeu flatibus abdomen implet, & inſanabilis eſt omninò.

22. *Aſcites urinoſus*; *A veſica diſruptâ* Plater. lib. 3 cap. 3. C.

Eo bene poto humique ſtrato, alius ventrem inſiliens veſicam ex ebrietate diſtentam eo impetu ruperat, unde urinâ in abdomen effuſâ venter ante mortem intumuerat. Veſicæ vulnus poſt mortem aperto cadavere vidit *Platerus.*

23. *Aſcites chyloſus*, Mem. de l'Acad. R. des Sc. 1700 p. 11.

Liquidum paracenteſi eductum lactis colorem, conſiſtentiam, imò ſaporem, ſed paulò magis ſalſuginoſum, obtinet, ſpumat bulliendo, ac conquaſ-

ſando, acidis non coagulatur, ſed ſale tartari; bis in menſe ultra 26 libras hujus aquæ chylo tinctæ educebant.

24. *Aſcites oleoſus* Baglivi Praxis p. 313. C.

In cadavere viri athletici quadragenarii febre vehementiſſima, & ſpirandi difficultate, & demum horrendis motibus convulſivis perempti invenit *Baglivi* inteſtina undequaque veluti innatantia in pinguedine fuſa, & oleum olivarum condenſatum referente.

4°. *Nec ſeroſi nec abdominales.*

25. *Aſcites ſanguineo-uterinus.*

Mulier aſcite laborans ex urbe *le Puy en Velay* Monſpelium appulit auxilium implorans: venter portentosè diſtenſus, urinæ paululum lixivioſæ, pedes etiam œdematoſi, ſitis exigua; tentatis fruſtrà conſuetis remediis paracenteſis inſtituitur; hinc fluunt libræ circiter quatuor cruoris meri; ſtupent Medici, & Chirurgus eorum juſſu cannulam retrahit metu ſyncopes quæ paulò poſt ſummum metum incuſſit: reſtitutis paululum viribus ea patriam repetit & elapſo menſe fato ſuccumbit; aperto cadavere cruoris immenſa copia intra uterum portentosè diſtenſum inventa eſt à *D. de Fontfrede D. Med.*; uterus autem ita expanſus erat, ut totius abdominis cavum repleret; hinc pro aſcite abdominali lymphatico rarus ille morbus Medicos fefellit utut peritiſſimos.

26. *Aſcites ſanguineo-intercus.* C.

Hiſtrio noctu inſilit in feneſtram, unde præceps in vicum plures hexapedas altum ruit invitus, ita tamen ut in pedes lapſus ſit; dolorem atrocem in abdomine, deinceps tumorem & febrem expertus in noſocomium defertur; poſt aliquot dies abdomine intumefacto moritur. Secto cadavere invenimus muſculos abdominis à peritonæo ſeparatos per ſaltus violentiam, & ſpatium intermedium copioſo cruore refertum: hic itaque morbus acutus eſt. datur ergo intercus ſanguinolentus.

27. *Aſcites ſanguineo-peritonæus.* C.

Mulier quadragenaria abdomen turgidum ſine inſigni moleſtiâ octo annos circumtulit, omnem culpam in menſtrua ſuppreſſa conjiciens, demum creſcente mole ſuffocatur; vix cute cadaveris pertuſâ amurcæ fœtidæ copia ad libras XX medicas proſiliit; hæc intra muſculorum abdominis tunicam & peritonæum continebatur, quod ex venis epigaſtricis internis, periodo lunari, deſtillaſſet; iſtarum venarum extremis aderant tubercula nuci avellanæ ſimilia, ac ſi papillæ forent etiam ſciſſæ. *N. Bogdanus obſer. XI.*

28. *Aſcites flatulento-peritonæus*, Vid. Mead monita pag. 124; Combaluſier Pneumatopathologia.

Mulier ex oppido Mauguio tympanitidis ſymptomata primùm patiebatur, his ſe comites adjunxere fluctus abdominis, pedum œdema, ſitis aſſidua &c: puncto poſt mortem abdomine à D. Serres chirurgo clariſſ. & Regio Anatomiæ

tomiæ Demonſtratore, flatus cum ſummo impetu exiliit, abdomen apertum exhibuit aliquot libras lymphæ effuſæ, ſed intra cavum in quo nulla viſcera reperiebantur, omnia autem viſcera latebant verſus diaphragma in breve ſpatium congeſta & à peritonæi lamellâ involuta: Sectioni interfuit D. Combaluſier D. Med. Monſpelienſ.

Praxis.

Curam quod ſpectat conſulatur *Sydenham.*

Vix aut rarò curatur Aſcites, quia ejus principia ſæpius ignorantur, aut quia chronicis morbis, viſceribus jam labefactatis, ſupervenit, nec non quia diverſarum ſpecierum hiſtoria deficit; qui verò recentes ſunt & robore integro præditos ægros afficiunt quandoque ſanantur, in genere remediis aperientibus, catharticis, diureticis & dein tonicis. Præſtantiſſima, ſi rectè uſurpentur, ſunt in aſcite vulgatiori, ſi robur perſtet, hydragoga iterata vulgaribus catharticis mediocribus maritata vel ſola; huc ſpectat ſyrupus de rhamno cathartico, aqua vitæ Germanica, vel ſuccus iridis Germanicæ, vel ſuccus medii corticis ſambuci ad unciam; pilulæ hydragogæ D. Helvetii; imò catharticum, arabs dictum, v. g. antimonii tenuiſſimè pulverati, grana XII. ſcammonii gr. XXIV; ſyrupi de limonibus uncia una; miſce pro doſi; oxymel ſcilliticum ad drachmas tres vel quatuor; ſi vires non ferant ad diuretica confugiendum eſt, quale eſt lixivium è cineribus geniſtæ, vel fabæ ſtipitibus in vino albo infuſis, ex quo unciæ aliquot ſerò & manè propinantur; mitto loqui de vulgatiſſimis radicibus aperientibus, aſellis &c, formâ juſculi. Proſunt etiam ſucci expreſſi ex foliis contritis cichorii, ſyſimbrii aquatici, apii, petroſelini, additis & velut infuſis ante ſucci expreſſionem aſellis & ferri limaturâ; hi ſucci ſero & manè ad paucas uncias hauriantur; ſcrotum ſæpè aquis diſtenſum foveatur vino rubro, roſis rubris infuſis onuſto, vel aquâ ſecundâ calcis, intra quam diluatur cinis ſpongiæ combuſtæ: vidi aſciticos diæta ſicca, id eſt abſtinentiâ ab omni potu & humido cibo, curatos; paracenteſis ad ſublevandum ægrum aquarum mole ſuffocatum prodeſt. Aſcites qui intermittentibus ſupervenit ſæpe curatur, licet præmiſſa paracenteſi, modo viſcera non fuerint indurata.

Celebre *Loweri* experimentum quo conſtat ligata venâ cavâ inferiori aſcitem cito in cane excitari nos monet obſtrui non rarò vaſa minima viſcerum, & inde aſcitis principium exſurgere, adeoque in chronico morbo aperientibus tonicis ut martialibus, antimonii pollini, rheo eſſe inſiſtendum.

Proceſſum therapeiæ videſis in curationibus *Profeſſoris Regii illuſtriſſ. D. Lazerme*, nec enim actum agere in me ſuſcipio.

In aſcite ſcorbutico, in eo quem ſumma acrimonia, ſummus fervor comitatur, juſcula in balneo mariæ parata, ſerum lactis chalybeatum & millepedibus onuſtum, imò lac ipſum, aquis nondum collectis aut etiam evacuatis ab *Alexandro Tralliano* à *D. Lethuillier*, aliiſque, ut in aſcite colliquativo, ſuadentur; errant certè illi qui unâ methodo tam diverſas ſpecies curari

 volunt;

volunt ; in morbo adeò deſperato, qui novas vias ineunt certè laudandi, non verò ut fieri ſolet, deterrendi.

Aſciticos aliunde bene conſtitutos ſolâ à potu abſtinentiâ ſanatos dum ſucco limonum vel pomorum ſitim fallebant, memorant *Mead*, *Deidier*, &c.

In aſcite qui à tympanite inceperat cum atrocibus doloribus lumborum & umbilici repetitæ phlebotomiæ & narcotica optimè ſucceſſerunt, obſervante *Cl. Porte Journ. de Med. Juill. 1759.*

Methodus *Warickii* Chirurgi in *Tranſ. Philoſ.* à *Clar. Ruſſello* relata & ab *Illuſtr. Hales* probata hæc eſt : injiciantur æquæ partes vini rubri & aquæ Briſtolienſis in abdomen, ſtatim atque per paracenteſim aquæ evacuatæ fuerunt : hac mixturâ iterum cum ſeri morboſi reſiduo rejectâ, aquæ Briſtolienſis pars tertia & vini duæ partes in abdomen injiciantur, iterumque illicò emittantur ; niſi verò quam promptiſſimè fiant illæ injectiones æger animi deliquia patitur, quibus tamen finitis vires reſtituuntur.

29. *Aſcites purulento-peritonæus* ; obſerv. X. Medic. pract. Pariſ. 1743.

Eſt ea ſpecies intercus, ſeu in qua magna puris copia reperitur inter laminas peritonæi in anticâ abdominis parte, ita ut inteſtina peritonæo undique obvoluta in angulo ſuperiore & poſtico abdominis lateant.

Hiſtoria. Mulier ſcirrho abdominis laborans incidit in aſcitem ; cadavere aperto quadraginta pintæ humoris ruffi, coloris coffeæ, grumoſi, amurcoſi repertæ ſunt in duplicaturâ peritonæi ; inteſtina macilenta in glomum collecta tam parùm ſpatii occupabant ut vix inveniri poſſent, vertebris adhærentia.

Nulla ſitis erat ; ſi priùs cognita fuiſſet ſpecies, ea inciſione & deterſivis curari potuiſſet.

XV. Hydrometra ; *Hydrops uteri* Sennerti ; Roderici à Caſtro cap. 19 ; *Inflatio uteri* Roder. à Caſtro cap. 2 ; *Hydropiſie de matrice.*

Eſt hypogaſtrii in mulieribus ſucceſſive creſcens tumor, uteri figuram referens, preſſioni cedens, fluctuanſve, ab iſchuriâ & graviditate diverſus.

Circa imum ventrem tumor adeſt amplus, laxus, ex parte fluctuoſus, graviditatem aliquatenus mentiens, cum borborygmis inteſtinorum, in ambulando gravitate, ſpirandi difficultate, fecum graveolentiâ inſolitâ, catameniorum turbâ aut ſuppreſſione, dolore abdominis, lumborum, hypochondriorum, inguinum, pollutione nocturnâ, rigore, ſæpeque febri, non inflammatoriâ, phlegmatiâ, mammarum mollitie.

Hydrometra obſervatur vel cum vel ſine graviditate ; fluidum effuſum eſt vel in uteri cavo, apud vacuas, vel inter uteri cavum & membranas fœtum involventes, vel inter ambas fœtum involventes membranas ſeu chorium & amnium, vel in ipſo cavo in quo fœtus innatat, vel in veſiculis uteri hydatidoſis ; an inter uteri ipſius membranas ? deficiunt obſervationes.

1. *Hydrometra aſcitica.* Vide Aſtrucii lib. 2. cap. 8. C.

Eſt

Eſt ea quæ à ſero tantum in uteri cavitate collecto fit, unde differt ab hydrometrâ hydatidoſâ & gravidarum. Signa præceſſere ſæpiùs; 1° uteri ſcirrhus vel obſtructio, menoſtaſia, vel leucorrhœa vetus; 2° obſtructio orificii uteri à muco ſpiſſo, vel à tumore adnato poſt dyſtociam, vel ab erethiſmo ſæpiùs hyſterico.

Tumet hypogaſtrium ſucceſſivè, pro voluminis incremento; pondus, difficultas gradiendi, & truncum ad anteriora inflectendi, creſcunt; catamenia ſupprimuntur; hinc ſterilitas, phlegmatia, ſeu œdema inferiorum accedit; percuſſo utero ex unâ parte, antitypia in oppoſito latere perſentitur.

Vix confundi poteſt hydrometra aſcitica cum hyſteritide, quæ dolore, febre, ægritudine acutâ deſignatur, nec cum hyſteralgiâ ſcirrhoſâ, graviditate molari, &c, ob firmitatem uteri in iſtis morbis; à phyſometrâ diſtinguitur per antitypiam, gravitatem & elaſticitatis defectum; ab aſcite uterino per hypogaſtrii ſolius tumorem; ab hydrometrâ hydaticâ, per antitypiam; à graviditate demum, quod in iſtâ poſt tres vel quatuor menſes motus partiales fœtûs diſtinguuntur.

Hydrometra aſcitica difficulter ſanatur, & ratione principiorum periculoſa eſt, inde enim ſæpè hectica, vel aſcites ipſe accerſetur.

Curatio exigit 1° hydragoga qualia in aſcite uſurpantur: 2° diuretica & aperientia: 3° remedia uterum aperientia, ut ſaltum, ſternutationem, vomitionem, balneum, injectiones, peſſaria emollientia, ſuffitus; quibus incaſſum præmiſſis ſtylo mutico orificium uteri eſt reſerandum, & evacuatis aquis injectiones ex aquis deterſivis aut thermalibus inſtituendæ.

2. *Hydrometra gravidarum*, Puzos pag. 86. *Hydropiſie de matrice des femmes groſſes.* C.

Moles abdominis eſt ſolito major; minùs tamen obnoxia eſt mulier phlegmatica quàm in graviditate duplicatâ; fœtus vel debilis evadit, vel ſæpius obit; nunquam ſanus eſt, & vegetus, ut in graviditate verâ, nec ita creſcit, maximè ſi aqua in cavo amnii cum ipſâ lateat.

Si aqua inter uterum & chorium ſita ſit, ea ſpontè effluit, ſtatim atque uteri os hiare incipit, quem effluxum ter quaterve, intervallo ſemimenſis inter utrumque, accidiſſe vidit *Puzos*, quin partus ante quartum effluxum ſucceſſerit.

Frequenter inter chorium & amnium colliguntur aquæ, in quo caſu minor eſt earum quantitas quàm cùm in amnii cavo ſit hydrops, vel cùm inter placentam & uterum; tunc autem membrana exterior in partu laceratur ſine dolore, deinceps verò etiam interior, quandoque plurium dierum intervallo; ſi verò conamina partûs langueant, tunc digito laceranda eſt membrana ſuperſtes, ut partus juvetur.

Cùm in amnii ipſius cavo colligitur aqua, ſæpius fœtus moritur, & diu in utero mortuus remoratur, uſquequò uteri diſtenſio maxima, ulterius creſcere non poteſt; exigua ſunt in parturitione tormina, unde mollior eſt membrana quæ dilatatum uteri orificium obturat; obſtetrix in hoc caſu parturienti ſuccurrat, opus eſt. Cognoſcitur hæc ſpecies ex debili vel nullo fœ-

tûs

tûs motu, ex mole enormi abdominis; in partu licet orificium uteri multum pateat, caput fœtûs ritè ſe offerat, tormina per multas horas languent; tunc ſi obſtetrix digito premat caput fœtûs, iſte ſurſùm facillimè pellitur, utpote innatans aquæ, niſi plures ſint ſimul in utero, tunc digitis ſcindendæ membranæ, & ſic tormina utilia fœtum expellent.

3. *Hydrometra ſanguinea* Boneti Sepulchret. Tom. 3. pag. 92. nº. 2. C.

Fœminam recens enixam obſtetrices alterum fœtum geſtare credebant, quia inferior abdominis pars adhucdum erat tumida; uterus aquâ cruentâ repletus apparuit: Vide *Aſcitem uterinum.*

4. *Hydrometra hydatica* Aſtrucii de morbis mulierum, lib. 2. cap. 8; *Hydrops uteri veſicoſus* Nicol. Tulpii, Vandermonde Journ. de Med. Juill. 1758 pag. 54. C.

Compertum eſt gravidationem aliquando degeneraſſe in ſubſtantiam membranaceam globoſam, totam aquoſis bullis rotundis tumidis, pellucidis, innumeris plenam, aliquando cum ſanie fœtidâ & dilutâ, ut comperimus in uxore Bibliopolæ. *Mercatus, de mulier. affect. lib. 3 cap. 8:* Eaſdem hydatides invenit in utero *Thom. Bartholinus: Boneti Sepulchret. pag. 88 Tom. 3 nº. 3*, & omnium primus *Aëtius ſerm. 4. cap. 79.*

Hæc ſpecies ſpontaneo partu poteſt ſanari, ſed rariſſima eſt, & difficulter diſtinguitur ab aſciticâ.

5. *Hydrometra puriformis* Boneti Sepulchret. Tom. 3. pag. 88. nº. 5. & pag. 92 nº. *1.* C.

Auguſta Imperatrix omnia ſigna veræ geſtationis habuit; in cavitate abdominis erant ichoroſi humoris, tùm phlegmatis libræ viginti quatuor, uterus erat valdè magnus, plenus humore craſſiſſimo, albo.

6. *Hydrometra ovarii* Aſtruc. de morb. mulier. Tom. 4 pag. 43. obſerv. 45 lib. 4; Nicolai Tulpii; Acta Eruditor. Lipſiæ anno 1701 Februar. Ephemerid. Germaniæ, decur. 2. obſerv. 95. anni 2, Bianchi de generatione, pag. 107; Munnicks in Bibliothecâ Anat. C.

Sunt hydrometræ ovariorum aſciticæ quarum penultima octoginta; ultima 112 libras ſeri continebant.

Tumorem tubarum 150 librarum aqua plenum memorat. *Ill. Bianchi Taurinenſis Profeſſor*, nuper amicis multis ereptus, & *Cyprianum* teſtem citat.

XVI. Physometra, à Græco *metra* uterus, & *phyſao* inflo; *Inflatio uteri* Sennerti; *Tympanite de la matrice* D. Aſtruc de morbis uteri Lib. II cap. 9.

Eſt conſtans, permanenſque tumor levis, elaſticus, uteri figuram, & ſedem referens in mulierum hypogaſtrio.

Differt ab ædopſophiâ uterinâ per conſtantiam & permanentiam, eodemque modo diſtinguitur à globo hyſterico, & ab erethiſmo uteri fugaci in abortu ſubtrimeſtri, in hyſteralgiâ catameniali obſervando; nam in his caſibus non raró uterus intumeſçere ſeu indureſcere per intervalla videtur, & reapſe

reapſe nunc ad unam, nunc ad alteram partem inclinat, ut ipſe expertus ſum.

1. *Phyſometra ſicca* Aſtrucii lib. 2 cap. 9; *Tympanites uteri*, Valeſci de Taranta, lib. 6 cap. 15; Matthæi de Gradibus in Rhaſim. C. de mola; Thadæi Duni Lib. Miſcellan. cap. 8. R. Dodonæi obſ. 49. L.

Signa communia graviditati & chloroſi, tumor elaſticus, & à pulſatione reſonans, increſcens à calore ignis, lecti; volumen nativo non multo majus; nullus ex vaginâ crepitus, ut in ædopſophia ſeu tympanite fugaci *Aſtrucii*.

2. *Phyſometra humida*, Aſtrucii libr. 2 cap. 9; Ambr. Paré libr. 25 cap. 34; Salmuth Centur. 2 obſ. 57; Laur. Jouberti de urinis, cap. 13. &c. C.

Eſt ea in quâ cum flatibus concurrit ſerum quo potiſſimùm uterus diſtenditur, & molem quandoque maximam adipiſcitur, unde ſimul & ratione ponderis à priori diſtinguitur; de cætero eadem ſunt ſigna.

Curatur utraque ſpecies, ſi flatuum emiſſio per uteri orificium promoveatur; cætera enim auxilia inutilia ſunt. In hunc finem præmittatur uſus balneorum, ſemicupiorum, injectionum, peſſariorum emollientium, quo facto ſollicitetur uteri orificium obſtetricis digito, peſſariis acribus, clyſmatis irritantibus, ſternutatione, vomitione, ſaltu; denique ſi hæc non proſint, ſtylus muticus cautè in uterum immittatur; evacuato utero fiant injectiones pro re natâ diverſæ, ut in primâ ſpecie emollientes, in alterâ deterſivæ, tonicæ.

Memini me olim duabus vetulis hoc morbo recenter affectis præſcripſiſſe juſcula diuretica, & emplaſtrum de Galbano regioni uteri admovendum, unde obortâ copioſâ urinæ excretione citò convaluere.

Phyſometram fugacem, ſed quovis menſe revertentem, obſervo in muliere quæ hyſteralgiam catamenialem patitur, ſeu quæ quoties catamenia ipſi fluunt, per duos dies iis ubertim prorumpentibus, dolores aſſiduos in tota uteri viciniâ, & ipſo utero patitur, atque tunc uterus, pugni magnitudine ſupra pubis altitudinem, ad tactum, non ad viſum, tumet; illa olim ſæpiùs peditus ex utero edere erat ſolita; ſed ædopſophia, jam ſi quæ ſit, ita pacatè ſe habet, ut non audiatur; is verò tumor à flatibus eſſe videtur, cùm ſubitò recedat pluries; dein verò aëre ingreſſo & ob grumum ſanguinis utero obturato fit ejus rareſcentia, unde phyſometra fugax. Hæc mulier pluries peperit, unde non mirum ſi uterus ita altus & magnus ſit; de cætero tumor ille omninò indolens eſt, & poſt catamenia nullus; ac nunc dextrorſum, nunc ſiniſtrorſum paululum inclinans.

XVII. TYMPANITES; *Typhos quartus* Hippocratis Foëſii pag. 555; *Hydrops ſiccus & flatulentus* ejuſdem Aphor. II Sect. IV; *Tympania* Galeni Comm. de victu in acutis, Tralliani Lib. III; *Tympanita* Sennerti; *Tympanias* Frommanni apud Bonetum. *La Tympanite.*

Eſt intumeſcentia totius abdominis, levis & elaſtica, à pulſatione ſonum

edens, hujus morbi præcipuum ſymptoma, adde ructus, borborygmos, conſtipationem, & dolores.

In colicâ flatulentâ volumen totius abdominis minimè eſt adauctum, & morbus acutiſſimus eſt in paroxyſmo, unde differt à tympanite. In meteoriſmo volumen quidem abdominis eſt adauctum à flatibus, ſed ægritudo eſt acutiſſima, & ſæpè accidens aliorum morborum; tympanites verò, licet doloribus colicis initio ſaltem ſtipetur, eſt morbus chronicus, & ideò ab aliis diſtinguendus. Phyſometra, hydrometra, & colica flatulenta quatenus tantum abdominis partem inflant à tympanite diſcrepant, in quo conſtanter prominet abdomen verſus umbilicum in quocumque ægri ſitu.

1. *Tympanites inteſtinalis*, Smetii Miſcellan. lib. 10; Fabricii Hildani Cent 6 obſerv. 74; Hercul. Saxoniæ Præl. part. 2. cap. 24; Plateri obſ. pag. 656; Littre Mem. de l'Acad. R. des Sc. 1723. D.

Eſt ea ſpecies quæ fovetur a flatubus ventriculum & inteſtina valdè diſtendentibus; hic fovetur ſæpiùs à materiâ verminoſâ; ſupervenit etiam puerperis, hypochondriacis, mœſtis.

Incipit non rarò à borborygmis, doloribus abdominis atrocibus, pertinacibus; adeſt conſtipatio, dolores initio ad umbilicum, deinde ad ambitum abdominis referuntur: à flatibus erumpentibus levamen fugax; ſecto cadavere, inteſtina alia admodum intumefacta, alia velut in cellulas conſtricta, & veluti convoluta apparent; illis punctis non multùm reſedit tumor, niſi multis in locis aperiantur, unde paracenteſeos inutilitas apparet.

Deeſt phlegmatia, urina lateritia, ſitis urgens, niſi ſub finem morbi aſcites accedat, unde differt à tympanitide aſciticâ.

Curatio difficilis eſt ob contraindicationum concurſum; initio vena ſecanda eſt ob dolores, calorem, tenſionem; alvus eſt emollienda oleoſis, diluentibus, refrigerantibus ob dolorem, ſiccitatem, conſtipationem, tenſionem; anodyna etiam blanda, antiſpaſmodica ſuadentur; ergo cavendum à cattharticis, niſi mitiora ſint, à carminativis niſi ſint anodyna; interea cùm flatus generantur ſæpiùs à materiebus fermenteſcentibus, putreſcentibus, verminoſis, tum neceſſaria videntur cathartica mediocria, vermifuga, ſaponacea; inveteraſcente morbo, & calore, ſpaſmo, dolore imminutis, tunc cathartica fortiora, reſolventia, ac tonica tutiùs agunt.

Æger utatur ſerò & manè, dum recens eſt morbus, clyſmatis laxantibus; & poſt unam, alteramve phlebotomiam dein purgetur ex mannâ, tamarindis, oleo amygdalarum; dein ter in die ſumat decoctum hordei in quo flores roſarum infuſi fuerint, cui ptiſanæ addantur ſpiritus vitrioli, vel nitri dulcis guttæ aliquot ad gratam aciditatem; vel uſurpet emulſiones anodynas, julapia refrigerantia, ptiſanam ex cryſtallo minerali; tum repetitâ catharſi æger lacte aſinino, vel etiam vaccino, thermalibus aquis mixto utatur; abdomen urinâ calidâ foveatur identidem; ac his irritis fiat remedium *D. Raſt amici noſtri apud Lugdunenſes Medici experientiſſimi*, ſcilicet fomentum ex aquâ frigidâ, deinceps verò gelidâ, quo duos:

duos tympaniticos Lugduni ſanatos vidit; & quod etiam mirè convenit intùs aqua gelida, imò fruſtula glaciei ſunt voranda ad condenſandum flatum, maximè ubi calor intenſus, ætas juvenilis, temperamentum fervidum, æſtas, ſimileſque circumſtantiæ ſuadent; quoniam tamen ſunt varietates hujus morbi in quibus prædominatur vel acidum, vel glutinoſum, vel atonia, pro diverſis hiſce conditionibus diverſa auxiliorum genera ſunt prioribus addenda, quæ videſis apud *clariſſ. Combaluſier* in *Pneumatopathologiâ n°. 353.*

2. *Tympanites abdominalis* Valleſii comment. in lib. 4. de victûs ratione, pag. 284; Ballonii Paradigma 241; Combaluſier Pneumatopathologia, n°. 26, 226; Zeviani libr. del flato C.

Eſt ille qui flatus in cavo abdominis collectos gerit, quique vel *ſiccus* eſt, quod de recenti quocumque ferè valet, vel *humidus*, ſeu aſciticus, cum urinâ lateritiâ, ſiti, phlegmatiâ, aſcite, in fine morbi veteraſcentis ſe comitem præbente, & in hoc caſu ſede tantùm differt ab aſcite flatulento peritonæi duplicaturam non cavum diſtendente, in quo ſcilicet viſcera abdominis convoluta in glomum ſub diaphragmate non omento, ſed peritonæo tecta, latent.

Tympanites abdominalis ſiccus aliquot obſervationibus conſtitit, utut à *Littre* in dubium revocetur; eſt in eo reſonitus evidentior quàm in inteſtinali, flatuum emiſſio rarior, minùs levans ægrum, dolores abdominis magis exteriores, alvus minùs pertinaciter adſtricta. Si à priori dignoſceretur, poſſet inſtitui paracenteſis, ut factum novi in cadavere, & tunc illicò exploſo flatu ſæpè fœtido tumor ſubſidet; hujus diagnoſim, prognoſim, & curam ſpecialem videſis in eximio tractatu *Fr. Combaluſier.*

Quoad ejus principia, veroſimile eſt eroſo quomodocumque, vel ventriculo, vel inteſtino flatus in abdomen irrepſiſſe, ut vidimus, in veſicam ex inteſtino eroſo ſeſe inſinuaſſe ad producendam ædopſophiam, & ut in uxore Medici Salvatoris dicti reperit olim *Joannes Bauhinus. Vide Mangeti Bibliothec. Medic. Pract. de Hydrope, pag. 1003.*

Signa hujus eroſionis erant dolor hypochondrii ſiniſtri, vomituritio, ructuatio, febris; dein venter intumuit, dyſpnœa acceſſit, cum lumbagine, dentium ſtridore, ſiti, aſtheniâ; intra menſem mors cum mentis conſtantiâ; in fundo ventriculi fuit orificium digitum admittens; à flatibus intra vaſa lactea adactis in colicâ flatulentâ, ea diſrumpi quandoque, & inde in abdominis cavum irrumpere ſuſpicatur *Combaluſier;* verùm non facilius eſt flatu diſrumpi hæc vaſa minima, quàm ipſa inteſtina; nam vaſa minima tantò magis reſiſtunt ſuæ ruptioni, quò minorem habent diametrum, ut norunt Mechanici; ſi tamen hæc lactea debiliora fuerint, & eò uſque diducta, ut guttulam aëris poſſint admittere, eâ conditione poterit fieri tympanites.

Hæc tympanitis principia vix dignoſci, vixque tolli queunt etiam cognita; verùm ſi aër è fluidis excalefactis, fermenteſcentibus, putrefactis emergens

gens in abdomen irruerit, ut generatur in emphyſemate de quo egimus dùm de pneumatoſi ſpontaneâ, tunc pro diverſis hujus flatûs principiis, diverſa methodus eſt adhibenda ad præpediendam ulteriorem hujus geneſim; dein collecti flatûs elaſticitas eſt deſtruenda; demùm huic flatui quidam eſt exitus parandus.

Cùm aëris extricatio debetur ſummo æſtui ſanguinis, phlebotomia, acida refrigerantia initio conveniunt; ſi ab acido & verminoſo pabulo fermenteſcente, tunc omnia abſorbentia, terrea, alkalina, aromatica, ſtomachica amara, kinkina juvant; ſi à glutinoſo pingui, quale in lactentibus ſæpè viget, pendeat flatuum geneſis, tunc ea impugnanda victu ex pane benè fermentato, vino veteri, infuſo chamæmeli, cinnamomi, juſculis amaris cum enulâ campanâ, cichorio, ſalibus neutris; frictione ex pannis calidis; clyſmatis ex urinâ calidâ, lixivio, terebenthinæ pauxillo in ovi vitello ſoluto; dein catharticis evertendum illud glutinoſum, tonus viſceribus laxatis reſtituendus; iterùm clyſmata reſolventia, tonica, acria uſurpanda.

Denique ſi irritis omnibus auxiliis æger cruciatibus in ambitu abdominis torqueatur, qualem olim me vidiſſe memini, aliàs vegetus ſit, nec putredinis in primis viis ſint indicia, unicum ſolatium ex paracenteſi videtur exſpectandum, hancque olim non adhibuiſſe me pœnituit; quippe miſera mulier, ad quam accerſitus fueram, ita cruciabatur tympanite, ut viribus adhuc integris, facie rubens, mediæ ætatis, mente conſtans, nullis remediis internis ſublevata, eadem die quâ ipſam inviſi & dereliqui, fato functa ſit.

Obiit quidem brevi æger tympaniticus poſt paracenteſim, cujus teſtis fuit *Helmontius*; verùm ſummè putridus inde exivit flatus, quod gangrænodeum viſcerum ſtatum arguebat; erat enim odor cadaveroſus; præterea foramen nimis amplum cuſum eſt, cùm venter illicò ſubſederit, unde periculum ſummum, quod averti poſſet exigua acu tricuſpidata, & per intervalla obturato foramine; interea dum arctè ſtringitur abdomen, & cardiacis vires ſuſtinentur.

3. *Tympanites enterophyſodes* Combaluſier. n°. 122 & 152. C.

Eſt ea ſpecies quæ ab emphyſemate inteſtinorum, cæterorumque abdominis viſcerum dependere putatur, quæ ſpecies non confundenda cum pneumatoſi abdominales regiones afficiente, & ſubcutaneâ, à preſſu crepitante.

Dignoſcitur hæc ſpecies ex inæquali tumore abdominis aliunde tympanitici, maximè verò ex conjunctis pneumatocele, pneumatomphalo. Jam recenſui me pluries obſervaſſe in equis apud Helvios non ſolùm emphyſemata valdè dolentia per lùmbos, dorſumve equorum diſperſa Hippiatris dudum cognita, verùm etiam in boum pulmone poſt mortem à me obſervata, tanquam membranam pellucidam in vaſorum & lobulorum interſtitiis aëre elaſtico turgidam, & demùm in ipſis inteſtinis humanis emphyſema obſervavit clariſſ. *Duvernoy*, ut docent *Acta Academ. Petropolitanæ*, *tom. 5 pag. 213.*

Verùm

Verùm huic ſpeciei paracenteſis nulla convenit, & tantùm, præmiſſis reſolventibus, ope catharticorum & diureticorum exitus huic aëri parandus eſt, & auxilia priori ſpeciei accommodata videntur ſuadenda.

Puer Noſocomii generalis pro aſcitico habitus à *D. Verny* & *Lazerme*; ob abdominis tumorem & fluctuationem; inſtitutâ *D. Serres* paracenteſi, nihil omninò effluxit, nec æger pejus meliuſve habuit; æger demùm obiit; ſecto cadavere inteſtina inventa ſunt flatu admodum diſtenſa, & invicem ope textûs cellularis ac epiploi œdematoſorum in glomum colligata; hic puer phlegmatiâ, ſiti intenſâ, & urinâ paucâ lixivioſâ laborabat.

4. *Tympanites aſciticus* Del Papa Conſult. 2. tom. I; *Idropiſia tympanitica.* C.

Adultos adoritur robuſtos, ſanguineos, diarrhœis, colicis, dyſenteriis diù vexatos, tertianis priùs affectos. Intumeſcit abdomen, & ſubitò digitis pulſatum cum ſonitu digitum repellit. Urina pauca rubra, alvus aſtricta, œdema pedes infeſtat. Morbus difficillimè ſanatur etiam recens; flatulentia ano vel ore proruinpens ſublevat.

Indicantur ea quæ flatulentas digeſtiones & acorem corrigunt, ut 1° abſtinentia à fructibus, lacte, crudis, diſpeptiſque alimentis: 2° abſorbentia, ut mater perlarum, oculi cancrorum: 3° amara, ut rheum, abſinthium, vinum abſinthites ab *Hippocrate* contra flatus laudatum: 4° laxantia, ut emulſiones ex amygdalis amaris, harum oleum: 5° diuretica, ut radices aperientes, terebinthina: 6° Paracenteſis & cathartica valida fugienda.

Tumor abdominis ſubito accedens à repreſſis alvi fluxibus putridis, aut ab intermittentibus kinkina ſuffocatis, utut aſcites videatur, vera eſt tympanitis, juxta *Pringle*; præmiſſâ phlebotomiâ ſi opus ſit, præſcribetur rheum quovis veſpere ad alvum laxandam: vitentur carminantia, & violenta cathartica, ſumatur electuarium ex floribus chamæmeli, zingibere & croco martis.

5. *Tympanites ſpaſmodicus* Pomme, Eſſai ſur les vapeurs, obſ. 14, 15: eſt varietas tympanitis inteſtinalis. D.

Hic morbus ſexagenariæ hypochondriacæ quartanâ per hydragoga & kinkinam ſanatæ ſupervenit cum dolore abdominis.

Fotus frigidi, aqua pulli, aqua nive frigefacta, ſerum lactis, clyſmata ex oleo, dein diarrhœa bilioſa flatus multos emittens abdominis tumorem & dolores ſuſtulere; leviſſimum catharticum nocuit, lac aſininum curam abſolvit.

Alteram mulierem catameniis anno quadrageſimo quinto ceſſantibus, ſiccam, melancholicam invaſit tympanitis; phlebotomia è pede, clyſmata, ſerum lactis vix profuere; ſed fomenta frigida & balnea profuere; ex lacte ſupervenit diarrhœa bilioſa quæ morbum ſolvit.

Hippocrates lib. V Epid. obſerv. 18. triginta urceos aquæ frigidæ effundi juſſit ſupra corpus mulieris robuſtæ, quæ à ſumpto medicamine ventre intumuerat cum dolore, dyſpnœa, animi conſternatione; huic vomitu ex

Ttt 3 aqua

aquâ frigidâ nec dolor, nec dyſpnœa remiſerant; quinquies mortua viſa fuerat; hac affuſione frigidæ ſublevata eſt, bilem copioſam dein ejecit, & vixit. *Vide Foeſium, pag. 1153. n°. 42.*

Videatur clariſſ. *Combaluſier, n°. 368. de tympanite cum exitu, ſpaſmoque prævalente.*

6. *Tympanites* Stwartii, Philoſophicarum Tranſactionum anni 1730 n°. 414 ab Alexandro Stwartio. C.

Eſt tympanitis acuta, niſi malueris meteoriſmo hanc accenſere, quæ à bilis extra cyſtidem effuſione ob vulnus inflictum ſat citò ſupervenit, ut *Ill. Stwartius* in milite obſervaverat, & in canibus dein expertus eſt.

Miles vulnere accepto quo veſica fellea pertuſa fuerat, ſat citò intumuit abdomine, ut in tympanite; aſt ſine dolore, febre, inflammatione, cum alvi conſtipatione pertinaci, urinâ paucâ, croceâ, pervigilio, quod opiatis reſtitit, linguâ ſiccâ; aperto cadavere, bilis intra abdominis cavum exundabat, inteſtina valdè inflata & extenſa, nulla ne in vulnere quidem inflammatio; paulò ante mortem, quæ ſeptimo die advenit, pulſus inæqualis, leviſque ſingultus.

Haud dubium eſt quin bilis in inteſtinis, ut ſaliva in ventriculo expanſionem aëris in alimentis contenti, & in chylo copioſiſſimi coerceat, adeoque quin ea deficiente aër expandatur, & tympanitem ac borborygmos edere debeat; in auriginoſis non raro obſervavi recurſum morbi à borborygmis & flatibus abdominis incipientem; ubi verò bilis deficit, modò non à vulnere, debent ægri illius defectum reſarcire amaris, reſinoſis & ſaponaceis, quæ etiam in tympanite à viſcido prædominante commendantur. Vide *Melancholiam 8am, ædopſophiam, phyſometram.*

7. *Tympanites verminoſus*, De Meyſerey tom. 3 n. 592. A.

Eſt ille qui febres verminoſas ſæpius comitatur, aut qui à vermibus fovetur: diſtinguitur ab aliis per ſigna vermium. Curatur 1° phlebotomiâ juxta dolorum intenſitatem & ægri robur repetitâ; 2° oleoſis blandis, dolores mitigare, vermes necare, alvumque laxare aptis; 3° potu diluente, emolliente, antiphlogiſtico, addito ſucco limonum, utpote vermifugo & refrigerante; 4° decocto caſſiæ, vel quod melius eſt & flatulentiam non fovet, extracto caſſiæ, decocto tamarindorum, manna &c, ut alvus laxetur, & vermibus, flatibuſque exitus paretur; 5° ſedatis doloribus, pyrexiâque ſublatâ & alvo apertâ, tum amaris, vermifugis & catharticis reliquiæ morbi tollendæ.

XVIII. METEORISMUS, *Météoriſme.*

A Græco *Meteoros, ſublimis;* eſt intumeſcentia abdominis, vel tantùm epigaſtrii, aut hypochondrii à flatubus contentis; in eo diverſa à tympanite, quod ſi totum abdomen tumeat à meteoriſmo, illud ſymptoma ſit fugax, & acuti cujuſdam morbi comes; ſi verò tantum tumeat epigaſtrium, hoc ſymptoma, licet pertinax, cum tympanite minimè confundi poteſt.

Differt

Differt à colicâ flatulentâ, & gaſtrodyniâ flatulentâ, ex eo quod vel dolor nullus ſit in meteoriſmo, vel exiguus & non atrox, ut in his morbis; adde quod in colicâ & gaſtrodyne rarò extùs tumeat abdomen, licet palpo explorata inteſtina ratione doloris, ac tenſionis tumere videantur.

1. *Meteoriſmus ventriculi. Inflatio ventriculi* Sennerti. L.

Eſt inflatio epigaſtrii, ita ut nulla ſit cavitas ab ſterno ad umbilicum qualis in ſanis eſt, cum vel ſine dolore, quæ chloroticis & puellis quarum catamenia ſunt ſuppreſſa, non rarò accidit; idem accidit viris pituitoſis, phlegmaticis, & pendet à flatu intra ventriculum contento, nec tamen admodum eum diſtendente; meritò incuſatur languor motus periſtaltici inteſtinorum, vappiditaſque ſuccorum digeſtivorum, viſcoſitas cacochyliæ, ſimulque ventriculi laxitas, unde fit ut magis ſolitò diſtendi queat cum minimo, vel obtuſo dolore.

Therapeia vulgaris inflationis ventriculi eò vergit, ut 1° viſcoſo, pituitoſoque humori primas vias infarcienti exitus ano vel cato præbeatur; 2° ut ventriculi tonus, & ſuccorum digeſtiva vis reſtituatur; in hunc finem diæta ſit attenuans, & flatus diſcutiens; cibi ſint boni ſucci, coctu faciles, non flatulenti; lac, recens vinum & cereviſia non ſatis fermentata fugienda ſunt; vinum vetus & meracum juvat, pannus laneus calidus, ventriculo continuò applicatus, calorem ejus fovet & revocat; cathartica ex rheo, rhapontico præmittuntur; dein ad ſtomachica, martialia, incidentia, carminativa deveniendum; ſic radix angelicæ condita, ſemen aniſi, fœniculi, cinnamomum, zingiber, baccæ lauri, juniperi, &c, poſſunt ſuppeditare diverſas formulas huic affectui debellando aptas.

2. *Meteoriſmus abdominis.* A.

Eſt ſymptoma ilei, enteritidis, & plurium morborum acutorum, præſertim tritæophyæ, amphimerinæ, ſynochi, ubi magnus putridæ cacochyliæ apparatus cum inflammatione ſyſtrophicâ, vel gangrænodeâ, adeoque vel cum dolore & tenſione maximis, aëre inteſtinali rarefacto ob calorem, vel ſine dolore, ob gangrænoſum viſcerum ſtatum, & expanſionem aëris à putredine oriundam; qualis meteoriſmus in cadaveribus aquâ diù merſis, aut ſoli expoſitis obſervatur.

Ille meteoriſmus in acutarum febrium vigore peſſimum eſt ſymptoma, tum quia uſum catharticorum maximè neceſſariorum interdicit, tum quia materies putridas, aut fermenteſcentes, noxioſque ſuccos in primis viis hærentes ſupponit; hinc phlogoſis viſcerum, eorum putredo, ſimulque flatuum expanſio; hinc abdominis tumor umbilicum verſus cum tenſione, velut in tympanite, qui tumor ex ſono percuſſionis à flatibus foveri videtur.

Curatio & prognoſis eadem quæ enteritidis; poſt *Hippocratem clariſſ. Tiſſot* auſus eſt in hoc caſu aquâ frigidâ abdomen fovere, quod benè ſucceſſit: *Tiſſot de febre bilioſâ, pag. 115.*

3. *Meteoriſmus hyſtericus*, ill. Raulin des Maladies vaporeuſes, *pag. 29.* L.

Hepatitide laborabat mulier, preſſo epigaſtrio ea oſcitabat, unde hyſteriæ ſuſpicio

ſuſpicio in mentem Medici venit ; depulſis hepatitidis ſymptomatis , ac febre, abdomen intumuit admodum ; exiſtimabant alii Medici hoc eſſe à pure tumidum , ſeu aſcitem purulentum ; *Ill.* verò *Raulinus* meteoriſmum hyſtericum adeſſe tantum cognovit , & ægram ſemicupiis tepidis brevi ſanavit.

4. *Meteoriſmus à manzanillâ* Journ. de Med. Decemb. 1757. D. Peyſſonel. A.

Comeſtis multis pomis hujus hippomanes poſt horam abdomen multum intumeſcit , interanea ardent , tremit totum corpus , ſudor frigidus , cardialgia , ſyncopes , labia exulcerata , & acutè prurientia , hinc ſæpè mors ; excitatâ cholerâ , ſeu adhibito cathartico - emetico ex infuſo ſeminum fabæ purgatricis , ſeu jatrophæ goſſypifoliæ , evacuatur venenum , & dein edulcorantibus , ut oryzâ quandoque ægri ſanantur.

Tam acre venenum in arbore Hippomanes ferunt Auctores , ut umbram, vel maximè ex eo delabentem pluviam metuendam eſſe aſſerant.

D. Jacquin Medicus Leydenſis , & Imperatoris Botanicus , nuper ex Americâ redux , mihi retulit ſe experiundi cauſâ nudum expoſuiſſe pluviæ ex hac arbore delabenti , idque impunè , imò ſuccum manu ſupinâ excepiſſe ; verùm cùm hujus ſucci guttulam pronâ manu tetigiſſet ; illicò magnum eryſipelas ibi ſe paſſum eſſe.

XIX. Ischuria ; *Iſchouria* Græcis ; *Urinæ ſuppreſſio* , vel potiùs *retentio* Frider. Hoffmanni de Morbis infantum ; *Hydrops veſicæ* Nouvell. Claſſ. des maladies ; *Rétention d'urine ; Iſchurie.*

Morbus eſt cujus potiſſimum ſymptoma eſt hypogaſtrii intumeſcentia ab urinâ intra veſicam retentâ.

» Cùm urina omninò in veſicam non venit , vocat etiam vulgus Medi-
» corum iſchuriam , quanquam iſchuria non ſit , & permittendi ſunt pro-
» fecto ita nominare , cùm propriam appellationem non habeant. « *Galenus libr. 3. de ſymptom. cauſis , pag. 246.*

Sunt hujus generis ſpecies plurimæ , quæ in methodo perfectâ ad Claſſem phlegmaſiarum attinerent ; verùm nulla methodus perfecta eſt ; ſequentes ſpecies collegit clariſſ. *Doctor Cuſſon.*

Character. Iſchuriæ veræ ſigna ſunt

1° Senſus ponderis in hypogaſtrio , pube , perinæo. 2° Perceptus urinæ ſtimulus cum ejuſdem fundendæ cupiditate , & irritis ad veſicam exonerandam conatibus ; (hoc ferè aut prorsùs exulat , ſi veſicam teneat ſtupor , vel anæſthefia. , 3° Protuberantia ſupra os pubis magna ; (minùs patet in iſchuriâ fugaci à calculo veſicæ , vel ſi veſica contracta , indurata parum extendi queat) ad attactum dolorifica ; (abeſt prorsùs aut ferè dolor in iſchuria à veſicæ anæſtheſiâ , ſtupore ,) nativam veſicæ figuram referens , (alienam inducit mala conformatio , cyſtocele , &c.) ſubfluctuans , niſi lotio refertiſſima ſit veſica ; urinâ ſponte emiſſâ , aut per artem eductâ , decreſcens , evaneſcens. 4° Detectio tumoris inſoliti , immiſſo in anum , vel in

in vulvam digito. 5º Effluxus lotii ſub profundiori catheteris immiſſione ; (in iſchuriâ quam facit inflammata veſicæ uvula, cathetere licet intra hujus collum adacto, non effluit urina. Tumor notabilis ad muſculorum rectorum infernorum latera, ad inguina, ſcrotum, perinæum, & intra vaginam ; quandoque, ſed rarò, protuberantiæ hypogaſtrii modò memoratæ aliam addi ſociam, hujus ſimilem, ſæpiùs minorem, quandoque vaſtiùs tumentem, imò hypogaſtricæ vices ſupplentem.

Iſchuriæ nothæ ſigna ſunt

1º Lumborum ùtplurimùm dolor punctorius, obtuſus, vel gravativus. 2º Abſentia ſtimuli per urinam veſicæ inferendi, necnon conaminis ad lotium emittendum. 3º Protuberantiæ in hypogaſtrio, necnon in ipſius viciniis defectus. 4º Veſicæ contractio, collapſus catheteriſmo, vel digito in anum, aut vulvam adacto, cognita. 5º Catheteris in veſicam immiſſio fruſtranea nihil lotii effundens.

Soliti *iſchuriæ veræ* ac *falſæ* ſupervenire morbi ſunt anorexia, cardialgia, nauſea, vomitus, ſapor urinoſus in ore, anxietas, ſingultus, agrypnia, febris, cachexia, corporis tumiditas, hydrops, fœtor urinoſus, affectus ſoporoſi, dyſpnoici, deliri, motus convulſivi, ephidroſis frigida.

Symptomata alia in hac vel illâ ſpecie ſuppreſſionis urinæ obſervanda ſiſtet character ſpecificus ſub iſchuriâ qualibet inferiùs tradendus.

Curatio. Cùm maximus ſit principiorum iſchuriam producentium numerus, diverſiſſimaque indoles, nemo non videt, modo vario, principiorum nimirùm varietati accommodato, ſanationem abſolvi debere. Regulam univerſaliſſimam ut minus generalem reddamus, tria proponimus auxiliorum genera, quæ ſi non omnes, præcipuas ſaltem indicationes complectuntur in numeroſis iſchuriæ ſpeciebus adimplendas.

Primum auxiliorum genus ſuppeditant antiphlogiſtica, nimirùm venæ ſectiones, clyſteres emollientes, refrigerantes, oleoſa nitrata, potus laxantes, diluentes, aceſcentes, acidi, linimenta, fotus, cataplaſmata blanda, balnea, ſemicupia tepida, tùm ſimplicia, tùm emollientium, & oleoſorum ſocietate majorem efficaciam nacta. Conveniunt auxilia hujuſmodi in iſchuriis omnibus, in quibus adeſt, aut imminet inflammatio, viget motus febrilis, plethora, tenſio, ſpaſmus, irritatio, dolor.

Alterum auxiliorum genus ſiſtunt ſtimulantia, attenuantia, extus nimirum fomenta, cataplaſmata, linimenta calida, ſpirituoſa, nevrotica, phœnigmi, veſicantia, duciæ, balnea thermalia, concuſſio ab equitatione, curru vectione ; intùs verò diuretica calida ex herbis, radicibus, ſeminibus, balſamis, ſalibus, animantibus eruta, clyſmata acriora, cathartica, emetica, aquæ thermales. Memorata auxilia competunt illis iſchuriæ ſpeciebus, quas faciunt humores craſſi, lenteſcentes, fibrarum atonia, renum, aut veſicæ ſtupor, anæſtheſia, torpor, paralyſis.

Tertium auxilii genus ſubminiſtrat Chirurgia ; ſitum illud eſt in artificioſâ lotii in veſicâ contenti eductione, immiſſo ſcilicet in urethram cathetere cavo, candelâve tubuloſâ ; vel celebratâ, ſi catheteriſmus inſtitui nequeat,

veſicæ paracenteſi ad perinæum, aut ſupra pubem ope acus tricuſpidatæ, rectæ, vel incurvæ, tubulo incluſæ ſimili; encheireſibus memoratis locus eſt in iſchuriâ verâ quâcumque, ſi remediis congruis ſtatim adhibitis auſcultare renuerit, diutiùſque perſiſtat.

Circa iſchuriæ curationem ſatis ſit hæc generaliter delibaſſe. Quid methodo antiphlogiſticæ ſtimulanti, catheteriſmo, paracenteſi addendum ſit in ſpeciebus variis quibus competit horumce auxiliorum genus unum, aut alterum inferiùs ſub qualibet ſpecie declarabitur; iſchurias in quibus locum nullum præfata auxilia inveniunt, ſpecialiſſima ſuo loco manet therapeia.

Iſchuriæ renales.

1. *Iſchuria (nephritica) à renum inflammatione* Schacht. Inſtitut. Med. Pract. lib. VIII cap. I & VIII; Gorteri Syſt. Prax. Med. de Iſchur. Fabric. Hildani de Lithotom. cap. IV; Læl. à Fonte Conſ. 59; Boneti Sepulchret. lib. III ſect. XXIV obſerv. IV §. 3, Schenck. lib. III de Iſchur. falſâ, cap. IV & V; Ettmulleri Coll. pract. pag. 994. A.

Character ſpecificus deducitur ex notis iſchuriæ falſæ genericis & ſignis nephritidis; ſunt hæc ultima dolor lumborum acutus, pungens, pulſans, ardens, in partes vicinas, inferas præcipuè, ut ad veſicam, pubem, genitalia, inguina, femora ſe extendens; ſternutatione, tuſſi, & ſimili corporis commotione, exaſperandus; ſæpiùs continuus, interdum per intervalla remittens; febris acuta, inflammatoria, erraticè exacerbans, cum cibi faſtidio, nauſeâ, vomitu, extremorum, pedum imprimis, frigore, agrypniâ, gravioribuſque aliis ſymptomatibus; teſticuli alterutrius, vel utriuſque retractio; femoris dextri, ſiniſtri, vel utriuſque dolor obtuſus, ſtupor; alvus arctè compreſſa, inflata, borboryzans; trunci erectio, converſio, inceſſus vix poſſibiles; decubitus in latus oppoſitum, & in ventrem difficilior, facilior in latus infirmum & dorſum; præcedit mictio difficilis, teneſmodea, ardens, urinâ primùm tenui, aquoſâ, dein rubrâ, flammeâ, ſemper parcâ, tandem ſuppreſſâ. Rara hæc iſchuriæ ſpecies periculoſiſſima eſt, mortem nunc citiſſimam, nunc lentam quidem, aſt minimè declinandam, de facili inferens; curatur methodo antiphlogiſticâ. Iſchuria quæ interdum contingit in morbis inflammatoriis, ut phrenitide, peripneumoniâ, pleuritide, gaſtritide, rheumatiſmo, in febribus acutis, ardentibus, in paroxyſmo febrium intermittentium; iſchuria quam faciunt materies arthritica, catarrhalis, ſcorbutica, varioloſa, ad renes delata, necnon aperientia acria, ſalia alkalina, inſecta eminenter diuretica, cathartica energica, verbo medicamenta calidiora hinc intelliguntur, atque curantur.

2. *Iſchuria (nephrolithica,) à renum calculo* Schacht. lib. citat. cap. II & VIII; Gorteri libr. citat. de Morb. renum; Car. Piſon. de Morb. à colluv. ſeroſâ; Schenck. de Iſchur. Boneti Sepulchret. de urin. ſuppreſſ. & Medic. Septentrional. de Iſchur. &c; &c. A.

Signa iſchuriæ nothæ generica, necnon calculi renalis hanc ſpeciem determinant;

minant; ſigna calculi renalis ſunt dolor in lumbis fixus, ſtabilis, niſi per ilia ad pelvim, vel teſtes excurrat, ſæpiùs gravativus, interdum acerbiſſimus, & infixi aculei more pungens, ſub decubitu in partem affectam minor, in oppoſitam augeſcens, poſt aſſumptum cibum, & corporis motum exaſperatus, jejuno vantriculo, & quiete remittens; febris nulla, utique initio; teſtis retractio, femoris ſtupor, trunci incurvatio; anorexia, flatulentia, nauſea, vomitus, alvi adſtrictio, pulſus durus, paroxyſmi nephralgici, recurſantes, dyſuria, ſtranguria frequenter affligens, excretio urinæ cruentæ, muco, membranis floccis, ſabulo, lapillis refertæ, calculus antea excretus, ortus à parentibus calculoſis, podagra prægreſſa; paroyſmo iſchurico præit urina tenuis, acris admodum, dolorifica, pauca. Hujuſce ſpeciei frequentiſſimæ, & cum colicâ affiniſſimæ lubrica eſt diagnoſis. Signum calculi renalis certum nullum dari vult *Joan. Baptiſt. Silvaticus*; non ſemel docuit anatome in renibus hæſiſſe calculum, de quo ne vel minima ſuſpicio per vitam aderat.

Iſchuriæ nephrolithicæ, quæ graviſſima eſt & in renis inflammationem, apoſtema non raro abit, competunt methodus antiphlogiſtica, & maximè opiata. Vitanda diuretica calida, ſtimulantia, tonica, adſtringentia. Nephrotomiam admittit calculus renalis in eo tantùm caſu, ubi inflammationem à calculo accerſitam excepit apoſtema protuberantiâ & fluctuatione in lumbis inſignitum. Hujus loci non ſunt quæ ad novi calculi geneſim præcavendam ab Auctoribus commendantur. Renes à calculo perforatos fuiſſe, ſuccedente immedicabili iſchuriâ, *Mercatus* teſtatur.

In Nephrolithica ſeu arenuloſa iſchuria ſucci petroſelini unc. iij, ſuccus expreſſus ex xxx millepedibus, olei terebenthinæ ſemi-drachma, & lilii Paracelſi drachma, hæc mixta & ſumpta in balneo promoverunt ejectionem centum lapillorum piſi magnitudine, quorum ulterius ſexcenti intra tres menſes ejecti fuere. *Journ. de Med. Octobr. 1756.*

3. *Iſchuria* (*nephroplethorica*) *Renalis à plethorâ* River. Cent. 1 obſerv. 1 & 89. Ettmuller. Schacht. loco citat. Gaubii Pathol. de vit. miction. Ludwig. Inſtit. Med. Clin. Seb. Naſii ſpecul. method. med. pag. 167. A.

Virum temperamenti ſanguinei, & habitûs athletici poſt confectum calidiſſimis æſtivis diebus longum iter, corripit iſchuria notha, clyſteribus, fotibus, linimentis, ſemicupiis, diureticis, immorigera; nulla aderat febris, nullus dolor in lumbis, in pube; hactenus affectu renali quocumque & urinarum vitio omni immunis vixerat æger; una *Riverio* accuſanda videtur plethora; mittitur ſanguis largâ manu; vix elapſa à venæ ſectione horâ urinam à renibus in veſicam deſcendentem perſentiſcit æger, & tantâ paulò poſt profundit copiâ, ut intra horæ ſpatium, nullo alio adhibito remedio plenariè convaleſcat. Ex plethoræ ſignis & therapeia diſcito hanc iſchuriæ ſpeciem noſſe, ac debellare.

4. *Iſchuria* (*lunatica*) *Renalis lunatica* Tulpii, obſerv. med. lib. II cap. 49. C.

Urina viro ſupprimebatur quolibet fermè plenilunio, cum inſigni angu-

 ſtiâ,

ſtiâ, corporis incendio, febre; perſiſtebant ad diem quintum utplurimùm jam dicti ſymptomata, ſi ſibi relinqueretur æger, neque redibat urinæ effluxus, niſi lunâ decreſcente, vel ſectâ brachii venâ. Tantæ erant efficaciæ ſanguinis miſſio, ut ea adhibita ſtatim excerneretur lotium. Aperto cadavere, inventa eſt renis ſiniſtri pelvis in eam amplitudinem excreviſſe, ut vicem veſicæ urinariæ commodè ſuppleret; hinc iſchurici paroxyſmi tempore tam veſica fuit vacua quàm ren ſiniſter repletus. *Vide Auctorem citatum.*

5. *Iſchuria* (*nephroſpaſtica*) *Renalis ſpaſmodica* Schacht. Gorter. lib. citat. Sydenham Diſſert. Epiſt. tom. 1. Raulin des Malad. Vapor. Mem. de l'Acad R. des Sc. ann. 1715. A.

Ex conſenſu, convulſione, paſſione hyſtericâ, hypochondriacâ, dolore vehementi ventris, capitis, lumborum, inteſtinorum, coxæ, uteri, menſtruatione, dentitione ſiſtitur non raro urinæ ſecretio. *Gorter. Syſt. prax. medic. de Iſchuriâ;* Dignoſcitur ſpaſmodica iſta ſpecies ſignis pſeudo-iſchuriæ genericis & ſpaſmi renalis præſentiâ. Fibras renales ſpaſmo tentari colligitur ex præſente morbo ſpaſmodico, aut inſigniter dolorifico; ex ægri hyperæſtheſi, mobilitate, ex cauſis prægreſſis, ex ſignorum abſentiâ ſpeciebus aliis renalibus propriorum, ex dolore renali vivido, ambulatorio, fugaci. Curationem ſubminiſtrant antiſpaſmodica, anodyna remediis, quantum res poſtulat, maritata, quæ ſocius jubet morbus ſpaſmodicus, aut dolorificus.

6. *Iſchuria* (*nephrelmintica*) *Renalis verminoſa* Gorter. lib. citat. Gaubii Pathol. de vit. miction. A.

Vermes in renibus repertos, & cum urinâ excretos fuiſſe teſtantur *Gentilis*, *Fernelius*, *Hollerius*, *Zacutus Luſitanus*: His poſſe in renibus obſtructionem produci, & exinde iſchuriam nemo ſanè inficiabitur. Suppreſſam ex hac cauſâ urinam agnoſcunt *Gorterus* & *Gaubius.* Rariſſimam hanc ſpeciem nec nephralgia, neque aliud ullum ſymptoma deſignat, ſolo eventu cognoſcendam. Curationi ſuperſedemus. Vidi vermiformes tubulos à cruore in ureteribus concreto effictos.

7. *Iſchuria* (*nephrothromboides*) *Renalis à ſanguine congrumato* Mercati de Morb. inter. cur. cap. 12; Ettmulleri de læſ. urin. ſecret. pag. 314; Fernelii Pathol. libr. VI. cap. 13; Gorteri, Gaubii loc. citat. A.

Rarior eſt hæc ſpecies quam iſchuria grumoſa, ureterica & vera; hanc cognoſces ſignis pſeudo-iſchuriæ genericis, dolore in lumbis, hæmaturiâ præviâ, cauſâ prægreſſâ, ut ſi percuſſionem, lapſum, ponderis maximi elevationem, longam, validamve equitationem iſchuria exceperit; his accedunt graviſſima ſymptomata, uti pallor, pulſus parvus, obſcurus, anxietates, virium concidentia, rigor, febricula, nauſea, animi defectio, ſudores frigidi, &c. Curationem vide apud *Mercatum.*

8. *Iſchuria* (*Nephropyica*) *à Renum purulentia* Schenck. lib. III. de ren. tumorib. Gorteri, Gaubii, loc. citat. Bonet. Sepulchr. de urin. ſuppreſſ. Salii Diverſi de affectib. particularib. cap. 14. A.

Cognoſcitur hæc ſpecies notis pſeudo-iſchuriæ genericis & ſignis re-

nes

nes purulentiâ tentari commonſtrantibus ; hæc ultima eruuntur ex prægreſſis, nephritide contumaci, pulſatili, nephralgiâ acredinoſâ & maximè calculo, ex apoſtemate exinde orto, ex ſuperſtite caloris & doloris ſenſu in lumbis, ex horroribus, febriculâ, & nonnunquam lumborum tumore fluctuante, ex urinâ turbidâ ſubalbicante, cruentâ, graveolente, ad fundum vaſis deponente ſedimentum craſſum, tenax, purulentum, flocculentum, membranoſum, carnoſum aliquando, quod renum apoſtema præſtat; hoc & etiam, ſi in renes materies purulenta confluxerit, producere potis eſt aliarum partium internarum abſceſſus. Puris craſſitiei debetur renalis obſtructio. Hujus ſpeciei ſanatu difficillimæ curationem inchoant intùs abſtergentia incidentibus maritata, extùs verò laxantia; perficiunt verò, interpoſitis, ſi opus ſit, remediis generalibus & opiatis, edulcorantia, aquæ Vallenſes, Spadanæ, & præprimis balſamica, vulneraria, deterſiva. Diuturnum pulveris uvæ urſi uſum mirè laudat *Clar. de Haen.* Nephrotomiæ tantùm locus eſt cùm tumore & fluctuatione in regione lumbari conſpicuis ſeſe prodit apoſtema; cave protuberantiam ac fluctuationem à lotio ob ureterum obſtructionem congeſto in lumbis excitatas & à *Sebaſtiano Naſio* obſervatas pro apoſtemate vendas.

9. *Iſchuria* (*Nephrophlegmatica*) *Renalis pituitoſa ſeu mucoſa* Salii Diverſi loc. citat. Graſii, Ephem. Natur. Cur. ann. III obſerv. 212; Schacht. Gorteri, Gaubii, Mercati, loco citat. Varandæi de ren. affect. Bonet. Sepulchret. de Iſchur. obſerv. IV, V. A.

Speciei hujuſce diagnoſim ſubminiſtrant pſeudo-iſchuriæ ſigna generica; hujus repentina acceſſio ex *Hippocrate* & *Lommio*, dolor obtuſus, ſeu gravitas in lumbis, ſymptomatum remiſſior multò gradus, temperamentum pituitoſum, prægreſſi morbi mucoſi, evacuationes ſimiles, excreta priùs urina muco referta, apyrexia, abſentia ſignorum pſeudo-iſchurias inflammatoriam, calculoſam &c, commonſtrantium. Raræ huic ſpeciei, de facili aſt citra periculum cum ſubſequenti confundendæ, competunt auxilia ſtimulantia, incidentia in curatione generali memorata.

10. *Iſchuria* (*Nephroplegica*) *Renalis paralytodea* Salii Diverſi, Mercati loc. citat. Horſtii tom. II lib. IV obſerv. 49; Marcel. Donati Hiſtor. med. mirab. libr. IV cap. 28; Bartholini Centur. IV epiſt. 18, 38, 39; Hœchſteter. obſerv. Dec. V. Caſ. 20; Claudii Chaptal Practici Monſpelienſis feliciſſimi. A.

11. *Iſchuria* (*ſuppleta*) *Renalis ab alia evacuatione ſuppleta.* (a) *A diarrhœa & ſudore* Marcelli Donati Hiſtor. medic. mirab. lib. IV cap. 27; Schenck. lib. III. de diabete obſ. 9; (b) *Ab otorrhagiâ* Sennerti ex Platero pract. lib. III part. VIII ſect. II. cap. 9; (c) *A perſpiratione* Vandermonde Journ. de Med. tom. IV; (d) *A ſudore* Vandermonde Journ. de Med. tom. X. A.

Memorat *Marcellus Donatus* hiſtoriam monialis cui per ſex menſes urina ſupprimebatur alvo interim deſcendente; reſtitutâ verò urinâ per menſes quatuor omnimodè cohibebatur alvus. Subſtitit deinceps & lotii & fecum

excretio, reſudante in epigaſtrio ad plurium librarum pondus humore, qui urinam colore & odore referebat.

Narrat *Platerus* caſum puellæ annos natæ tredecim, cui, poſtquam aliquandiù copioſè minxiſſet, urina ſubitò ſupprimebatur, accedente otorrhagiâ ſeroſâ ita uberi, ut per aliquot dies affatim ex aure dextrâ ſæpe ad duas menſuras aqua efflueret; interim bene habebat puella, neque de ullo affectu conquerebatur. Diureticis ac terebinthinatis ad magnam vim elicita eſt urina quæ ſubitò iterùm ſubſtitit, recurrente otorrhagia memoratâ: adhibitâ efficaciori medicinâ, rediit urinæ excretio liberalior primùm, remittente aurium fluxu, poſt modum verò ad copiam nativam, nihil exinde mali perpetiente puellâ.

Legitur apud *Vandermonde* hiſtoria puellæ hyſteriâ per octo menſes maximè vexatæ, cui tandem ſupervenit omnimoda urinæ & fecum ſuppreſſio, quæ clyſmata, balnea tepida, ptiſanam pulli, apozemata laxantia, refrigerantia, potiones oleoſas & diætam humectantem per tres menſes ſolidos aſpernata eſt; primis quidem balneis feces olidiſſimæ cum vermibus & ſanguinis grumis deſcendere cœperunt; pſeudo-iſchuriam, atque alvi ſuppreſſionem fugarunt balnea frigida ad duos menſes protracta, quæ urinam mox cierunt & ſenſim in integrum hujus excretionem reſtituerunt. Quolibet die ægra horas decem in balneo commorabatur, quod ſi glacie injecta magis infrigidaretur, creſcebat urinæ cum ardore minori tunc emiſſæ quantitas; deficientem lotii excretionem ſupplebat perſpiratio cutanea.

Obſervationem aliam habet *modò laudatus auctor* de muliercula annos circiter 50 nata, cui repente alvus & urina prorſus reſtricta ſunt. Fruſtra fuerunt diuretica; cathartica etiam valentia pluries ano injecta ex ore aſſumpta nullam præter ſudorem, evacuationem excitarunt. Naturæ commiſſa paupercula, ſine febre, dolore & ferè citra morbum annos ſeptem vixit, nec per anum, nec per urethram quidquam emittens. Interim excretionum harumce defectum ſupplebant ſudores univerſales copioſiſſimi, fœtidiſſimi, nunc die quolibet, nunc quovis biduo, triduove erraticè recurrentes & ad duas treſve horas continuati. Toto hocce tempore alimenta omnigena, integro appetitu, voravit ægra, vultu florida, imò pinguefacta, lecto tamen præ debilitate affixa, contra ſpem omnem ſpontaneè cœpit alvus deſcendere, urina effluere, ceſſante tunc ſudore & redintegratâ penitus ſanitate, quæ ad ſex, ſeptemve annos illibata perſtitit.

Miſſis iſchuriæ renalis ſpeciebus aliis, quæ vel ab Auctoribus minùs benè deſcribuntur, vel è præcedentibus facile poſſunt intelligi ad iſchurias uretericas ſermonem convertimus.

Iſchuriæ uretericæ.

Iſchurias inter renales & uretericas limites certos ſtatui non poſſe ſuperiùs diximus, collectis quantum penes nos fuit ſignis conjecturalibus, quibus ambæ poſſunt ab invicem utcumque diſterminari. Monuimus etiam eadem

dem ferè methodo utraſque impugnari, quotieſcumque cauſæ ſimili natales debent. Porrò cum vix ac ne vix quidem vitium ſit iſchuriam uretericam inducens, quod renalem non excitet, ſi renibus hæſerit, uretericas tantùm memorare ſatis eſſe ducimus, unius cujuſque diagnoſim ac therapeiam mutatis mutandis, ſubminiſtrante iſchuriâ renali ſimili. Ex iſchuriis nephreticâ, nephrolithicâ, nephrothromboide, nephrophlegmaticâ & nephropyicâ, nec non ex iſchuriarum uretericarum ſignis conjecturalibus intelliguntur iſchuriæ ſequentes uretericæ.

12. *Iſchuria* (*ureteritica*) *ureteritica inflammatoria* Salii Diverſi loc. ſupra citat. Ludwig. Inſtit. Clin. Gaubii pathol. de vit. mictìon. Schachtii inſtit. practic. de Iſchur. ſpur. &c. A.

13. *Iſchuria* (*ureterolithica*) *iſchuria ureterica calculoſa* Tulpii obſerv. med. lib. II cap. 45; Monro Eſſais d'Edinburg tom. VI art. 68; Boneti Sepulchret. lib. III de urin. ſuppreſſ. Schenck. lib. III de ureterib. Salii Diverſi loc. citat. &c. A.

14. *Iſchuria* (*uretero-thromboides*) *iſchuria ureterica à ſanguinis grumo* Salii Diverſi, Schachtii, Gaubii loc. citat. Boneti Sepulchret. de urin. ſuppreſſ. obſ. 1 &c. A.

15. *Iſchuria* (*uretero-phlegmatica*) *ureterica à pituitâ* Gorteri prax. med. ſyſt. Schachtii, Salii Diverſi loc. citat. Boneti Sepulchr. de urin. ſuppreſſ. Sebaſt. Naſii Spec. meth. med. loc. citat. Epiphan. Ferdinandi hiſtor. 97. &c. A.

16. *Iſchuria* (*ureteropyica*) *ureterica purulenta* Gorteri lib. citat. de ureter. morb. Schachtii, Salii loc. citat. &c. A.

Has itaque ſpecies deſcriptione ac curatione ſingularibus perſequi ſupervacaneum eſt.

17. *Iſchuria* (*ureteroſtomatica*) *ab orificii ureterum inferioris clauſurâ* Theod. Elleri Miſcell. Berolin. Tom. IV pag. 381; Verdieri ex Noel Mem. de l'Acad. de Chirurg. tom. II obſerv. 17; Lieutaud Mem. de l'Acad. R. des Sc. ann. 1753; Franc. Sylvii Deleboe prax. med. lib. II; Saltzmanni obſerv. anat. pag. 62. A.

Poſſe ureterum orificium veſicale calculo, ſanguinis grumo, muco, pure obſtrui, patet ex jam allegatis ſpeciebus; hîc verò ſpeciatim verba facere de iis iſchuriis volumus, quas oris ureterum inferioris ſumma conſtrictio, coalitus, vel obturatio inducunt.

Vidit *Noel* puellam pluribus diebus iſchuriâ frequentibus motibus convulſivis ſtipatâ vexatam; aderat exocyſte ſeu prolapſus tunicæ veſicam interius obveſtientis, quæ per meatum urinarium erumpens, ſacculum ſiſtebat ovuli gallinacei magnitudine, diaphanum, tenuem, humore limpido refertum. Aperto cadavere inventi ſunt ureteres ita dilatati, ut colon adulti craſſitie æquarent; occluſus erat ipſorum ad veſicam introitus; veram urinam continebat ſacculus inter vulvæ labia conſpicuus.

Invenit *Saltzmannus* in puero iſchuriâ laboranti ureteres ſero diſtenſos; ad

ad veſicam verò anguſtiſſimos, ita ut ſtylum exiguum non niſi vi admitterent.

Credit *Lieutaud* ab intumeſcentiâ trigoni veſicæ inflammatoriâ aut aphlogâ obturari poſſe ureterum orificia, ſubſequente iſchuriâ ſatis frequenti, inter renalem & veſicalem mediâ ſeu uretericâ.

A calculo unico magno, aut pluribus mediocribus veſicæ cavitatem replentibus iſchuriam inductam obſervavit *Sylvius Deleboe*, ureterum ampliatorum, & ad renes uſque urinâ diſtentorum orificiis per lapidea hæc concreta obturatis.

Aliis præter memoratas ureterum noxis iſchuriam deberi aſſerunt Auctores, ut partium ureteribus adjacentium vitiis multigenis *Schachtius*, *Gaubius*; flatibus colon diſtendentibus, *Ludwigius*, *Varandæus*, *Sennertus* &c. Hæ ſpecies, quoniam memorantur potiùs quàm deſcribuntur, idcircò prætermittuntur.

Iſchuriæ Veſicales.

18. *Iſchuria* (*Cyſtitica*) *à veſicæ inflammatione* Schacht. inſtit. practic. Mem. de l'Acad. R. des Sc. *ann. 1704*, *1753*; Boneti Sepulchr. lib. III de urin. ſuppreſſ. Foreſt. lib. XXV obſerv. 27, 28; Zacuti Luſitani ex Galeno Hiſt. med. princ. lib. II Hiſt. 150. A.

Inflammatio veſicæ ſphincterem, vel ex *Lieutaud* ipſius uvulam occupat; addit *Schachtius* hujus tunicas. Diagnoſim hujuſce ſpeciei ſiſtunt ſigna iſchuriæ veræ generica, ut hypogaſtrii intumeſcentia, renitentia &c, urethræ perviatio, nec non cyſtitis. Cyſtitidis notæ ſunt febris acuta, fervida, dolor acerbus, ardens ad perinæum, accedente interdum hujuſce partis rubore, diſtenſione; dolor pariter & ardor ad pubem & exinde ad umbilicum perveniens; dyſuria maxima, ſæpiſſime verò iſchuria ſummo ſtipata meiendi deſiderio ac conatu; alvus adſtrictior, teneſmus maximus, catheteris ultra veſicæ collum immittendi impoſſibilitas, vigiliæ, delirium, vomitus bilioſus, extremorum frigus. Hoc habet peculiare iſchuria ab inflammata veſicæ uvula ſoboleſcens, quod catheteri non objiciatur reſiſtentia, niſi ſuperatis proſtatâ & ſphinctere, atque ita ipſo intra veſicam nonnihil jam adacto; & quod obicem cathetere non ſuperandum injectio removeat, ſubſequente urinæ effluxu. Periculoſiſſima eſt hæc iſchuriæ ſpecies, quâ gangræna, abſceſſus ſæpiſſimè excitantur. Convenit methodus antiphlogiſtica; malo verò perſtante, tentanda eſt catheteris immiſſio lenis, cautiſſima: tandem ſub hujus in veſicam adigendi impoſſibilitate, paracenteſis ad perinæum vel ſupra pubem celebranda, ope acûs apice tricuſpidatæ, & tubulo incluſæ hic rectæ, illic rectæ etiam & præprimis incurvatæ. Optima *Sharp Recherches critiques &c* habet monita circa veſicæ paracenteſim in hypogaſtrio inſtitutam; adverſus iſchuriam ab inflammatâ veſicæ uvulâ in locum catheteris ad urinam educendam fruſtra adhibiti fauſto cum ſucceſſu injectiones ſuffecit *Clar. Lieutaud.*

19. *Iſchuria* (*Cyſtolithica*) *à veſicæ calculo* Tulpii obſerv. med. lib. IV cap. 37; Eſſais d'Edinburg tom. IV; Foreſti lib. XXV obſ. 23; Fabric. Hildani

Hildani Cent. III obſerv. 67. Car. Piſonis de morb. à colluv. ſeroſ. Boneti Sepulchret. de urin. ſuppreſſ. obſerv. X, &c, &c. A.

Hanc iſchuriæ cyſticæ ſpeciem facit calculi veſicalis præſentia, quem cognoſces vagâ circa pubem & perinæum titillatione, vel ponderis ſenſu in iiſdem locis, inceſſu cruribus divaricatis; erectione penis, frequenti teneſmo, dyſuriâ, ſtranguriâ, mictione cruentâ maximè poſt equitationem, vel curru vectionem, dolore poſt mictum in toto urethræ ductu vel ad extremum tantum balanum percepto; genitalium ab ægro crebriùs contrectandorum pruritu; iſchuriâ frequenti, fugaci; mictione crebrâ, derepente, poſtquam ea inſtitui cœpit, interciſâ, mutatâ corporis poſiturâ interdum, vel immiſſo cathetere haud ægrè revocandâ; urinâ craſſâ, albâ, turbidâ, ſub decubitu horizontali faciliùs fundendâ. Symptomata jam dicta modò ſæviora ſunt, modò mitia & obſcura, quin etiam nulla, præſente in veſicâ calculo non ſemel obſervata, per intervalla ſæpiùs, imò poſt inducias nonnumquam longiores recurrentia; his ſignis certitudinem addunt, quantùm fieri poteſt, maximam exploratio ope digiti in anum apud pueros, in vaginam apud mulieres immiſſi, & catheteriſmus, quo nulla datur via ad calculum veſicæ cognoſcendum univerſalior, certior, licet errorem etiam ſub quibuſdam caſibus admittere poſſit. Hypogaſtrii intumeſcentia, renitentia non obſervantur in hac ſpecie, niſi perſtiterit ſatis diù urinæ ſuppreſſio. Calculi in veſicâ remanentis augmentum inevitabile, preſſio, attritus in veſicam, acris calculoſorum urina, irritationi, doloribus vividis, inflammationi, ſuppurationi, ulceri veſicæ anſam præbent. Iſchuria hujuſcemodi ad tempus fugatur, mutatâ corporis poſiturâ, repulſo per catheterem calculo, cujus radicalis curatio, vel ex lithotomiâ, repetenda, vel juxta *Whitte*, *Lieutaud* alioſque graviſſimos viros, quibus contradicit *Clariſſim. de Haen*, ex aquæ calcis & ſaponis uſu diuturno. Palliativam methodum ſiſtunt diluentia, lenientia, mucilaginoſa, oleoſa, opiata, lithontripticum Whittianum, & ex *Clar. de Haen* uvæ urſi pulvis.

20. *Iſchuria* (*cyſtoſpaſtica*) *à ſphincteris veſicæ ſpaſmo* Mercati de morb. intern. cur. lib. IV cap. 22; Sebaſ. Naſii ſpecul. method. med. part. II pag. 267; Nenteri de Iſchur. Schachtii, Gorteri, Gaubii, Varandæi, loc. citat. A.

Cognoſcitur hæc ſpecies ex ſignis iſchuriæ veræ genericis, urethræ libertate, & ſpaſmi ſphincterici præſentiâ. Conſtrictionis hujuſce ſpaſmodicæ, quæ nunc idiopathica eſt, nunc verò ſymptomatica, notitia eruitur ex perinæi exploratione, quod durum apparet, dolore ad veſicæ collum, ei ſimili, qui ex calculo ibidem impacto ſolet accidere, diverſo tamen in eo quod continuus ſit in hac ſpecie; nuſquam accedat copioſa mictio, & cathetere aut candelâ immiſſis exaſperetur; ex inteſtini recti condolentiâ, ex mictione ſtillatitiâ, dolore colli veſicæ continuo, acerbiſſimo ſtipatâ, ſub violentâ omnium potentiarum urinam expellentium actione, tandem ex cauſâ, ut ex plethorâ, ex ſuppreſſis catameniis, hæmorrhoidibus, ex ictu, puncturâ, ſolutâ unitate hujus partis minùs bene tractatis. Curationem ſubminiſtrant me-

thodus antiphlogiſtica, opiata, antiſpaſmodica, & catheteris prudens immiſſio.

Ad hanc ſpeciem referatur iſchuria quæ colicam, ileum, enteritidem comitatur; *Morgagni Epiſt. XXXIV. 8.*

21. *Iſchuria (cyſtoplegica) à veſicæ paralyſi* Lieutaud compend. medic. de Iſchur. Zacut. Luſitan. ex Galeno Hiſt. princ. Hiſt. 140; Mangeti Biblioth. Medic. pract. tom. IV; Serane Theſ. pro Reg. Cathedr. Hollerii de morb. intern. capit. 47; Amat. Luſitan. cent. IV cur. 10; Pringle, Eſſais d'Edinbourg. tom. 2. artic. 32. A.

Locum habet hæc ſpecies, ſive veſicam teneat ſtupor, anæſthesia, ſive muſculares ipſius fibræ paracineſiâ perfectâ vel imperfectâ reſolvantur; ſive concurrat utrumque vitii genus. Hanc cognoſces notis iſchuriæ veræ genericis, urethræ libertate, & ſignis veſicæ torporem, paralyſim indigitantibus; hæc ultima eruuntur ex prægreſſis, qualia ſunt ictus, lapſus in columnam vertebralem, luxatio vertebrarum, medullæ ſpinalis vulnus, protuberantiæ nervos in ea parte afficientes, vita in locis humidis, mora in aquis frigidioribus, applicata ad veſicæ regionem, alterius mali gratiâ, præſidia frigidiſſima, affectus paranoici, ſoporoſi; ex ætate ſenili, ex abſentiâ doloris & ſenſûs ab urinâ excitandi in veſicâ repletâ, & diſtenſâ; ex partium aliarum ignaviâ, frigiditate, reſolutione; ex mictione tuſſim, nixum validum ſimilem & præprimis hypogaſtrii preſſionem ſubſequente; ex deficientibus iſchuriæ cyſtophlegmaticæ notis. Valent ſigna hujuſcemodi in iſchuriâ nervorum veſicæ ſenſoriorum tantùm, vel ſenſoriorum ſimul & motoriorum reſolutioni natales debente: ſi verò afficiuntur dumtaxat nervi motorii, è modò tradito charactere expungenda venit abſentia doloris & ſenſûs, ab urinâ excitandi in veſicâ repletâ ac diſtentâ, quæ ſub hac circumſtantia & dolet & ab urinæ ſtimulo moleſtatur. Caſum iſchuriæ à veſicæ torpore inductæ, dyſuriam diuturnam & gradariè creſcentem urinæ paucitatem tandem excipientis, in viro ſexagenario fluxum hæmorrhoidalem diu paſſo à muliercula perperam cohibitum, nobiſcum pro ſuâ humanitate communicavit *clar. Chaptal.* Dyſuriæ tempore ægro tumebat ac dolebat proſtata, hypogaſtrium tenebat protuberantia circumſcripta, dura, indolens, pro ſcirrho artis peritis imponens, urinæ quotidie partim in veſicâ reſtitanti & ſenſim collectæ natales debens, educto per catheterem lotio evanida, brevi dein reditura; urinâ difficilius, parciùs in dies fluente, acceſſit demùm iſchuria; ceſſante penitus urethræ ardore ac dolore, aſſiduo catheteris uſu per duos menſes citra ullum ſenſum exonerata eſt veſica; quibus elapſis tandem ſupervenit febris acuta exacerbans, quâ die undecimo ſoluta eſt iſchuria & rediit nativa urinæ excretio. Præſidio ſunt in hac ſpecie gravi quidem, aſt non ſemel curatâ, catheteriſmus repetitus, remedia antiparalytica varia, interna & externa; inter externa eminent thermarum Bellilucanarum aqua, lutum, quibus fovebitur hypogaſtrium, perinæum, nec non earumdem aquarum purarum aut aquâ ſimplici plus minus temperatum facta in veſicam inje-

injectio, cùm vitio chirurgico natales debet iſchuria; hujuſcemodi modò memoratis addenda venit vitii topici ſpecialis therapeia.

22. *Iſchuria (polyurica) à veſicâ lotio diutiùs cohibito diſtentâ.* Halleri Prælect. in Boerhaave Tom. II §. 384 pag. 336; Foreſt. Libr. XXV. obſerv. 14. Nenter. de iſchuria; Paræi Lib. XVI cap. 48; Sennert. Pract. Lib. III part. VIII ſect. I cap. 4. Ettmulleri, Riverii, Varandæi de iſchur. &c. A.

Hanc iſchuriæ ſpeciem in quam incidunt, qui negotiis, loco, verecundiâ ab urinâ fundendâ arcentur, ipſamque ſponte diutius cohibent, ſiſtunt character iſchuriæ veræ genericus, voluntaria urinæ cohibitio ex ægri relatu accipienda, dolor ad veſicam maximus, aſſiduus ad urinam fundendam ſtimulus, ſubſequente fruſtraneo conatu, mictio ex hypogaſtrii ſummè diſtenti preſſione ſuccedens, cauſarum abſentia quibus aliæ ortum debent iſchuriæ veſicalis ſpecies. Gravis eſt hæc urinæ ſuppreſſio, niſi promptè malo obviam eatur, veſicæ atoniâ, contractionis defectu, inflammatione, abſceſſu, gangrænâ terminari ſolita. Curatio ex præcedenti ſpecie & cyſtitica intelligitur. Fœtus in orificio uteri longiores moras nectens apud mulieres dyſtocicè parturientes ſimilem inducit iſchuriam ex *Riolano. Vide ſpeciei 28 varietatem 2am.*

23. *Iſchuria (cyſtopyica) veſicalis purulenta* Felic. Plateri Mantiſſ. obſ. 29; Camerar. Ephem. Nat. Curioſ. Tom. II; Zacuti Luſitani ex Galeno, Hiſt. Medic. princip. hiſt. 148; Hollerii de morb. intern. cap. 47; Sebaſt. Naſii Specul. method. med. part. II pag. 167; André des maladies de l'urethre obſerv. 16; Vandermonde Journ. de Med. Tom. IX. A.

Hæc ſpecies quæ à veſicæ apoſtemate, ulcere proficiſcitur, in plurimis convenit cum iſchuria nephropyica; ab eâ verò diſcrepat notis iſchuriæ veræ genericis, nec non ſignis purulentiæ veſicæ hærentis. Ab ulcere renum diſtinguitur veſicæ ulcus loco doloris ad veſicæ collum, in pube, perinæo, perſentiendi, tactu, mictione, corporis inflexi erectione exaſperandi, doloris ejuſdem gradu majori, continuitate, ſede protuberantiæ in perinæo, ſi hæc adſit etiam obſervandæ, cupiditate & difficultate urinæ majoribus, teneſmo, erectione penis frequenti, urinâ pus minùs cruentum, minùs cum ipſâ commixtum ac confuſum, graveolentius, citra lotium, aut ante ipſum quandoque prodiens, & nonnunquam ſquamas furfuraceas ac membranulas vehente. Poteſt etiam hæc ſpecies renum, imò & aliarum partium apoſtemati, ulceri deberi; ſi nempe materies purulenta copioſa, tenax, veſicæ collum occludat ipſi impacta, quod apoſtematis & ulceris prædictorum ſignis nec non generico iſchuriæ veræ charactere dignoſces. Vix ſaneſcit præſertim in ætate provecta veſicæ ulcus quod fugatâ ope catheteris nec non abſtergentium attenuantibus maritatorum ore aſſumptorum & veſicæ injectorum iſchuriâ, remediis in renum purulentiâ propoſitis impugnandum venit, additis repetitis per catheterem injectionibus edulcorantibus deterſivis.

24. *Iſchuria (cyſtothromboides) veſicalis à ſanguinis grumo*, Claudini Conſult. 141; Fabric. Hildani Cent. III obſerv. 66; Foreſti Libr. XXV obſ. 20;

 Zacuti

Zacuti Luſitani ex Galeno Hiſt. Med. princip. hiſt. 145, & ejuſdem Prax. Med. admirab. Lib. II. cap. 65; Mercati de morb. intern. cur. cap. 12. A.

Hanc ſpeciem indigitant hæmaturia prævia, prægreſſæ cauſæ in iſchuria nephrothromboide aſſignatæ, graviſſima ſymptomata ſub eadem ſpecie memorata. Iſchuriæ veræ ſigna generica, urina, ſub catheteris ad uſque veſicæ collum liberè adigendi immiſſione, fluens parvâ copiâ, & cum ſanguinis ramentis, os catheteris eductì cruentatum. Curationem ſuppeditant catheteriſmus, cardiaca, & quæ ſanguinem valent ſolvere epota, injecta, applicata. *Vide Mercatum, Foreſtum, Zacutum*, &c.

25. *Iſchuria (cyſtophlegmatica) veſicalis à muco* Mercati loc. citat. Schacht. Inſtit. Medic. pract. lib. VIII. cap. 9; Ettmulleri de iſchur. veſical. Amati Luſitani Cent. VI cur. 12; Zacuti Luſitani Prax. Medic. admirab. lib. II obſerv. 64; Boneti ex Thom. Bartholino de urin. ſuppreſſ. obſerv. 17. A.

Ex urinâ turbida muco refertâ ante excretâ, ex vitæ genere alimenta recipiente craſſa, viſcida; ex prægreſſis morbis pituitoſis, ex temperamento ſimili, verbo ex ſignis diatheſeos pituitoſæ in iſchuriâ nevrophlegmaticâ memoratis; ex urethræ perviatione, & ex notis iſchuriæ veræ genericis cognoſcitur hæc ſpecies, remediis ſtimulantibus, incidentibus & catheteriſmo curanda.

26. *Iſchuria (ectopocyſtica) à veſicæ ectopiâ. (a) Hernioſa, ſeu à cyſtocele*, Verdier Mem. de l'Acad. de Chirurg. Tom. II obſerv. 4, 6, 9, 10, 14; Felic. Plater. obſerv. pag. 830; (*b*) *Proptoica, ſeu ab exocyſte*, Verdier ex Noel lib. citat. obſ. 17. A.

Comitatur hæc ſpecies veſicæ urinariæ herniam, & tunicæ ipſius interioris prolapſum. Igitur, exulantibus iſchuriæ veſicalis cauſis aliis, hujus diagnoſim ſubminiſtrant urethræ perviatio, & iſchuriæ veræ, nec non cyſtocelis vel exocyſtes ſigna. Binæ hujuſce ectopiæ notas exhibent *Verdier, Saltzmanni, Dapples Diſſertationes de veſic. urinar. hern. ſeu de cyſtocele*; exinde etiam iſchuriæ ectopocyſticæ petenda curatio.

27. *Iſchuria (cyſtoproctica) veſicalis ab inteſtino recto, ſcybalis, calculo, flatibus, inflammatione, abſceſſu, hæmorrhoidibus turgente* Dodonæi Obſerv. Medic. cap. 47; Schenck. lib. III de iſchur. obſerv. 6; Wepferi Diſſert. de apopl. pag. 391; Vandermonde Journ. de Med. Tom. IX pag. 261; Boneti Sepulchret. de urin. ſuppreſſ. obſerv. 18 §. 4; Schacht. Gaubii loc. citat. A.

Signa iſchuriæ veræ generica, inteſtini recti conditio varia, cum ſymptomatibus vitia ipſius modò memorata ſtipare ſolitis, urethræ perviatio, cauſarum iſchurias alias veſicales inducentium abſentia hanc ſpeciem determinant; ex principiis in nomenclaturâ recenſitis haud ægrè eruitur varia quæ iſchuriæ hujuſcemodi competit curatio, in malo contumaciori peritâ catheteris immiſſione opus eſt. *Vide hiſtorias allegatas.*

28. *Iſchuria (hyſterocyſtica) veſicalis ab utero, (a) Gravido*, Nordmann. Diſſert. de Iſchur. gravidar. Mauriceau lib. I cap. XV; Roderici à Caſtro Lib. II cap. XV. (*b*) *Parturiente*, Boneti ex Riolano de urin. ſuppreſſ. Vandermonde

dermonde ex Daran, Journ. de Med. tom. V. (*c*) *Hydropico*, Hippocrat. de morb. mulier. lib. 12; Sennerti Pract. Lib. IV part. I ſect. II cap. X. XI. Schenck. Lib. IV de mol. falſ. Schachtii, Gaubii loc. citat. (*d*) *Tumoribus diſtento*, Gaubii, Schachtii, loc. citat. Sennerti ibidem, ac ſupra cap. XIII; Knoeffelii E. N. C. ann. IV. (*e*) *Prociduo*, Nordmann. Diſſert. citata; Sabatier Mem. de l'Acad. de Chirurg. Tom. III; Sennerti ibid. ac ſupra cap. XVI. A.

Uterus foetu, molâ, ſanguine, ſero, flatu diſtentus, inflammatione, ſcirrho, cancro dilatatus, prolapſu, inverſione è ſede nativâ emotus, factâ in veſicæ collum, & quandoque etiam in urethram preſſione, iſchuriæ hujuſcemodi anſam præbet. Cognoſcitur hæc ſpecies notis iſchuriæ veræ genericis, graviditatis præſentiâ, partu imminente, hydrometrâ; protuberantiarum uterinarum, hyſteroptoſeos, verbo memoratorum uteri affectuum ſignis, tandem cauſarum defectu iſchurias veſicales alias inferentium. Iſchuriæ à graviditate proſpicit ſitus horizontalis & reclinatus, abdominis ab oſſibus pubis ope manuum remotio, elevatio, & his non proficientibus, catheteriſmus aſſiduus ad imminentem uſque partum continuatus. In iſchuriâ quam facit partus laborioſus diuturnior urget profectò lotii educendi neceſſitas: verùm obſtat catheteris vulgaris in veſicam adigendi difficultas, impoſſibilitas: in his rerum anguſtiis cum bonis ægræ rebus in catheteris metallici locum candelam tubuloſam ſuffecerunt *Daran* & *Levret*. In iſchuriâ ab hyſteroptoſi præſidio ſunt decubitus, uteri repoſitio, in ſede nativâ firmatio. *Vide Sabatier*, *Puzos*, *Levret*, &c. Secunda & tertia hujuſce ſpeciei varietas catheteriſmum & affectuum uteri memoratorum curationem expoſtulat, apud *Sennertum*, *Mercatum*, *Aſtrucium de mulierum morbis* legendam.

29. *Iſchuria (atretarum) urethrocyſtica à menſtruis in vagina retentis* Amyand Tranſact. Philoſ. ann. 1732 n°. 442 art. 8 pag. 45; Schenck. lib. IV. de part. genit. mulier. obſerv. 9; Heiſter. Chirurg. Tom. II pag. 951; Aſtruc de morb. mulier. Tom. I lib. I. cap. 5. A.

Notæ iſchuriæ veræ genericæ, ſanguinis uterini retentio in vaginâ per membranam, per carnem craſſam ac denſam, per parietum vaginæ, caruncularum myrtiformium, labiorum vulvæ inferiorum concretionem clauſâ, hanc ſpeciem deſignant. Fortior coalitus ope carneæ ſubſtantiæ denſioris difficulter curatur; clauſuris vaginæ reliquis, aut ſanguinis congeſti vis, aut coitus, aut chirurgia medentur; partium concretarum ſeparatione, membranæ prætenſæ ſectione, ſanguini retento via reſeratur, & iſchuria inde oriunda tollitur: *Vide Heiſterum* & *Aſtrucium loc. citat.*

Aliæ præter memoratas, apud Auctores occurrunt iſchuriæ veſicalis ſpecies; ut iſchuria à tumoribus veſicæ glanduloſis & ſphincteris ipſius calloſitate *Keiſelii Eph. Nat. Cur. Dec. II. an. 2.* Iſchuria à carunculis è reſolutâ renum ſubſtantiâ oriundis, & veſicam obſtruentibus *Schenckii ex Hercul. Saxonia*, *lib. 3 de ren. caruncul.* Iſchuria ab incruſtatione veſicæ calculoſâ *Schachtii de iſchuria.* Iſchuria à protuberantiis intra veſicam enatis,

ipſiuſque collum claudentibus *Boneti Sepulchret. de urin. ſuppreſſ. paſſim.* (Huc iſchuria à veſicæ fungo *Schachtii*, iſchuria à veſicæ varicibus *ejuſdem*, iſchuria à tumore inſolito è veſicæ infernæ parietibus intùs enato *Macgill Eſſais d'Edimbourg. Tom. IV.* &c.) Iſchuria à veſicâ in ſe ipſam per inteſtinum inverſa *Fouberti Mem. de l'Acad. de Chirurg. Tom. II. pag.* 37. Iſchuria à veſicularum ſeminalium protuberantiâ ſcirrhodeâ *Gaubii*, *Pathol.* §. *810*. Iſchuria ab ſteatomate veſicæ adjacente, hujuſque collum premente *Bartholini, cent. 1 hiſt.* 23. *&c*, quas omnes miſſas facimus brevitati conſulentes.

30. *Iſchuria paradoxa*, Morgagni Epiſtol. Le Clerc Journ. de Med. Juill. 1755 p. 11. L.

Eſt ea ſpecies iſchuriæ in qua ſucceſſive diſtenditur hypogaſtrium, creſcente tumore magis ac magis ſurſum, eoque duro, ab urina haud dubie intra veſicam cumulatâ, & interea, non ſolùm per intervalla ſed fere ſtillatim fluentibus urinis per urethram, quæ obſervatio apud *Morgagni* iterata clarè evincit iſchuriæ characterem, non ab urinæ ſuppreſſione, ſed ab hypogaſtrii tumore repetendam eſſe. In caſu *Clar. Le Clerc* non ſufficienter fluebant urinæ, quia veſicæ orificium ſeu collum induratum partim huic effluxui reſiſtebat, ratione cujus reſiſtentiæ veſica reactionis vi dilatabatur in dies : ſic cùm aqua in tracheam magnâ vi injicitur pulmones continuò intumeſcunt, licet undequaque ex eorum ſuperficie aquæ rivuli prorumpant.

Iſchuriæ urethrales.

31. *Iſchuria (perinæalis) urethralis à perinæi tumore* Galeni lib. de affect. loc. & ex eo Zacut. Luſitan. Hiſtor. 149 ; Vandermonde ex Daran Journ. de Med. Tom. V. pag. 291 ; Tulpii Obſerv. medic. Lib. III Cap. X ; Foreſti Lib. XXVI obſerv. 2. A.

Perinæum inflammatione per ictum, lapſum, aut aliam quamlibet cauſam inductâ tumens, apoſtemate, excreſcentiâ, aut alio duriori tubere tentatum, urethræ principium premendo, hanc ſpeciem inducit, in ſubjecto aliarum veſicalis iſchuriæ cauſarum immuni cognoſcendum ex notis iſchuriæ veræ genericis & perinæi protuberantiâ variâ. Speciei hujuſce varietas inflammatoria poſtulat venæ ſectiones, laxantia aſſiduò applicata, balnea, hypogaſtrii preſſionem, tandem catheterem, ac præprimis candelam Daran tubuloſam. Varietati apoſtematoſæ competit abſceſſûs apertio, abſterſio, cicatriſatio; graviores certè ſunt varietates ſarcomatica & ſcirrhodea catheteriſmo & affectus chirurgici congruâ tractatione debellandæ.

32. *Iſchuria (urethrolithica) à calculo urethræ impacto* Schmidii Eph. Nat. Cur. Decad. I ann. VIII obſerv. 89 ; Winckleri ibidem Tom. VI obſerv. 34 ; Zacuti Luſitani Prax. Med. admirab. lib. 11 obſerv. 66, 67, 68 ; Tulpii Obſerv. medic. Lib. III cap. 8 ; Boneti Sepulchr. de urin. ſuppreſſ. obſerv. 14 ; Bartholini Cent. IV epiſt. 5 ; Heiſteri Chirurg. Tom. II pag. 839. A.

Noſcitur hæc ſpecies iſchuriæ veræ charactere generico, conſtitutione calculoſâ, dolore maximè ad urethram & penem, urethræ intumeſcentiâ, imper-

perviatione, canalis hujuſce contrectatione, quâ quid duri palpo objicitur, immiſſione catheteris, antequam in veſicæ collum pervenerit corpus offendentis ſolidum, &, ſi ſtylo ferreo percutiatur, ſubargutum. Curatur autem venæ ſectione, anodynis, laxantibus, epotis, applicatis, injectis; balneis, leni penis expreſſione, ſuctu, ſpecillo, uncinulo, & his non ſuccedentibus factâ ſupra calculum firmatum ſectione, cujus celebrandæ ac percurandæ methodum vide apud *Heiſterum loc. citat.* Iſchuriam à calculo intra rectum latente memorat *Journ. de Med. de Vandermonde Septembr. 1758 pag. 261.*

Ex iſchuriarum cyſtophlegmaticæ, cyſtothromboidis, & cyſtopyicæ diagnoſi, atque urethræ imperviatione intelliguntur ſequentes iſchuriæ urethralis ſpecies, ſcilicet

33. *Iſchuria* (*urethrophlegmatica.*) *Iſchuria à muco urethram infarciente*, Boneti Sepulchr. & Medic. Septentrion. Mangeti Biblioth. Medic. Practic. Amati Luſitani Cent. V obſ. 71; Foreſti Libr. XXV obſerv. 25; Varandæi de iſchur. Lud. Apini Eph. Nat. Cur. Decad. III. ann. 111. obſerv. 69. A.

34. *Iſchuria* (*urethrothromboides*) *à ſanguinis grumo urethram opplente*, Boneti Medic. Septentrion. de iſchur. & Sepulchr. de urin. ſuppreſſ. obſ. XI; Foreſti Lib. XXV obſerv. 25 &c, &c. A.

35. *Iſchuria* (*urethropyica*) *à pure urethram obſtruente*, Boneti Medic. Septentrion. de iſchur. Foreſti Scholio modo citato; Boerhaave Præfat. aphrod. &c, &c. A.

Iſchuriam ab abſceſſu inter veſicam & rectum poſito urethram premente refert *Vandermonde Journ. de Med. Septembr. 1758 pag. 263.*

Urethrales hujuſcemodi iſchuriæ eadem admittunt auxiliorum genera quæ iſchuriis competunt veſicalibus à cauſâ ſimili oriundis.

36. *Iſchuria* (*urethrohymenodes*) *à membranâ in urethram impactâ.* Hiſt. de l'Ac. R. des Sc. ann. 1714, hiſt. pag. 22. A.

Viro ſummâ urinæ difficultate vexato, & catheteriſmum pluries paſſo, catheter, qui plus minus ab urethrâ eductus nigricabat, cum membranæ fragmento quondam extractus eſt. Triduo poſt perſenſit æger quidpiam urethram obturans, & è balani orificio prodiens, quod avulſit digitis arreptum; membranæ fuit fragmentum aliud. Haud ita diù dum ad mingendum ſummè allaborabat; intra breve tempus tria alia membranæ fragmenta ejecit, quæ duos membranæ veſicam internè obveſtientis trientes efficere viſa ſunt; reverâ fuerunt illius membranæ partes fragmenta hujuſce modi, quibus emiſſis liberè fluxit urina nullo unquam tincta immixto ſanguine. Virum dein detinuit levis urinæ incontinentia. Similium membranarum per urethram excretarum, quamvis citra iſchuriam mentionem injiciunt *Williſius*, *Felix Platerus*, *Schenckius*, *Fabric. Hildanus*, *&c.*

37. *Iſchuria* (*urethrelmintica*) *urethralis verminoſa*, Joan. Petr. Albrecht. Vide Boneti Medicinam Septentrionalem de urin. cap. 31; & Mangeti Biblioth. Medic. pract. Tom. IV de morb. urin. ſpectant. Vandermonde Journ. de Med. Septembre 1758 pag. 245; Joan. Rhodii Centur. 3. obſerv. 36; Collect. Acad. Tom. 3 pag. 497 obſ. 77. A.

Plura

Plura vermium è veſicâ urinariâ cum lotio excluſorum exempla reperire eſt apud Auctores. Sequentem iſchuriæ è verme urethram opplenti inductæ caſum memorat *Albrechtus*. Septimus jam erat dies, quo militem excruciabat omnimoda urinæ retentio cum ſummis circa umbilicum doloribus, regionis hypogaſtricæ tenſione & abdominis tumore aſcitico non abſimili. Nihil profecerunt quæ diebus ſequentibus tùm internè, tùm externè adhibita ſunt remedia. De cathetere in veſicam immittendo cogitabatur, cùm æger poſt multos conatus, laboreſque per urethram vermem ejecit vivum, craſſitie calami ſcriptorii, & trium digitorum longitudine, redeunte priſtinâ excernendi lotii facultate, quod per aliquot dies ſanguine mixtum, ſincerum tandem emiſſum eſt. Rariſſimæ hujuſce iſchuriæ eventu potiùs quàm certa nota cognoſcendæ curationi ſuperſedemus.

38. *Iſchuria* (*urethritica*) *ab urethræ inflammatione* Hildani Cent. IV obſerv. 54; Foreſt. de incert. urin. judiciis, Lib. III cap. 3 verſus finem; Varandæi de affectib. ren. & veſic. cap. VII; Boneti Medic. Septentrion. de iſchuriâ cap. I n°. V; Goulard des maladies de l'uréthre; Heiſteri Chirurg. Tom. 2 pag. 838. A.

Generales inflammationis cauſæ, gonorrhœa, catheteriſmus rudior, devius, ſaucians, aut frequentior, licet artificioſus, candelæ acriores immiſſæ, litus mercurialis in urethram urgente dyſuriâ gonorrhoicâ, &c, hanc ſpeciem accerſunt, notis iſchuriæ veræ genericis, urethræ imperviatione, ſignis inflammationis generalibus, nimirum dolore, calore, tenſione, febre, &c, & cauſâ prævia cognoſcendam. Curatur hæc ſpecies methodo antiphlogiſticâ; cathetere, non ſtatim quidem adhibendo, verùm inflammatione paululum temperatâ, aliquoties per dies ſingulos ſenſim immittendo; demùm paracenteſi ad perinæum vel ſupra pubem, ſi antiphlogiſtica omnigena malum aſpernetur, nec catheteri in veſicam aditus pateat.

39. *Iſchuria* (*carunculoſa*) *à morbis*, ut vocant, *urethræ*, Amati Luſitani Cent. IV cur. 19, Cent. V cur. 48; Sharp Recherches critic. cap. IV; Goulard des maladies de l'uréthre; Heiſteri Chirurg. Tom. II pag. 834. André des maladies de l'uréthre, paſſim. A.

Morbi, ut vocant, urethræ, ſunt ſpongioſi ſui textûs intumeſcentia, hujuſce canalis varices, ulcera, cicatrices, contractio, calloſitas, fungus, duplicaturæ membranaceæ, verumontani, intumeſcentia ſpongioſa, ſcirrhodea, glandularum urethræ lacunalium, Cowperianarum, Littrianæ, proſtratæ tumores, ulcus, calloſitas. His omnibus non ſolum anguſtatur, verùm etiam tandem præcluditur urethra. Iſchuriam hinc enatam ſignis cognoſces iſchuriæ veræ genericis; urethræ imperviatione, ſeu plenariâ obſtructione, ſignorum iſchurias urethrales phlegmaticam purulentam, grumoſam & præprimis calculoſam indigitantium abſentiâ; quibus omnibus præceſſerunt dyſuria, ſtranguria, filum urinæ tenue, flexuoſum, gradaria ſuppreſſionis urinæ acceſſio, carunculæ minoris cathetere, aut candela olim facta detectio, & utplurimùm gonorrhœa virulenta. In iſchuriæ hujuſcemodi varietate quam facit proſtatæ affectus ſyphilidis expers, ex glandulæ iſtius intumeſcentia eo in caſu ſemper præſente,

præſente, urethræ principium ſummè arctante, & digito in anum immiſſo optimè percipiendâ potiſſimùm eruitur diagnoſis. Curatur gravis hæc iſchuria candelis ſimplicibus & maximè compoſitis, ut Daranianis, Andreanis, Goulardianis, Sharpianis, quæ ſi non ſatis citò urinam eliciant, inſtituenda eſt veſicæ paracenteſis in perinæo, & præprimis ſupra pubem, (ſectio urethræ lithotomiæ urethrali ſimilis in quibuſdam caſibus locum poteſt invenire) lotio per cannulam ſingulis diebus educto, continuatur candelarum uſus, donec debita urethræ reſtituta fuerit libertas. *Vide Sharp Recherches critiques &c.* & *D. Perierii Diſſertationem de bradyſpermatiſmo ad ſpeciem primam.* Monuiſſe ſupervacaneum eſt ſymptomatibus urgentioribus pro re nata per auxilia congrua occurrendum eſſe dum chirurgica paratur, aut tentatur obicum urethralium cura. Affectuum proſtatæ qui venerei non ſunt curationem certè difficillimam prætermittimus, ex inflammationis, apoſtematis, ſcirrhi, therapeia petendam.

40. *Iſchuria (hydrocelodes) ab urethræ rupturâ in ſcrotum hiante* Joan. Lud. Apini Miſcellan. Natur. Curioſ. Decad. III ann. III obſerv. 68. A.

Vir ſupino in terram lapſu interfemineum cum teſticulis & ſcroto graviter impegit, diffracto arboris trunco, inſequentibus iſchuriâ, atque ingenti ſcroti tumore, quod die 3º adeò increverat, ut pilei capacitatem non intraſſet, colore atro ſuffuſum; intumuerat etiam horrendum in modum penis gyris tortuoſis, ut in hydropicis ſolet, in ſe reflexus. Remedia varia ad ſolvendum ſanguinis grumum, qui iſchuriæ hujuſce adjutor primùm credebatur, & ad demulcendam fibrarum violentiâ externâ læſarum criſpationem intùs & extùs adhibita ſunt; verùm irritâ operâ, ſcroti tumore ad ſenſum auctiori, & ægro, quoties urina exitum urgeret, miſerè ejulante, atque ardorem in ſcrotum deſcendentem conqueſto. Suſpicio tunc fuit urinam ex urethrâ ruptâ in ſcrotum colligi; idque eò magis, quod digitum explorantem in perinæo ad penis radicem, ubi urethram ſalvis exterioribus ruptam fuiſſe oportet, æger ferre non potuerit. Itaque ſine morâ cautis ſimul & profundis ſcarificationibus incidebatur ſcrotum; effluebat illicò liquoris ſeroſi odorem urinoſum ſpirantis copia, ſanguinis verò nihil. Imponebantur linteamina calida ſpirituoſis & antiſphaceloſis madida; lætiùs rubere & ſero ad vim non exiguam exſtillante notabiliter detumeſcere cœpit ſcrotum, per quod omnem urinam excerni & quidem ſine notabili dolore die 5º certò conſtabat; vulnerarias injectiones in urethram factas, & digeſtiva ſcroto applicata ita fauſtus ſequebatur exitus ut die 10º dimidium urinæ per viam ſolitam, reliquum verò per ſcrotum efflueret, quæ tandem omnis per urethram die 21º emiſſa eſt. Vide *citatum Auctorem.*

41. *Iſchuria (cryptopyica) à penis intra corpus retractione.* Frid. Hoffmanni conſult. de morbis abdomin. Caſ. 105. A.

De penis intra corpus occultatione obſervationem ſiſtunt *Paulus de Sorbait* & *Joannes Schmidius.* Hujus cum iſchuriâ junctæ ſequens exemplum legitur apud *Hoffmannum.* Vir 30. annos natus, litterarum amantiſſimus, alvi tardioris, de inſigni artuum, pedum maximè frigore per æſtatem etiam

affligente, atque per hyemem non niſi fortiori corporis motu depellendo; anno ferè integro conqueſtus, deinceps obſervabat, quod, ſi hiemali tempore in frigidiori loco diu commoratus eſſet, aut ſi crebriùs ipſi deſcendiſſet alvus, ob colem intra corpus retractum ac ferè prorſus occultatum, urinam non priùs emittere valeret, quam donec poſt aliquam corporis exercitationem naturalem ſitum penis recuperaſſet. Plura vide apud *Auctorem citatum.*

42. *Iſchuria (perideſmica) à vinculo ſtrictiori peni injecto*, Boneti Medic. Septentrion. de Iſchuria cap. 1 n°. VIII. A.

Puerulos filo ad radicem balani circumligato paraphimoſim ſibi excitare in Noſocomio generali Monſpelienſi pluries obſervavi; quin etiam exinde colem tranſverſum ſenſim ac penitùs ſciſſum vidi, nullâ labe inſequente. Pueri quidam qui lectum ſolent commingere & ideò acerbiùs à parentibus excipiuntur, verberum declinandorum cauſâ, injecto peni arctiori vinculo, iſchuriam ſibi comparant referente *Boneto*, ſolutâ protinùs ligaturâ fugandam.

43. *Iſchuria (phimoſica) urethralis à phimoſi*, Horſtii tom. II lib. IV. pag. 274; Goulard des maladies de l'urethre, Heiſteri Chirurg. tom. II. pag. 818; Bonet. Sepulchr. de iſchur. obſ. XV. &c. A.

Phimoſis à præputio nativè vel per coalitum non patente; phimoſis à præputio inflammatoriè vel aphlogè mirum in modum incraſſato citra concretionem; phimoſis à præputii cum balano concretione ad urethræ orificium, imò & etiam intra ipſum factâ, hoc ultimum in ſenibus obſervante *D. Serres Chirurgo Monſpelienſi dexterrimo*, hanc iſchuriæ ſpeciem excitant de facili ſane dignoſcendam. Phimoſeos pro varia ipſius ſpecie, atque ita iſchuriæ exinde ſoboleſcentis curatio obtinetur per laxantia, reſolventia, diſcutientia, mercurialia &c. & per ſectionem chirurgicam variam. *Vide Auctores Chirurgicos.*

44. *Iſchuria (aſpadialis) ab urethræ clauſurâ*, Heiſteri Chirurg. tom. II pag. 818 & 951. Horſtii tom. II obſerv. 55; Joan. Wieri obſerv. pag. 221; Boneti Sepulchr. de urin. ſuppreſſ. obſerv. XV Schol. & Medic. Septentrion. de iſchur. cap. 2. §. VI. A.

Hanc iſchuriæ ſpeciem faciunt, 1° parietum urethræ in ſui tractu vel in extremo coalitus adventitius, aut congenitus; 2° canalis hujuſce extremi obturatio per membranam adnatam; 3° labiorum vulvæ concretio plenaria. Cadit in ſequiorem ſexum tantum ultimum vitii genus, reliqua verò in utrumque. Quoties malum urethræ extremæ hæret, vel objicitur, facillima eſt iſchuriæ hujuſce diagnoſis, difficiliùs quidem obtinenda, ſi urethræ interiora coalitus teneat, circa quod vide *Boneti Medicinam Septentrionalem loco citato.* Curationem cuilibet ſpeciei hujuſce varietati accommodatam non trademus; monuiſſe ſatis erit ab Auctoribus allegatis varia indicari media quibus chirurgia ut plurimum novit urethræ partem concretione nativâ obturatam reſerare, coalita vulvæ labia ſeparare, aut ſaltem ſi gravi-

viſſi-

viſſimæ tollendæ veniant concretiones, artificialem aperturam in viarum naturalium locum ſufficere.

Alias iſchuriæ urethralis ſpecies, ut Iſchuriam urethralem ſuppletam *Horſtii tom. II. obſ. 55*; Iſchuriam à colis diſtorſione *Gaubii Pathol.* Iſchuriam à penis muſculis ejuſdem *ibidem &c.* nihil morati manum de tabula tollimus.

ORDO QUARTUS.

Tubera.

Extuberantiæ Felic. Plateri.

SI ſuperficies corporis deformetur obortis tumoribus firmis, duris, pertinaciſſimis, ut accidit in ſcrophulâ & cancro, vel partibus oſſeis inæqualiter excreſcentibus, ut in rachitide, tumores hoſce frigidos, conſtantes, firmos, tubera vocamus, modò ſat notabiles ſint ut morbis accenſeri queant, ſecus ut verrucas ad vitia amandamus.

Felix Platerus, noſtræ Monſpelienſis Facultatis quondam præclarum ſidus, primus auſus eſt novam Noſologiam condere & methodum ſymptomaticam aliis præmonſtrare; is autem hanc ultimam Claſſem in ordines quinque diſtribuit noſtris ſatis aptè reſpondentes, ſcilicet in deformationes, diſcolorationes, extuberantias, fœdationes & conſumptiones.

XX. RACHITIS; *Rachitis*; *Rickets.*

Cognoſcitur in infantibus à tumore flaccido capitis & faciei, à cute laxâ, à tumore abdominis, muſculorum macilentiâ, protuberantiâ epiphyſium, venarum arteriarumque magnitudine, collo flexili, capite nutante, pigritiâ ad ambulandum, ingenii præmaturo acumine, ſenſuum ſincero exercitio, fame & digeſtione fermè illæſis.

1. *Rachitis nodoſa*; *Rachitis incipiens* Boerhaave 1485; *Le Noüage*; Puzos Maladies des enfants chap. 7. Ægri *Noués*, *Rachitiques.*

Hujus ſigna ſunt, 1° phyſconia, ſeu abdominis intumeſcentia; 2° aſthenia ſeu infirmitas totius corporis, quietis amor, motûs, vel progreſſûs averſatio; 3° dentitionis tarditas; 4° pedum, genuum, corporum craſſities inſolita, capitis moles major; 5° lumborum debilitas, inſtabilitas, ob crurum & tibiarum laxitatem; 6° voracitas cum macie partium carnoſarum, &c.

Rachitis Britannica differt à nodoſa quòd ætate provectiores & dentitionem jam paſſos ferè biennes afficiat, acumen ingenii præmaturum, progreſſûs

impotentiam aliaque ſigna oſtendat ſuo loco relata, non itaque diverſæ ſpecies, niſi quòd ratione ætatis alium victum, aliam curam exigat. Principia ſunt, 1° hæreditarium vitium à parentibus, venere, ætate exhauſtis, cacochymis, ſyphiliticis; 2° nutrix iiſdem vitiis affecta, vini potatrix, lactis inops, pultem, vinum, cereviſiam alumno propinans, cupedias ſaccharatas offerens, gravida dùm lactat; 3° maturior ablactatio, convulſiones prægreſſæ, dentitio difficilis, progreſſus involuntarius, cùm epiphyſes nondum firmatæ ſunt. Circa nonum vel decimum ætatis annum rachitis ſolvitur primùm; deincepſque adoleſcente corpore iterum nodus, ut aiunt, expeditur, id eſt tumores articulorum imminuuntur & creſcit corpus; illa autem nodorum ſolutio in quibuſdam diarrhœâ, vel alio ſymptomate notatur.

Cura vix ulla à medicaminibus exſpectanda, ſed ab aëris & regiminis ætatiſque mutatione; aër itaque ſtatim mutandus; ſi lac nutricis vetus ſit aut vitioſum, altera nutrix adhibenda; ſi ablactatus infans fuerit, utatur offis, juſculis, pane benè fermentato, non verò pultibus ex farinâ & lacte paratis; aquam potet aliquot tincturæ martis guttis alteratam; levi Rhei tincturâ aquosâ etiam identidem utatur, ſemel in menſe purgetur ſyrupo de cichorio compoſito; nodoſi artus leviter fricentur cum oleo aromatico & vino rubro: inſolatio tecto capite in quibuſdam regionibus laudatur: à præmaturo inceſſu caveatur; in ſella perforatâ vel in lectulo, capite ope pulvinaris erecto, ſedeat. Quomodo differat hic morbus à cachexiâ ſcrophulosâ, vulgò *chartre*, quacum nomine Gallico ſæpè confunditur, ſuo loco videatur.

2. *Rachitis Britannica*: *Rachitis* Gliſſonii, Duverney Malad. des os tom. 2 pag. 288. Ægri *Enfants noués. Rickets* vel *Riquets* primùm innotuit in Occidentali Angliæ parte circa annum 1540.

Oritur circa ſextum ætatis menſem, & ad tertium annum ut plurimum perſeverat, rariùs ad ſextum, rariſſimè ad duodecimum, rariſſimè totam vitam comitatur. Caput Rachiticis majus ſolito, facies plena & carnoſa; ingenium præcox, judicium ætate majus; cutis in reliquo corpore laxa, rugoſa, muſculi flaccidi; abdomen craſſum, tenſum, hepate & liene magnis, ventriculo & inteſtinis flatu diſtenſis; glandulæ meſenterii ut in atrophia rachiticâ tumidæ; pectus à lateribus compreſſum, ſterno prominente, anguſtum, unde dyſpnœa, pulmones rubri, ſcirrhoſi; thymus & glandulæ œſophagi tument; ſerum in thorace effunditur, cerebrum ſæpe molle ut medulla ſpinalis. Serum in ſinubus; carnes albidæ, flaccidæ, decolores; cruor aquoſus, fluxilis; oſſa cranii, artuumque teneriora, flexilia; claviculæ incurvæ, humerus cubitus & radius introrſum flexi, oſſa carpi, metacarpi, digitorum tument, femur retrorſum incurvum, condylus internus non magis protuberat quàm externus, collum femoris fermè horizontale: tibia & peronæum extrorſum curvantur, nec tibia perpendiculariter inſidet aſtragalo; pes extrorſum disjicitur, adeoque à lineâ directionis gravium recedit, hinc claudicatio anatina ſeu ad dextram & alternatim ad ſiniſtram partem facta anatum inſtar. Epiphyſes tument, unde coſtarum extrema nodoſa,

doſa, intervalla anguſtiora, latitudo major, dorſum fornicatum; ſpina anticè incurva, unde collum breve & humeris immerſum, columna vertebralis pondere depreſſa, quandoque circa lumbos inflexa, hinc gibboſitas; oſſa innominata intùs flexa, unde pelvis anguſta. Oſſium ſubſtantia mollis, ſuperficies inæqualis, tuberoſa, incruſtata, poroſa, foraminulis ſaniem rubram fundentibus ſi premantur, colore griſaceo, levia, teneriora, fragilia, turgidula; hinc quæ cubica erant ſphæroidea videntur; medulla abundantior, ſed fluidior. Germina dentium abortiunt, quia rachitis eodem quo fit prima dentitio tempore, ſupervenit; pauci rachitici circa decimum ætatis annum videntur qui non ſint edentuli.

Rachiticum virus in ætate provectâ ſuboriri ſuadet arthritis rachitica.

Oſſa artuum ſunt in ſtatu ſano paululùm incurva, & ex eâdem parte numeroſiores ſunt muſculi; illa nativa curvatura in rachiticis augetur, unde major evadit in cruribus quàm in brachiis.

Principia rachitidis ſunt, 1° cibus craſſus qualis pauperum, lac vitioſum; 2° morbi graves prægreſſi, maximè dentitio difficilis, eclampſia; 3° virus quo ſerum copioſum acre evadit, quo oſſa remolleſcunt. Quò citiùs accedit rachitis, ſeu quò juniores aggreditur, eò pejor eſt; apud infirmos curvatura oſſium ſeriùs perſeverat; qui ante octavum annum non ſanantur, totâ vitâ infirmi remanent; quò curvatura artuum major, eò difficilior & gravior morbus; ſi ſcabies rachitidi ſuperveniat, bonum; puellæ quæ ad decimum circiter annum rachiticæ fuerunt, difficiliùs pariunt ob pelvis anguſtiam.

Indicantur ea medicamina quæ digeſtionem corrigunt, ſerum ſuperfluum inteſtinorum & renum viâ evacuant, cathartica roborantia, diuretica quæ fluida craſſa leviter attenuant, maximè ſi ſcrophuloſum virus acceſſerit, cavendum à motu muſculari, in lecto quieſcendum quamdiu oſſa molliora ſunt; *vide Boerhaave de rachitide.* Laudantur lac chalybeatum, nec non pulvis hederæ terreſtris; *vide* atrophiam rachiticam; imprimis conſulatur *Sydenhamus.*

3. *Rachitis ſtrumoſa*; *La noüeure ſcrophuleuſe* Gliſſon. de rachitide. C.

Ea eſt quæ cum glandularum colli, aut meſenterii obſtructione conjungitur, nec non quæ à parentibus ſyphilide infectis ortum ducit, in quâ lacticinia & æthiops mineralis, vel mercurius dulcis cum aliis maritanda ſunt.

Pulvis hederæ terreſtris per novem dies ad grana ſex laudatur.

4. *Rachitis Calmucana*, Hiſtoire des Voyages.

Calmuci juxta mare Caſpium habitant, illis facies lata & depreſſa, oculi quatuor vel quinque digitis tranſverſis ab invicem diſtant, & minimi ſunt; ita ſimi ut pro naſo duo tantùm ſint foramina; genua introrſum, pedes verò extrorſum vergunt.

Vagoliſtæ in Sibiriâ, & *Daghoſtani* eâdem formâ gaudent quâ Calmuci.

Rachitidis ſpuriæ nomine *Sydenham* intellexit atrophiam rachiticam, *cap. 5 de febribus intermitt. pag. 59.*

Curam pro rachitide verâ ſimpliciſſimam is proponit, ſcilicet potum roborantem ex vino, vel cereviſiâ in quâ infuſæ ſint herbæ abſinthii, cen-

taurii minoris, chamædrys, ſcordii, hyperici, virgæ aureæ, & unguentum ex hoc vino & axungiâ paratum, quo abdomen & artus ſerò & manè illinantur per menſem & ultra, abſtinendo à repetitis catharticis.

5. *Rachitis Polonica*, *Vide* Stabel. de Plicâ Polonicâ differt. hiſtor. 11 obſerv. 8ª; *à ſcabie* Fr. Hoffmanni III. 488. C.

Cognoſcitur ex doloribus arthriticis, vagis, tumoribus ſtrumoſis colli, tuberculis, & exoſtoſibus variis, oſſium fragilitate, nonnunquam ſuperveniente gibboſitate apud plicoſos familiari, unguibus lividis, incurvis, ſcabris, decîduis, fracturis ſpontaneis, quæ omnia diverſis hiſtoriis confirmat Auctor.

Remedium eſt plicæ evolutio, origo hujus imprudens abſciſſio, medicamentum ex lycopodii decocto, ſi plicam iterùm evolvere queat.

6. *Rachitis elephantiaca.*

Obſervabatur olim in elephantiaſi inveteratâ, ut teſtantur deſcriptiones hujus morbi lepræ Arabibus dicti apud *Gilbertum Anglum*, & *Gordonium*, nec non in elephantiaſi Javanenſi, quam *Cleyerus* deſcripſit, imò iconibus delineavit.

7. *Rachitis à caſtratione; Ægri caſtrati.*

Caſtratio fit apud Italos teſticulorum extractione aut contritione: illos eunuchos, iſtos thlibias vocant Juriſperiti: ætas apta eſt circiter annus ſextus; operatio vitæ innocua eſt, modò ſub debito regimine per quadraginta dies caſtratus in tenebris detineatur: Pueri huic ſe ſubmittunt operationi ut vocem canoram obtineant & perſonam theatro utilem agere poſſint, aſt caſtrati, cum puberes evaſere, rachitidis ſpeciem patiuntur inſanabilem; ſcilicet genua ipſis intumeſcunt, crura divaricantur, dorſum amplum quaſi gibboſum evadit, facies ultra ſexageſimum ætatis annum flaveſcens luridaque eſt; imberbes ſemper ſunt, pingues, ipſis vox acuta, magis ſuavis quam fœminea, ad ſenium perſtat. Caſtrati in ſcenâ agunt perſonam marium & fœminarum, immunes putantur ab herniis, non à libidine. Hæc operatio, ſummorum Pontificum quibuſdam bullis prohibita, toleratur.

XXI. Scrophula, J. Allen Synopſis; *Scrophulæ* & *Strumæ* cæterorum Auctorum; *Choirades* Græcorum; *Kings-evil* Anglis; *les Ecrouelles.* Ægri *Scrophuloſi*, Gallicè *Scrophuleux*, *Ecrouelleux*, *Glandés*, *Farcineux.*

Cognoſcitur ex ſtrumarum proventu in collo, meſenterio, aliiſque locis, labii ſuperioris, naſique craſſitie ſolito majori, facie turgidulâ, &c.

Strumæ verò ſunt ſinguli illi tumores ſphæroidei, duri, cuti concolores, indolentes, veræ lupiæ, ſeu intra tunicam humore pingui, craſſo farctæ.

Scrophula itaque eſt concurſus diverſorum ſymptomatum, quorum præcipuum eſt ſtrumarum in collo proventus.

Scrophuloſi majorem cæteris pueris ingenii vividitatem, & præmaturam intellectûs vim obtinere conſueverunt; morbus hic ſtatarius ſine ullâ ferè mutatione permanet uſque ad virilem ætatem, quo tempore recidit, & tunc robuſtio-

robuſtiores, atque ab aliis morbis frequentiùs immunes ſunt ſcrophuloſi, obſervante *J. Quincy Eſſai of the Evil.*

Pendet hic morbus à quodam vitio lymphæ glandulas conglobatas irrorantis, quod ab ortu contractum non evaneſcit, niſi cùm adoleſcentis vires digeſtivæ adauctæ hoc vitium corrigere valuerint.

Illæ glandulæ ſcirrhoſæ ſub duplici facie videntur, ſcilicet ſunt vel integræ, vel ſuppuratæ; integræ quidem naſcuntur, & ſine ullâ eroſione diu permanent; aſt vel ſponte, vel male tractatæ ſuppurantur, & his ſanatis cicatrices fœdæ per totum vitæ decurſum collum deturpant.

Huic morbo ſues & feles obnoxios eſſe vulgò ferunt; interea ſues minus ſcrophulæ quam chalaſi ſunt expoſitæ, & ideò non ſcrophuloſæ Gallis, ſed leproſæ, *Ladres* vulgò nominantur.

1. *Scrophula vulgaris*, Warthoni Adenograph. cap. 40; *Les Ecrouelles proprement dites.* L.

Cognoſcuntur ex tumoribus duris, piſi, fabæ, caſtaneæve magnitudine concatenatis, cuti concoloribus niſi inflammentur, quæ non ſolùm collum, maxillamque ambiunt, ſed etiam ſæpè ad axillas, inguina, & intus per meſenterium diffunduntur: hæ indolentes ſunt, mobiles, vel fixæ, aggeſtæ, cum labii potiſſimùm ſuperioris, naſique craſſitie, genarum ad aures turgeſcentiâ, pueris familiares, in adultis evaneſcentes, niſi cicatrix ſuperſtes ſit, rariſſimè in fœminis quinquagenariis revertentes.

Hic morbus eſt ſæpius congenitus, quandoque hæreditarius; frequens eſt apud eos quorum parentes ſyphilide fuerunt infecti, nec non apud pauperes qui cibis craſſis utuntur, & locis humidis inhabitant; per ſe vix lædit functiones, ſed non raro vel admotis remediis ſuppurantibus, vel ob pravam ſanguinis conſtitutionem ſtrumæ ſuppurant, quod non niſi difficulter & lentiſſimè fit, & tunc hecticam ſibi adjungunt comitem; periculum autem certum inferunt illæ ſtrumæ, quæ pulmones aliaque viſcera infarciunt; certè maxima pars phthiſium eſt de ſcrophuloſarum numero; ſcrophuloſi pueri in Noſocomiis morbis multis inſanabilibus ſunt obnoxii, ut aſciti, diarrhœis, hecticæ.

Virus ſcrophuloſum vetus & pejoris indolis ulcera in diverſis corporis partibus inducit pertinacia, ſordida, digitos non raro carie afficit, articulos aggreditur, & eos in tumores attollit, unde ancyloſes, pædarthrocace, infinitaque alia mala ſæpiùs inſanabilia, ita ut ſtrumæ, ſeu tubercula colli ſint exigua pars totius morbi ſcrophulæ dicti. Scrophula dividi debet in occultam, ſeu non ſuppuratam, & in exulceratam quæ quandoque diverſas corporis partes fœdis ulceribus deturpat; verùm ejus morbi & ſpecierum utcumque valdè frequentium nulla datur hactenus fidelis & accurata hiſtoria.

Curatio ſæpius eſt noxia, aut ſaltem fruſtranea; noxia, ſi per externa medicamina ſuppurantia, aut quod pejus eſt cauſtica, aut demum per exciſionem tentetur: inde etenim uberius ſtrumæ progerminant, acriùs inflammantur, pertinaciùs exulcerantur. Fruſtranea eſt, quandoquidem, ſi ſtrumæ ſimplices ſint, non exulceratæ, eas attingere vanum eſt, ſaltem cùm ſuc-

ceſſu

ceſſu temporis dum adoleſcit corpus, ipſæ ſponte diſceſſuræ ſint.

Neceſſaria eſt tamen curatio, ſi acris ſit lympha, ſi ſuppuratæ ſint ſtrumæ, ſi eò uſque induratæ & tumidæ, ut circulationi noceant, deglutitioni obſtent, febrem excitent; ſi carioſa evaſerint oſſa; ſi ulcera ſerpant; ea quidem auxiliis chirurgicis indigent, ſimulque medicamentis internis ſanguinem leviter incidentibus & edulcorantibus; ſi verò occultæ ſint, ſufficit vere & autumno juſcula leviter incidentia præſcribere ex radicibus ſcilicet aperientibus, herbis antiſcorbuticis, aſellis, martialibus, adhibere pulverem antimonii lævigatiſſimum more *illuſtr. Geoffroy*, & demùm lac diù uſurpare. Nuper compertum eſt longum uſum extracti cicutæ, ſeu conii maculati ad grana pauca, nec non potum quotidianum aquæ marinæ eſſe ſumma in hoc morbo remedia.

Extractum cicutæ ſumitur initio ad grana ij, ſenſim adaugendo doſim uno grano, modò nec cardialgia, nec vertigo accedant, in quo caſu eadem doſis continuatur, & his accidentibus elapſis rurſus augetur, ita ut ad drachmam unam quovis die ſumendam doſis quandoque aſſurgat; cætera extracta venenata gulam exſiccant, quod cicuta non efficit. Strumas aquâ marinâ & foliis abſinthii fovere utiliſſimum eſt.

2. *Scrophula fugax; Struma* Warthoni Adenograph. Gallicè *Glandes. Ægri Glandés.* L.

Tales ſunt infantes triennes, aut quinquennes cachectici, in quorum collo glandulæ paucæ, maxillares præſertim, ſed non concatenatæ, leviter tument, aut indureſcunt parumper, maximè ſi tinea repreſſa fuerit, ſi otorrhæa, ſeu ſeri effluxus ex auribus imminutus fuerit, ſi frigido aëri infantes expoſiti fuerint; illæ verò glandulæ identidem evaneſcunt, mox revertuntur, nequaquam ſtipantur tumore pallido labiorum aut genarum, nec ophthalmiâ ſcrophuloſâ, nec carie oſſium; verbo alterius omnino eſt indolis illa ſpecies, & meritò à priori diſtinguenda venit. Curatur cibis eupeptis, exercitio quale huic ætati convenit, pauxillo vini in potu, levibus aperientibus, ut infuſo ferri in aquâ, pulvere guayaci vel chinæ ad grana ſex per menſes in offà deglutito; an differat hic morbus à ſcrophulâ meſentericâ examinent periti. Si à repreſſo aurium fluxu, aut à ſiccatâ tineâ benignâ procedant illi tumores, illi fluxus ope unguenti digeſtivi, vel foliis betæ admotis reſtituendus eſt.

3. *Scrophula farcimen. Le Farcin. Ægri Farcineux* Gallis dicuntur. C.

Morbus eſt equis familiaris, chronicus & contagioſus, in quo erumpunt tumores alii majores, duriores, ſcirrhoſi qui venarum majorum iter ſequuntur; alii verò minores ſparſi ſpontè, ſed tardè ſuppurantes, unde ulcera verminoſa, fœtida, cancroſa, phlegmatorrhagiam, aſtheniam, & tabem non rarò excitantia.

Hæc lues quæ veneno ſingulari tribuenda videtur, ut ſcrophuloſo, ſyphilitico, &c, vulgò tribuitur erroribus in uſu præſidiorum ſanitatis, ut exercitiis violentis fervente æſtate, pabulo copioſiori dato equis, macie &

calore

calore debilitatis, avenæ, graminique recens cæſis, &c. Dividitur farcimen ratione gradûs in benignum & malignum.

a. Farcimen benignum. Farcin volant, benin.

Puſtulæ dorſum, collum & caput obſident, ſuntque minores, pauciores, quarum aliæ erumpunt, dùm cæteræ ſpontè exſiccantur.

Indicantur remedia ſanguinis viſcoſitatem, & acrimoniam corrigentia, præmiſſis clyſmatis emollientibus; victus erit edulcorans, potus albus ex farinâ & furfure; addetur cibo aquila alba, & demùm ad diaphoretica devenietur, quibus exſiccabuntur puſtulæ, & reſolventur tumores ſcirrhoſi.

b. Farcimen malignum. Farcin malin, cordé, intérieur, chancreux, biſurqué, &c.

Eſt illud quod partes corporis obſidens, ulcera fœtida, & juxta venas majores tumores chordam nodoſam referentes inducit, cui non rarò jungitur phlegmatorrhagia, & pedum poſteriorum phlegmatia elephantina.

Hæc ſpecies maximè contagioſa judicatur; cavendum ne equus ulcera ſua lambat, removendus eſt ab aliis omnibus jumentis; præmiſſis phlebotomiis & catharticis, ac diætâ humectante, ptiſana ſudorifica adhibebitur; inde ad æthiopem & cinnabarim progredietur Hippiater. Tumoribus ſcirrhoſis applicabitur emplaſtrum emolliens, unguentum de althæâ, & præmiſſis iterùm remediis generalibus lithargyroſim leviſſimam tentare conſultum erit; interea ulcera ſordida ſunt decoctis detergentibus eluenda, putrida & verminoſa antiſepticis, imò cauſticis oppugnanda, tibiæ elephantiâ tumidæ linteis tegendæ, decoctum hordei cum melle injicietur in nares. Si phlegmatorrhagia adſit, ſæpiùs uber in pedibus ſuppuratio ſpontè accedens à morbo liberat; pulvis viperinus curæ finem imponit. *Vide* plura *in Encyclopediâ* relata à *Clariſſ. Bourgelat*, qui in Noſocomio equis deſtinato Hippiatriam ſummâ cum laude Lugduni promovet.

4. *Scrophula meſenterica; An Rachitis ſtrumoſa? La Chartre* Puzos Maladies des enfants, chap. 8. Ægri dicuntur *Enfants en chartre.* C.

Cognoſcitur 1° pallore; 2° moroſitate, ſeu faſtidio univerſali; 3° inappetentiâ; 4° phyſconiâ, ſeu abdominis intumeſcentiâ; 5° fecum fœtore inſolito.

Poſt mortem inveniuntur viſcera omnia infarcta, glandulæ meſenterii tumidæ, epiploum fuſum liquefacto adipe, aſcites & hydrothorax aquis in agone, aut ſtatim à morte effuſis; in ultimo gradu hujus morbi accedit phlegmatia pedum, ac potiſſimùm manuum œdema, mortis prodromus.

A vulgari ſcrophulâ differt hic morbus ratione ætatis minoris, ſedis glandularum tumidarum, non in collo, ſed in meſenterio, pallore faciei, cùm ſcrophuloſi ſæpiùs ſint colorati, faciem turgidulam & coloratam præbentes.

Principia hujus cachexiæ ſunt ortus ex patre, vel matre valetudinariis, aut ſyphilide malè curatâ infirmatis; videntur familiæ quarum proles maſcula optimè valet, fœminea verò hac ſcrophulâ laborat; ſunt infantes qui hoc morbo convaleſcunt, cùm decimum circiter annum attigere: ut-

plurimum vitæ genus roborans, ut ruſticatio, uſus vini, infuſum leve cinnamomi, ferri rubiginoſi, hunc morbum præcavet, aut curat; utile tamen eſt, ſi ſuſpicio ſit ſyphilidis in parentibus, præparata mercurialia, ut aquilam albam identidem intus adhibere, pulverem radicis chinæ ad grana ſex quotidiè cum offâ deglutire, ſaltem per hyemem, & identidem aquâ rhei & ſyrupo de cichorio compoſito uti, ut tonus partibus reſtituatur, lymphæ viſciditas ſolvatur, adeoque ejus acrimonia per vias urinæ elutrietur.

5. *Scrophula Americana* Ruſſel de uſu aquæ marinæ pag. 133. C.

Eſt ea ſpecies quæ tumoribus ſcirrhoſis colli cum Europæâ convenit, aſt fungoſis, nigriſque excreſcentiis capitis in pericranio radicatis, ac frambæſiam imitantibus ab illâ diſcrepat. Pueri Jamaienſis collum tumoribus ſcrophuloſis ubique ſcatebat, caput etiam tumoribus fungoſis, colore fuſco, nigricante, mirum in modum obductum erat; tumorum radices in pericranium ſe profundè inſerebant, eorumque capitella molliuſcula adinſtar ſpongiæ erant foraminulenta, ac leviſſimo attactu cruorem fundebant.

Præmiſſâ phlebotomiâ applicatur unguentum è pice liquidâ confectum; dein adhibeatur æthiops vegetabilis, & potetur quotidiè aqua marina ad cyathum unum, vel duos, ita ut alvum laxam efficiat, continueturque per menſes; hac ratione tumores capitis & colli diſcuſſi ſunt.

Non ſolum in Americanâ, ſed etiam in vulgari ſcrophulâ cum ſummo ſucceſſu uſurpatur potus aquæ marinæ à parvâ doſi incipiendo, & quotidiè dein ad libram ſumendo per menſes aliquot, quâ methodo, duce *Ruſſello*, apud noſtrates *clariſſ. Doctor Cuſſon* ſcrophuloſos ſanavit. *Vide Ruſſelli aphoriſmos.*

6. *Scrophula periodica. Maladie ſingulière*, obſervée par M. Petit Med. & par M. de Makey Chirurg. Journ. de Médecin. 1758 pag. 38 & 317. L.

Eſt ſpecies farciminis hominibus propria, in quâ tumores carnoſi, dolentes, quandoque rubri, plurimi, in diverſis partibus, facie, v. g. pudendis, à piſi magnitudine ad magnitudinem nucis intra aliquot dies excreſcunt; dein verò ſine ſuppuratione ſenſim retrocedunt, flaveſcente cute, & omninò reſolvuntur, ſuo tempore redituri ſine ullo alio incommodo; hoc autem malum plures annos perſeverat, & ſine ſuſpicione ſyphilidis ſanatum fuit ope hydrargyroſeos à *D. Petit*, fruſtra tentatis antea diverſis remediis.

7. *Scrophula chalaſis; Chalaſoſis* Græcor. *Scrophula leproſa* Gilberti Angli de leprâ; *Ladrerie des porcs* Liger.

Cognoſcitur ex tuberculis nigris, albis, luteis, piſiformibus ſub linguâ, in toto ore, collo, corpore. Incipit ab ſtupore & ſomnolentiâ, animal vix pedibus inſiſtit poſticis, ſetæ ad radicem ſunt cruentæ. Vidi pluries in carnibus eorum porcorum glandulas, piſo minores denſiſſimas, albas,

albas, duras, ſebaceâ materie turgidas, adeoque ſtrumoſas, carnibus infixas.

Veterinarii ſanguinem è caudâ ſuis educi, nitidam ſtipulam ſubſterni, & ſæpiùs corpus lavari jubent.

Hac ſpecie ſcrophulæ laborabant elephantiaci homines, teſte *Gilberto*, *Gordonio*, aliiſque, maximè verò qui elephantiaſi legitimâ erant afflicti; erant enim glanduloſi in toto corpore, & maximè in linguâ.

8. *Scrophula Molucana. Le Farcin des Moluques.*

Tophi, gummata, & ulcera in Inſulâ Amboynâ & Molucis præcipuè endemia, Belgis *Amboynenſe poken.*

Sine congreſſu venereo erumpunt in facie, brachiis & cruribus tophi, ſeu tumores duri primùm, & ſcirrhoſi, & tam crebri per univerſum corpus, quàm clavi & verrucæ oriuntur in manibus & pedibus in Belgio; ſi verò eos ulcerari contingat, materiem lentam & gummoſam reddunt, tam acrem & mordacem, ut profunda & cava ulcera inde oriantur cum labiis calloſis & inverſis; fœdum & deforme malum cum ſyphilide conveniens, niſi quod dolores tanti non adſint, nec caries in oſſibus tam facilè oriatur niſi per curantis incuriam; hic affectus oritur ex vaporibus ſalſis aëris, uſu piſcium, pane ſagou, vino de palmâ, cui etiam tribui debet beriberia.

XXII. Carcinoma, à *carcinos* cancer, & *nome* ulcus depaſcens; *Cancer ulceré; ulcére chancreux* ou *cancereux.*

Carcinoma morbus eſt gravis, cujus præcipuum ſymptoma eſt cancer exulceratus, vel ulcus ſordidum, labiis duris everſis, ſcirrhoſis, per intervalla lancinantibus doloribus diſcrucians, quibus ſe adjungunt ichor ſanguinolentus, excreſcentiæ fungoſæ, venæ varicoſæ in vicinia glandulæ induratæ adjacentes, & hectica febris.

Sedes hujus ulceris eſt in omnibus partibus glanduloſis tactu exquiſito præditis, ut linguâ, labiis, genis, oculis, collo, mammis, utero, pene, &c; minime in cerebro, pulmone, hepate, liene &c; Licet omne carcinoma a cancro occulto primùm incepiſſe credatur, non minus verùm eſt illud in lingua, ore, oculo, ex ulcere primùm ab ægro quandoque animadverti; in mammis, dum intus latet, tumor durus, lancinans, extus oculis rubet, prurit acerrimè, introrſum deprimitur dum viciniæ tument, dein ſaniem fundit, exulceratur. Sæpe tumores ſcirrhoſi, verrucæ indolentes, cùm labes cancroſa latet in ſanguine, ſi eſcharroticis aut etiam cultro vexentur, poſt aliquod tempus, nullo cancro prægreſſo, carcinomata evadunt, ſeu ulcera cancroſa oſtendunt.

Principium proëgumenum carcinomatis vulgò cenſetur virus proprium cujus agendi modus ex nullis principiis mechanicis intelligitur, adeoque theoria hujus morbi eſt obſcuriſſima, & medela ex antidotis, non verò remediis rationalibus, expectanda; interea ſi maſſa ſanguinis accurate a viru

 illo

illo expurgata fuerit, licet pars affecta ſanari mechanicè nequeat, corpus ab hoc tumore tutò per excifionem chirurgicam liberari poteſt, de quibus conſulantur Opera Chirurgica.

Expurgatur maſſa ſanguinis à viru quovis acri per uſum juſculorum ex pullis, ranis, teſtudinibus, cum aſtacis, aſellis, radicibus graminis, fragariæ, foliis ſyſimbrii aquatici, cichorii, taraxaci, interpoſitis lenibus catharticis, poſtea utendum ſero lactis, nec non lacticiniis, quibus aſſuefieri poteſt ſtomachus, diutiſſimè uſurpandis, potiſſimùm diætâ lacteâ, æſtate balneis domeſticis, aquis acidulis Aleſienſibus, Hieuzetenſibus; iterum autumno juſculis, ſero lactis, lacte aſinino utendum; quibus peractis vel operatio Chirurgica inſtituitur, ſi tumor coſtis, glandulis vicinis non adhæreat, ſi febricula abſit, ſi habitus corporis reſtitutus ſit, ſecus ad ſpecifica deveniendum eſt, quæ diverſa pro varia carcinomatis ſpecie.

1. *Carcinoma vulgare.* C.

Eſt illud quod à nullo alio viru fovetur, ſaltem à ſyphilitico immune eſt, & multò rariùs difficiliuſque ſanatur; vulgò pro chronico & inſanabili habetur. Specifica nuper uſurpata ſunt extracta ſtramonii, belladonæ, hyoſcyami nigri, albi, napelli, cicutæ, & phytolaccæ, nec non plumbago & pulvis *de Guy* dictus.

In carcinomate cruſtaceo labia & nares dudum afficiente, præmiſſis fruſtrà litubus mercurialibus in viro vinoſo, vidi feliciter adhibitum extus oleum olivarum, in quo recens infuſa erant folia contrita plumbaginis Europeæ; eſcharrâ intra quindecim dies delapſâ æger ut plurimùm ſanatur. Vide hiſtoriam à me olim traditam *Hiſt. de l'Acad. R. des Sc.* Ann. 1743. An illud *Carcinoma cruſtaceum*, *noli me tangere* vulgò dictum, ſit ſpecies diverſa à carcinomate glandulas conglomeratas magnas obſidente, judicent alii.

Pulvis *de Guy* dictus eſt ex plantâ quadam corroſivâ ignotâ, forte Daphnes ſpecie, contritâ; circa carcinoma cuditur ſulcus ope lapidis infernalis, & elapsâ eſcharrâ adſpergitur quotidie hic ſulcus dicto pulvere, inde fit ut tumor ſenſim à baſi ſuâ ſejungatur, tandemque decidat; modò tamen carnes non excreſcant ultra ſulcum, ut mihi primâ vice experienti accidit; hunc pulverem ab Anglis emerunt Sueci magno pretio, plantam verò non revelarunt.

Extractum foliorum atropæ belladonæ primus *Clariſſ. Lamberger* intus adhibuit, incipiendo à grani quadrante & ſenſim augendo, quod quandoque ſucceſſit, & feliciter à *Cl. Barluc* iteratum fuit: *Journ. de Med. Janv.* 1761, *&* *Mars* 1757.

Extractum conii maculati, vulgò cicutæ, ab *Ill. Storckio* cum ſucceſſu in multis regionibus, apud nos fruſtrà, fuit uſurpatum, incipiendo ab uno alterove grano, ſenſim augendo ad drachmam, & extus foliorum decoctum applicando.

Extractum ſtramonii multo vehementius eſt & à grani tertiâ parte ineunda doſis, ſecus vertigines tenebricoſas inducit.

Extra-

Extractum foliorum hyoſcyami nigri à granis duobus, ſenſim augendo ad ſcrupulos, apud nos vix quidquam præſtitit, & multò utilius adhibitum fuit extractum foliorum hyoſcyami albi, quod à triente grani initio adhibendum eſt, & quotidie repetendum, ſenſim auctâ doſi, uſquequò ſiccitatem narium & gutturis cum dyſphagia producat, ac per menſes continuandum; hujus interventu uteri cancri ſanati ſunt.

Extractum foliorum & caulis aconiti, napelli, cujus grana duo cum ſacchari drachmis duabus teruntur: hujus mixturæ doſis à gr. vj ad xij, vel plura extenditur: eo uſus eſt in carcinomate *Ill. Lebmacher.*

Folia phytolaccæ Americanæ apud nos in hortis obviæ tutò carcinomati applicantur; eorum etiam extractum nuper intus adverſus hunc morbum adhibuere Medici, quorum tentaminum eventum expectamus; hactenus utut ſaporem ſalis ammoniaci habeat, vim ſedativam obtinere videtur.

Uſitatiſſimum ex his medicaminibus & tutiſſimum eſt extractum foliorum cicutæ, & apud nos hyoſcyami albi, atque in iſtius uſu bis vidimus novos tumores cancroſos prius inconſpicuos explicari, ut à decocto ſtipitum dulcamaræ quandoque bubones venerei latentes evolvuntur; quis fuerit hujus decocti ſucceſſus in graviſſimo morbo Nemauſi à nobis obſervato tradidit *Clariſſ. Razoux D. M. Hiſt. de l'Acad. R. des Sc. ann. 1760;* Venena vegetabilia ſunt itaque medicamina in morbis hucuſque inſanabilibus; ſed virus ſcabioſum, varioloſum in eundem cenſum revocandum eſſe nullum eſt dubium, ut probant quæ de anæſtheſia melancholica retulimus.

De cura vulgaris Carcinomatis conſulantur Authores.

2. *Carcinoma ſyphiliticum*, *Cambuca Paracelſi.* C.

Vidi quadraginta abhinc annis in muliere Aleſienſi virus venerei experta, & mammæ carcinoma capite infantili majus dudum geſtante, huncce tumorem exulceratum ad pugni magnitudinem citò rediiſſe uſu hydrargyroſeos, quam *colendiſſimus Medicinæ Profeſſor Deidier* præſcripſerat, verùm non omninò ſanatum eſt carcinoma & ad exciſionem deveniendum fuit. Verùm nuper cùm duo cancri intra mammas adoleſcentulæ dudum ſyphiliticæ in uſu extracti hyoſcyami albi prorupiſſent ad ovi gallinacei magnitudinem cum dolore lancinanti & glandulis duris tuberoſis ad axillam extenſis, poſt tres menſes adhibito ſpiritu antivenereo hoſce cancros, nec non ulcera gutturis, dolores nocturnos, &c, omninò evanuiſſe vidi: unde inferendum puto cancros eſſe diverſæ indolis adeoque ſpeciei à vulgaribus quos nunquam mercurialibus remediis ſolis ſanatos eſſe audivimus.

XXIII. Leontiasis.

Hoc nomine intellexerunt Medici veteres morbum qui terrorem reſpicientibus incutit, ut leo, nec non qui humanam figuram ita mutat, ut ferinæ aliquatenus ſimilis ſit, quod non ſolùm de elephantiaſi, verùm & de ſequentibus dici poteſt.

1. *Leontiaſis hyſtrix ;* Aſcanis Journ. de Med. Mars 1756, Philoſophic. Tranſaction Sloane nº 424, Æger *The percupino-man*, *le Porc-Epy.*

Obſervata eſt in Anglo, cujus caput in omnibus locis aëri non expoſitis horreſcebat ſetis rigidis, pellucidis, ſeptem lineas longis, duas vel tres craſſis quovis autumno deciduis. Is peperit quinque filios eodem morbo affectos.

2. *Leontiaſis corniculata* Ash Journ. de Medec. 1756, & Sloane Philoſoph. Tranſact. nº 424 & anno 1685; Géorg. Franci de Cornutis; Du Monceau Journ. de Med. Fevr. 1761. p. 145.

Anno 1685 viſum eſt corpus Annæ Jacſon apud Anglos variis corniculis horridum. Et nuper *D. Ash Secretarius Academiæ* Dublinenſis memoravit puellam quæ in omnibus articulationibus gerebat excreſcentias corniculatas, initio verrucoſas, dein oſſificatas. Centenas cornuum in corpore humano ſuccreſcentium hiſtorias vide *Journ. de Med. l. c.*; plurima verò in baſi ulcere cancroſo erant ſtipata; vidi oſſiculum nucis magnitudine ex medio femore extractum nulli oſſi adhærens.

3. *Leontiaſis vitulina.* Vide Vandermonde Journ. de Med. Novembre 1756 cum icone.

Eſt morbus congenitus quo diverſæ faciei partes ſine dolore, ac coloris mutatione monſtroſè protuberant, ut vituli, vel alterius bruti rictum & caput referant; ſed de his legatur *Ambroſius Paræus de monſtris.*

XXIV. Malis; *Paſſio bovina* vulgò ; *Malis hypodermatitis* Lanciſii part. 3 de bovillâ peſte; *la Clavelée.*

Morbus eſt in quo inſecta vermiformia, vel larvæ inſectorum utplurimum ex tumoribus, abſceſſibuſve corporis humani prodeunt, vel in ejus ulceribus nidulantur.

Inſecta ſunt vermiformia, ſeu apoda, & ideò à pediculis phthiriaſim comitantibus diſtinguuntur. Larvæ ſunt formæ inſectorum quas inducunt ſtatim ac ex ovis excluſæ ſunt, tunc utplurimum ſunt pedibus deſtitutæ, molles, edaces, & exutâ pelle ultimam formam perfecti animalis adipiſcuntur. Muſcæ carnariæ anno recens elapſo puſtulas variolæ ferè omnes in partibus aëri expoſitis pertuderant, unde naſcebantur larvæ albidæ hordei grano ſimiles, vermiformes, quæ in ſingulis puſtulis maturis reperiebantur. *Clariſſ. Doctor Razous* has larvas vitro incluſit per aliquot dies, quæ in totidem muſcas carnarias mutatæ ſunt. Ex ſimili origine pendent vermes in ulceribus ſordidis neglectis, æſtate potiſſimùm, toties reperti; aſt ſæviente etiam hyeme apud Lappones, *illuſtriſſ. Linnæo* obſervante; œſtrus rangiferinus cervos rangiferos inſectatur, & eorum cutim perforans in ipſo vulnere ſua ova deponit, ubi larvæ tutò calidèque hybernare queant, unde hi cervi non pauci furibundi emaciantur, & pereunt. Apud nos œſtrus narium ſubit nares ovium & caprarum, atque in harum ſinubus frontalibus ova deponit; ſimile quid ſæviente peſte Aleſiæ anno 1720 ſæpiùs & centenis hominibus accidit, quippe ſumpto ad prophylaxim emetico ferè omnes magnam copiam

copiam larvarum hordei grano ſimilium vomitu rejiciebant. Notum eſt lanionibus per æſtatem inveniri in ductu choledocho ovium quædam inſecta pollicem longa, lata, alba, apoda, tæniæ ſimilia, quæ ſunt larvæ inſectorum volatilium horum pecorum anum ſubeuntium; ſed nil vulgatius & Paſtoribus familiarius cognitum quàm quod œſtrus bovinus dorſum boum aculeo pertundat, ibique ova ſua deponat, boves etiam pinguiores eligens, atque inde excitantur tumores qui ſuo tempore in ſuppuratum venientes novis œſtris exitum præbeant, inde verò ortum nomen *paſſionis bovinæ* huic generi morbi dudum inditum.

1. *Malis cornipedum* Ligeri, *la Clavelée*, ou *le Claveau.* L.

Pecoribus lanigeris frequens eſt morbus; in toto ferè corpore naſcuntur furunculi, clavi Gallis dicti, unde nomen *Clavelée*, in quorum cavitate, dum ſuppurantur, vermis eſt; morbus contagioſus cenſetur.

Curatio. Incidantur illi furunculi intacto tamen vermiculo, & infundatur in vulnus ſebum candelæ fuſum.

Quandoque obſervamus furunculos in hominibus numeroſos & ferè epidemicos, nec tamen vermiculi latent in tumore ſuppurato, niſi pro verme habeatur floccus fibroſus albus, qui vulgò *Bourbillon* Chirurgis dicitur, aut niſi ita ſordidum ſit ulcus, & æger ſui negligens, ut muſcas in his ulceribus ſua ova deponere patiatur.

Inſecta autem illa ſunt vel muſcæ carnariæ vel Hippoboſca aptera, vel œſtri capitis. Vide *Illuſtr. Linnæum de noxâ inſectorum.*

Quid affectionis bovinæ nomine inter hominum morbos numeratæ ſibi velint Arabes (vide *Freind hiſtor. Med. de Aëtio*) non ſatis capio; hoc ſolùm novi quod quidam homines tumoribus in diverſis corporis locis detenti ſint, quibus ſuppuratis vermes in pure nidulantes ſunt inventi; & huncce morbum Ucetiæ ante triginta annos obſervatum fuiſſe mihi retulit *Clariſſ. Lefevre Medicus Doct. Ucetienſis.*

2. *Malis verminoſa.* Vide Saltzmanni de Verme narium, Argentinæ 1721.

Anno 1718 in noſocomium Argentinenſe delatus eſt adoleſcens cui per magnam corporis partem vermiculi alii minores, alii majores ſub cute cuniculos egere & tantùm non totum corpus conſumpſere: oculi ſiniſtri pinguedo ab ipſis tota abſumpta erat; in inguine, in poplite magna carnis portio erat vorata horrendo & commiſeratione digniſſimo ſpectaculo.

In cadavere aperto cunctiſque viſceribus nullus vermis inventus eſt.

3. *Malis Americana*, Dellon Voyage aux Indes; *Biecho* Braſilienſibus; *Chiques* Americanis: Linnæi de miraculis inſectorum pag. 323; *pulex caudâ furcatâ.*

Inſectulum vix conſpicuum in locis ſordidis & juxta muros frequens, hominum pedes aggreditur, cutis poros ſubit, ſæpius ſub unguibus latet, ſine ullo dolore, nec obſtant calcei, ſed pedes nudos numeroſiora obſident illa inſectula, intra dies quindecim ita creſcunt in cute ſub epidermide ut piſi magnitudinem acquirant, & quò majora ſunt eo difficiliùs eruuntur, partes his obſeſſæ exulcerantur, eroduntur, niſi maturiùs inſecta auferantur, ſingulis

ſingulis enim diebus ea venari conſultum eſt ; ulcera illa ita corroſiva ſunt ut pluribus Nigritis pedes excarnes & oſſa nuda videantur ; aciculâ avelluntur inſecta nigricantia, vel pulvere tabaci enecantur, dein medicamentis deterſivis & epuloticis vulgaribus ulcera ſanantur, juxta *D. Virgilium* à quo hiſtoriam Frambæſiæ Americanæ accepi. Inſectum *Chique* dictum, verus eſt pulex colore, magnitudine & figurâ, qui ubique in pulvere latitat cùm tempeſtas eſt ſicca, verùm accedente pluviâ vel tempeſtate humidâ hoc inſectum interit & nullibi reperitur, Nigritæque ab eo ſunt immunes ; hoc ſæpiùs inter ungues pedum & indiſcriminatim in omnes corporis partes ſe inſinuat, ibi verò ſtatim non injucundam titillationem excitat, aſt cùm epidermidem perforavit, pruritus valdè moleſtus exſurgit ; qui calceis utuntur, ut Europæi, minus infeſtantur quàm Nigritæ nudipedes & pigri. Hoc inſectum intra tres, quatuorve dies creſcit ad magnitudinem piſi, & quod erat caſtanei coloris, jam eſt ſub formâ cocci vel teſtæ coriaceæ albæ, ſphæricæ, granulis vel ſeminibus albis fœtæ ; hæc teſta firmiter adhæret cuti ut kermes ilici, unde ſuſpicor eſſe cocci ſpeciem & fœminam, quæ cùm gravida eſt parti immobilis adhæret, interea diſruptâ hac teſtâ, nulla vidit *Virgilius* excluſa ex his ovis inſecta ; ubi hæret teſta, ulcus cuditur.

Curatio facilis eſt, nam ubi pauca ſunt hæc inſecta, ſingula ope aciculæ, vel cultri acuti auferuntur, avelluntur, & ulcus tabaci combuſti cineribus adſpergitur ; ubi verò ſunt numeroſa hæc inſecta, v. g. totum pedem obſidentia, linteum in piſſæleo, vulgò *Goudron*, intingitur, quo pars affecta involvitur ; citò inſecta ſeparantur & deinceps lavipedio adhibito æger liberatur ab hoc incommodo.

4. *Malis acridophagorum*, Drack *Voyage autour du monde.*

Juxta Æthiopiam gens *acridophaga* ſic nominata quòd locuſtis tantùm veſcitur, quas vere colligunt, ſiccant, & ſalitas ſervant. Hoc unicum in deſertis nutrimentum obtinent. Nigri ſunt macilenti, veloces, parvi, nec ultrà quadrageſimum annum vivunt ; hac ſcilicet ætate intra eorum carnes generantur inſecta, ex quibus pruritum vividum ſentiunt ; inſecta numeroſa adeo ſunt, ut his corpus undique ſcateat ; hæc verò inſecta ipſis abdomen, dein pectus, aliaſque partes ad oſſa uſque devorant.

5. *Malis à crinonibus* Ettmulleri ; *Crinones*, *Morbus pilaris* Horſtii ; *Setæ*, *Comedones*, *Dracunculus noſtras*, *Cridones*, *&c.* quibuſdam. Noſtratibus *Maſclous.*

Hic affectus apud nos familiaris corripit infantes paucis ab ortu diebus ; cutis ſcilicet dorſi, brachiorum, crurum perforatur ſetis denſis, nigricantibus, lineam longis, rigidiuſculis, confertis, ſeu vix lineæ intervallo diſſitis, frictione ex oleo magis conſpicuæ evadunt illæ ſetæ porcinis ſimiles ; pueruli ejulant, vigilant, quidam emaciantur ; alii etiam convelluntur, lac ſugere recuſant, febricitant ; obſtetrices ſolent alternis diebus vel oleo & ſalivâ madidam manum adhibere, quâ cutem leviter fricent, ut illæ ſetæ excutiantur, vel pauxillo farinæ in aquâ tepidâ ſolutæ eos infantulos ſæpiùs eluere, dein linteis ſiccis abſtergere ; harum verò ſetarum exortus intra primum

mum ætatis menſem ter, vel quater revertitur; ſetæ in dies nigriores evadunt, dein delabuntur. Si credamus *Horſtio* ætate provectiores, ut biennes, huic affectui ſunt expoſiti.

6. *Malis dracunculus* Pathol. Method. *Colebrilla* Americanis; *Dracunculus Perſarum* Kempferi faſc. 3. obſerv. 4; *Ver de Guinée* malè confunditur à Sennerto cum crinonibus infantum. *Dracontium* Græcis; Vide Velſchii exercit. de venâ Medinenſi. *Nervus Medinenſis*, ſeu *Irk Medini* Avicennæ, malè *vena Medeni* Carmonenſis; Gallis *Dragoneau; Ickon* Guineenſium; *Pejunk* & *Ivaru* Perſis.

Verè vermis eſt quem vivum bis extraxit *Kempferus*, pallidè albicans, tener, teres, chordæ citharæ craſſioris ſimilis, roſtello barbato, pilis tenuiſſimis, cum puncto atricoloris & oris veſtigio quodam, in caudâ etiam punctum foraminis eſt inſtar ani, longitudo varia eſt, ad pedes plures extenditur.

Patria eſt terra æſtuoſa, torrens, cœlum intemperatum, ſolum arenoſum, ſterile, ſalſum, aquâ deſtitutum, ubi aqua ex ciſternis hauſta, eaque ſæpe impura, verminoſa bibitur, naſcuntur eò frequentiùs, quò æſtas eſt ſiccior; hoſpitat in carnibus maximè in textu celluloſo à genibus uſque ad pedem frequentiſſimè, rariùs in ſcroto, lumbis, brachiis, ſæpius muſculorum flexus ſequitur, & quod pejus, oſſa pedum amplectitur, unde non niſi difficillimè extrahitur; nunc eſt ſolitarius, nunc plures in eodem homine habitant.

Ephemera extenſa eſt nuncia illius in lucem prodituri cum partis levi rubedine & tumore; poſtridie exſurgit puſtula piſi magnitudine, tenera, aquoſa, pellucida, non raró atricolor, quâ poſt alterum diem ruptâ, proſilit roſtellum vermis, ſenſim erumpens, & vix ante decimum diem extrahendus omninò, ex ſcroto & ſuris facilè, ex pede vix intra 20 dies extrahi poteſt cum tabo quotidie copioſo, & magno ægri dolore, ac incommodo; ſæpe peregrinantibus per annum in corpore latitat, ſine alio incommodo quàm dolore partis affectæ.

Curatio. Emplaſtro emollienti tumor maturatur; deprehenſa vermis portio circa ligulam, pollicaris longitudinis rotatur, & epithemate retinetur ne intus recedat, bis in die ulcus à pure liberatur, & vermis trahitur, cavendo à forti, aut ſubitaneâ tractione, quæ dolores atroces, & vermis ruptionem efficeret, unde dolores longi uſquequò novum exitum ſibi paret vermis; extracto verme, ulcus facillimè curatur: ſunt qui frigidâ affuſâ quotidie illud curant.

Carthaginenſes in Americâ eidem malo ſunt obnoxii, ut refert *D. Anton. de Ulloa.* Incipit à phlegmone cruris, tibiæ, vel brachii, quæ ſuppurantibus emollita dat dracunculum, quem tamen inanimatum putat Auctor, quemque Incolæ *Colebrilla* vocant; hunc morbum dracuntiaſim vocat *Cocchi Bagni di Piſa.*

7. *Malis pratenſis.*

Vulgò *Bêtes rouges des Savanes* apud Martinicanos, ſunt inſecta ricinis prioribus ſimilia, ſed in pratis *Savanes* dictis reperiunda, & capite rubro

inſignia; illa tibiis hominum, roſtro brutorum adhærent, & intolerabilem pruritum excitant.

Occiduntur decocto foliorum vitis, aurantiorum, herbarum odoriferarum, præcipuè *Mombain* arboris.

8. *Malis Weſtphalienſis; Die-varen* vulgò; *Morbus novus Weſtphalis endemicus* Schenckii lib. 6 pag. 919 1ª ſpecies. C.

Hic morbus circa annum 1596 referente *Henrico à Brâ*, Weſtphaliam, Geldriam, Friſiamque affligebat endemicè; hic ſe prodebat cum vagis doloribus, potiſſimùm dorſi & lumborum, ſed celeri motu omnes partes nunc has, nunc illas pervadentibus, dolor erat exedens quaſi à vermiculis depaſcentibus; prima ſpecies erat cum tumore circa articulos qui ibi diu perſeverabat, maculas & lituras ſcorbuticis ſimiles proferens; hi tumores ſuppurati ulcus potiſſimùm circa pedes malignum relinquebant, ex quo vermiculi aſcaridibus ſimiles educebantur.

De curâ *vide Schenckium.*

9. *Malis Tranſſylvanica* Heurnii Epiſtol. ad Foreſtum; *Dievaren maraſmodeum* & *dievaren podagrico-ſcorbuticum* Henr. à Bra apud Schenckium.

Differt à rheumatiſmo ſaltatorio per exitum vermiculorum ſeu aſcaridum, qui in dievaren ex genuum fiſtulis, aut cum urinis ejiciuntur, ſi fides Authoribus habeatur.

Hæc ſpecies Tranſſylvanis endemia erat eodem tempore, & à priori diſcrepabat, 1° ex eo quod nullum tumorem inferret; 2° quod maciem corporis adduceret veluti maraſmodem; 3° quod aliquali membrorum impotentiâ ſtiparetur; 4° quod vermiculi caſeorum vermiculis ſimiles cum urinis excernerentur; de cætero dolores in utrâque ſpecie noctu exacerbabantur, febris nulla, aut lenta, alvus aſtricta.

10. *Malis furialis.* Vide Syſtema naturæ Animalium Ill. Linnæi gen. 245; animal *cocyta*, Linnæi Gen. Morbor. 257. A.

Cognoſcitur ex ſtigmate exiguo, fuſco, & dolore diriſſimo, quem inſectum vermiforme, tenuiſſimum, duas lineas longum, furiâ infernalis dictum, carnem ſubiens procreat: vide *Linnæi Amœn. Acad. Tom. 3 p. 322;* illud inſectum apud Suecos ex æthere delabitur, & tum in hominum tum in jumentorum corpora momento citiùs penetrat, & tam diros dolores excitat ob aculeos ſuos reflexos corpori appreſſos quibus ciliatum eſt, ut miſeri homines quandoque intra horæ quadrantem occidantur; ſunt qui diutius reſiſtunt. Fennones lac nuper coagulatum parti vulneratæ admovent, & dolor remittit, ac inſectum foras prorumpit: alii cultro locum confodiunt, & illud furioſum animal extrahunt.

XXV. FRAMBÆSIA; *Yaw* Guineenſium; *Epian* vel *Pian* Americanorum.

Eſt morbus contagioſus apud Guineenſes & Americanos endemius, aliquando congenitus, ut aſſerit de Caraïbis *Pat. Labat*, cujus præcipuum ymptoma eſt frequens exortus fungorum rubi idæi fructus colore, figurâque

referens

referentium, unde nomen Africanum *Yaw*, quod idem ſonat ac frambæſia; his ſymptomatis ſe adjungunt ulcera dyſepuleta, exoſtoſes, caries, anchyloſes, macies.

Si accuratis deſcriptionibus fides ſit, dantur hujus morbi duæ ſpecies, altera Africana *Yaw* dicta, altera Americana *Pian* vel *Epian* nuncupata, quam ſolus inter Auctores cognitos memorat *Labat Voyage en Amérique*, & *D. Chevalier de Med.*

1. *Frambæſia Guineenſis* Eſſais d'Edinburg. Tom. VI. *Yaw* vulgò Guineenſium. C.

Eſt morbus Guineæ endemicus, infantibus & adoleſcentibus familiaris, maximè apud Nigritas; contagioſus eſt, & qui ſemel eum expertus eſt, ab eo dein vivit immunis. Incipit à maculis capite aciculæ non majoribus, quæ in dies increſcunt, & protuberant; tunc verò epidermis ex illis delabitur, & eſchara alba apparet, ex quâ fungus exiguus, ruber enaſcitur, qui colore & magnitudine, ac figurâ granuloſâ imitatur baccam rubi idæi, vel mori; pili nigri ſi fuerint in viciniâ albeſcunt; ultimum incrementum adipiſcuntur hi fungi intra duos, treſve menſes. Omnibus partibus hi fungi innaſcuntur, ſed præſertim inguinibus pudendis, ano, faciei, axillis; quò plures, eò minores; quo pauciores, eò majores ſunt. Nullum aliud incommodum experitur æger quàm ex ſorditie horum fungorum, quibus eſt ſenſus, ſed non dolorificus. Inter fungos eſt quidam maximus ſeu princeps; ille ſolus, aliis fugatis per uſum aquilæ albæ, reſiſtit, ille eſcharroticis eſt erodendus.

Curatur hic morbus unguento mercuriali, vel uſu aquilæ albæ; ſeu ea mercurialia non priùs ſunt uſurpanda quàm cùm totum ſuum incrementum adepti ſunt fungi; ſi verò maturiùs adhibeantur, ſuperveniunt dolores nocturni, caries, exoſtoſes; dilapſis uſu mercurii omnibus fungis minoribus princeps fungorum eſcharroticis eſt ſanandus.

Hic affectus à ſyphilide eſt diverſus, ut patet ex ejus hiſtoriâ, licet ut ſcabies, aliaque genera, hydrargyroſi feliciter curari poſſit.

2. *Frambæſia Americana. Le Pian*, ou *Epian. Æ*gri *Pianiſtes.* C.

Pian apud Nigritas baccam fragâriæ ſignificat, unde nomen morbi, cujus præcipuum ſymptoma eſt exortus fungoſarum excreſcentiarum, colore, figurâ, conſiſtentiâ & ſæpiùs mole has baccas referentium; alterum ſymptoma eſt ulcus ſordidum, à quo morbus incipit, quodque vulgò Mater Pianorum, Indicè *mamapian*, nuncupatur; tertium ſymptoma *craba* dicitur, & eſt excoriatio plantæ pedum vel palmæ manuum, quæ duplicis eſt ſpeciei, unde dividitur in *crabam viridem* & *ſiccam.*

Morbus hic eſt chronicus, contagioſus & periculoſus, Nigritis multò frequentiùs quàm Europæis ſeu Albis familiaris. Chirurgus Monſpelienſis *D. Virgile*, qui in Inſula Hiſpaniola ſeu *Sto. Domingo* duodecim annos artem exercuit, quique multa millia Pianiſtarum curare ſategit, ſequentia mecum de hoc morbo communicavit.

Hic morbus ortum ducit ab ulcere pollicem vel manum circiter extenſo, ſtatim ſuperficiario, mucoſo, quod à vulgari ulcere vix differt, niſi

 quod

quod pertinacius ſit, nec remediis vulgaribus cedat. Hoc ulcus ubique corporis indiſcriminatim, ſed frequentiùs tibiis innaſcitur; deinde verò ociùs, ſeriùſve per totam ſuperficiem corporis plus, minuſve numeroſi ſoboleſcunt fungi, qui vel minimi ſunt varioloſæ puſtulæ magnitudine, & tunc ita numeroſi ſunt, ut faciem & totam cutem qui procul aſpiceret, variolam videre ſibi videretur; quandoque pauciores ſunt & multò majores, ita ut quidam nucis magnitudinem attingant. Hi verò fungi ſive minores, ſive majores ſunt coloris roſei, vel pallidè rubri, granuloſi, ſeu papillis exaſperati, muco ruffeſcente continuò madidi, nulli ulceri, ſed cuti adhærentes; quò pauciores ſunt eo utplurimùm benigniores; ſi tantùm ſeptem vel octo prodeant, utcumque deinceps æger adhibitis remediis convaleſcat, metus eſt ne morbus latitans pejor revertatur, unde Nigritis mos eſt horum pianorum exortum uberiorem ſudorificis excitare.

Crabæ virides ſunt amplæ excoriationes ſub pedibus vel in manibus exortæ, pertinaces, nullo tumore, ſed eodem colore, eadem formâ præditæ, ac ſi muſculus omninò nudus eſſet; humidæ ſunt, ſenſu exquiſito præditæ, & Nigritis, qui pedibus nudis gradiuntur, valdè moleſtæ, marginibus, cute lacerâ terminatis. Crabæ ſiccæ dictæ differunt à viridibus, quòd in iiſdem locis caro ſit coriacea ſicca, dolens tamen, aſpera & albeſcens quaſi farinoſa & virgata.

Ulcus *mamapian* dictum, ſenſim carnes excavat, erodit, & oſſa vicina, in morbo inveterato, carie, exoſtoſi, articulos vicinos ancyloſi, doloribuſque noctu recrudeſcentibus afficit; illa ulcera ſunt mucoſa, pallida, à nullo cauſtico eſcharam admittentia nullo piano, id eſt, fungo onuſta, in quo maximè diſcrepat à morbo yaw Guineenſium, quem *D. Virgile* nunquam vidit, licet ex omnibus Africæ regionibus millenos Nigritas advenientes viderit.

Hoc commune eſt utrique morbo quod ſemel ſanatus, ſanitate per tres menſes perſeverante, homo deinceps ab hoc morbo immunis vivat; nulla febris acuta hunc morbum comitatur; verùm ex hoc neglecto morbo, vel non ſanato ſequitur ſæpè macies inſignis, phthiſiſque accedente lienteriâ lethalis, in inveterato ulcera nova & excoriationes crabæ dictæ ſoboleſcunt.

Contagioſus eſt hic morbus, quippe primò ſi eodem lecto utatur ſanus & pianiſta, maximè verò ſi coitus fiat, ſerpit ab infecto ad ſanum hæc virulentia, interea tamen nulla accedunt ſyphilidis recentis ſymptomata, qualia ſunt ulcuſcula, porri, verrucæ, bubones, gonorrhœa, &c, nec pudendis potiùs quàm aliis partibus innaſcitur *mamapian*; unde evidens eſt morbum hunc à ſyphilide diverſum eſſe. Alter contagii modus iſque frequentior eſt muſcarum interventus; ſi etenim muſca quæ pianiſtæ ulceri inſedit ad ſanum deveniat, ejuſque vulnuſculo cuicumque fortè inſideat, illud vulnuſculum antea ſimplex & purum in *matrem pianorum* vertitur; dein fungi non in ulcere, ſed in facie, brachiis, trunco, aliiſve ſoboleſcunt.

Curatio hujus morbi nulla hactenus certa habetur; Nigritæ fuliginem lebetum æneorum cum ſucco limonum diluunt, & ope ſpatulæ hoc magma

ulceri

ulceri & fungis applicant ; crabas ſiccas, rigidas, tenſas & dolentes ſebo inungunt ; has & virides pulvere ſcoriarum ferri, vulgò *machefer*, vitrioli, aluminis, fuligineque cum ſpiritu nitri commixta, tanquam unguento deliniunt, ſimilique modo ulcus *mamapian* dictum curare conantur.

D. Virgile adhibitis octoginta balneis, deinde verò decem pomatæ mercurialis unciis, & ultra duos menſes in hydrargyroſi detentis ægris paucis ſanitatem reſtituit. Anglus quidam Medicus in viginti quatuor aquæ fontanæ libris infundebat duodecim ſalſæparillæ uncias, duodecimque ſacchari ruffeſcentis libras ; hæc ſoli per quindecim dies in vaſe vitreo probè clauſo exponi curabat ; deinde verò hujus ptiſanæ cyathum quater in die ægris offerebat, omni alio potu interdicto ; hoc medicamentum cæteris omnibus antecelluit, & *Gooldrink* dicitur.

Quidam *Sara* dictus ſolutionis mercurii in ſpiritu nitri factæ ſeptem, vel octo guttas ptiſanæ de ſalſaparilla libris duabus admiſcebat, & hanc ptiſanam pianiſtis bibendam præbebat ; is hujus ope multos quidem ſanavit, aſt multò plures è vivis eripuit, & ad phthiſim deduxit ; hoc verò remedii genus valdè affine videtur ſpecifico antivenereo *Ill. Baronis van Swieten*, ſcilicet ſublimato corroſivo, cui tamen ſucceſſu impar eſt.

Deſcriptio hujus morbi à *P. Labat* ſcripta minimè huic convenire videtur, cùm dicit enaſci in toto corpore puſtulas cruſtâ flaveſcente tectas, renitentes, indolentes, extremi digiti craſſitie, per totum corpus diſperſas, quarum aliæ ſuppurant, aliæ ſiccæ ſunt & farinoſæ.

ORDO QUINTUS.

IMPETIGINES.

HIc Ordo continet morbos cutaneos, chronicos, ſæpius contagioſos & virulentos, qui eâ ratione *lues* nominari conſuevere, ut lues *ſyphilitica*, *ſcorbutica* ; verùm luis nomen etiam tuberibus inditum eſt, unde *lues rachitica*, *ſcrophuloſa*, *cancroſa* nomen habent. Sub duplici ſtatu ſucceſſivè ſtrages ſuas edunt omnes illi morbi, ſcilicet occulto & manifeſto, aut ut rectiùs loquar, vel in illis cutis eſt *integerrima*, vel eſt *exulcerata*, aut cruſtoſa, ut exanthematicis phlegmaſiis accidit, quæ ratione pyrexiæ acutæ tantùm ab hacce claſſi removendæ ſunt ; de cætero cutaneæ & contagioſæ, vel ſaltem epidemicæ vulgò cenſentur, ut peſtis, variola, rubeola, ita ut convaleſcentium ab his morbis ſtatus, impetiginibus apprimè ſimilis videatur.

Hoc eſt ferè commune omnibus his morbis, ut ſanis ſubjectis inſerti vulgò inoculationis viâ communicari poſſint. Pendent itaque à ſeminio quodam, ſeu *viru*, quod humorum maſſam fermenti inſtar poteſt ita mutare, ut idem morbus in inoculato producatur. Quanto cùm ſucceſſu va-

riola inſeratur, hoc noſtro ævo ſatis notum eſt; aſt morbus pecorum cutaneus varioloſo affinis, fortè idem etiam ovibus feliciter fuit inoculatus apud Carcaſſonenſes; hæc inoculatio morbum fere omnibus imminentem, aut ſemel experiundum & periculoſum, ſi ſpontaneus acceſſerit, reddit innoxium; aſt quandoque inſeruntur alii morbi cutanei, ut horum exortu à gravioribus morbis æger liberetur; ſic cùm à tineâ, ſcabie, herpete repreſſis ſuperveniunt anaſarca, phthiſis, aliive graves morbi, non rarò profuit prioribus morbis viam paraſſe, ut iterùm in cute efflореſcerent. Sic *illuſtr. Deidier* ſcabioſi induſium induendum feliciter præſcripſit hydropicis, quos nullâ aliâ viâ morti eripuiſſet.

Ut ſingularis indolis venenum hiſce morbis contagioſis originem præbet, ita ſingularia antidota, quæ ſummi Numinis eſt providentia, horum plurimis ſanandis apta ſunt, ut *ſcabiei* ſulphur, hydrargyrum; *ſyphilidi* hydrargyrum, coris cærulea, Lobelia cardinalis, guayacum officinale, cala-guela, &c. *ſcorbuto* citrus medica, cochlearia officinalis; *cancro* conium maculatum, atropa belladona; horum etiam multis ſolanum dulcamara, ſmilax china, ſmilax ſalſaparilla, &c, profuere.

Horum antidotorum moleculæ virulenti principii moleculis adhærent ob aliqualem tùm congruentiam, tùm affinitatem, ſeu gravitatis ſpecificæ ſimilitudinem, ex qua adunatione reſultat mixtum innoxium, aut quod cum humore quodam excrementitio nuptum foras è corpore amandatur. Sic ſublimatus corroſivus multo hydrargyro ſaturatus abit in medicamentum ſalubre, quod priùs erat venenum atrociſſimum.

Hæc diverſa virulentiæ genera ſopiuntur, aut mitigantur medicamentis edulcorantibus & diluentibus; ſic ſyphilis, ſcabies, cancer, ſcrophula, &c, repetitis balneis domeſticis, necnon lactis uſu diuturno ſedantur, unde conjicimus virus aqueo vehiculo dilutum cum urinis, & ſudore partim excerni, aut ejus moleculas ſalinas, acres lactis mucilagine obvolvi.

Horumce morborum plurimi novi ſunt, & ex exteris regionibus ad nos allati, vel adhucdum exotici. *Advenæ* ſunt apud nos ſyphilis, ſcorbutus, rachitis: *Indigenæ* ſcrophula, cancer, ſcabies, tinea: *Exoticæ* ſunt frambæſia, elephantiaſis, lepra, trichoma, &c.

Ferè omnes illi morbi, ſi excipiamus eos quorum cognita eſt antidotus, inſanabiles ſunt, aut pertinaciſſimi; phlegmaſiæ exanthematicæ quem ſemel dimiſere ferè nunquam iterùm impetunt. Sic qui à peſte, rubeolâ, variolâ convaluere, nunquam, aut ferè nunquam hos morbos incurrunt; verùm non eadem eſt prærogativa eorum qui ſyphilide, ſcabie, ſcorbuto, aliiſque impetiginibus affecti ſunt; pluries enim eodem morbo laborare poſſunt.

XXVI. Syphilis, *Vérole.*

Qui poſt impurum concubitum laborant ulcuſculis genitalium ſæpiùs gonorrhϾæ

norrhœæ ſuppreſſæ ſuccedentibus, vel bubone, criſtis, condylomatis circa vulvam, podicemve, dein puſtulis per cutem diſperſis, rubro-lividis, medio exulceratis, vel cruſtoſis, ac ſucceſſu temporis doloribus nocturnis, faucium, narium ulceribus, &c, illi ſyphilide vel recenti, vel inveteratâ laborant.

Si verò deſint hæc mala cutanea, & virus lactendo, oſculando, concumbendo, ſine coitu, quovis modo ſuſceptum fuerit; ſint autem alia ſymptomata, ut oſteocopus, ophthalmia, hectica, leucorrhœa, phthiſis, &c, hi morbi ſyphilitici, aut venerei quidem nominantur, aſt impropriè ſyphilidis nomine inſigniuntur, licet à viru venereo pendeant.

Nec exiſtimandum eſt morbos qui ab eodem principio ſoboleſcunt, ſi in diverſis organis reſideant, ejuſdem generis eſſe; concedunt enim omnes Medici peripneumoniam, hepatitidem, nephritidem eſſe morbos diverſorum generum, utut ab eodem principio, ſeu inflammatoriâ ſanguinis diatheſi, dependeant; defectu ejus diſtinctionis nullam ideam fixam ſyphilidis, nullam hyſteriæ, ſcabiei, &c, definitionem tradere poſſibile eſt.

Syphilis diverſa apud diverſas gentes ſynonima obtinuit; Vide *Prolegomena Tomi primi pag.* 29. Nomen oritur à *ſyn* cum, & *phileo* amo, ſeu ab amore mutuo. Morbus eſt novus ab Inſulâ *St. Domingue* in Europam delatus; Hiſpani ex Americâ reduces ad obſidionem Neapolis perventi, eam mercem inde per Europam diffudere anno circiter 1496. Ratione analogiæ hujus morbi cum aliis cutaneis *Berengarius Carpenſis* ad hydrargyrum huic applicandum inductus fuit.

Cùm *Cheyneus* adhucdum juvenis percepiſſet modum verè mechanicum quo hydrargyrus ſanguini mixtus ejus partes viſcoſas diſſolvit; is ſyphiliticum virus lympham in floccos viſcidos, craſſos inſpiſſare finxit, eique proprietati commentitiæ hujus virus totam vim adſcripſit; *Aſtrucius* verò illud virus acidum corroſivum ſuppoſuit, & exemplo ſublimati corroſivi, qui addito multo hydrargyro mutatur in ſal innoxium, exiſtimavit virus venereum ſimili modo per hydrargyroſim extingui.

Hactenus nobis cognitam ſpeciem ſyphilidis tantum deſcripſimus, veneream ſcilicet; verùm ſunt & aliæ ſpecies exoticæ non ſatis accuratè deſcriptæ, quæ ad hoc genus attinere videntur, quæque ab hac differunt ex eo quod more ſyphilidis noſtratis inveteratæ genitalia non afficiant.

1. *Syphilis venerea*; *Lues venerea* Aſtrucii; *Scabies venerea* Locheri; *Vérole commune.* A.

Ea eſt quæ ſæpius ab impuro concubitu oriunda gonorrhœæ intempeſtivè ſuppreſſæ ſupervenit, ulcuſcula, phimoſes, teſtis tumorem, bubones, ficos, criſtas, &c, dum recens eſt, excitat; deinceps verò puſtulas cruſtoſas paſſim in toto corpore, varos, ſeu coronam veneris in fronte, ulcera in faucibus & naribus, gummata, & caries in oſſibus capitis, dolo-

dolores noctu exacerbantes cum hecticâ, aliaque ſymptomata his connexa producit.

Differt hæc ſyphilis ab elephantiaſi ex eo quod ſyphilis initio genitalia afficiat; utraque quidem oſſa carie afficit, contagioſa eſt, fœtorem oris & narium ob harum partium ulcera inducit, ſed in ſyphilide non deficit ſenſus tactûs in partibus. Differt à leprâ quòd ſint in leprâ verrucæ vel tubercula dura, cruſtacea, ſicca, corymboſa, digiti craſſitie per faciem & corpus diſperſa, quodque genitalia initio afficiat hæc ſyphilis, non verò lepra. Limites inter has diverſas impetigines aſſignare difficile eſt, tum quia lepra & elephantiaſis raro hodie videntur, tum quia diverſæ illæ virulentiæ non raro mixtæ aut combinatæ reperiuntur in eodem ſubjecto.

Ad curandam ſyphilidem antidotus hujuſce virus ita eſt adminiſtranda ut pacatè totam ſanguinis maſſam ſubeat, maximè vaſa lymphatica ac oſſea penetret, & ſine ullâ ſenſibili evacuatione virus corrigat ſeu extinguat, quod ut obtineatur & parcâ doſi interpoſitiſque moris illa adminiſtranda, ac ea auxilia præmittenda ſunt, quæ ſanguinis fervorem, acrimoniam, viſcoſitatem, ſolidorumque erethiſmum emendant; quò autem virus eſt antiquius, & ſuâ indole acrius, efficaciuſve, eò magis hiſce cautelis inſiſtendum eſt: dantur enim virulentiæ aliæ aliis acriores aut obſtinatiores, ut ſi virus ſyphilidis cum ſcorbutico, herpetico, ſcrophuloſo combinetur, atque quò diutiùs corpori adhæſit, eò altiùs ut aiunt in partes cartilagineas & oſſeas ſeſe inſinuat, ex quibus difficilius eradicari poteſt.

Hodiè tutiſſima methodus ſanandæ ſyphilidis eſt hydrargyroſis, id eſt, litus mercurialis ſeu inunctio pomatæ Neapolitanæ, quæ paratur ex unciis tribus hydrargyri puriſſimi in terebinthinæ pauxillo extincti, & axungiæ porcinæ unciis ſex accuratè per attritum commixtis: præmiſſâ phlebotomiâ, & catharſi, æger recenti ſyphilide contaminatus & ulcuſcula *chancres* dicta, bubonem, vel alterum ſymptoma patiens quotidiè balneum tepidum domeſticum ſemel vel bis ingreditur; præmiſſis viginti aut triginta balneis, & ſi opus ſit juſculis refrigerantibus, iterùm mediante alterâ phlebotomiâ & ſubſequente catharſi, ad litus mercuriales paratur; illi verò litus fiunt in totâ cute, excepto capite & parte anticâ pectoris ac abdominis, niſi ibi loci fuerint virûs localis indicia: ad totius corporis inunctionem pomatæ unciæ circiter octo vel novem adhiberi conſuevere, quælibet inunctio à drachmis duabus ad ſex pomatæ Neapolitanæ aſcendit, & inter utramque, dies una, duæ, vel tres interponuntur, ita ut ſi vel pyrexia vel oris calor, rubedo, ptyaliſmus, accedant, majores moræ aut parcior pomatæ doſis adhibeantur, nullum autem eſt niſi tædii aut temporis impenſi periculum, ſi majores moræ ſint & doſes minores; à nimia verò feſtinatione gravia poſſunt induci ſymptomata, ut cynanche cum linguæ tumore & exertione, dyſenteria, pyrexia acuta, cum ptyaliſmo, unde hydrargyrum foras è corpore elabitur, & inanis luditur opera. Primâ

mâ die calidè inungitur drachmis duabus, vel pluribus pes alteruter per ſemi-horam, dein udone tegitur, tertiâ die alter pes ſimiliter inungitur poſt triduum tibia ſimiliter una, poſt triduum altera, tibialibus ſimiliter induenda & ita procedendo ad femora, nates, dorſum, brachia, ita ut eadem ferè cutis extenſio ſingulis vicibus inungatur, & linteis, induſiiſve ad morbi finem non deponendis tegatur, niſi ſymptoma grave ſuperveniens juſſerit. Interea æger eâdem aëris temperaturâ fruatur, quæ vere vel autumno dari conſuevit, & utatur diæta mediocri, humectante ac refrigerante, largo ſcilicet potu ex decocto hordei & quater in die lacte vaccino vel puro vel formâ offæ cum pane aut cum oryza cocto; ſi verò febris acceſſerit aut feſtinet nimium Medicus in uſu hydrargyroſeos, maximè cùm aliquantulùm cura proceſſit, juſculis, cremoribuſque tantùm utendum eſt; atque huic methodo, & inunctionibus inſiſtendum uſquequo ſymptomata ſyphilidis evanuerint, ut gonorrhœa, ulcuſcula, bubones, phimoſis, fici, dolores &c: ſi quæ verò ſint obſtinatiora quæ chirurgicam opem requirant, ut phimoſis, bubo ſuppurans, verrucæ, porri, operationes durante ipſâ hydrargyroſi inſtituendæ ſunt: verùm ſunt morbi ſyphilitici, qui etiam ſanatâ ſyphilide perſeverant quandoque, ut gonorrhœa, exoſtoſes, paralyſes, cophoſes, oſteocopi, qui propriis remediis deinceps ſunt impugnandi; ſi illito toto corpore, ſyphilis non evaneſcat, in linteis hydrargyro inunctis aliquandiu quieſcat æger, & his irritis, iterùm ad novos litus confugiat; demùm ſanato vulgò phlebotomiam & catharſim iterum adhibere mos eſt; inde balneo eluendus & priſtino ſanorum regimini reſtituendus eſt æger.

Eſt & hodie altera methodus minimè ſpernenda quæ à *Keiſero* inventa conſiſtit in uſu pilularum ex ſale quodam mercuriali hactenus arcano confectarum quæ quotidiè vorantur aucto in dies numero, per menſem unum & ſemiſſem; illa quidem methodus nec præparationes tædioſas, nec ægrum cubiculo calido conſtanter incarceratum ſupponit, atque licet oris phlogoſim paſſim excitet, in multis circumſtantiis priori videtur vel æquiparanda, vel anteponenda, ſi longior uſus ejus felices & conſtantes ſucceſſus confirmet.

Verum de ſyphilidis & ſyphiliticorum morborum curâ abſolutiſſimus *illuſtriſſimi Aſtrucii liber de lue venerea* eſt conſulendus; hîc enim ſumma rerum capita tantùm attingere nobis licet, ne in molem nimiam liber excreſcat.

Aliæ ſyphilidis ſpecies à venereâ differunt quod non afficiant genitalia, verùm viru venereum lactendo, lactando, oſculando ſuſceptum genitalibus etiam parcit, & non minùs ſyphilidem procreat hydrargyroſi curandam, hujus itaque diagnoſis obſcura manet, aut vix ſcriptis poteſt dilucidari; ſunt enim in praxi plurima quæ longo uſu & acri inſtinctu cognoſcuntur, nec ullis terminis accuratè definiuntur.

In ſyphilide ulcera & caries ac exoſtoſes inducente ſeu inveteratâ, confert ſæpiſſimè remedium *illuſtriſſ. van Swieten*, ſeu mercurius ſublimatus corroſivus, cujus grana ſex in duodecim ſpiritus vini unciis ſolvuntur, & hic ſpiri-

ſpiritus vini ad cochlear unum aut alterum ſumitur ſuperbibendo decoctum emolliens, ut radicis althææ; hoc ſemel in die vel bis per menſes continuatur, eodemque ſpiritu vini ulcera eluuntur. Hoc remedii genus plus valet in ſyphilide inveteratâ, carioſâ ſcilicet & exulceratâ quàm in recenti, & valdè affine eſt remedio frambæſiæ Americanæ dudùm in Inſulâ Hiſpaniola uſitato.

In ſyphilide exulceratâ, carioſa, quæ hydrargyroſim ac trageas Keiſeri eluſit convenit uſus ſublimati corroſivi more Swieteniano; quibus irritis diætæ albæ, juſculis incraſſantibus & diluentibus inſiſtendum; juvat tamen quandoque panaceam, pilulas mercuriales, ligna ſudorifica ſimiliaque experiri antequam pro inſanabili æger derelinquatur.

2. *Syphilis Polonica.* Vide Stabel. de plica hiſtor. 1am.

A viru trichomatis latente oriuntur phænomena quæ viru venereo incauti facilè adſcriberent, ut dolores lancinantes capitis & artuum, continuò per annum torquentes, in naribus & faucibus ulcuſcula ſordida, nec non nodi & tubercula dura in manibus, pedibuſque diſperſa; ſi verò in his caſibus adhibeatur hydrargyroſis malum pejus evadit, oſſa narium carioſa evadunt, fauces, uvula putredine exeduntur; ſudor fœtidus è capite emanat, inquinamenti venerei nulla eſt ſuſpicio, imaginatio vitiatur, appetitus depravatur, ungues ſcabri evadunt.

Curatur hic morbus medicaminibus plicam latentem à matre ſæpiùs in utero mutuatam, evolventibus, ut ſudoribus, catharticis intùs, extùs verò decocto lycopodii, quo caput fovetur.

Hoc virus quandoque per annos multos latet in ſanguine ut venereum, deinde neglectum ſymptomata plura venereæ ſyphilidi affinia inducit, ut unguium lapſum, maraſmum, narium eroſionem, cephalæas, ſyrigmum, amauroſim nec non apoplexiam; quæ omnia quandoque contagio ſuſcipiuntur mala, ut accidit pharmacopolæ cujus hiſtoriam refert *Stabel. diſſert. citatâ hiſtor.* 2a. maximè ſi plica fuerit abſciſſa. A viru plicoſo ut à Rachitico fiunt luxationes, fracturæ, caries diverſorum oſſium, vide *Stabel. diſſert. hiſtor.* 1a. *& undecima.*

Iſta ſpecies ſyphilidis contagioſa eſt, & à concubitu cum plicoſis, nec non jure hæreditatis à parentibus in prolem transfertur; differt tamen maximè à ſyphilide venereâ, quippe ejus virus in liquoribus ſeminalibus minimè ſedet, nec per coitum propagatur, nec genitalia afficit, ſed ut virus venereum antiquum oſſa corrumpit, dolores oſſium creat, oſſa carioſa & fragilia reddit.

3. *Syphilis Indica; Lues Indica* Guill. Piſonis; *Bubas* Hiſpanis; *Mia* Braſilianis.

Licet cum ſyphilide Europæâ in quibuſdam conveniat tum accidentibus tum curatione, ab eâ tamen maximè differt; hæc non tantùm ab impuro coitu & hæreditate, ſed ex leviori attactu nec non ex alimento fœtido, ſalſo, potuque rancido & corrupto oritur, faciliùs curatur, citiùſque contaminat, apud Afros, Americanos, advenas, indigenaſque infeſtat.

Curatur decoctis ſalſæparillæ & *caarobæ*, præmiſſis balneis; ſi negligatur, dolores

dolores imò caries inducit. Ulcera pura, ſed ab Europæis pro incurabilibus derelicta, curata vidit *Piſo* unguentis quorum baſis erat ſuccus tabaci cum camphorâ & ſpiritu vini.

De ſyphilide Indicâ, Molucanâ, Americanâ, vix certi quidquam proferre poſſumus, cùm Medicina in hiſce regionibus non adeò ſit exculta, ut veram horumce morborum hiſtoriam ſine præjudicatis opinionibus, & fabulis, inde vix debeamus exſpectare. Sinenſes pari fortè præjudicio admittunt ſpeciem ſyphilidis, quæ ſine contagio venereo ex halitubus paludoſis enaſcitur, ideò itaque has ſpecies hic appono ut Medici has plagas inviſuri ſagaciùs inquirant utrum diverſæ reapſe ſint ſpecies.

XXVII. SCORBUTUS. *Ileos hæmatites* & *magni ſplenes* Hippocratis; *Stomacace* & *Scelotyrbe* Plinii; *Morbus polyrizzos* & *polymorphos* Maynwaringii; *Scorboks*, *Lebendig* Germanis; *Blouewejſcheut*, *Bloeuveſchuyt* & *Scharboek* Saxonibus; *Schoerbuck* & *Schorbuk* Olai magni; *Scheurbuyk* & *Scheurbek* Flandris; *Scurvy* Anglis; *Seaſcurvy* Addingtonio; *Black-leg* Scotis; Gallis *Scorbut*.

Cognoſcitur ex maculis lividis, flavis tibiarum, gingivarum cruentatione, tumore, fœtore.

Principia Scorbuti ſunt, 1° aër frigidus; 2° ſimulque humidus; 3° vita otioſa; 4° pathemata languida, ut mœror, metus; 5° cibus craſſus, viſcoſus abſque vegetabilibus. Neutrum ex his principiis ſolum ſufficit, plura ſimul concurrere debent. Scorbutus autumno & hyeme præparatur, vere excluditur, æſtate miteſcit. Nautæ præter hæc principia ſcorbutum experiuntur, quia pane mucido, aquis, piſcibus, carnibuſque corruptis utuntur; materia perſpirabilis frigore, humiditate, otio, mœrore, diætâ craſſâ ſupprimitur, corrumpitur, alkaleſcit, eaque acrimonia ſingularis putrida eſt *cauſa* ſcorbuti.

Principia *prædiſponentia* ſunt morbi chronici prægreſſi, febres intermittentes, uſus medicaminum metallicorum; *procatarctica* ſunt navigatio difficilis, obſidio urbis, concurrente vegetabilium inopiâ, metu, mœrore, exercitii defectu, aëre frigido humidoque.

Scorbutus accidentalis dicitur quem in ſanis non prædiſpoſitis principia procatarctica excitant; *conſtitutionalis* verò quem principia proëgumena præparant.

Scheurbeck Flandris ulcus oris & gingivarum ſignificat, *Bloeuweſchuyt* Saxonibus & *black-leg* Scotis ob cæruleas, nigraſque tibiarum maculas; *Scheurbot* ob dolores oſteocopos & *ſchorbuk* ob tormina & gaſtrodyniam, nuncupatur.

Morbus hic ante decimum ſextum ſæculum vix erat cognitus, & intra duo ultima ſæcula centum ferè tractatus de eo ſunt ſcripti, nullus verò antea.

Tres periodi in ſcorbuto obſervantur, unde ſcorbutus dicitur incipiens, creſcens, & inveteratus.

a, *Scorbutus incipiens*. C.

Pallor, leviſque intumeſcentia faciei, labiis, carunculiſque lachrymalibus virideſcentibus, color corporis initio pallidus, ſucceſſivè obſcurus & lividus evadit. Animæ mœror & proſtratio, pigritia, laſſitudo, cum genuum ſtupore & debilitate. Dyſpnœa à quovis motu & laſſitudo increſcens, gingivarum pruritus, dein tumor & facilis cruentatio; fœtet tunc anhelitus, gingivæ atrorubræ, molles, ſpongioſæ, dein putres & fungoſæ. Hæmorrhagiæ gingivarum aliarumque partium accedunt: Cutis hactenus ſicca, vel lucens & glabra vel aſpera & ſerpentina, jam maculæ ſubrubræ, ſubcæruleæ, lividæ, vel nigræ, aliæ lenticulares, aliæ palmares, frequentes in tibiis, non raræ in trunco, brachiis, cruribus, nuſquam ferè in facie.

b. Scorbutus creſcens.

Tendines flexorum tibiæ, ſcilicet ſeminervoſi & ſemimembranoſi potiùs quàm gracilis & bicipitis, retrahunt tibiam verſus femur, rigeſcunt; genua tument, dolent, harum partium motus perit, hæc eſt gonagra ſcorbutica. *Aſthenia* ſeu languor accedit magnus, & cùm diù à motu abſtinuere ægri, ex minimo motu incidunt in ſyncopem; ægri libero aëri expoſiti, non rarò ſtatim moriuntur; color faciei plumbeus. Pleurodyne ſeu dolores pectoris accedunt. Hæmorrhagiæ narium, gingivarum, hæmoptyſes, hepatirrhœæ merè cruentæ, ulcerum cruentatio. Senſus interea & appetitus ciborum benè ſe habent, licet corpore & animâ proſtratis; nullus dolor niſi à motu.

c. Scorbutus inveteratus.

Veteres ulcerum cicatrices ſi quæ ſint aperiuntur, cutis in tibiis crepat; ibi tumor mollis, lividus, dolens, ulcera fungoſa, cruenta. Synochi putres cum petechiis, ſudore frigido, menorrhagiæ lethales, aurigo, aſcites, hypochondriaſis, contracturæ, pleurodyne pectus conſtringens, conſtipatio alvi pertinax, dyſpnœa ſubitò enecans, urinæ paucæ, fœtidæ, rubiæ, animi deliquia, mors.

Quare dùm gingivæ putreſcunt, palatum immune eſt? Quare ſola genua, ſoli tendines flexorum tibiæ, non aliarum partium contracturis laborant? Quare facies à maculis libera & animæ functiones quoad cognitionem, judicium, appetitus integræ?

Affinitas virus ſcorbutici cum gravitate ſpecificâ determinatarum partium facit ut in illas agat, illis ſcilicet præ aliis adhæreat. Vide *diſſertat. de medicament.*

Scorbutus contagioſus non eſt in caſtris, obſidionibus; illis parcit, qui victu ſelecto utuntur, ut militum ducibus; milites verò in locis frigidis humidiſque jacentes, pane craſſo, potu vitioſo utentes, ſordidos, mœrore confectos excruciat.

Scorbuticum viru recens lympham glandularum meſenterii, ſynoviam genuum, ſebum cryptarum cutis in tibiis inſpiſſat; vetus cruorem diſſolvit, ſolida cordis, pulmonis, gingivarum, muſculorum, apophyſes oſſium, coſtarum extrema corrumpit; vix unquam oſſa maxillaria carie afficit, nunquam cerebro nocet, fluida verò ita acria reddit ut cruor atramenti inſtar niger evadat, in muſculis, & ſub cute ut ſerum effuſum, in pectore, abdomine

mine manus anatomicorum immerſas inflammet & epidermidem auferat, medullam oſſium liquefaciat.

Cruor in cute effuſus maculas lividas, nigraſve efficiens reſolvitur; unde ſi incipiant flaveſcere maculæ in ambitu, mox color diluatur, bonum ſignum eſt.

Curatio generica. Indicantur, 1° ea auxilia quæ liberam humorum putridorum excretionem juvant per alvum, renes, cutim, ne ab hujus virus ſtagnatione major & acrior corruptio fiat; 2° ea auxilia quæ hujus virus correctionem diluendo, edulcorando, vel ſpecificè deſtruendo, moliri poſſunt.

Auxilia diætetica. Victus ſit ex vegetabilibus recentibus quibuſcumque, aſt ſi poſſibile eſt ex acetariis refrigerantibus & acidis, ſed copioſè aſſiduò ſumptis; inter oleracea laudantur lactuca, endivia, braſſica, avena, hordeum; inter acida præſtant limones, citri, aurantia, groſſularia, acetoſa, portulaca, pyraceum, pomaceum, vinum album; inter edulcorantia, lacticinia omnia, cremores ex oryzâ, avenâ, hordeo, ſagou, panis triticeus, benè coctus, carnes recentes.

Inter acria cæpa, allium, porrum, fumaria, ſyſimbrium aquaticum, cochlearia officinarum, armoracia, ſynapi, cardamindum, beccabunga, ſedum minus, raphanus, menianthes; optimum eſt veſci ægrotantes juſculis & offis ex carne juniorum animalium, aut quavis recenti; non ſalitâ, fumove exſiccatâ, cum multis vegetabilibus, partim acidis, aut alkaleſcentibus, partim inſipidis & oleraceis.

Auxilia gymnaſtica. Æger aërem humidum, frigidumque vitet, jaceat in locis ſiccis; aëre calido, veſtimentis non humidis utatur, exercitio moderato fruatur, omni ope perſpirationem reſtituat; ad hunc finem animæ tranquillitas, libertas, lætitia maximè conducunt.

Auxilia chirurgica hic nulla ferè ſunt, phlebotomia valde noxia eſt, in ſcorbuto inveterato peſſima.

Auxilia pharmaceutica optima ex vegetabilibus inſtar alimentorum aſſumptis repetuntur; aſt in diverſis morbis ſcorbuticis diverſa ſunt; maximè verò conducunt quæ alvi laxitatem excitant, ut tamarindi, pruna, apozemata, juſcula ex oleraceis, cremor tartari; quæ perſpirationem juvant, ut aqua picata, *l'eau de goudron*, decoctum juniorum ramorum abietis piceæ; quæ urinas movent, ut oxymel ſcilliticum, quod parcâ doſi, ſed pluries in die aſſumptum, ita ut intra diem uncia una circiter hauriatur, quo eximio medicamine alvus laxatur, dolores mitigantur, omnes excretiones juvantur.

Narcotica nocent maximè, utcumque dolores ſæviant; vires enim proſternunt, cruorem diſſolvunt; metallica omnia vitanda, imprimis hydrargyrum, ferrum, antimonium; nocent & cathartica fortia, aut mediocria, ſola proſunt eccoprotica.

Ad os eluendum oleum vitrioli ad guttas decem ter in die in vehiculo, & gargariſmus hoc oleo acidulatus præſtant cæteris; deinde proſunt ſuccus limonum, aurantiorum, folia conchleariæ, ſyſimbrii aquatici, &c; vide

Stomacacem. Alternis verò ſudor proritetur initio ſumendo bis, vel ter in die grana 12 pilularum ſcilliticarum, vel bolum ex theriacâ & camphorâ, ſuperbibendo ptiſanam ex lignis ſudorificis; hæc remedia ſedato etiam morbo diu ſunt continuanda, ut recidiva vitetur.

Lactis potiſſimùm caprini ſerum, ſale polychreſto parvâ doſi addito, ſuccis antiſcorbuticis medicatum, optimè convenit ad ſanguinem lixivio acri per renes depurandum; poſtea verò lac integrum reliquias edulcorat.

Balnea tepida plantis aromaticis incoctis, modò nullus ſit hæmorrhagiæ metus, diaphoreſim juvant, humores diluunt, & ſtuphis vulgò ad ſudorem eliciendum adhibitis, præſtant; ex ſcorbutis ſequentibus quatuor frigidi, quintus calidus & dolorificus eſt.

d. Scorbutus lividus Abraham. Nitzſch. tract. theoretico-practic. de ſcorbuto exercitûs Ruſſici 1747.

Hæc ſpecies notatur magnis vibicibus nigreſcentibus circa tibias & articulos, non raro circa palpebras, & in ipſo albo oculorum, oculi tument, rubent, & ophthalmia chemoſi laborant; gingivæ valdè tument, decolorantur, remolleſcunt, expreſſæ fundunt ichorem flavum, fœtidum; parotides tument; urina intenſè rubet; cutis vibicibus obſcuris, ſubrubris, vel lividis virgata cum febre & acutis doloribus, hujus ſpeciei character eſt. Viguit verò Wiburgi & Petropoli annis 1732. & 1733.

e. Scorbutus petechialis Abrah. Nitzſch.

Maculæ magis atro-rubræ, dein brunneæ & ſubflavæ, exiguas lentes, vel petechias referunt; hinc dolor cutis quæ in parte tibiarum anticâ, & circa malleolos his afficitur; interea genua à vibicibus ſubrubris non ſunt immunia; harum partium tumor & dolor, ac pulſûs frequentia creſcunt pari paſſu quo macularum rubedo intenditur, gingivæ minùs ſpongioſæ quàm in ſcorbuto livido, aſt ſuperiùs excoriatæ; urinæ rubræ; genas intùs obſident verrucoſa tubercula, quandoque fungoſa, quarum alia verſus fauces producta; ſputa frequentiora, anhelitus fœtidior, crotaphites muſculus infra zygoma quandoque tumet, nunquam verò parotides; viguit in caſtris Uſt-Samaræ anno 1737.

f. Scorbutus pallidus Abrah. Nitzſch. Duæ varietates.

Nullæ in hac ſpecie ſunt maculæ, viget phlegmatia pallida, quæ ſenſim flaveſcit auriginis inſtar, dum viget lymphæ ranciditas, adeps ſebi inſtar induratur; tunc autem brachia & tibiæ mirè tument & indurantur; obſervantur ſupra manus & tibias concretiones tophaceæ; genæ magis inflantur, genua magis contracta, gingivæ minùs molles, minùſque putridæ, quandoque ex angulo mandibulæ inferioris excreſcunt fungi, maxillæ invicem apprimuntur, parotidibus, crotaphitis & maſſeteribus ſimul quandoque induratis; hinc *ſcorbutus pallidus tophaceus.*

Cùm verò ſerum vappidum in textu celluloſo cumulatur, anaſarca ſcorbutica eſt; ſi in pulmonibus, aſthma & hydrothorax ſcorbuticus; ſi in abdomine, aſcites; ſi in inteſtinis, diarrhœa, atque cùm acrior evadit hæc lympha, dolores erodentes ſparſim diriſſimos inducit; at non vigent magis quàm

quàm ubi coſtæ ſterno junguntur; hinc dira pleurodyne caries coſtas ita corrumpit, ut ipſæ ſecedant à cartilaginibus, unde quidam ſtrepitus inter reſpirandum, ſed priùs aſthma ſpaſmodicum, ſuffocans, diarrhœa colliquativa, & torminoſa, vel aſcites lethalis; hæc ſpecies *ſcorbutus pallidus muriaticus* dicitur; in genere verò ſcorbutus pallidus aliis eſt diuturnior, cùm totâ æſtate, & uſque ad autumni finem perduret. Tophaceus obſervabatur Borgo in Finlandiâ 1742, & muriaticus Aboæ 1743.

g. Scorbutus ruber Abrah. Nitzſch.

Debilitas extrema, cutis admodùm rubra, genæ tumidæ & pendulæ, cachexia profunda, gingivæ maximè fungoſæ, putres, fœtidæ, purulentæ, genua contracta; hæc ſpecies etiam lenta in caſtris Uſt-Samaræ obſervata.

h. Scorbutus calidus Abrah. Nitzſch.

Nulla intumeſcentia, corpus potiùs macilentum, gingivæ nec fungoſæ, nec fœtidæ, ſed calent admodùm, ita dolent & turgent, ut levem tactum æger non toleret, dolores non ita fixi ac in ſcorbutis frigidis; æger continuò querulus ſtatum ſuum ſuſpirando deplorat, febre exacerbante anomalâ affligitur; dolores vagi nunc dorſum dimittunt, & dimidium caput vel integrum, necnon collum & dentes excruciat, vel illicò intra vel extra thoracem ſe proripiens orthopnœam & pleurodynem excitat: ſi verò fixi ſint, abdomen colicis, nephralgiâ, iſchuriâ & ſpaſmis extrema torquet; genua valdè rigida, & contracta, minus tamen tumida & inflammata quàm in ſcorbutis frigidis, nullæ maculæ; urinæ demùm ac febris hanc ſpeciem diſtinguunt; urinæ ſcilicet ſedimentum craſſum & arenuloſum, atque pellicula tenuis, alba, adipoſa, ſupernatans. Obſervata Wiburgi eſt hæc ſpecies.

XXVIII. Elephantiasis; *Elephas* Levretii lib. 6, Plinii hiſt. natur. lib. 26 cap. 1; *Elephanti morbus* & *Elephantiaſis* Aretæi de morbis diuturn. lib. 2 cap. 13; *Lepra Arabum* vulgò; *Ladrerie*. Ejus varietates *Satiriaſmi* ac *Leontiaſis* nomine inſigniuntur. Ægri *Elephantiaci*. Gall. *Ladres*, *Eléphantiques*.

Morbus eſt Ægypti endemius, nunc in Europâ exoletus, chronicus, contagioſus, cujus ſymptomata characteriſtica ſunt, 1° cutis elephantina, dura, unctuoſa, hìc & illic craſſa, rugoſa, rimoſa, aſpera, anſerina, nigricans, pilis deſtituta; 2° ſtupor, anæſtheſia potiſſimùm in tibiis, manibuſque acûs puncturam vix ſentientibus; 3° deformitas faciei horrenda, genæ atrorubræ, rugæ frontis leoninæ, aſpectus fixus, oculi rotundi, naſus reſimus, nares fœtidæ, craſſæ, intùs obſtructæ, rictus ſatyrorum, mentum complanatum. His adde vocem naſalem, raucam, mores doloſos, malos, ſomnia terrifica, gravitatem corporis, puſtulas ſiccas & vitiliginem, ſciſſuras, ſeu rhagades in pedibus, cariem vomeris, glanduloſam diſpoſitionem, urinam jumentorum, aliaque bene multa apud *Gordonium*, *Marcellum Donatum*, alioſque autoptas invenienda.

Hic

Hic morbus uti ſyphilis, aliique hujus ordinis, cùm inveteraſcit exulceratur, oſſa carioſa reddit cum fœtore horrendo, mediantibus his miaſmatis contagioſus eſt, ulcere & carie delabuntur extremæ partes, ut digiti pedum, manuumque.

1. *Elephantiaſis Orientalis; Morbus ſancti Lazari* Aretæi de morbis diuturn. cap. 13; Proſper. Alpini de morbis Ægyptiorum; *Lepra* Arabum. C.

Ea eſt quæ ex oriente, tempore migrationum in Palæſtinam Religionis cauſâ inſtitutarum, in Europam ſecundâ vice allata fuit, & ducentis abhinc annis exolevit; ea verò minimè à lue ſyphiliticâ ortum duxiſſe cenſenda erat, cùm hæc lues tunc temporis nondum in Orientem, nec in Europam irrepſiſſet.

Hanc tribuit *Alpinus* piſcibus lutulentis quibus veſcebantur Ægyptii, iiſque ſalitis, & aquæ cœnoſæ quam potabant. Symptomata hujus morbi alia in incubatione, alia in vigore, alia in fine. 1° Elephantiaſis occultæ ſigna ſunt, juxtà *Gordonium Profeſſorem Monſpelienſem*, color faciei rubens, vergens ad nigredinem, anhelitûs immutatio, vox rauceſcens, capilli graciliores & rariores, perſpiratio & anhelitus ſubfœtidi, mores melancholici, mali, doloſi, ſomnia terrifica, ephialtes, in quibuſdam puſtulæ ſcabioſæ, & morphæa per totum corpus, fœditas cutis, ſed nondum corruptâ figurâ corporis, *æger non eſt judicandus ad ſeparationem*, ſeu mittendus ad Lazaretum, *ſed eſt fortiſſimè comminandus.*

2° Signa infallibilia manifeſtæ elephantiaſeos ſunt depilatio ſuperciliorum, eorum craſſities, rotunditas oculorum, dilatatio narium exteriùs, & coarctatio interiùs cum dyſpnœâ; accedit vox naſalis, color faciei luridus, luciduſque, vergens ad fuſcedinem mortificatam, terribilis aſpectus faciei, fixus intuitus, gracilitas & contractio lobi aurium; ex concurſu aliquot ſignorum æger elephantiacus judicatur; ſunt autem plura minùs conſtantia, v. g. puſtulæ & excreſcentiæ, conſumptio muſculorum, potiſſimùm illius qui eſt inter pollicem & indicem, inſenſibilitas extremitatum, ſciſſuræ & infectiones cutis, contenta in ſanguine nigra, terrea, aſpera & arenoſa, & multa alia ab Auctoribus relata.

3° Signa lepræ inveteratæ ſunt corroſio & caſus vomeris, unde naſus deprimitur; rhagades pedum & manuum, eorumque caſus; craſſities labiorum; diſpoſitio corporis glanduloſa, qualis in ſuibus leproſis; dyſpnœa, & vox rauciloqua, catulina; faciei aſpectus terribilis, colorque niger, pulſus occultus, parvus; his addit *Gilbertus* cutem lucidam & firmam ad inſtar corii politi, diſtorſionem juncturarum, facilem refrigerationem cutis, ejus inſenſibilitatem, aut ſtuporem cum ſenſu formicationis; naſi, oris, oculorum diſtorſionem, veneris appetitum ardentem. Plures hujus morbi varietates, aut ſi Arabibus credamus, ſunt ſpecies quarum nomina & ſigna ex *Gilberto Anglo* mutuabimur loco lepræ elephantiaſim nominando.

2. *Elephantiaſis legitima; Lepra elephantia* Gilberti compend. medicin. libro 7 fol. 337. Species in portu Martigues Gallo-Provinciæ hodiernum endemia. Journ. de Med. Aout 1765 p. 558.

Melaſi-

Melaſicterus ſeu color faciei & totius corporis lividus, nigricans, ruborve turbidus, ſeu maculoſus ex levi de cauſâ accedens. Aſpectus horridus, oculis rotundis, palpebris corrugatis, cutis univerſalis dura, ſqualida. Anæſtheſia major quàm in reliquis ſpeciebus. Scrophula copioſa, ſtrumis duris, linguâ granuloſâ. Ægri triſtes, famelici, conſtipati, cute unctuoſâ. Supercilia arcuata, nares conſtrictæ. Manus, coxæ, pedes nodoſi, muſculi conſumpti, puſtulæ duræ, turpes maculæ, verrucæ nigræ. Labia, nares, frons rugis exarata. Impotentes ſunt ad gradiendum & ad opera ſolita. Fiſſuræ & ſeparationes crebræ. Urina glauca & tenuis, ſanguis niger & denſus.

3. *Elephantiaſis leonina. Lepra leonina* Gilberti Angli; affinis eſt lepræ allopiciæ dictæ, procedit à regimine calidiori, ut piperatis, alliatis, vino, &c. C.

Adeſt ſuperciliorum depilatio; facies ac totum corpus flaveſcit ac rubet; eſt dolor pungitivus in palpebris, oculorum inſtabilitas, tremulus motus, ac rotunditas; nares ſunt conſtrictæ ac compreſſæ; vox eſt gracilis & aſpera quaſi catellorum; rhagades labiorum, crepatura cutis ac omnium juncturarum in manibus, pedibuſque ſeparatio; cutis diverſis maculis adinſtar leonum eſt variegata; gingivarum adeſt corroſio ac cruentatio à levi preſſione, ægri ſunt ſitibundi, clamoſi, veneri addicti, iracundiores cæteris; pectoris conſtrictionem, corporis gracilitatem, ventris ſtricturam patiuntur.

Impetigo, ſerpigo, morphæa rubra vel crocea accedunt, eâ inveteraſcente corroduntur extrema, ſanguis fluxilis eſt, difficulter coagulabilis, progreſſus morbi eſt celerior quàm aliarum ſpecierum, cura eadem ac allopiciæ lepræ.

4. *Elephantiaſis tyria. Lepra tyria* Gilberti. C.

Dicitur à tyro ſerpente, quia in hac cutis facilè deponitur, citò enim putreſcit cutis & caro adjacens; adſcribitur piſcibus & lacti corruptis; hanc præcedit pallor faciei, morphæa alba; facies eſt lucida, ſupercilium & mentum pilis carent, nullo ſudore diffluunt, oculi parvi ſunt, facies furfuracea, cutis humida, ſqualida, rugoſa, unctuoſa; alvus laxa; ægri debiles; ſubtumida eſt facies, naſus craſſus, craſſa ſupercilia, palpebræ inverſæ, oculis deinceps lachrymoſis, nares oppilatæ, gingivæ & labia putreſcunt, extremitates digitorum manuum & pedum incraſſantur, putreſcunt, crepant, finduntur, cadunt, puſtulæ abundant, exſcreationes & narium emunctiones plurimæ, à ſcalptu cujuſvis partis quaſi farina, ac furfur excutitur, cruor eſt aquoſus, glandulæ molles oriuntur, &c.

5. *Elephantiaſis allopicia. Lepra allopicia* Gilberti; *alopecia* Græcis, ab *alopex* vulpes, cui, ait Auctor, ſupercilia glabra ſunt.

Præcedit color faciei ex livido citrino & rubro variegatus, facilè mutabilis in pallorem; adeſt morphæa rubra, ſudores multi fœtidi, maximè circa pedes & axillas, oculi obliqui, lachrymoſi, rubore ſuffuſi, palpebræ invertuntur & incraſſantur, nares obſtructæ & depreſſæ fœtent, è gingivis ſanies emanat, imò ex cute, ubivis ſcalpatur; cutis minus dura, lucida, quaſi oleo illita, urina rubra & pinguis.

Ex hac hiſtoriâ ſequitur multas fuiſſe ſpecies diverſorum morborum qui à

viru elephantiaco fovebantur, quas in hoc opere omiſimus, quia vix unquam hodie obſervantur, ut ſunt ex *prima* claſſe vitiligo, herpes, œdema, verruca, exarthrema, loxarthrus; ex *quartâ* ſtrabiſmus, nyſtagmus; ex *quintâ*, dyſpnœa; ex *ſextâ* anoſmia, anæſthesia, paraphonia, aſthenia; ex *ſeptimâ* algor, laſſitudo, ſtupor, pruritus; ex *octavâ*, ſatyriaſis, panophobia; ex *nonâ* ſtomacace, epiphora, ſcrophula, ſyphilis, ſcorbutus, lepra, alopecia, ophiaſis, aurigo & melaſicterus, ita ut nullum ſit virus, ſi ſyphiliticum excipiamus, quod pluribus diverſis morbis anſam præbeat, unde à magnitudine *elephantia*, à violentiâ *Herculeus morbus* fuit nuncupatus.

6. *Elephantiaſis ſyphilitica* Dominici Raymond. Traité des Maladies qu'il eſt dangereux de guérir, pag. 357. C.

Eſt ea quæ à viru venereo pendet, ac per hydrargyroſim ſanari poteſt.

Mulier quinquagenaria, temperamenti melancholici, habebat oculos ſolitò turgidiores & rubros cum debili viſu, nulla cilia, nec ſupercilia, labia craſſa, tumida, vocem debilem & raucam, naſum depreſſum, nares patulas, humorem fœtidum exſtillantes, frontem rugoſam, caput omninò calvum, inceſſum gravem & tardum à ſex circiter menſibus, cum pulſu parvo, debili, profundo, auditu obſcuro, lobis aurium ſolito craſſioribus, cute omninò glabrâ ſine pilis, lucidâ, craſſâ, aſperâ, inæquali, pluribus in locis induratâ, aliquali pruritu in toto corpore, agheuſtiâ, anhelitu ſordido, capitis gravitate, ſomno ſufficienti, alvo liberâ; maritus ſyphilide laboraverat, & hoc ſolum morbi principium incuſari in uxore poterat. Unde adhibita hydrargyroſi intra duos menſes ea mulier omninò convaluit, cutis mollitiem, caput capillos ſuos, viſus & auditus ſuam acutiem recuperarunt.

Quod autem elephantiaſis orientalis alterius indolis ſit, nec à viru ſyphilitico pendeat, confirmat altera *D. Raymond* obſervatio quâ docet mulierem Maſſilienſem quæ in Inſulâ Cypro elephantiaſim contraxerat hydrargyroſi cautè adhibitâ minimè ſublevatam fuiſſe, & cum ſymptomatis veræ elephantiaſis poſt aliquot annos obiiſſe.

7. *Elephantiaſis Javanenſis* Andr. Cleyeri Ephemerid. Naturæ Curioſor. decad. 2. ann. 2. 1683, Collect. Acad. Tom. 3 pag. 531.

Hic morbus novus eſt in Inſulâ Javâ, ab anno 1660. Tribuitur uſui piſcium ſalitorum, piperis, & radicum ari immoderatiſſimo.

1°. Incipit à tumore tardigrado ſed enormi aurium, nec non digitorum, manuum ac pedum, qui & faciem & brachia & crura aggreſſi hominis figuram mirè deturpant, tumores extremorum ſenſim creſcunt, ſuppurant, & carie oſſa corrumpunt, quæ caries in viciniam ſerpit, niſi pars amputetur; illi tumores ſunt duri, ſcrophuloſi, magni. 2° Intalis eſt anæſthesia tanta ut acubus perforati nil ſentiant. 3° Similis eſt ſenſus abolitio in maculis lividis per cutem reſperſis, inde ſequitur capillorum, barbæ, ſuperciliorum defluvium, quod tamen non omnibus accidit.

Ex icone additâ hominis eo morbo affecti meliùs quàm ex deſcriptione cognoſci poteſt hic mirus morbus, qui ob faciei deturpationem tumores

res ſcrophuloſos, carioſos & maculas lividas nec non anæſtheſiam ad elephantiaſim accedit, ab eâ verò diſcrepat ratione mollitiei nativæ cutis; fortè novum genus conſtituit: quid genus morbi ſit & quæ remedia conveniant in Inſulâ in qua ſyphilis eſt febre vulgatior quærit *ill. Cleyerus.* Reſpondeo ſublimatum corroſivum more Swieteniano & pilulas de conio maculato more Storckii tentari poſſe.

8. *Elephantiaſis ſimulata* Ambroſ. Paræi lib. 24 cap. 18.

Verſipellis mendicus præ templi foribus merces ſuas explicabat, ricam nempè, doliolum ligneum, & crepitacula quæ elephantiaci manibus concutere ſoliti erant; facies illi craſſioribus puſtulis, rubro-lividis conſperſa aſſurgebat; illæ puſtulæ ex glutine fabrili erant effictæ; vocem raucam edebat, laneo collari fauces conſtringebat ut colorem faciei atro-rubrum ſibi conciliaret. Paræi frater dolum ſuſpicatus eſt, & magiſtratibus mendicum tradidit, qui eum flagris à tortore cædendum judicarunt; tortor verò per jocum non verebatur eum graviter cædere qui elephantiacum profeſſus nil ſentiret.

9. *Elephantiaſis Indica* Couzier Journ. de Med. Decemb. 1757. C.

In Inſulâ Maſcarinâ nullus morbus magis eſt iſto formidandus ſimulque incurabilis.

Incipit à maculis paululum tumidis diverſi coloris, nunc flavis, nunc rubellis, aliàs lividis in diverſis partibus ſimul; in habitu corporis multæ glandulæ tument, ægro tamen de cætero vigente. Senſim phalanges pedum & manuum multùm intumeſcunt, unde digitorum uſus amittitur. Superveniunt in toto corpore tubercula dura, nec adhærentia nec dolentia, quæ creſcunt & in pedibus brachiiſque potiſſimùm exulcerantur, & hæc ulcera cancroſa videntur, excepto quod non doleant; digiti pedum, manuumque hinc exedi & deſtrui ſolent; jam coryza ægrum adoritur, radix naſi incraſſatur, ibi oſſa carioſa fiunt, unde ſanies fœtidiſſima emanat, labia intumeſcunt; frons, cilia, palpebræ elevantur, facies abit in larvam horrendam. Macies maraſmodea totius corporis adjungitur, cutis arida, aſpera tactu, callis, maculiſque lividis vel nigris reſperſa, ſceleton involvit. Cùm ulcera numeroſiſſima, aſpectu cancroſa, corpus totum obſident, nulla functio exercetur, inappetentia, agrypnia, cardialgia, nauſeæ continuæ cum torminibus, demùm ſine pulſûs mutatione, mors. Sanguis initio eductus optimus videtur, aſt provecto morbo nigricat conſiſtentiâ gelatinæ corruptæ; puellæ hunc morbum ante pubertatem experientes impoſterum catameniis carent. Morbus à parentibus in prolem & nutricibus in alumnos ſerpit, aliunde contagii expers.

Cura. Utuntur Indi catharticis repetitis, emeticis draſticis, hydrargyrum in potu & litu, cum ſudorificis omnigenis; his auxiliis depuratur cutis, maculæ quædam evaneſcunt, quædamque tubercula, ſed inde pertinacior atque velocior evadit morbus: cauſticis etiam maculæ & aperientibus calidis intus ſumptis tubercula tolluntur, ſed ulcera calloſa magis evadunt, totaque pars ſenſum amittit.

Melius eſt ad vitandum morbum abſtinere ab alimentis calidis, liquoribus ſpirituoſis, aſt utendum diluentibus ſubacidis initio, juſculis aperientibus atque lenibus catharticis.

XXIX. Lepra; *Lepra* Græcorum, non Arabum; *la lèpre.*

Cognoſcitur ex puſtulis verrucoſis, duris, craſſis, vel ſquamis ſiccis in corymbos diſpoſitis, per faciem & corpus diſperſis cum pruritu harum puſtularum: quædam exulcerantur & dein cruſtaceæ evadunt; hinc lepra humida dicitur, ſi prævaleat illarum numerus; ſecus, ſicca aut arida vocatur.

1. *Lepra Græcorum, lèpre ordinaire.* C.

Cognoſcitur ex duris furfuraceiſque tuberculis, verrucoſis, ſeu verrucas craſſas referentibus, ſubrubentibus, ſine dolore faciem manus totum quandoque corpus afficientibus, quæ ſenſu carent, viciniâ tamen pruriginoſâ; ſæpius cutis vicina eſt ſubœdematoſa, ſenſu ferè deſtituta, tibiæ phlegmatiâ tumidæ; hic morbus apud noſtrates vix unquam videtur, niſi ægri ex Hiſpaniâ, ex Oriente, aut ex Americâ huc acceſſerint: Chronicus eſt, & ſanatu difficillimus.

Hydrargyroſis hunc morbum exaſperat, licet quandoque ſyphilidis ſuſpicio ſit; curatur feliciùs juſculis ex ſerpente vulgari ſeu colubro natrice; vel juſcula paranda ex pullis viperarum carne ſaginatis.

Eum morbum etiam aggredi poſſumus ope bolorum ex calomelani granis ſex, camphoræ grano uno, fiat bolus ex conſervâ roſarum ſextâ quaque noćte ſumendus, ſuperbibendo potionem catharticam vulgarem; diebus verò ab hoc bolo vacuis fiat bolus ex carnis viperinæ ſcrupulo uno, camphoræ grano uno cum conſervâ roſarum ſumendus horâ ſomni, dein aquæ marinæ ſemilibram ſequenti mane potabit æger, quâ methodo intra menſem lepras aridas ſanavit Ruſſellus.

Mentagra Plinii nihil aliud eſt quam hæc lepra mentum & faciem afficiens.

2. *Lepra Ichthyoſis* Aćt. Lipſiæ 1688 pag. 617; *impetigo excorticativa* & *albaras nigra* Avicennæ, Tom. 2 pag. 244. Stalpart. Cent. II. Obſ. 35; Hoffmann. diſquiſit. p. 138; Vater Philoſoph. Tranſaćt. n. 140; Buffon Hiſt. natur. Tom. II p. 507. des maladies du Paraguay; Haller Phyſiol. Tom. V. p. 13. L.

Eſt ea in qua diverſæ corporis partes teguntur ſquamis ſiccis, albidis, ſucceſſivè ſuperincumbentibus, eodem ordine ac modo quo ſquamæ piſcium; illæ, obſervante *Dovero,* amplæ ſunt, & circulo rubro cinćtæ apud Aſiaticos.

Juxta *Avicennam*, *albaras nigra* nominatur, „ impetigo eſcorticativa & eſt
„ ſcabioſitas accidens cuti, aſpera, vehemens, & facit ſquamas ſicut ſunt
„ piſcium, cum pruritu, & eſt de antecedentibus lepram, & eſt cum ma-
„ litiâ. *Avicenna cap. 9. de morphæa.*

In

In obſervatione ichthyoſeos Act. Lipſienſium æger non ſolùm ſquamis piſcium inſtar tectus erat, ſed etiam piſcium odorem ſpargebat.

3. *Lepra Indica* Boerhaave conſult. 4; *Impetigo Americana* Guill. Piſonis cap. 18; *Empigo* Luſitanis. C.

Cutis hìc illic cruſtacea, ſquamoſa; cruſtæ articulos & caput præcipuè invadunt, de cætero paſſim in totâ cute conſpicuæ, & ſi ſcalpantur, ichorem album emittunt. Hac ſpecie à pueritiâ per octodecim annos laborabat mulier in Barbadenſibus Inſulis nata, hyſteralgiâ & leucorrhœâ affecta cum doloribus vagis totius corporis, præcipuè capitis; noctes illi inquietæ, calores ſubiti invadentes & recedentes; frigoris impatiens, vultus olim vegetus, dein pallido-flavus, debilitas creſcens, ſaburra pituitoſa in ventriculo.

Curatio. Abſtinuit venere & bacho, uſa lacticiniis, oleribus farinoſis, nullâ carne; mitiora antiſcorbutica, obtundentia ſumpſit; dein uſu calomelani & hydrargyroſeos paſſa ptyaliſmum, inde cruſtis liberabatur cutis; dein per menſem uſa eſt decocto lignorum & corticis ulmi, medicamentis viperinis, pulveribus teſtaceis, ſed hyeme repullulavit morbus; vere ſequente ptyaliſmus excitatus mercurialibus, inde recuperata aquas Scarburienſes potavit, in mari balnea ſumpſit, hyeme verò reverſum eſt malum. Ad diætam lacteam vere confugit, aquas & balnea Bathonica intra menſem adhibuit, ſed rurſus poſt ſex menſes lepra redivit.

Boerhaave tunc præſcripſit frictiones ex pannis aſperis fumo ſulphuris accenſi penetratis, ubique corporis: interea triduo ante novilunium & plenilunium purgetur ſic: Æthiopis mineralis, grana IX, reſinæ jalappæ, gr. IV, ſacchari, gr. III; ſcammonii, gr. V. ſtibii diaphoretici, gr. XIV. fiat pulvis tenuiſſimus: veſpere verò catharſim ſequente, ſumat aquæ meliſſæ, unc. II; ſpiritus vitæ Matthioli, drachm. II; ſyrupi diacodii, drachm. VI; tincturæ ſuccini, gutt. IX. cæteris verò menſis diebus quotidiè ter ſorbeat ſingulis vicibus uncias V. decocti ex radicis bardanæ recent. unc. IV; graminis, unc. III; eryngii, unc. II; lapathi acuti, drachm. II; ſcabioſæ recentis, m. I; decoque cum aquæ fontanæ libr. V; interea corpus exerceat, abſtineat à ſalſis, fumo induratis, & maximè à pinguibus ut lardo.

4. *Lepra Aſturienſis* Thiery apud Vandermonde Journ. de Med. May 1755 p. 337. *Mal de la Roſa* Hiſpanis. C.

Eſt lepra ſcorbutica, endemia apud Aſturienſes, cum tremore capitis & trunci partis ſuperioris, cicatrice manuum & pedum coloris roſei, collari herpetico, aliiſque diris ſymptomatis.

Potiſſimum ſymptoma, quod *la Roſa* vocant Hiſpani, eſt cruſta arida, nigricans, ſcabra, rhagadibus variis ſulcata, valde dolorifica, viſu horrenda, & fœtidiſſima, cujus ſedes eſt in parte ſupina manuum vel pedum, non raró in brachiis, cubito, capite, abdomine: huic ſunt valde obnoxii Aſturienſes, qui in vallibus præaltis humidis, ſoli ferè imperviis habitant: vere accedit hæc cruſta incipiens à rubore aſpero, dein

cruſtaceo ; æſtate cruſtæ delabuntur, ſuperſunt veſtigia cicatricoſa, glabra, rubella, roſacea, pilis nuda, infra cutis libellam depreſſa, lucida, cicatricis ambuſtæ partis æmula ; hæc veſtigia per vitam perſeverant, cruſtæ verò quolibet vere revertuntur & plures ſimul partes afficiunt. 2° Alterum ſymptoma non infrequens eſt collare ſeu cruſta cinereo-flaveſcens, duos digitos lata, è collo dependens, & bifariam divaricata, cum appendice juxta ſternum deſcendente. 3° Tertium ſymptoma eſt tremor capitis & trunci continuus, inſtar arundinis vento agitatæ, 4° Ardor oris dolorificus. 5° Lingua ſordida. 6° Phlyctænæ labiorum. 7° Cardialgia à debilitate ſtomachi. 8° Aſthenia univerſalis, non tamen lecto affigens, gravativa, potiſſimùm in cruribus, unde inertia. 9° Calor lecti ipſis intolerabilis eſt, frigus tamen eos minimè juvat, mœrór eſt continuus ; ſine ratione & mentis compotes clamant quandoque & vociferantur.

Hactenus ſymptomata omnibus fermè ægris communia retulimus, rariora verò ſunt paraphroſyne fugax, ſenſûs alterutrius jactura, ut agheuſtia, anæſthesia partialis, cruſtæ, ulcera, eryſipelata in diverſis locis præter aſſignata, febres anomalæ, ſomnus inquietus, cutis decolor & primus gradus elephantiaſeos.

Morbus terminatur aſcite, ſcrophulis, vel atrophia ; ac æſtate ſupervenit non rarò melancholia errabunda, quæ in deſperationem conjiciens ipſis ſæpè lethalis eſt.

Incurabilis cenſetur hic morbus : juvant tamen 1° diæta lactea ; 2 butyrum intus & extus adhibitum ; 3° pilulæ ex croco martis, æthiope mercuriali, antimonio crudo & balſamis ; 4° interpoſita cathartica : hæc refert teſtis *Illuſt. Thiery D. M. Pariſ.*

5. *Lepra Herpetica*, *Dartres encroutées*, *lépre humide.*

Cognoſcitur ex herpetibus cruſtaceis, ſquamoſis, albis, hyeme majoribus, & ſuppurantibus, noctu intolerabiliter prurientibus, brachia ambo uſque ad carpum, ambo femora, tibiaſque uſque ad pedes quandoque tegentibus ; ſcalptu cruentatur hæc lepra ; poplites & cubiti vix flecti poſſunt, præceſſerunt non rarò tineæ malignæ.

Adverſus hunc morbum valet hic proceſſus curatorius : 1° vena ſecetur ; 2° catharſis inſtituatur ; 3° juſcula decem ſumantur cum ranis & unciâ una ac ſemiſſe carnis colubri natricis, beccabungæ & cardamindi foliis ; 4° ingrediatur æger balneum per decem dies iterandum, bibendo libram ſeri lactis ; 5° iterato purgatus juſcula priora repetet ; 6° & iterùm purgatus balnea iteret ; 7° juſcula dein ex teſtudine & cancris cum ſyſimbrio & cichorio ſumat ; 8° juſculis finitis purgetur & balneis utatur ; 9° poſt ſufficiens intervallum aquas ſulphureas Euzetenſes per novem dies ſumat, eaſque poſt octiduum iteret, & ſi ea methodus non ſuffecerit, ad litus mercuriales deveniendum erit.

6. *Lepra malum mortuum ; Malum mortuum* Gordonii lilium path. 1 rubric. 3 ; Aſtrucii de tumoribus libr. 1 pag. 401. *Le mal mort.* L.

Cognoſci-

Cognoſcitur ex puſtulis cruſtoſis, magnis; fœdis, ſine ſanie, cum quadam inſenſibilitate & turpi aſpectu, in coxis & tibiis frequentius evenientibus. *Gordon.*

Mihi apparuit ſub forma puſtularum monetæ majoris aut minoris magnitudine, in brachiis, femoribus, raró in facie: hæ puſtulæ lineam & ultra craſſæ, ſunt ſiccæ, diſtantiſſimæ ab invicem, cruſtoſæ, obſcuri coloris, ſine dolore, fixæ, pertinaciſſimæ, vix pruriginoſæ, his elapſis cutis infra eſt granuloſa, non exulcerata, rubra.

Immeritò hic morbus inter herpetes cruſtaceos habetur, lepræ magis affinis eſt. Religioſæ orphanotrophii Monſpelienſis, ſine ullis cauſticis, hunc morbum ſanare conſueverunt, eodem modo quo ſanatur tinea maligna, ſcilicet per picationem ſeu dropaciſmum.

XXX. Scabies; *Pſora* Græcis; *Itch* Anglis; *Rogne* Occitanis; *Gale.*

Cognoſcitur ex puſtulis exiguis, lentis aut grani milii circiter magnitudine, ſcalpendo ruptis, & dein cruſtoſis, inſigniter prurientibus, manus potiſſimùm infeſtantibus, contagioſis.

Hæc lues incipit in digitis, eorumque interſtitiis; adſunt phlyctænæ ſeu veſiculæ acri ſero plenæ, rubellæ, calentes, quibus per ſcalptum ruptis ſuccedunt cruſtæ ſiccæ cum exiguis rhagadibus & pruritu importuno; ſi puſtulæ unâ aut alterâ lineâ in diametro non ſint minores & diſcretæ, ſcabies eſt *humida vulgaris*; ſi grano milii circiter æquales, denſæ, dolentiſſimæ, intenſiùs rubræ, ſcabies eſt *canina* vel *herpetica.*

Hic affectus vel ſponte oritur & partes frigori expoſitas, ut manus, genua, cubitum potiſſimùm afficit, inde per corpus diſpergitur; ſæpiùs contagio immediato ſuſcipitur; ſordidis, ruſticis, montium incolis & juvenibus familiaris.

Differt à pruritu per puſtulas; in pruritu enim ad ſummum cutis eſt leviter aſpera, non puſtulis exeſa. Differt à lepra quod tubercula cruſtoſa, verrucoſa, multò latiora, & altiora potiſſimùm in facie, eaque hic illic ſparſa, vel ſquamoſas puſtulas gerat leproſus.

Scabies utcumque pruritu moleſtiſſima ſit, nullum vitæ periculum importat, maximè ſi topica ſit, nec ſanguinem altè infecerit virus; imò datur ſcabies critica & ſalutaris in morbis gravioribus, ac apud Indos ſcabioſi à pluribus aliis morbis immunes ſunt; inoculata graves quoſdam morbos ſanat.

1. *Scabies humida, benigna* Frid. Hoffmanni T. II p. 426; *Gale commune ou boutonnée.* L.

Puſtulis hìc & illic in digitis, carpo, interſtitiis digitorùm, initio rubellis, dein ſcalptu aſſiduo quem pruritus imperat humidis, cognoſcitur. Noctu pruritus acrior eſt cum calore, æger unguibus partem quandoque cruentat, unde dolor.

Scabies illa vel ſpontanea eſt ab immunditie, retentâ perſpiratione & regimine calidiori, ut ſalſamentis oriunda, eaque viru ſuo ſanguinem inficit, diutiùs

diutiùſque reſiſtit ; vel eſt acquiſita contactu ſcilicet ſcabioſorum induſiorum, chirothecarum geſtatione, concubitu, eaque faciliùs abigitur.

Curatur utraque litu ex unguento ſulphuris, verùm prior exigit ut præmittantur phlebotomiæ, catharſis & juſcula diluentia & diuretica ex radicibus lapathi, enulæ campanæ, foliis ſyſimbrii aquatici, fumariæ, chærophylli &c : imò ſi æger ſit macilentus & temperamenti calidi, præmittatur uſus ſeri lactis per viginti dies, dein inungatur partitis vicibus totum corpus excepto capite, ita ut intra ſex dies veſpere lectum petiturus hoc opus abſolvat.

Sulphuris vivi unciæ tres bulliant cum olei olivarum libris duabus & ſemiſſe ad quartæ partis conſumptionem, huic linimento adde, ſi lubeat, nitri drachmas quatuor, ſucci citri uncias duas.

Interea aër frigidior vitandus ; induſia verò imò veſtes ita fœtent à ſulphure, ut vix tolerari poſſint, atque his etiam mutatis, odor per menſem alias veſtes inficiet : de cætero tuta eſt hæc curandi methodus. Altera non minùs tuta methodus à *clariſſ. Chirurgo Monſpel. D. Goulard* evulgata in libro cui titulus : *traité des effets des préparations du plomb* pag. 297, ſcilicet ſerò & manè eluat æger partes affectas aquâ ſale ſaturni, vel, ut ait ipſe, ſaturni extracto tinctâ ſeu dealbatâ, & poſt quatuor vel quinque dies, eruptione finitâ, aquæ ejuſdem libris duabus ſalis marini ſemi-uncia addatur & lotio continuetur, quâ ſolâ methodo, ſine fœtore, ſine periculo intra decem circiter dies ſcabies humida & canina evaneſcunt.

Tertia methodus eſt eadem quæ ad ſyphilidem adhibetur ; pomatâ ſcilicet mercuriali inungitur corpus, partitis vicibus, præmiſſis phlebotomiâ & catharſi, verùm niſi æger balneis, juſculiſque præparatus fuerit, ſæpè ptyaliſmus ſupervenit, & ſi aëri frigido ſe exponat, tremorem, pallorem aliaque gravia incommoda incurrit.

2. *Scabies critica. Gale critique.*

Ea eſt quæ ſponte morbis tùm acutis, tùm chronicis ſuperveniens, eos ſolvit, naturâ ſcilicet pravos humores morbificos ad cutim amandante ; quam ſpeciem minimè repercutere decet, ſed correctâ ope diætæ & medicaminum internorum ſanguinis acrimoniâ, demùm remediis ſpecificis ſupra aſſignatis curare.

3. *Scabies canina. Gale de chien, ſéche ; Gratelle.* L.

Eſt ea cujus puſtulæ ſunt miliares & confertæ, cum rhagadibus & cruſtis ſiccis exiguis.

Ea eſt priori pertinacior & moleſtior, à ſanguinis acrimoniâ ſingulari fovetur, atque ut hyeme luxuriat, ita difficulter hac tempeſtate ſanatur, exſpectanda ſæpè eſt æſtas ut curetur : in hunc finem poſt phlebotomiam & catharſim uſurpanda ſunt balnea domeſtica cum juſculis diureticis & diluentibus, dein ſerum lactis ſucco ſyſimbrii, cichorei vel fumariæ alteratum diu eſt adhibendum antequam ad externa deveniamus.

Virus ſcabioſum topicis aggredi, ut ſuadet *Helmontius*, non ſatis edulcorato ſanguine, periculoſum eſt, inde enim ſuperveniunt morbi convulſivi, febres

febres variæ, dyſpnœa, cachexia, aſcites, anaſarca, deliria, hæmaturia nigricans, quæ cuncta debellantur reſumptâ ſcabie, ex conſilio *Zacuti Luſitani* & *Ettmulleri*, quod fit geſtando induſium ſcabioſi non lotum.

4. *Scabies herpetica. Gale dartreuſe.* L.

Cognoſcitur ex ſignis herpetis & ſcabiei ſimul concurrentibus, ſeu ex confluentibus, in amplos corymbos coeuntibus, papulis pruriginoſis, rubris, quæ ſquamas albas, farinaceas deponunt, de quo vide *Herpetem*, *Claſſ. I. gen.* 7.

Illa ſpecies exigit remedia interna antiſcorbutica diù uſurpata, cum balneis, ſero lactis, lacte ipſo; demùm aquâ ſaturni per plures dies eluuntur partes affectæ, quo facto adhibetur unguentum ex axungiæ porcinæ libris duabus, ſulphuris vivi unciis quatuor, aluminis & extracti ſaturnini diluti ana unciis duabus, miſce, illinatur bis in die; vel denique puſtulæ extracto ſaturni puro tangantur ope penicilli.

5. *Scabies ſcorbutica* Balthazar. Timæi lib. 4 caſ. 15. C.

Valde dubium eſt utrum detur hæc ſpecies à prioribus diſtincta, de qua ne verbum profert eruditus in hiſce *Lind*: imò ſcorbutum ſcabiei inſitione ſanari docet *J. Iperen Acta Soc. Harlem. Tom. VI p.* 367.

6. *Scabies Indica* Bontii cap. 17. *Herpes ſeu impetigo Indica*, *Courap* indigenis dicta, Bontii.

Ea utplurimùm alas, pectus, inguina, faciem, imò quandoque totum corpus, occupat cum pruritu intolerabili, adeo ut ægri à ſcalpendo dies & noctes manus abſtinere nequeant; hanc voluptatem acerba pœnitentia ſequitur, dolor enim ſequitur acer, & induſia partibus excoriatis adhærentia ſine cruſtarum laceratione avelli nequeunt; deformis, ſcabra ac furfuracea cutis eſt: ſed hoc affectu detenti ab aliis gravibus morbis immunes ſunt, unde hujus cura vulgò negligitur.

Cura. Præmittatur catharſis repetita, interpoſitis juſculis diluentibus, diureticis, refrigerantibus, dein ad topicum ſequens deveniatur, ex ferruginis unciâ unâ, ſulphuris drachmâ ſemiſſe, cum ſucco baſilici, fiant paſtilli quibus in aceto diſſolutis illinantur partes ſcabioſæ.

Vel opii drachma una & ſemis, calcis vivæ ex conchyliis uſtis ſcrupuli duo, fricentur in marmore cum ſucco pomi amoris; uſurus abraſis cruſtis herpetis illinat; ad eadem confert ſuccus limonis cum tuthiâ aut ceruſſâ, quo ſolo topico præmiſſâ unicâ catharſi *Bontius* ſe ipſum curavit. Confert etiam oleum benzoini adjecto nitro, vel momento ſublimati corroſivi.

Puella quæ à nutrice ſyphilidem contraxerat cum lacte, puſtulis & ulceribus affligebatur, nono ætatis anno ſalivationem ex mercurio paſſa ſanata videbatur, aſt rediit ſcabies ſyphilitica & decimum octavum ætatis annum adepta ſanata fuit ope pilularum de cicuta, quarum quinque vel ſex grana ter de die ſumebat; ea decocto cicutæ cum ſapone utebatur; idemtidem jalappæ interventu purgabatur; ſic intra quatuor menſes ſanata fuit. *Locher pag.* 106.

7. *Scabies catamenialis*, Melch. Fribe Collect. Acad. T. III p. 122. L.

Puella quolibet menſe, cùm menſtrua ſuppreſſa erumpere debuiſſent, ſcabie tentabatur, quo tempore elapſo, exſiccatis puſtulis, convaleſcebat:

demum ſumptis medicaminibus ſanguini depurando aptis & catharticis, nec non bis ſectâ pedis venâ, per medicamenta appoſita reſtitutus eſt menſtruorum fluxus, & tunc puella, quæ ſyphilide laborare à vicinis putabatur, ſanata eſt.

8. *Scabies felina*, Georg. Wolfg. Wedelii Collect. Acad. Tom. III pag. 156. L.

Per duos annos in Weſtphalia viguit inter feles epidemica ſcabies quæ in quorumdam milliarium ſpatio hanc animantium ſpeciem ferè deſtruxit: hæc caput ad collum uſque tantùm obſidebat, oculi maculâ quâdam, viſum tamen non præpediente, erant affecti, dein verò ſuppuratione abſumebantur: omnes feles durante hoc morbo ſomnolenti erant, nec niſi ad pabulum captandum evigilabant; morbus contagioſus erat; interea qui ſeorſim cuſtodiebantur ab hoc immunes non erant: pauciſſimi oleo balænæ uncti evaſere.

Ill. Eques Linnæus obſervavit ſcabiem pecorum lepræ affinem ob tuberculorum craſſitiem & duritiem, quæ fovebatur ab inſectis intra tubercula latentibus: hæc verò inſecta erant *faſciolæ Syſt. Naturæ*: *idem Ill. Author* exiſtimat cum *D. Deidier*, *Vercellono*, aliiſque, ſcabies, lepras, aliaque impetiginum genera ab acaris, aliiſve inſectis produci.

9. *Scabies neogamorum*, Ephem. Nat. Cur. D. III Ann. I obſ. 128.

10. *Scabies critica*, Ephem. Nat. Cur. *in empyemate*, Dec. I Ann. II obſ. 146; *in menorrhagia immodica*, Dec. II Ann. VI obſ. 107; *in dyſenteria*, Dec. II Ann. X obſ. 130; *in melancholia*, Dec. III Ann. V obſ. 16; Fr. Hoffmanni p. 263; *in iſchiade*, Dec. III Ann. VI obſ. 17; *in rheumatiſmo*, Fr. Hoffmanni de doloribus, p. 320 §. 18. *in epilepſia*, Fr. Hoffmanni de Epil. p. 13.

11. *Scabies vermicularis*, Ephem. Nat. Cur. Dec. II Ann. X p. 37.

Ea eſt quæ à ſironibus cutem excavantibus producitur, quam frequentiſſimam putat *D. Linnæus*; vide Ephem. Nat. Cur. Cent. XI obſ. 21: ea erat humida. In ſcabie, lepra, herpetibus inveteratis nihil efficacius eſt longo uſu extracti hyoſcyami vel cicutæ intus ſumpti.

XXXI. TINEA; *Teigne.*

Arabibus *ſahafati ſiccum* & *ſahafati humidum.* Græcis *pſydracia*, *lichen*, *elcydria*, *achor.* Latinis *cruſta lactea*, *ignis volaticus*, *favi*, *tinea*, *porrigo*, *&c.* Noſtratibus *tigne*, *ſeu volage*, *raſque*, *rache*, *debord &c.*

Cognoſcitur ex cruſtis & exulcerationibus tum faciei, tum capillitii, iiſque vel ſiccis vel humidis.

Incipiunt hi affectus à puſtulis vel veſiculis capitis vel faciei diverſicoloribus, quæ ruptæ exulcerantur & in cruſtas diverſicolores, humidas, vel ſiccas abeunt; illæ omnes puſtulæ confluunt in amplos corymbos quibus magna pars tùm faciei, tum capillitii defœdatur.

Specierum characteres certiores deſiderantur. Sedes eſt in cryptis ſeu glandulis

dulis ſebaceis cutis, in quibus ſecernitur unguentum cuti deliniendæ aptum, illud in capillitio copioſum, craſſum, furfuraceum eſt, *ſtrigmentum* dictum, quia ſtrigili ſeu pectine everritur, Gallicè *craſſe*; in facie verò illud eſt oleoſum, tenuius. Incipimus à duabus tineis benignis.

1. *Tinea lactea; Achores* Græcis; *lactumina*, *cruſtæ lacteæ* Latinis; Occitanis *tigne; croute de lait;* L.

Hæc ſpecies omnium mitiſſima, frontem, temporaque obſidet ut tinea volatica, ſed infantibus tantùm annuis, bimiſve accidit, dum lacte utuntur, unde cruſta lactea vocatur. Incipit à phlyctænis ſeu veſiculis numeroſis oleoſo ſucco turgidis, cohærentibus, albis, deinde flaveſcentibus; illæ veſiculæ exſiccatæ, corrugatæ fundunt paucum humorem concolorem, blandum, qui exſiccatus cruſtas efficit eaſque vel ſiccas vel humidas, albeſcentes vel flavas, rarò brunneas; adeſt pruritus, unde ſcalpendo infans has cruſtas avellit, his ablatis, cutis ſubſtrata manet nitida, aſt non rarò raris foraminibus circularibus pertuſa, unde fluit humor viſcidus iterum in cruſtas abiturus. Sanato morbo cutis illibata manet.

Serpit quandoque tinea lactea in partem capitis poſticam, aures, mentum, collum, imò in totum corpus; huic obnoxii ſunt alumni pingues, qui ſucco abundant lacteo, qui nutrices voraces, pingues, lacte turgidas ſugunt; accidit hic etiam affectus pueris ſeminio ſcrophuloſo ut ut nondum evoluto fœtis, aut quorum ſanguis acrimoniâ peccat ob errores nutricis iracundæ, vino deditæ, ſcrophuloſæ &c.

Hic morbus ablactato infante, mutatâve nutrice, & lacte juniori, tenuiori, minus butyroſo adhibito ſanari conſuevit; his infantibus ſerior eſt & difficilior dentitio, alvus ſiccior, rachitis ſæpiùs imminet; niſi imprudenter repercutiatur eruptio, nec quidquam agendum niſi acrimoniâ humorum ſtipetur, nimiumque in cæteras corporis partes ſerpat; nutrix in hoc caſu eligenda junior, lac minùs butyroſum, ſeroſius, blandius, vel victu humectante nutricis edulcorandum, diluendum; alumnus identidem cum ſyrupo de cichorio compoſito vel florum perſicæ purgabitur, ſomnus ſyrupo de papavere conciliabitur, pruritus oleo amygdalarum illito compeſcetur, abſtinendum à tutia, ceruſſâ, ne repercutiatur morbus, fluxus repercuſſus foliis betæ faciei, capitive admotis renovabitur, &c.

2. *Tinea volatica*, *ſeu volage.* L.

Lichen Græcis, *vitiligo* & *mentagra* quibuſdam, maximè dum mento inhæret. *Sahafati* Arabum; *ignis ſilveſtris* & *ignis volaticus* vulgò.

Accidit infantibus ſemeſtribus, dentitioni proximis, rarò etiam ſeptennibus dùm primi dentes elabuntur, novique ſuccreſcunt, quandoque hanc ætatem prætergreſſis; oriuntur in labiis ac mento veſiculæ gregales & corymboſæ, quaſi verrucæ pure turgidæ, ex quibus ſerum purulentum dimanat; his elapſis, cutis ſubſtrata, eryſipelatoſa, mucoſa, parùm rimoſa videtur; hic affectus herpetibus cruſtaceis affinis eſt, & ratione ſedis ad tineas attinet: hoc ſanato morbo nulla veſtigia in cute ſuperſunt cùm ſola epidermis læſa ſit.

Morbus periculo vacat niſi incautè repercutiatur; inde enim ophthalmia, cophoſis, ſynochus, diarrhœa, imò phthiſis, ut ex repreſsâ tineâ lacteâ, oriri poſſent; fluxus verò repercuſſus revocatur appoſito emplaſtro pulvere cantharidum adſperſo, vel compenſatur catharſi identidem adhibitâ aut cuſâ occipitis fontanellâ.

Regimen humectans & blandum procedente ætate morbum tollit, interea ſi acrior ſit materies, juſculis, ſero lactis, lacte, balneis utendum eſt, imò ad uſum millepedum, cancrorum, martialium, aquilæ albæ deveniendum eſt; inter topica uſitatiſſimum apud nos eſt ſcoria ferri pulverata vulgò *machefer*; laudatur etiam oleum ex papyro, linteo, imò tritico combuſto, & intra catinos ſuffocato, oleum olivarum cum pulpâ radicis lapathi vel axungiâ ſuillâ eidem pulpæ commixtâ; lapſum cruſtarum promovet cataplaſma è foliis betæ & oleo liliorum vel cremor lactis, vel ceratum Galeni. *Aſtrucius.* Jam ad tineas malignas deveniamus.

3. *Tinea favoſa* Aſtrucii; *Keria* Græcorum; *Meliceris* Aëtii lib. 6. an *Meliceros* Celſi *lib.* 5. *cap.* 28; *Favi* Latinorum; *Kerion* Gorræi definit. *Teigne humide à rayon de miel; Rache humide, debord.*

Diſtinguitur ab omnibus aliis ſpeciebus parvis abſceſſibus apice albis, corio capillitii vix altioribus, piſo non majoribus, qui citra ullam prægreſſam inflammationem in capite efformantur, facilè & ſponte vel levi digitorum preſſione crepant & fundunt veluti pultem albo-flaveſcentem, quæ exſiccata ſquamas griſeas relinquit: hinc ſimilis eſt alveolis favi melle albido turgidis, unde tinea favina vel favoſa dicta eſt, totum capillitium hiſce favis vel cruſtis ſæpe eſt defœdatum.

Propter ſorditiem & purulentiæ putredinem acerrimè fœtet caput tineâ affectum, & ob pectinationis defectum pediculi generantur, inde pruritus & ſcalptus diriſſimus, inde pervigilium, macies, quandoque cum hecticâ, faciei pallore, quod de ſequentibus ſpeciebus maximè intelligendum.

4. *Tinea ficoſa* Aſtrucii tom. 1 pag. 380; *Teigne figueuſe.* L.

Eſt pariter humida & à favoſâ diſcrepat in eo quod in foveolis purulentis ſint excreſcentiæ turgidæ granis ſubrotundis, flavis quæ ficuum grana imitantur, unde nomen.

5. *Tinea humida. Sahafati humidum. Teigne humide ſimple* Aſtrucii ibidem. L.

Incipit à veſiculis ut in herpete miliari, quæ in ſolo capillitio ad capillorum radices obſervantur, denſiſſimæ; rarò ſupercilia & mentum attingunt; illæ veſiculæ humore corroſivo ſcatent, citoque abeunt in ulcera totum ferè caput obſidentia, hinc capillorum delapſus, quaſi à tinea inſecto eroſi fuiſſent; differt hæc ſpecies à favoſâ & ficoſâ defectu favorum & granorum quæ in illis obſervantur; omnes tres humidæ ſunt, unde differunt à ſequentibus quæ ſiccæ & curatu difficiliores ſunt.

Ad curandam tineam humidam non rarò ſufficit capillitio tonſo caput abſtergere ope mellis, cataplaſmatis inſtar appoſiti, quod poſt ſex horas circiter aufertur & iterum bis aut ter novum mel applicatur, & ſic cruſtæ auferun-

feruntur; ſi verò cuticula rubeat, teneriorve ſit, ſufficit bis aut ter applicuiſſe butyrum, vel cremorem lactis: cutis ſic deterſa ſanatur & capilli dein ſuccreſcunt, quod vix aut raró accidit in tineis ſiccis quæ propriè apud nos *Raſques* nuncupantur.

In curatione tineæ ſiccæ ſeu malignæ, ſi quoddam virus ſyphiliticum, ſcrophuloſumve lateat, illi priùs occurrendum eſt remediis propriis; deindè verò ſi ſola ſit acrimonia ſanguinis, ea corrigenda juſculis diluentibus, lenientibus, diureticis, additis etiam præparatis mercurialibus; phlebotomia & catharſis identidem repetuntur; in macilentis balnea, ſerum lactis, lac ipſum ante curam radicalem præſcribuntur, quibus præmiſſis ad topica deveniendum eſt. Neceſſaria eſt in hoc morbo pilorum eradicatio, quæ fit ope picis fuſæ quâ lintea obducuntur; hæc verò in diverſa loramenta diviſa applicantur calidè capillitio tonſo & per octo dies relinquuntur, illa cuti capillitioque fortiter adhærent & poſt octiduum avelluntur; verùm antea removendæ ſunt omnes cruſtæ, ut in tineâ humida ope urinæ, vel butyri, mellis, vel cerati, vel foliorum ſyſimbrii in axungiâ ſuillâ decoctorum, eaque ſemel vel bis capiti per horas viginti quatuor imponi debent; factâ avulſione emplaſtri, tegitur caput vel unguento ſancti Ludovici in Noſocomiis cogniti, vel foliis betæ butyro oblitis, quod iteratur per aliquot dies, uſquequo inflammatio vel irritatio compeſcantur.

Sedatâ omnino inflammatione eluitur caput urinâ calidâ vel decocto braſſicæ rubræ, aut fumariæ, radicum lapathi, enulæ campanæ, imò è lixivio cinerum leviori, & dein ulcera curantur quotidiè appoſitis plumaceolis, digeſtivo unguento onuſtis, deinceps verò ſolo balſamo Arcæi; pars capillitii quæ coloris eſt roſei ſanationis ſpem proximam facit, at quæ albeſcit vel nigricat diutiùs reſiſtit aut ſanata revertitur.

Itaque hæc ultima loca tegenda ſunt unguentis acrioribus, ut balſamo viridi vel fuſco, quod ingreditur baſilicum & præcipitatum rubrum: ſi quæ ſint excreſcentiæ, ut in lupinâ, eæ forficibus ſunt reſecandæ vel præcipitato rubro, imò lapide infernali ſunt erodendæ.

Cùm tinea cicatrice obducitur, cathartica identidem præſcribenda ſunt; in hac curatione tempeſtas mitis eſt eligenda, ſæpè etenim vidi ſupervenire tuſſim, febrem ephemeram, & non raró anaſarcam, quibus non ita facilè liberantur tineoſi, dimiſſo ad aliud tempus tineæ curandæ negotio.

6. *Tinea porriginoſa* Aſtruc. tom. 1. pag. 381. *Pityriaſis* Pauli Æginetæ. *Furfuriſca* Gilberti Angli. *Porrigo* multis. *Tinea furfuracea* Sennerti. *Teigne de ſon ou farineuſe; 1e. Rache farineuſe.* L.

Eſt ea cujus exulcerationes rimas quaſdam altas tantummodò cudunt eaſque ſiccas & calloſas, continuòque ſcatent furfure albeſcente copioſo, & inter pectinandum deciduo. Juſcula è colubris & lotio ex urina ſucceſſit *Zacuto.*

7. *Tinea cruſtacea* Aſtruc ibid. *Teigne crouteuſe; 2e. Rache ſèche.* L.

Ea eſt cujus ulcera cruſtis cinereis nigricantibus vel lividis & fœdiſſimis tecta ſunt.

8. *Tinea lupina* Aſtrucii. *Teigne lupineuſe ou écailleuſe. 3e. Rache ſèche.* L.

Eſt ea ſicca tinea quæ gerit ulcera ſquamis & callis incraſſatis, lupinorum vel cicerum inſtar capitatis, marginata.

Tineoſi fœtent capite, ſæpè pediculis obſidentur, ſcalptu ſquamas avellunt & caput cruentant, vix dormiunt, macilenti, pallidi, tabidi evadunt, ephemerâ ſæpè tentantur; repreſſâ frigore tineâ potiſſimum pilis eradicatis incidunt plures in anaſarcam initio febre ſtipatam.

9. *Tinea ſyphilitica* Heiſteri Chirurg. part. 2. libr. 5. cap. 10; *Scabies venerea capitis; Rache vérolique.* C.

Ea ſpecies eſt cruſtacea, alba, farinoſa circa tempora & frontem, cum coronâ veneris, ſeu varorum ſerie in ambitu frontis, nec non cum herpete farinaceo aurium; atque ſi malum inveteratum ſit, cum tophis & gummatis infra cutem in diverſis capitis partibus.

In hac ſpecie non ſolùm requiruntur remedia ſyphilidi propria antequam topica adhibeantur; verùm inter ipſa topica prudens litus mercurialis ſæpè neceſſarius eſt.

ORDO SEXTUS.

ICTERITIÆ;

D*Ecolorationes* Plateri; *Cachexiæ icteritiæ* Frid. Hoffmann.

Sunt morbi quorum præcipuum ſymptoma in conſtanti coloris nativi mutatione conſiſtit. *Icteritiæ* vulgò vocantur, & icteri flavi, albi, virides, nigri &c.

Theoria colorum primaria ſeu Newtoniana horum diverſitatem repetit à molecularum pollicis millioneſimarum craſſitie & denſitate, verùm à ſenſibus remotior ea eſt, quàm ut praxi medicæ poſſit applicari, adeoque ad humoris in cute prædominantis colorem tum nativum tum alteratum confugimus ut icteritiarum cauſas intelligamus: ex lymphaticorum & ſanguineorum vaſculorum proportione ſanâ pendet color roſeus cutis, fibrarum verò omninò exſanguium color eſt albus ut ſcleroticæ, quod inteſtinorum, muſculorumque conſtanti elutriatione comprobatur; ſi humor quem glandulæ ſebaceæ cutis effundunt exſiccetur, ſole torreatur aut pravâ ſanguinis craſi vitietur, color nativus immutatur & in luridum, liveſcentem, flavum, bruneum abit, quod in morbis hujuſce claſſis & potiſſimum hujus ordinis familiare eſt.

Rubeſcit cutis in phlegmaſiis, quia cum cruor ſolito majori vi impellatur in vaſa ultima, is lymphatica ſubit, cætera dilatat, unde proportio nativa colorum mutatur, ſeu ruber horumce vaſculorum color prædominium tenet. In hydropibus, ut anaſarcâ pallor occupat artus, ſeu albeſcit cutis, quia non eſt ſanguini vis ſufficiens ut ad minima uſque vaſcula cutis perveniat, hinc color albus nativus cutis & lymphæ prædominatur. In aurigine etiam

etiam languet vis truſiva cordis, ſanguis ad cutanea vaſa vix pertingit, aliundè verò lympha eſt bilis colore perfuſa, unde flavus vel luteus color eminet.

Pallor in omnibus ferè chronicis cacheċticis obſervatur, quia robur facultatis vitalis in omnibus languet, unde cruor non ſufficienti vi accedit ad vaſcula cutis, ut ea ſubire poſſit; ſed per paulò patentiores venas ad cor revertitur, quæ cùm venæ non ſint pellucidæ adinſtar minimarum, rubore ſuo cutem non ſuffundunt: quare verò tam facilè venas majuſculas cruor ſubeat, non ita verò minimas? ratio eſt quia affrictus quos fluida patiuntur in tubulis ſunt reciprocè ut eorum diametri, & quod globulorum cruoris diameter eſt major diametro globulorum lymphæ atque ſuæ diviſioni hi globuli reſiſtunt aliquantulum; unde patet quod vis quæ ſufficit ad trudendum globulum cruoris indiviſum per vas majus, inſufficiens ſit ad illum trudendum per vas multò minus, eumque in minores globulos dividendum: hæc theoria firmatur experimentis hydrodynamicis, quibus conſtat quantitatem fluidorum quæ ex eâdem altitudine delabens tranſit per vaſa capillaria diverſæ diametri eſſe in ratione triplicatâ diametrorum; quod certè non accidit niſi ubi vaſa ſunt capillaria; cùm itaque ab eâdem vi trudente quantitas adeò exigua ſubeat vaſa capillaria minima, evidens eſt multò majorem eſſe minimorum quàm majuſculorum vaſorum reſiſtentiam ab affrictu oriundam.

Ex his patet cur vel languente vi vitali palleat illicò facies ut in terrore, metu, ſyncope; cur etiam creſcente anguſtiâ capillarium, ut à frigore, cutis illicò palleat; cur demùm in chronicis cacheċticis pallor ſit ſymptoma familiariſſimum.

Eſt & aliud ſymptoma chloroſi, aurigini inveteratæ, omnibus hydropibus tum partialibus tum univerſalibus familiare, quod leucophlegmatiam *Platerus*, nos verò phlegmatiam nominavimus, ſcilicet in his omnibus morbis, ſi inveteraſcant, extrema ima tument œdematosè, id eſt cum mollitie; ſi verò ſubitò fiat tumor, ut in anaſarcâ ſubitaneâ, tumor eſt quidem albus, ſed ſimul firmus; horum verò phænomenorum theoria vulgaris falſa mihi videtur. Ut rationem eorum intelligamus obſervandum eſt arterias non ſolùm tenuioribus, ſed laxioribus parietibus eſſe præditas quâ proportione à corde recedunt, ſeu in capillares tubos tùm ſanguiferos, tùm lymphaticos dividuntur; vis autem fluidorum adverſus arteriolarum parietes, ſeu preſſio lateralis continuò ſimul decreſcit magis ac magis; ita ut quæ in aortæ trunco erat maxima & ſeptem pedum altitudini æqualis, in venulis ſit minima & ſaltem duodecies minor; ſanguis ergo & lympha intra minima vaſcula minimè premit parietes ſuorum vaſorum, liberrimèque verſus majores venas progreditur: verùm ſi quædam pars omnium ramorum ejuſdem arteriæ obſtruatur, quod in hac claſſe vulgò accidit, tunc preſſio lateralis ſanguinis in ſua vaſa augetur, quia hærens ſanguis experitur preſſionem ſubſequentis columnæ, quod non accidit quando uniformi cum ſubſequenti paſſu progreditur; hinc itaque fit ut à retro cumuletur, & ſi omnes ferè rami obſtructi ſint, tunc preſſio lateralis in illis vaſis non minor eſt quàm in trunco ipſomet:

ſomet arteriæ. Cùm itaque illa vaſa capillaria ſint tenuiora, vel laxiora trunco arterioſo, premanturque tamen non minùs quàm ipſe truncus à fluido contento, illa mirè diduci & intumeſcere neceſſum eſt, cùm intumeſcentia vaſis ſit proportionalis preſſioni laterali, quam intùs patitur, & ejus extenſilitati ſeu tenuitati & laxitati parietum.

Ex his intelligitur hærente quomodocumque fluido in minimis vaſis, illud majori vi preſſurum eſſe vaſorum ſuorum parietes, quantò majorem à ſubſequente ſanguine experitur preſſionem, & quantò minus ab hac preſſione id in venas promovetur.

Hinc etiam patet cur lympha, in celluloſi textus cavitatibus hærens, illum textum diſtendat, ita ut in anaſarcâ ſubitò factâ tumor cutis ſit albus ſimul & firmus, quippe firmitas textus celluloſi à cute coërciti reſpondet preſſioni majori quam lympha illic congeſta experitur à retroſequenti fluido; cùm verò ſucceſſu temporis ipſius cutis textus flaccidus evaſit per moram lymphæ ſerum ſuum dimittentis, tunc expanſio textûs cellularis non coërcetur, & elaſticitate cutis deperditâ tumor eſt mollis & verè œdematoſus.

Quorſum verò partes infimæ magis turgeſcant, ut pedes veſpere & facies mane? vulgò putant Medici hoc pendere ex preſſione quam venæ ab aquis in abdomine effuſis experiuntur, unde fit, aiunt, ut nec ſanguis nec lympha poſſint ex extremis reverti ad cor eâdem quantitate quâ ad extrema devenerant. Verùm ubi nullus eſt aſcites, ut in chloroſi, idem accidit & alia de causâ deducendum eſt; cùm viget vis vitalis cordis, vis gravitatis lymphæ vix ulla eſt, ſi cum vi truſivâ cordis conferatur, adeoque vis vitalis lympham & cruorem expeditè circumducit; verùm ſi vis vitalis multùm decreſcat, ut in longis morbis, ſero ſimul abundante in ſanguine, tunc vis gravitatis lymphæ non evaneſcit ad vim cordis collata, quippe reſpectivè ad ſtatum ſanum major evadit, & tunc temporis ea regit fluida in quibus vis truſiva cordis imminuta eſt, inde itaque fit ut lympha in partes imas & decliviores abundantiùs feratur quàm ut per vim cordis reduci queat ad ſuperiora; lympha itaque per noctem defluit in partes decliviores, ut in manus, lumbos, faciem & poſt ſtationem diurnam pedes & tibias diſtendit.

Textus autem cellularis ubique corporis obvius viam præbet huic lymphæ ſeroſæ, quæ fibras ſucceſſivè emollit, unde debilitas major, anorexia, aliaque mala ferè inſanabilia, quibus chronici morbi terminantur.

XXXII. Aurigo; *Ileus icterodes* Hippocratis de inteſtin. affect. pag. 556 Foeſii; *Icterus flavus*; *Icterus viridis*; *Morbus arquatus flavus*; *Morbus regius*; *Icteritia flava*; Anglis *Jaundice*; Occitanis *Eſtouriſſes*; Gallicè *Jauniſſe*.

Eſt ſcleroticæ primùm, deinceps verò totius cutis, color flavus, aut ejus viroris, quem Gallicè *feuille morte* appellant.

Unde differt à melasictero, cujus color eſt fuliginoſus, atrolividus, aut ex

ex viridi nigricans, ac partim verè ater; dicitur aurigo à colore aureo. In chloroſi cachexiâ dictâ fœdus, obſcurè luteus eſt ſæpè cutis color, *bazanée*, ſed ſclerotica albiſſima remanet, unde ab aurigine diſcrepat.

Auriginis ſymptomata ſunt color luteus in albo oculorum, in temporibus, collo, dein in toto corpore, imò in ipſius carnibus & oſſibus; ſi inveterata ſit, urina crocea, feces griſeæ, alvus tarda, pigritia, animi languor, viſus obſcurus, ac rarò omnium objectorum apparens flavedo, teſte *Hoffmanno*, pruritus & ariditas cutis; ſæpiùs præceſſere hepatalgia, flatulentia, & in cadavere quandoque obices effuſioni & excretioni bilis oppoſiti, ac calculi cyſtici reperiuntur.

Hujus morbi ſpecies aliæ chronicæ, aliæ acutæ; dantur aurigines aliis morbis ſupervenientes, ſeu criticæ, ſæpè fugaces, ſymptomaticæ Neotericis dictæ, aliæ conſtantes primordiales, ſeu verè morboſæ protopathicæ.

Principium auriginis eſt obſtructio vaſorum biliariorum, & bilis refluxus in ſanguinem; ille verò refluxus fluidi adhucdum tenuis, ſeu liquidioris minimè repugnat legibus circulationis quæ à legibus motûs non differunt juxta quas bilis debet eò deferri, ubi minor eſt reſiſtentia, ſi undequaque prematur; minorem quandoque eſſe reſiſtentiam in refluxu, quàm in influxu, dùm vaſa ſecretoria obſtruuntur, & hepar membranâ ſpaſmodicè contractâ premitur, facilè intelligimus. Hunc motum retrogradum in ultimis vaſis, quo cruor & lympha ex venulis in arterias repellitur, obſervavi ſæpiùs ope microſcopii in meſenterio vivorum animalium; an verò humor flavus, non bilioſus, ſeu in hepate minimè elaboratus gigni poſſit in ſanguine dubitant plurimi, licet ſimilis in aurium cerumine, & in ſtatu morboſo in cryptis palpebrarum, in linguâ, ſemine, pure, aliiſque humoribus obſervetur citra ullius bilis indicium; omnia ferè ecchymomata antequam reſolvantur è lividis flava evadunt, nec quiſquam in his bilem incuſare voluerit.

Hujus generis plures ſunt ſpecies quæ propriam medelam expoſtulant; multiplex adeò malum, ait *Mead*, multiplicem curationem expoſtulat. Sic juxta ipſum datur aurigo frigida nobis dicta, in quâ feces ſunt albæ, alvus conſtipata, & metus eſt ne æger in phlegmatiam delabatur; huic competunt calida aperientia, ſaponacea & rhabarbarina, thermæ, &c. In ſpecie verò nobis calidâ dictâ feces ſunt liquidæ, bilioſæ, acres, metus eſt ne æger in tabem abeat; & diluentia, ſerum lactis, ſedantia, acidulæ, quandoque lac ipſum, conveniunt.

1. *Aurigo febrilis* Sydenham cap. 1. ſect. 5. A.

Eſt ea non quæ hepatitidi, nec quæ intermittenti, ſed quæ febri continuæ, & ſæpiùs tritæophyæ, ſeu febri bilioſæ ſupervenit, ſive criticè, ſive, ut aiunt, ſymptomaticè.

Ea autem cognoſcitur ex eo quod primis tribus diebus non accidat, ſed ſubſequentibus; ſi à quarto ad ſeptimum, mali eſt ominis, ſeu ſymptomatica habetur; ſi verò ſeptimo, nono, undecimo, aut decimo quarto, ſalubris eſt, ſeu critica.

Cognoſcitur etiam ex eo quod in illâ nec alvus ſit adſtricta, nec feces griſeæ, ut in aliis, ſed bilioſæ; nulla proinde incuſari poteſt ductuum biliferorum obſtructio, aut conſtrictio, ſed bilis copia, & activitas major.

In hac ſpecie alternatim præſcribenda cathartica & levia aperientia hepatica dicta, inter quæ laudantur decoctum radicum fragariæ cum paſſulis, larga apozemata ex cichorio, endiviâ, taraxaco, agrimoniâ, anſerinâ, additis ſi lubet floribus hyperici, calendulæ, croco, cremore tartari, aut tartaro vitriolato.

In aurigine ſalubri quæ ſub declinationem morbi accidit, ægrum lecto detineri ut faciliùs perſpiret, ſuadet tantùm *Sydenhamus.*

Auriginem quæ ante ſeptimum diem in acutis contingit, minimè perniciofam eſſe teſtatur *Averrhoes lib. 4. Colliget. cap.* 43: Confirmat ipſe *Hollerius*, & conſtat ex *Epidem. ipſius Hippocratis*, modò tamen ſuperveniat hæmorrhagia, vel ſudor, &c. *Vide* de his *Schenckium lib. 3.*

2. *Aurigo accidentalis*, *Jauniſſe critique & ſymptomatique.* D.

Ea eſt quæ morbis acutis ſupervenit, & fugax eſt; accidit intermittentibus ope kinkinæ ſuppreſſis, obſervante *Ramazzino.* Talem vidi in tertianâ caroticâ dictâ, quæ ſeptimâ die ſuperveniens critica & ſalutaris fuit, ac præſcripto cathartico intra triduum evanuit.

Quæ verò hepatitidi conjungitur ſingularem meretur attentionem, & pyrexiâ acutâ ſtipatur, de quâ alibi; accidentali annumeranda eſt quæ à gravi iracundiâ pronaſcitur, de quâ legatur *Frid. Hoffmannus*; item & quæ à commotione factâ per catharticum, aut emeticum, ob ſtricturam ſpaſmodicam ductus choledochi, quæque facile & cito medicamentis debellatur.

Gravidas ſub geſtationis finem aurigo quandoque invadit, quæ tempeſtivâ ſanguinis miſſione facilè ſupprimitur.

Eò etiam referri debet aurigo quæ in febribus, citra hepatitidem ſupervenit, de quâ *Hippocrates*, *lib. 4. aphor. 64.* » Quibuſcumque per fe-
» bres die ſeptimo, aut nono, aut undecimo, aut decimo quarto,
» aurigo incidit, bonum & ſalutare eſt, niſi dextrum hypochondrium ob-
» duruerit.

Illæ omnes aurigines accidentales lenibus catharticis tolluntur, urinæ croceæ fluxu copioſo excitato, & ſine notabili hepatis obſtructione producuntur.

Aurigo critica in pleuritide bilioſâ ſeptimo accedens die. *Foreſti obſerv. 35 libr. 16.*

3. *Aurigo Indica* Bontii lib. II cap. 8; Mead. monita pag. 163; Couzier Journ. de Med. Decemb. 1757. C.

In Maſcarinâ Inſulâ incolæ procerâ & decenti ſtaturâ gaudent, ſed omnes colore luteo, vel aurigine habituali afficiuntur, & quovis morbo perierint, ſemper vitioſus reperitur hepatis ſtatus. Calor excedens, immodicus vini ſacchari, aut vini, mellis, ac caffé uſus eſt-ne incuſandus? Hybridæ apud *Martinicanos*, vulgò *les Metiſs*, utcumque benè ſe habeant, quoniam Indi vel Indæ proles ſunt, quorum color eſt obſcurè luteus,

teus, flavos habent oculos. *Labat Voyag. d'Ameriq. Mexicani* colore leonino, vel obſcurè flavo donantur. In Inſulâ *Lophao*, juxta Inſulam Timor, color faciei eſt aurichalceus, ſeu cupri lutei, capilli nigri, effuſi. In novâ *Guineâ* color cutis eſt brunneo-flavus, ſtatura gigantæa, vigor, agilitas magna; nudi ſunt niſi quod folium genitalia tegit; mulieribus mammæ ad umbilicum deſcendunt, coitus coram cœtu celebratur, nullum cultum ſervant. Apud *Molucanos* viri colorem pomi cydonii, ſed paulò obſcuriorem habent, oculos magnos, ſupercilia longa, capillos diffuſos; mulieres verò ſunt albæ. *Maldivenſes* colorem olivaceum, cutem piloſam, corpus nudum habent, excepto cingulo *pagne* dicto; ſed plures mulieres albæ ſunt. *Siamenſes* habent faciem rhombæam, oculos parvos, conjunctivam luteam, labia craſſa pallido colore tincta, dentes nigros ob bethel quod continuò maſticant, faciem brunneam rubro diſtinctam, naſum brevem, aures longas, pendulas. Magnates pedes & tibias cæruleo tingunt.

4. *Aurigo à venenis* Ettmulleri; *Cachexia icterica* Tom. I. p. 263. Marcell. Donati Hiſt. Medic. mirab. lib. I. cap. 7: *à fungis*, vide Choleram: *ex araneorum morſu* Joel Prax. de venen. p. 126: *ex viperæ morſu*, Zacuti Luſitan. Lib. V. Med. Princip. hiſtor. 29; Chiracius vipera demorſus hanc auriginem paſſus eſt, Haller Com. in Boerhaave Inſt. Med. p. 797: *à thetide leporina*, Matthiol. de lepore marino: *à morſu canis rabidi*, Bartholini Cent. III hiſt. 4; *à morſu ſciuri* Ephemer. Nat. Curioſ. Dec. II. Ann. IX. Obſ. 188. A.

Pathemata animi hos morſus comitantia aurigini excitandæ apta eſſe ſuadent obſervationes auriginis à meris pathematis excitatæ, ut ab *irâ River. centur. 2. obſerv. 9;* à *triſtitiâ*, nuncio gravi, *Helmont. ſextupl. digeſt. Act. Med. Hafniæ vol. 3;* Idem ferè teſtantur curationes auriginis quæ à pathematis ſuam tantùm energiam habent; ut curata aurigo à pediculis vivis aſſumptis *Ephem. Cur. Dec.* 2. urinâ in acervum formicarum emiſſâ, applicato lucio piſce ad ſcrobiculum cordis, aliæque curæ ſympatheticæ in *Ephem. Nat.* legendæ.

Auriginem à morſu viperæ oriundam *Mead* tribuit ſpaſmodicæ conſtrictioni cyſtidis felleæ, & canalis choledochi; in illo caſu demulcenda bilis acrimonia, & convulſivi motus anodynis, narcoticis ſedandi. Vide *Mead mechanica acceunt of poiſons, eſſai 1. ejuſque monita pag. 159.*

Galenus obſervavit Imperatoris ſervum qui viperas venari ſolebat ab hoc animali demorſum, viridi, porraceo colore totum corpus perfuſum habuiſſe. *Galenus de locis affectis lib. 5. cap. 8.*

Lanzoni (*Act. Phyſic. obſ. 96.*) obſervavit hominem in manu dextrâ à fele demorſum, inſigni dolore & tumore manûs correptum fuiſſe, quibus aurigo ſucceſſit quæ per quadraginta dies duravit; & in altero quem canis momorderat, eumdem morbum pertinacem obſervavit *Ill. van-Swieten, aph. 916.*

5. *Aurigo plethorica; A graviditate* van-Swieten in aphor. 950; *Icterus à*

 plethor

plethorâ Frid. Hoffmanni de cachexiâ ictericâ obſ. 3; *A menſium ſuppreſſione* Ephem. Nat. Cur. Dec. 1. ann. 4. L.

Inter principia auriginis primarium eſt plethora, ſeu major ſanguinis & humorum, quam natura fert, copia; cùm enim circulatio ſanguinis per hepar ſit tardior quàm in aliis partibus, quippè cùm ſit in venâ portâ jam retardatus, eum à mole nimiâ ſanguinis cordi reſiſtentiam offerenti ulteriùs in hepate retardari, & ipſum ſanguinem inſpiſſari neceſſum eſt, unde ſupprimitur bilis excretio.

Inter plethoræ principia non ſolùm vita deſes, victus opiparus, ſed & ſuppreſſio evacuationum ſolitarum, ut catameniorum, & graviditas etiam accenſeri debent; hæc verò ſpecies phlebotomiis diluentibus, diætæque ſeveriori, ac exercitio cedere conſuevit.

6. *Aurigo ab obſtructione* Boneti Sepulchret. obſ. 1, 4, 11, 13, 15, 30 appendic. 6. Foreſti obſerv. 20; Amat. Centur. 4 obſerv. 83. C.

Ea eſt in quâ ſenſibilis eſt hepatis obſtructio, renitentia vel durities ſine tamen calculis cyſticis, ſine febre, quæque à bilis craſſitie, ſpiſſitudine cenſetur pendere: hæc nauſeam & gaſtrodyniam inducit. Si lobus anticus hepatis, & juxta Veteres, ſi pars hepatis concava afficiatur, ea hepatalgiâ apyretâ ſtipatur. Nauſea autem vel eſt à diſtractione ventriculi ſympathicâ, vel à cacochyliâ bilioſâ eum onerante.

In primo caſu emetica minimè conveniunt, ſed phlebotomia, quam dolor hepatis indicat, videtur præmittenda, dein lenia cathartica & aperientia ſunt præſcribenda. Si verò nullus ſit dolor hepatis, ne quidem à preſſione hypochondrii, & tamen ſint nauſeæ, præceſſerit error in victu, indicantur emetica ſed lenia; nam à fortibus non raro hepar inflammatur, & ſi ſint calculi in cyſtide felleâ, illi ab emetico incuneati poſſent dolores atroces, ſeu hepatalgiam calculoſam & periculoſam inferre.

Illa aurigo poſſet ſubdividi in calidam & frigidam. *Calida* eſt quæ à calidis medicaminibus exaſperatur ob ſiccitatem & acrimoniam humorum, tenſionem & erethiſmum ſolidorum, bilis calorem & acredinem. In hac conveniunt juſcula diluentia cum pullo, plantis cichoraceis, ut cichorio, endiviâ, taraxaco, ſerum lactis leviter chalybeatum, aſellis onuſtum, cum ſucco ſyſimbrii, cichorii, &c, aquæ acidulæ.

Verùm in aurigine *frigidâ* in quâ nullus dolor hepatis, temperamentum pituitoſum, pulſus mollis & tardus, poſſunt adhiberi ptiſanæ, juſcula, aliaque medicamina fortiora, bili ſpiſſæ reſolvendæ aptiora, quò ſpectant ballotes & marrubii albi verticilli in juſculo, radices bruſci, aſparagi, martialia, aquæ thermales, ſapo etiam ad plures drachmas deglutitus.

7. *Aurigo purulenta* Boneti Sepulchr. obſ. 22, 23, 25; Foreſti obſerv. 10 lib. 19; Van-Swieten in aphor. 934. C.

Ea eſt ſpecies quæ ab hepate ſuppurato, ulceroſo apoſtemate, vel vomicâ affecto dependet, quam in Indiis Orientalibus familiarem memo-

rat

rat *Bontius*, *lib.* 11. *cap.* 8; de quâ ſpeciatim agit Ill. Mead *in Monitis pag. 163.*

Præcedunt ſigna hepatitidis non reſolutæ, adeoque pyrexia acuta, dolor hypochondrii dextri cum tenſione; ventriculi dolor, nauſea, &c: ſuccedit hectica, macies; morbus chronicus eſt, & ſæpè lethalis; ab ulcere totum jecur quandoque abſumitur. Inveni in hoc caſu hepar excavatum & farctum, maſſâ flaveſcente craſſâ, ovis intritis ſimili; nulla ſalutis ſpes eſt, niſi abſceſſus extrorſum vergens aperiatur, & inde pus foras emittatur, quæ operatio aliquoties ſucceſſit. *Vide Hepatalgiam apoſtematoſam. Celſum*, *libr.* 4. *cap.* 8.

8. *Aurigo febricoſa*, ſeu à febri intermittente Ettmuller. pag. 264; *Icterus periodicus* Frid. Hoffmann. obſ. 5.

Eſt illa ſpecies quæ per periodos recurrit cum febri intermittenti. Fœmina quadragenaria per annum laborabat hac ſpecie, quæ quolibet die ſolis cum paroxyſmo febris, ſcilicet frigore, rigore, dein calore & vomituritione revertebatur; aurigo per biduum durabat, & ſingulis hebdomadis revertebatur; eam verò à veneno febris intermittentis erraticæ 2æ. *Claſſ.* 2. *pag.* 335. oriri exiſtimo.

Aurigo quartanæ ſuccedens eſt omnium frequentiſſima. De aurigine quartanam ſuppreſſam ſubſequente vide *Junckerum de ictero, cautelâ 19.*

Aurigo intermittentibus autumnalibus ſæpe ſuccedit & à longo uſu kinkinæ etiam pendere videtur, obſervante *Ill. van-Swieten des Malad. des armées pag. 100 & 106*: oculi ſcilicet flaveſcunt, gaſtrodynia urget, urinæ luteæ, vomitio à paſtu, hypochondria indurantur, dolent: tunc abſtinendum à kinkina, & adhibendum oxymel ſcilliticum, cujus ſcilicet uncias duas cum ſalis polychreſti drachmis duabus, tartari vitriolati drachma una, aquæ communis unciis octo, ſpiritûs menthæ uncia ſemiſſe, miſce; hujus mixturæ cochlearia quatuor tertiâ quaque horâ bibat æger, ſuperbibendo decoctum radicum recentium graminis, & taraxaci cum toto in ſero lactis addito mellis pauxillo, ut ut febris inde reverti conſueverit; ſumat etiam æger ſaponis Veneti drachmam ſemiſſem ſerò & mane.

9. *Aurigo calculoſa* Boneti Sepulchret. obſ. 8, 9, 22, 23, 25, &c. *Icterus à colicâ convulſivâ* Mead Monita, pag. 159. *Icterus à ſpaſmis* Frid. Hoffmanni §. 1. *à colicâ bilioſâ ſpaſmodicâ*, id. obſ. 1. *à colica bilioſa* de Meyſerey n. 419. C.

Eſt meo quidem judicio illa ſpecies quam calculi cyſtici excitant, dùm natura eos interdum intra canalem choledochum trudere conatur; ſi enim ab his conatibus abſtineat natura, nullus nec dolor, nec aurigo ſupervenit. Secto cadavere Conſiliarii D. Maurin invenimus centenos calculos piſiformes in cyſtide felleâ, qui nec auriginem, nec dolorem ullum unquam creaverant; is autem abierat dyſuriâ calculoſâ; verùm dolorum ſpaſmodicorum, qui in hepatalgiâ calculoſâ vigent, atrocitas, pertinacia

& periodicus recurſus cum aurigine, hunc morbum declarant; dolores illi in ſcrobiculo cordis verſus hepar vehementes ſunt, ſimulque ad muſculos thoracis extenduntur; illi utplurimùm excruciant paucis à paſtu horis, cùm bilem ad duodenum mitti opus eſt. Hujus curationem vide in hepatalgiâ calculoſâ.

Frid. Hoffmannus & *Mead* exiſtimant ſine calculis etiam à colicâ flatulentâ, convulſivâ, ab irâ, à viperæ morſu, validam & ſubitaneam fieri conſtrictionem ſpaſmodicam ductuum biliferorum; unde refluxus bilis in ſanguinem, atque in hac ſpecie phlebotomias, anodyna & diluentia convenire putant.

10. *Aurigo typhodes* Lining. Journ. de Medec. May 1758. pag. 408; vide Typhum icterodem Claſſ. 2.

Morbus eſt in Carolinâ meridionali, aliiſque Americæ plagis endemius, cujus primum ſtadium occupat ephemera trium circiter dierum, ſecundum ſtadium, tertiumque exerit auriginem cum febre malignâ conjunctam maximè lethiferam.

11. *Aurigo hepatitica* Boerhaave de hepatitide aphor. 914; Fernelii Pathol. A.

Eſt illa ſpecies quæ cum febre acutâ noctu exacerbante, dolore, tumore, vel tenſione in hypochondrio dextro, ſæpè tuſſi, dolore ſcrobiculi cordis, aliquali dyſpnœâ, &c, accidit; illius ſpecies plures numerat Boerhaave quæ tantùm ſunt varietates. Maximè diſcrepat ab aurigine illâ quæ vel quartâ circiter die vel poſt ſeptimanam ſupervenit tritæophyæ ardenti ſeu febribus bilioſis, quæque à nobis inter fugaces accenſetur: ſed quidquid contrarium ſuadeat *Boerhaave*, rariſſima eſt, ut notat *Fernelius*, & è decem hepatitidibus vix una aurigine ſtipatur.

Curatio eadem eſt ac hepatitidis, ſeu exigit phlebotomias repetitas, potum diluentem leviter reſolventem & lenes catharſes, ſi verò ſanatâ hepatitide ſuperſit aut ſubſequatur aurigo, alia omninò ſpecies eſt.

12. *Aurigo Neophytorum* Juncker de ictero; Van-Swieten aphor. 950; Ettmuller Valetudinar. infantil. pag. 113. L.

In recens natis infantibus facilè curabilis aurigo accidit; ob meconium inteſtina infarciens, impeditur bilis effluxus in duodenum, unde aurigo; quandoque etiam in lactentibus coloſtrum caſeoſum eundem effectum inducit. Saponis Veneti ſcrupulus in aquæ unciis tribus dilutus, addendo unciam ſyrupi cichorii cum rheo, ſi cochleatim detur ſæpiùs de die, ſolvit hæc concreta, abſtergit blanda inteſtini viſcera, & ſimul hanc ſaburram per alvum expellit, aut leni cathartico ſaburra illa cum bile evacuatur.

13. *Aurigo hyſterica* Sydenhami de colicâ hyſterica, cap. 3 ſect. 4. *A colicâ hyſtericâ* Sydenhami, Raulin des maladies vaporeuſes pag. 17.

Illa ſpecies paroxyſmo gaſtrodyniæ hyſtericæ non rarò ſupervenit, ſed intra paucos dies ſponte evaneſcit; idem accidit in colicâ hypochondriacâ; ſi verò moras nectat, adhibeatur apozema ſequens.

Recipe

Recipe *radicum rubiæ, curcumæ, ana unciam unam; chelidonii majoris cum toto & ſummitatum abſinthii ana manipul. unum; coque in æqualibus partibus vini rhenani & aquæ fontanæ ad libram unam, in colaturâ diſſolve ſyrupi de quinque racidibus uncias duas; fiat apozema de quo capiat libram ſemiſſem calidè manè & ſerò uſquequo convaluerit.*

Juxta *ill. Raulin*, illa ſpecies non niſi hyſtericis longo morbo debilitatis, hyſteralgias aut ileum hyſtericum paſſis, accidit cum ſummâ animi, & corporis proſtratione; num à ductûs choledochi ſpaſmodicâ conſtrictione ut putat *Frid. Hoffman*? Exemplum proceſſûs curatorii in aurigine ab obſtructione: Initium ducat phlebotomia, deinceps ſemiuncia vini emetici cum olei amygdalarum unciâ unâ aut alterâ, ſuccedat per multos dies potus copioſus ex decocto radicum fragariæ, acetoſæ, althææ, glycyrrhizzæ: incoquendus in quovis juſculo manipulus endiviæ, cichorii, alſines, chærophylli, acetoſæ, betæ; in alterutro ex his juſculis adde cremoris tartari drachmam unam, nitri grana xv: veſpere clyſma laxans, & poſtea purgandum cum ſalis Epſonienſis & ſyrupi de roſis pallidis ana unciâ unâ, vel cum folliculis ſennæ & tamarindis; ſi reſiſtat morbus, ad aquas acidulas ferrugineas devenias: in temperamentis frigidis, pituitoſis, maximè ſi quartana contumax præceſſerit, quod frequenter accidit, aquæ thermales per triduum propinandæ, juſcula in quibus verticillus marrubii albi aut etiam ballotes incoctus ſit ſpecifica cenſentur obſervante *D. Baux Medico Nemauſ. percelebri*; elixirium vitrioli, terra foliata tartari ab aliis laudantur. In aurigine epidemicâ quæ Genuæ vigebat in exercitu Hiſpanico *Comes Ponticelli Archiater* abſumi juſſit totum qui fuit in urbe ſaponem, ipſum etiam quo facies à barbitonſoribus delinitur, & ſic ſanata eſt illa epidemia; vulgò nimis indulgetur emeticis, catharticis acribus, & aperientibus calidis, ubi diluentia ſufficiunt.

Sydenhamus in aurigine vulgari præſcribit catharticum quarto quoque die repetendum, & diebus intermediis electuarium ex conſervâ abſinthii, corticis aurantiorum, angelicæ conditæ, nucis moſchatæ conditæ, pulveris ari & chalybis, extracto gentianæ, cremore tartari & croco cum aquis mineralibus. Proſunt & pilulæ Ruffi ad grana xxx, quæ aloes partes quatuor, myrrhæ duas, croci unam recipiunt.

14. *Aurigo rachialgica*, Cl. Bonté Journ. de Med. Nov. 1761, Janv. 1764 p. 41; De Meyſerey n. 419. C.

Eſt ſymptoma rachialgiæ vegetalis, nec non febricoſæ & ſaturninæ: fugax eſt, & curatur apozematis ex plantis hepaticis, deinceps acidulis, aut ſero lactis ſucco fumariæ alterato.

XXXIII. Melasicterus; *Melas icteros* Græcis recentioribus, *Melanchlorus* Fernelii Pathol. *Icteritia nigra & viridis*, Foreſti obſ. 23 lib. XIII; *Icterus niger* Auctorum. *Ictere noir.*

Eſt morbus ut plurimum diuturnus, apyretus, qui cutem ferè univerſam colore

colore nigro, vel diffuſo vel guttato & maculoſo deturpat.

In melanchloro, ait *Fernelius*, coloris flos pro vivido obſcurus primùm; deinde ſublividus & ſubniger, nulla evidenti occaſione apparet; corpus quidem minus quàm in aurigine ingraveſcit, mens tamen magis imaginibus perturbatur, quæ metûs & mœſtitiæ plenæ ſunt; nec dejectio, nec urina de nativo ſtatu manifeſtè decedit.

1. *Melasicterus diverſicolor.* Ephem. Nat. Cur. cent. 5. obſ. 41. pag. 61. C.

Viſa eſt aurigo totâ facie ad guttur *viridi*, dextrâ corporis parte *atrâ*, ſiniſtrâ verò *flavâ*, urina verò modò atra, modò viridis excernebatur.

Auriginem totam viridem vide in chloroſi.

Auriginem dimidii corporis cum hemiplegiâ, *Ephem. Nat. Cur. centur. 3 & 4 obſerv. 64.*

2. *Melasicterus à veneno*, Marcell. Donat. lib. 1 cap. 9.

A ſcorpionis ictu oritur, & totum corpus maculis nigris conſpergitur, quod de ſcorpiis regionum calidarum valet; de Bononienſi ægro agit *Donatus.* In noſtris regionibus hæc inſecta veneno carent, quidquid in contrarium afferat *ill. Maupertuis Mem. de l'Acad.*

3. *Melasicterus periodicus*; *livor totius corporis periodicè recurrens* Mangeti Biblioth. Med. pract. de cutis morbis pag. 844.

Accidit infanti unius anni benè valenti menſe Februario derepente, ſine ullâ præcedente cauſa, toto corpore facto livido, non aliter ac ſi ſtrangularetur, integrâ tamen mente, ſine ullo ſenſu doloris, niſi quod caput parum inclinarit ac ſi ſomnolentus eſſet, cùm antea infans ille eclampſiæ fuiſſet obnoxius quoties nutrix menſtrua experiebatur, præſcripſit *Raygerus* pulverem Marchionis cum ſpeciebus de hyacintho & antimonio diaphoretico in aquâ ceraſorum nigrorum; livor ille evanuit, aſt alternis diebus eadem horâ livor tertiâ, quartâ, quintâ vice redivit, minor tamen & ſine ullo frigore, quod ultra horam perſeverabat, ſed adhibitâ catharſi & iterato priori medicamine, æger ſanatus eſt. An eclampſiæ, an à tertianæ febris veneno?

4. *Melasicterus alphus* Collect. Academ. *tom. 3. pag.* 332. An *melas* Celſi lib. 5. cap. ultimo? *Morphæa nigra* Carol. Rayger. *Dartre noire.* C.

Cognoſcitur ex maculis ſubrotundis, nigris, planis, glabris nec prurientibus, nec dolorificis per totum corpus diſperſis; hæ maculæ intra noctem accedunt. In duabus puellis has obſervavit *Raygerus*, atque eas pro ſcorbuticis habuit, quas ſpiritu cochleariæ in ſyrupo fumariæ præſcripto, intusque ſumendo facilè fugavit. Cur verò herpetem nigrum has vocat non intelligo. Hic affectus à morphæâ Arabum multifariam diſcrepat, fugax enim eſt, nec maculæ ſunt cute depreſſiores, nec pilis albis obſitæ, eæque omnes aciculâ tuſæ cruorem fundunt; differt verò extenſione macularum & colore à phænygmo punctato.

In

In hoc differt alphus niger à morphæa nigrâ ſeu albaras nigra Arabum; quod in hac vitiliginis ſpecie ſint excoriatio & ſquamæ, quæ in alpho nigro non ſunt. *Sennert. de vitiligine lib. 5.*

5. *Melaſicterus ſcorbuticus*; *Icterus niger ſcorbuticus* Boerhaave Conſ. 16. *Blak-leg* Anglorum. C.

Vide arthritidem ſcorbuticam, claſſ. VII. & catochum ſcorbuticum, claſſ. IV.

Vel totum corpus nigreſcit, ut in caſu *Sennerti* ſeu *Eugaleni*, vel nigreſcunt tantùm tibiæ, eæque maculis lividis ſunt diſtinctæ, unde nomen *Blak-leg*, quod idem ſonat ac tibiæ nigræ.

Facies ad nigrum vergit, reſidui corporis color intensè flaveſcit aut nigricat; in fecibus nulla flavedo, urina ſaturate bilioſa, anorexia comes, ſanguini extracto cruſta tenax, phlegmatico bilioſa adhæret, his adduntur ſcorbuti ſigna, ut maculæ lividæ amplæ in cruribus, excretio cruoris meri per anum ſine diarrhoeâ, oris ſpurcities, gingivæ molles. Deſinere ſolet hic morbus in aſcitem ſcorbuticum, & aſcites tuſſi ſiccâ, dein hæmoptyſi leni, polydipſiâ, aliiſque ſymptomatis ſtipata citò in mortem ducit, tumore abdominis fluctuoſo & pedum œdemate præſertim aſcitem denuntiantibus.

Curatio. Hic proſunt cathartica ſeptimanatim repetita ex rheo & mannâ, ſyrupo de cichorio, ſi alvus libera ſit; fortiora verò, ſi reſiſtat; juſcula aperientia balneo mariæ parata, ſi æger jam debilis ſit, eaque ingrediuntur carnis vitulinæ talleolatim ſectæ unc. xxiv, rhei, tartari vitriolati, aut ſalis mirabilis Glauberi, limaturæ ferri, ac pareiræ bravæ, ana drach. I; radicum cichorii, apii, lapathi acuti, ana, drach. III; foliorum cochleariæ, cichorii, ex omnibus manipul. II, aquæ cyathum I. fiat ſecundùm artem juſculum quovis manè per xx. dies iterandum, interpoſito cathartico.

6. *Melaſicterus ſpleneticus*, Boneti Sepulchret. obſerv. 3. à Veſalio. *Icterus niger* Sennerti de morbis ſplenis. C.

Eſt ea ſpecies quæ hypochondrii ſiniſtri tenſione, tumore, dolore gravativo ſtipatur, & quæ juxta omnes Veteres & non paucos neotericos cenſetur pendere à vitio lienis.

Zacutus refert etiam quemdam melaſictero defunctum caruiſſe liene, & inde deducit quare atra bilis in liene congeri ſolita, hujus defectu per corpus reſperſa fuerit. *Zacuti prax. obſ. 13 lib. 3.*

7. *Melaſicterus hepaticus*; *Icterus niger à vitio hepatis* Manget. Biblioth. Medic. pract. pag. 1036, Plater. tract. 3 cap. 2 libr. 1; Boneti Sepulchr. obſerv. 28. C.

Eſt illa ſpecies quæ incepit ab aurigine, & in quâ oculi adhucdum intensè flavi & quaſi coloris fuliginoſi ſunt, licet cutis nigredine inficiatur, urinæ ſint coloris caffé. Talem deſcribit *ill. Van-Swieten in aphor. 950.* quæ per duodecim annos duravit, pertinaci uſu ſucci graminis, ſeri lactis verno tempore, æſtivis menſibus aquis Spadanis, hyeme magna copiâ ſaponis veneti cum melle, tandem incepit ſolvi impacta hepati materies,

& ſecutus fuit alvi fluxus per integros ſex menſes durans cum levamine omnium ſymptomatum; evacuabatur autem materia argillacea, olidiſſima, granulis aſperis, parvis, calculoſis undique reſperſa, vires bono victu ſuſtinebantur, & ſic perfectè ſanata eſt ægra.

Similem curavimus ægrum ill. Profeſſorem Juris D. Necker Genevenſem, qui toto corpore niger & viſu horrendus huc appulit; potiſſima verò medicamina quibus intra duos menſes ſanatus fuit, fuere juſcula in balneo mariæ parata ex vitulina carne, foliis cichorii, ſyſimbrii cum rheo, croco martis, millepedibus, ſale glauberiano, interpoſitis ſero lactis chalybeato & lenibus catharticis.

8. *Melasicterus Indicus.*

In Philippinis, qui vocantur *Biſayas*, incolæ nigri ſunt, aſt colore magis atro ex cocco & moſcho tinguntur, ut mulieribus placeant.

Zeilanenſes nigri ſunt & deformes.

In Regno Loango Africæ homines naſcuntur albi, ſed intra duos dies nigri evadunt, oculi griſei, capilli aurei, ſi cominùs aſpiciantur, cadaveroſus eſt color, & oculi immobiles, luſci; noctu & ad lumen lunæ clarè vident, interdiu obcœcantur; hos *Albinos* vocant Luſitani; *Negres blancs* Galli.

In Inſulâ Hiſpaniolâ Nigritæ ſervi ex diverſis Africæ regionibus oriundi numerantur plurimi, illi omnes nigricant, aſt qui vocantur *Bambaras* ruffeſcunt, qui *Congos arada*, & *Senegalli* intenſiùs nigricant, ſingulos tamen diſtinguit intenſitas, gradus, vel nitor coloris; horum verò color minus nitidus, magis dilutus evadit ex febre, chloroſi, anaſarcâ, & ex colore dilutiori ægritudines illæ facilè dignoſcuntur; cicatrices à variolâ relictæ albeſcunt, puſtulæ verò durante inflammatione dilutius nigricant. Errant qui plegmones rubedinem ejus ſymptomatis eſſentialibus adſcribunt.

In novâ Hollandiâ color eſt nigerrimus, ut apud Guineenſes, os magnum, naſus reſimus, labra craſſa, oculi ſemper clauſi ut arceant noxam culicum, nulli dentes in maxillâ ſuperiore, viri imberbes ut feminæ, & facies omnibus deformis, præterea Ichthyophagi ſunt, nullis vegetabilibus veſcuntur. *Dampier Voyages :* vide *Aurigo* 3[a].

XXXIV. PHŒNIGMUS. *Ictere rouge.*

Eſt morbus apyretus cutis rubedine diffuſâ maculatâ virgatâ vel punctatâ notatus.

Differt itaque à purpurâ ſcarlatinâ, rubeolâ, aliiſque phlegmaſiis exanthematicis, quòd nullâ febre ſtipetur. A guttâ roſeâ, herpete, pernione, aliiſque vitiis maculoſis, quod magnam cutis partem obſideat.

1. *Phœnigmus petechialis ; Purpura apyreta* Clariſſ. Cuſſon diſſert. de purpurâ. L.

Eſt exortus macularum purpurearum in univerſâ cute, qualis in purpurâ, ſine pruritu, tumore, alioque ſymptomate. Differt à pulicum morſu quòd in

in maculis phœnigmi non ſit punctur æ veſtigium, ut in pulicum, apum morſibus, quos delet cataplaſma ex farina, aceto & oxymelite. Hunc affectum vidi aliquoties in pueris ob calorem æſtivum enaſci ſine ullâ notabili functionum læſione, & potu refrigerante ac dein levi catharſi adhibitâ intra paucos dies, evaneſcere. *Illuſtr.* verò *Profeſſor H. Haguenot* ſimilem obſervavit in tribus mulieribus, quas quidem ille morbus defœdabat, ſed aliunde nullatenus moleſtabat, quique intra aliquot dies ſpontè receſſit. *Sachſius* obſervavit in feminâ maculas roſeas diffuſas undequaque, quarum nonnullæ ſanguinem plorabant, & in puero ſimiles, ſine ſanguinis ſtillicidio, ambæ antiſcorbuticis ceſſerunt. Vide *Acta Phyſ. Med. Nat. Cur. 1757 pag. 386.*

2. *Phœnigmus Indicus.*

In Inſulis Philippinis Indi ſunt atrorubri, & ut pulchriores videantur plebeii, dentes colore nigro inficiunt; aſt nobiliores matronæ eos laminâ aureâ obducunt, reſiduum corpus colore nigro pingitur, & quò plures figuras in eo delineant, eò nobiliores & animoſiores cenſentur, unde ab Hiſpanis *pintados* ſeu picti nuncupantur.

Patagones, qui degunt circa Fretum Magellanicum, colorem cupri rubri nativum habent; idem eſt color in Inſulâ Nicobar juxta Sumatra. *Dampier.*

3. *Phœnigmus à vernice.* Duhalde hiſtor. Sinæ pag. 317. A.

Apud Sinenſes qui ex arbore *Rhus vernix Linn.* dictâ vernicem Sinenſem extrahunt, ſi ejus halitus excipiant, intra viginti quatuor horas colore rubro univerſali inficiuntur, quaſi eryſipelaceo, accedit faciei deformitas, cutis aſperitas leproſa; rimas agit cutis multis in locis, & multum inde ſerum effluit; demùm cutis exſiccata, fortè epidermis, delabitur, novaque ſuccreſcit. An eryſipelas ſit hic morbus ignoro.

Curantur cathartico hydragogo, balneis calidis in decocto foliorum abietis, corticum caſtanearum cum nitro & baſellâ, hujus decocti etiam ſtuphæ adhibentur, & baſellæ cinis rimis cutis inſpergitur.

4. *Phœnigmus à venenis* illuſtr. Hambergeri, de narcoticis differt. A.

Eſt intenſa rubedo totius corporis diffuſa vel continua quæ illicò ſupervenit à venenis quibuſdam narcoticis, & 1° quidem *ill. Hambergerus* aliique obſervarunt eos qui baccas atropæ belladonæ voraverant incidere in rubedinem purpuream totius corporis, citra calorem ac febrem, quæ rubedo aſſumpto emetico intra paucos dies evaneſcit; hoc accidit filio janitoris Horti Regii Monſpelienſis, atque confirmat opinionem *ill. Hambergeri*, qui putat à narcoticis ita diſſolvi cruorem ut facile ſubeat vaſa cutis lymphatica.

Idem morbus accidit *à Bias juxta Agatham* toti familiæ ſutoris, ab eſu hepatis frixi piſcis, qui vulgò Cattus marinus, Ichthyologis *ſqualus canicula* dicitur; quatuor diverſæ ætatis aſſumpto hoc hepate caro correpti per biduum triduumve jacuere, & rubore purpureo intenſiſſimo perfuſi fuere, ex quo profundo ſopore excitati pruritum perſentiebant, & epidermis totius corporis, ne exceptis pedibus manibuſque, in magnas, amplaſque membranas à corpore ſeparata abiit. Agatham accerſitus paulò poſt, hos qua-

tuor accerſivi, examinavi, & ipſe ex mariti pede & ex uxoris manibus detraxi chirothecas cutaneas, quas ſervo; qui verò plus hujus eſcæ voraverant, diutiùs dormierunt quàm qui minus; puella non in toto corpore deſquamata abſceſſum in crure paſſa eſt.

5. *Phœnigmus plethoricus.* B.

Plethora *Ill. Linnæi*, quæ pendet à boni humoris abundantia, ſi tanquam morbus ſpectetur, habet pro potiſſimo ſymptomate rubedinem corporis & potiſſimum faciei, cum dyſpnœa & pigritia, ſeu inertia ad agendum: ſed nobis plethora pro diverſorum morborum principio, non pro morbo habetur, quia nullo ſymptomate conſtanti ſtipatur.

XXXV. CHLOROSIS, Sennerti qui falsò nomen Hippocrati tribuit; *Chloroſma* Hippocratis VI Epidem. obſcuro ſignificatu; *Iliſcis* Avicennæ; *Febris alba* & *Virginum obſtructiones* Mercati; *Cachexia* Plateri de Diſcoloratione; *Morbus virgineus* & *Febris alba* Rod. à Caſtro Lib. II cap. 5; Sennerti Lib. IV Sect. 3 cap. 2; *Fœdi colores* Ballonii de morbis virginum; *Febris amatoria* Langii; *Icteritia alba*, vel *Icterus albus* Ettmulleri. Gallicè *Chloroſis; pâles couleurs.*

Chloroſis eſt morbus cujus præcipuum ſymptoma eſt pallor faciei cum aſtheniâ habituali.

Plures ſpecies hiſce duobus ſymptomatis addunt quamdam veſaniam ſingularem, ut picam, malaciam, polydipſiam, melancholiam, panophobiam &c, quæ vulgò chloroſes propriè dicuntur: aliæ verò nullâ veſaniâ ſtipantur, & pallores vulgò dicuntur; ſed non dantur inter has limites quibus accuratè diſtingui queant; ſunt qui *cachexiæ* nomine ultimum chloroſeos gradum deſignant, verùm phlegmatiam aut anaſarcam hoc nomine intelligunt; & cachexia, ut patet ex *Gorræi* definitione, pro omnibus hujuſce claſſis ordinibus deſignandis paſſim adhibita videtur apud Veteres.

Color pallidus pendet ex eo quod lympha in vaſis cutaneis prædominetur, ita ut cruoris color præ illâ evaneſcat, vel ex eo quod epidermis opacior radios rubros cruoris ſubtus repentis non tranſmittat, quod ferè eodem recidit.

Pallor eſt vel albus vel cinereus, vel fuſcus, cereus, luridus, & diverſas haſce colorum commiſſuras verbis exprimere difficillimum eſt; ut itaque dum cutis flaveſcit vel ut aiunt virideſcit, diſtinguatur chloroſis ab aurigine & melasictero, ſcleroticæ color obſervandus eſt, qui albiſſimus eſt in chloroſi utcumque cutis ſit lurida, aſt flavus vel fuliginoſus in aurigine & melasictero.

Chloroſes veræ.

Sunt illæ quæ ut plurimum appetitu ciborum, potuum, veneris, vel quadam ſingulari & heteroclitâ averſatione ſtipantur; recens elapſo ſæculo unica hujus morbi ſpecies erat cognita, quæ chloroſis virginea eſt, ſeu febris

alba

alba vulgò dicitur, virginibus viro maturis familiaris, quæque menoſtaſiæ ſeu catameniorum emanſioni aut ſuppreſſioni tribuitur, verùm obſervatio quotidiana docet ipſos infantes in cunis chloroſi cum picâ laborare; dantur & mulieres ubertim menſtruatæ quæ ſimili morbo cum picâ ægrotant; dantur denique viri, ut obſervat *Bonetus*, verè in hoc ſignificatu chlorotici, adeoque ſi hujus vocis ſignificatus reſtringeretur, ut in ſcholis vulgò fit, plurimæ hujus ſpecies ignotæ vel excluſæ forent, aut nova genera citra neceſſitatem condenda manerent.

1. *Chloroſis Virginea*; *Fœdi colores virginum* Ballonii de morbis virginum. *Pâles couleurs des filles*. L.

Eſt ea ſpecies quæ puellis puberibus ex menoſtaſiâ accidit cum picâ. *Menoſtaſia*, eſt catameniorum emanſio, imminutio, aut ſuppreſſio, ſeu menſium ſtaſis. Pica verò chloroſim illam comitans eſt ſæpius pica abſorbentium, ut mortarii, gypſi, humi, carbonum, vel pica condimentorum, ut aceti, ſucci limonum, ſalis &c. *vide Claſſem VIII.*

Chloroticæ pallent, & in intenſo & inveterato morbo flaveſcunt ac luridæ ſunt, oculis tamen albiſſimis, unde ab auriginoſis diſcrepant; pulſus in illis frequens eſt & parvus, unde morbus impropriè *febris alba* dictus, ſed vires vitales ſunt minores ſolito, adeòque non mutata eſt proportio inter illas & vires muſculares, quod ad febrem ponendam requiritur. Reſpiratio in illis eſt difficilis, ſi pauliſper moveantur, maximè ſi ſcalas aſcendant, ſi currant, ſi conatus edant, quia tunc temporis à muſculis contractis ſanguis ubertim in pulmones irruit, eoſque infarcit, quem tamen pari paſſu pulmo debiliùs compreſſus à muſculis pectoralibus non poteſt cordi ſiniſtro erogare, hinc palpitationes cordis, quas etiam vel leviſſimum pathema excitat. Debilitas verò muſculorum pendet & à plethorâ ſeu mole movendâ majori, & à laxitate ſyſtematis ſolidorum: ſyſtema verò illud laxius eſt quia ſero ſanguinis retenti, eoque abundantiori & retardato ejus textûs elaſticitas minuitur: hinc pigritia ad motum, hinc amor ſomni & vita deſes, ſedentaria; hinc faſtidium omnium oblectationum quæ exercitio obtinentur, ut ambulationis, ruſticationis, cantûs &c: hinc amor ſolitudinis, mœſtitia; defectu exercitii & ob vitioſam ſanguinis & ſuccorum gaſtricorum craſim quæ ſeroſa vel mucoſa eſt fames imminuitur; appetitus verò, qui non alimenta in genere, ſed ſapores ſectatur, Gallicè *l'appetit*, depravatur, quia ſaliva ſeroſa guſtui non arridet niſi condimentis acuatur, aut abſorbentibus ejus fatuitas corrigatur, ſi mucoſa ſit; cùm alimenta conſueta non arrident ad inaſſueta confugiunt, hinc progrediente morbo creſcit plethora ſeu cacochymia facta ex thrombo purpureo viſcoſo, craſſo, malè elaborato & ex ſero copioſo, flaveſcente; creſcit anorexia, digeſtiones multiplici titulo vitiantur, humores excrementitii retenti craſim ſanguinis in dies pejorem reddunt, laxantur ſolida, textus celluloſus turget hoc ſero vinoſo, debilitatur cor cum omnibus aliis muſculis, hinc pallor plumbeus, cereus color, quem virideſcentem quidam nuncupant, tumeſcunt veſpere pedes, veſtigium calceorum & digitorum prementium retinent, manè palpebræ

tument & liveſcunt, ſed adhuc carnes v. g. genæ ſunt turgidulæ non marcidæ.

Cum verò eò uſque procedit morbus ut genæ ſint pendulæ, flaccidæ, labra attenuata, pallida, extrema œdematosè tumeant totâ die, digeſtiones omninò viſcoſæ, color plumbeus, fuſcus &c, hic chloroſeos gradus jam *cachexia* à Neotericis vocatur, & ægræ *cachectæ* dicuntur in quavis chloroſeos ſpecie.

Hic morbus ita evidenter pendet à menoſtaſiâ ut reſtituto catameniorum fluxu evaneſcat; interea duplex eſt varietas menoſtaſiæ, in praxi diſtinguenda; vel enim 1° ea initio ſtipatur ſolidorum tenſione, erethiſmo, fluidorum ſiccitate & acri viſcoſitate, & in hoc caſu in morbo recenti nequaquam ad ſtatum cacheċticum pervento, emmenagoga debent diluentibus temperari, phlebotomiâ & catharſi præſcriptis, juſcula leviter incidentia ex radicibus fragariæ, graminis, foliis ſcolopendriæ, capillorum veneris, additâ paucâ doſi martis, debent præſcribi; imò ſæpius ad ſemicupia, ſerum lactis & lac aſininum deveniendum eſt.

Si verò ægra ſit temperamenti pituitoſi, frigidi, paulò fortiora & calidiora medicamina ſenſim ſunt adhibenda, ut major doſis præparationum martialium, radices aperientes bruſci, ononidis, aſparagi, de quibus conſulantur proceſſus curatorii *Ill. Jacobi Lazerme*, & *Ger. Fitzgerald de morbis mulierum* cap. 1.

Sæpiùs hic morbus uſu limaturæ ferri intra primum offæ cochlear, vel potu aſſiduo aquæ ferratæ, ut aiunt, ſanari conſuevit; interdicendus verò eſt omninò uſus condimentorum & terreorum, quibus hæ virgines delectantur, atque exercitium eſt ſuadendum.

a. *Chloroſis amatoria. Febris amatoria* Langii. L.

Eſt prioris varietas quæ puellas amore percitas afficit, cum gravi melancholiâ, ſolitudinis amore, mœrore continuo, & continuâ de objecto cupito meditatione; ea chloroſis ſtipatur etiam utplurimùm menoſtaſiâ; aſt ea menſium emanſio potiùs huic ſupervenit, quàm pallorem præcedit, atque temperamento melancholico ſtipatur, proindeque primus curandi proceſſus in chloroſi virgineâ deſcriptus magis convenit quàm ſecundus, & præterea matrimonium cæteris omnibus remediis longè præſtat. *Vide Nymphomaniam, ſalacitatem dictam Claſſ.* 8. *pag.* 343.

2. *Chloroſis à menorrhagiâ. Chloroſis muliebris à menſtruatione difficili* Aſtruc de Chloroſi, tom. 2 pag. 2 & 43 ſpec. 2a. *Pâles couleurs des femmes.* C.

Ea eſt quæ mulieres annum quadrageſimum prætergreſſas, quæque laborioſam menſtruationem patiuntur, adoriri conſuevit, ſæpiùs cum uberiori ſanguinis effluxu menſtruo, appetitûs depravatione, phlegmatiâ, torpore corporis, ſeu pigritiâ & debilitate inaſſuetis; atque ciborum aſſuetorum faſtidio.

Menorrhagia ſeu vitioſa & morboſa catameniorum effluxio involvit catamenia doloribus hyſteralgicis ſtipata, ſive parca, ſive ſolitæ quantitatis, &

& catamenia profuſa ſive dolorifica, ſive non dolorifica; in his omnibus caſibus, potiſſimùm verò cùm menorrhagia eſt hyſteralgica, ſupervenit chloroſis cum mœrore, & moroſitate multiplici, ſolitudinis amore, exercitii averſatione, ciborum noxiorum appetitu, pigritiâ inſolitâ, œdemate pedum, ſomnolentiâ, quæ nunquam ipſis expleta videtur, pervigilio conjunctâ, aut ſomnis inæqualibus & irregularibus; atque quoties menſtrua accedunt, illa initio indolentia ſunt, aſt ſecundâ, tertiâve die doloribus aſſiduis, irrequietis crurum, natium, femorum, lumborum, uteri, vaginæ, ſtipantur, ita ut illi dolores ſubitò ex unâ parte in alteram ferantur, uterus intumeſcat, mox detumeſcat, à tactu doleat, dùm tumet, ſimulque eò majores ſint dolores, quò plus ſanguinis effluit; his adde ſenſum ardoris in vaginâ, jectigationes continuas corporis, quæ omnia imminuto fluxûs impetu evaneſcunt; aſt ſæpè fluxus ſanguinis excipitur à fluxu ſeroſo, ſeu à leucorrhœâ quæ plures dies perſeverat, & identidem cruenta eſt, unde miſera mulier debilis, pallida, ad leviſſimum motum anheloſa, œdematoſa, inſomnis, cibos averſans, ſingulis menſibus in pejorem ſtatum abitura eſt, niſi ſuccurratur.

Hic morbus pertinaciſſimus eſt, & ferè eas comitatur uſquequo ætas ea advenerit qua naturalis catameniorum accidit ceſſatio; non ſatis apud Auctores deſcriptus reperitur; vulgò exigit ruſticationem tanquam præſtantiſſimum remedium; deinde verò exiguam doſim præparatorum martialium cum juſculis refrigerantibus, levibus antihyſtericis; nam affectus hyſterici his malis ſæpè accedunt; ſi verò ſtomachus lacti poſſit aſſueſcere, nil eo melius judicaverim; hujus ſpecialis hiſtoria & curatio deſiderantur.

3. *Chloroſis gravidarum* Aſtrucii ſpec. 3ª. L.

Ea eſt quæ primis tribus graviditatis menſibus accidit cùm malaciâ, ſeu appetitu abſurdorum, & ſolitorum alimentorum averſatione; malacia verò ad plura alia extenditur, quàm ad alimenta; etenim in hoc morbo mens debilis & moroſa ad ſtultitiam uſque, non rarò diverſa appetit, vel averſatur, minimis repulſis excandeſcit, cum furore cupita ſectatur. *Vide Picam* 3am. *Claſſ. VIII.* Sæpiùs gravidæ quæ priùs tabaco, caffé, vino delectabantur, jam ea averſantur; quæ haleces, clupeas, ſimiliave averſabantur, jam perditè appetunt; quæ erant forti animo, jam à leviſſimis occaſionibus turbantur; de cætero pallent, ad levem ambulationem anheloſæ ſunt, torpidæ & graves, mœſtæ & moroſæ; verùm nec ab alimentis abſurdis ferè læduntur, ſed his denegatis pejus habent, ubi valet aphoriſmus *Hippocratis*: alimenta paulò pejora, ſed jucunda, melioribus, ſed ingratis ſunt anteponenda. Hic affectus ſpontè circa quartum menſem evaneſcere conſuevit; aſt accedente ætate quâ catamenia ceſſatura ſunt, non rarò inducit chloroſim à menorrhagiâ dictam.

4. *Chloroſis infantum.* Vide Phiſconiam infantum. C.

Eſt ille pallor qui infantibus eſt familiaris, cùm picâ abſorbentium laborant, quo quidem morbo nihil eſt vulgatius; quippe innumeri ſunt

qui

qui ab incunabulis ſolent humum, mortarium, gypſum vorare, quique inde pallidi, marcidi, imò macilenti evadunt, & ſimul phiſconiâ & adephagiâ laborant; cùm itaque ad chlorofim requiratur tantùm pallor & pica, cur huic generi non accenſeretur hic morbus, non video: curatur ut phiſconia-infantum martis & rhei uſu.

Chloroſes ſpuriæ, ſeu pallores.

Sunt illæ quæ nullâ picâ, malaciâve ſtipantur, & *pallores Boneto* dicuntur; vide *Sepulchret. tom. 3 pag. 533*, & *Cachexiæ Felic. Plater. diſcolorationis genera;* talis eſt pallor fugax à frigore, à terrore, aliiſque, qui ſyncopem, aſphyxiam comitantur, nec non qui à morbo convaleſcentibus accidit. Pallor eſt ſymptoma omnium ferè cachexiarum, maximè verò tabis, aſcitis, anaſarcæ, phlegmatiæ, ſcorbuti, ſyphilidis, tineæ malignæ, elcoſeos, &c, nec non alvifluxuum, ſanguifluxuum, & rachialgiæ ac melancholiæ.

5. *Chloroſis verminoſa* Plateri obſerv. libr. 3. C.

Illa fovetur à copioſis lumbricis intra primas vias.

6. *Chloroſis viridis* Petr. Fabri Curat. 71. C.

An viror erat verus qualis herbarum recentium, an verò hoc nomine intelligat cum plurimis colorem luteum, *couleur de feuille morte*, inquirendum reſtat. Vulgò plebs virorem tribuit fecibus alvinis, ſputis phthiſicorum, cùm mihi tantum flavus color obſervatur. Color ille flaveſcens, ſordide brunneus, eſt ſymptoma aſcitis, tabis, hecticæ, melancholiæ, necroſeos Solonienſis aliorumque morborum chronicorum dum inveteraſcunt.

7. *Chloroſis ab hydrothorace. Vide* Boneti Sepulchret. tom. 3 pag. 555 & 556. n° 1, 4, 20, 22, de pallore. C.

Ille pallor non niſi ex cadaveris aperturâ hydrothoraci, aut pulmonum œdematiæ fuit adſcriptus; ſi enim hydrothorax cognoſceretur, tunc pallor tanquam ejus ſymptoma habendus eſſet; in his autem caſibus chloroticus albeſcit. Diſcoloratio verò plumbea ac fuſca ſpleneticos & hypochondriacos non raro inficit.

8. *Chloroſis maculoſa; Leuce* Galen. 3. de ſymptomat. cauſis; *Leuca* Celſi; *Elephantiaſis alba* Plin. lib. 25 cap. 5; *Morbus Deliorum* Mercurial. var. lect. libr. 3. cap. 18.

Eſt morbus cujus præcipuum ſymptoma ſunt *maculæ amplæ* per totum ferè corpus diſperſæ, non ſquamoſæ, ut in morphæâ albâ, ſed glabræ & coloris verè albidi, qualis eſt oſtreorum; his adde pilos albos, pectoris & colli tumorem, doloreſque exiguos, ſine febre; illæ maculæ albidæ faciem potiſſimùm deturpabant apud Delios, referente *Æſchine*, qui hunc morbum contagioſum & peſtiferum dicit; hic verò morbus hodiè eſt ignotus.

9. *Chloroſis Carthagenica* M. d'Ulloa Hiſtoire d'un Voyage en Amérique. L.

Cartha-

Carthagini in Americâ calor atmoſphæræ eſt ferè ſemper idem qui Pariſiis diebus canicularibus; hyems dicitur tempus quod à Maio ad finem Novembris extenditur; *major æſtas* vocatur ab initio Decembris ad finem Aprilis, quo tempore ventis flantibus calor mitior eſt; æſtas minor eſt circa feſtum S. Joannis, tunc per menſem ceſſant pluviæ; perſpiratio ibi magna, continua, unde Incolæ colorem adeò pallidum & lividum habent, ut à morbo gravi convaleſcere videantur; actiones etiam molles, debiles, vox quoque tarda; de cætero bene valent: Europæi huc accedentes poſt tres, vel quatuor menſes hunc pallorem contrahunt.

Aſſerunt etiam multi Tarbellis, ſeu *Dax* endemium eſſe pallorem, quem tribuunt vaporibus calidis, quos thermæ in mediâ urbe ſitæ, & ad 50um & ultra gradum fervidæ, continuò fundunt.

11. *Chloroſis Bengualenſis* Merolla Voyage à Angola.

In Regno Benguala apud Africanos color hominum eſt non minus pallidus ac mortuorum apud nos; ille verò pallor tribuitur aëris gravitati, &, ut aiunt, malignitati; imò vox eorum debilis eſt & tremula: apud nos qui oppida mari vicina habitant, pallidi ſunt, & phiſcones venis atrocæruleis per abdomen ſparſis, unde vocantur vulgò *ventres bleus*, & quartanis ſæpiſſimè laborant; hoc verò tribuitur & aëri è paludibus fœtidis æſtate exhalanti, & aquis cœnoſis quibus utuntur.

Apud Darianos in Americâ fortè pallor endemicus à calore dependet, ut apud Carthagenicos, & unde procedat apud Cambayenſes in Aſiâ, ignoro.

12. *Chloroſis rachialgica* Ramazzini de morbis Artificum cap. 1. & 2. Strack Journ. de Med. Avril 1765.

Eſt pallor qui inficit metalli-foſſores, inauratores, &c, quique potiſſimùm invadit cum tremore eos qui hydrargyroſim patientes, ſe frigori exponunt, in quo caſu decoctum radicis chinæ & bardanæ utiliſſimum eſt. Hæc chloroſis flava vel olivaceum colorem referens in facie eſt unum ex ſignis pathognomonicis Rachialgiæ arthriticæ *D. Strack*, quæ curatur numeroſis balneis, antimonii pulvere tenuiſſimo & decoctis ſudoriferis.

ORDO SEPTIMUS.

CACHEXIÆ ANOMALÆ,

Seu quæ prioribus affines ſunt, ita tamen ut in ordinibus prægreſſis non facilè locum obtineant.

XXXVI. PHTHIRIASIS, *Maladie pédiculaire.*

COGNOSCITUR ab exortu inſectorum pediculis affinium ex diverſis corporis partibus, quas porrigine, ulcuſculisque defœdant, aut puncturis, pruritu diſcruciant.

Dicitur *phtheiriaſis* Græcis, Latinis *morbus pedicularis.* Inſecta hominem frequentiùs infeſtantia ſunt pediculus, pulex & acarus, quæ ſupra corpus humanum hoſpitantur, & aptera ſunt; quæ verò intra corpus hoſpitant, ſunt gordius medinenſis, furia infernalis, lumbricus humanus, aſcaris recti, faſciola hepatica, faſciola inteſtinalis, hirudo ſtagnalis, tænia vulgaris, tænia ſolium, & tænia lata; extùs divexant nos alia inſecta, & potiſſimùm veſpæ, apes, culices, tabani, ſcorpii, araneæ, ſcolopendriæ, cimices, nepæ, dytiſci, &c: Phthiriaſis autem utut vulgò pediculis ſolis tribuatur, quandoque multis aliis inſectis tribuenda, unde diverſæ ſpecies morbi.

1. *Phthiriaſis pedicularis. La maladie pédiculaire.* L.

Eſt ea quæ vel capillitium, vel etiam totum corpus infeſtat, & à veris pediculis excitatur.

Pediculus eſt inſectum apterum pedibus ſex, oculis duobus, aculeo in ore, antennis longitudine thoracis, abdomine depreſſo ſublobato; ſpecies eſt pediculus humanus *Linnæi*, qui in capite frequentiùs habitat, & per veſtes diffunditur; hujus ova, ſeu larvæ *lentes* nominantur; nidulatur in capillitio ubi pruritum excitat, puſtulas cudit, fœtorem, ſorditiemque capiti conciliat, cum porrigine. *Porrigo*, ſeu furfuratio eſt congeries ſquamularum griſearum, ſeu materiei unguinoſæ pulverulentæ, quæ ſecernitur in glandulis ſebaceis capitis, quæque ob pectinationis defectum cumulatur in capite, & cruſtam ſordidam, fœtidam, ſub pectine furfuris formâ delabentem conſtituit; ibi verò pediculi tuti hoſpitantur, & prolem copioſam nutriunt; illi oris aculeo quem exerunt cutim pungunt, & vulnuſculi peripheriam albam faciunt, fortè quia inibi ſolum cruorem exſugunt; è contra vulnus à pulice inflictum rubet, quia ſanguinem è vaſis vulneratis effluentem non exſugit, ſed lympham; corpus pediculi eſt totum hiſpidum, quibus villis veroſimiliter pruritum excitat.

Phthiri-

Phthiriaſis ſolius capitis eſt infantibus familiaris ; & facilè frequenti pectinatione curatur ; verùm apud eos qui induſiis tantum laneis utuntur, nec ea frequenter mutant, magna eſt pediculorum per veſtes repentium progenies, & opus eſt non ſolum caput pectine expurgare, ſed etiam medicaminibus inſperſis illud & veſtes mundare. Laudatur in hoc caſu pulvis hordei cauſtici, quod *cevadilla* vulgò audit, item pulvis ſeminum *Delphinii ſtaphiſagriæ* dicti.

Phthiriaſis olim inter morbos pœnales habebatur, quo extinctos ferunt plurimos. *Vide Schenckium*, *Camerarium*, *Plempium*, &c.

2. *Phthiriaſis interna ; Phthiriaſis funeſta* Mangeti Bibliothec. de morbis pilorum ; *Vermine interne.* C.

Ea eſt in quâ vel ſoli pediculi è diverſis corporis locis exituriunt, ut ex oculis, naribus, ore, cum urinâ, ſputo, fecibus, unde ægri miſerè torquentur, emaciantur, & pereunt, vel in quâ præter pediculos diverſa alia inſecta ex omnibus corporis locis ſupradictis prodeunt, ut amicus meus *Ill. Lefevre*, *Academ. Regiæ Scient. Par. & Ucetiæ medicinam faciens* obſervabat ; illi ægro anno 1728 & 1729 quotidiè prodibant ex oculis, auribus, podice, urethrâ, vulnere phlebotomiæ, pediculi, pulices, forficulæ, araneolæ, lumbrici, ſcarabæoli, quorum icones mecum communicabat amicus : Varia tentata ſunt remedia, & demùm ad litus mercuriales deventum eſt : æger per quindecim dies ptyaliſmum paſſus, immunis eo tempore fuit ab inſectis ; verùm finitâ hydrargyroſi inſecta ſucceſſivè rediverunt, unde æger inſomnis, emaciatus, debilitatus demùm obiit.

Mangetus refert Chirurgum Genevenſem iſchiade per annos excruciatum in eodem femore ſiniſtro paſſum eſſe eruptionem myriadis pediculorum, à quibus & à dolore liberatus eſt uſu thermarum Aquenſium in Sabaudiâ.

3. *Phthiriaſis inguinalis.* L.

Eſt ea quæ fovetur à pediculis pubis, quos vulgò *morpiones* & *platulas*, vel *pattas* nominant ; illi catervatim cuti pubis, imò ſuperciliis, capitique adhærent, & pruritum moleſtiſſimum excitant ; aſt partes non exulcerant, & facilè ope ſeminis ſtaphiſagriæ, pulveris tabaci, aut unguenti mercurialis occiduntur ; palpebris hoc affectu captis poſſunt applicari vel acetum ſcilliticum, in quo pauculum aloes ſit diſſolutum, aut oleum ſpicæ, &c.

XXXVII. Trichoma Jachii, à *trix*, & *coma* cæſaries, capillitium ; *Plica Polonica* Starnigellii ; *plica* à capillorum complicatione, vox æquivoca, adeoque nomen D. Jachii melius eſt ; *Plica Belgarum* Schenckii ; *Koltun* ac *Koltek* Polonis ; *Coledon* ac *Gods*, vel *Goſt* aliis ; *Wichtel-zopff* Germanis ; la *Plie* ou *Plique* Gallis. Ægri *Portepliques*.

Trichoma eſt morbus contagioſus, chronicus, Polonis endemius, cujus

præcipuum ſymptoma eſt capillorum conſpurcatio, ac in cirros & funiculos diverſæ figuræ, ac longitudinis conglutinatio, ac concretio.

Hujus morbi ſeminium ex Indiâ Orientali per Tartaros circa annum 1687 contagio in Poloniam, Sileſiam, Hungariam, vicinaque loca tranſlatum fuit; *G. Frid. Stabel*, *Diſſert. de plicâ. Halæ* 1724.

Diſtinguendi ſunt morbi à viru plicoſo oriundi, & trichoma ipſummet; morbi plicoſi, quos Polonicos cognominamus, ſunt tùm acuti ut pleuritis, apoplexia, hæmoptyſis, &c: tùm chronici ut ſyphilis, rachitis, cephalæa, aliæque multæ diverſorum generum ſpecies.

Cognoſcitur trichoma, ſi manifeſtum fit, ex capillorum in unum vel plures tophos convolutione, vel eorumdem in cirros viſcoſos, funiculos craſſos elongatione, involutione. Si occultum, 1° ex hæreditariâ diſpoſitione, quippe hic morbus à parentibus in prolem ſic transfertur: 2° a contagio per pileolorum inquinatorum geſtationem, concubitum & ſudorem: 3° per partium piloſarum examen, ut inguinis, potiſſimùm capitis; in pilis enim pudendorum quandoque cirri plicoſi naſcuntur. Memorabilis eſt caſus à *J. Paterſon Hain* in *Act. Societ. Londinenſis* relatus: 4° phantaſiæ depravatio & potiſſimùm appetitûs errores attendendi ſunt, unde adagium: *ſub pica latet plica:* 5° ſudores capitis, viſcidi, glutinoſi, capillitii ſpurcities, & orti in illo furfures; 6° unguium incurvatio, ſcabrities, color mutatus, lividitas, corruptio.

Plicæ ſeu capillitii cirroſi eruptio eſt ſpecies excretionis ſalubris quâ partes internæ à viru latente pernicioſiſſimo liberantur; illud quidem virus quandoque diutiſſimè latet in corpore, ut venereum, veluti ſopitum, & innocuum; ſed ſæpè ſtrages edit eò majores, 1° quò partes affectæ nobiliores ſunt & ſenſitivæ magis; 2° quò major humorum viſciditas & acrimonia cum eo concurrit: 3° cùm partes ſolidæ & potiſſimùm cartilagineæ vel oſſeæ eo inficiuntur, tunc enim nulla ferè ſpes eſt reconvaleſcentiæ.

Hæc plicæ evolutio, excretiove, utcumque morboſa ſit, eſt apud inquinatos ſummè utilis, adeòque juvanda & omni ope promovenda; nihil eſt autem pernicioſius quàm capillos plicatos reſecare, ejus plicæ excretionem frigore incautè ſuſcepto, oleoſis aut viſcoſis admotis reprimere, ejus exortum turbare.

Erravit Doctor quidam Scoto Britannus & *Chiracius*, qui procul à Polonia degentes, eum affectum pro ſimplici capillorum neglectorum ſpurcitie habuerunt, quaſi pectinando poſſet averti & curari, imò qui fictum & non obſervatum eſſe morbum contendunt. Hos ſolidè confutant *Schultzius*, *Paſtorius*, *Stabelius*.

1. *Trichoma cirroſum. Plica major* vulgò. *Plique en cordons*, *plique mâle.* C.

Eſt ſpecies omnium vulgatiſſima, minus noxia, quæ diſtinguitur ex eo quod capilli in funiculos prælongos conjuncti & agglutinati ſunt.

Symptomata ejus prænuncia ſunt 1° pallor faciei; 2° aſthenia ab articulationum laxitate; 3° dolores capitis, ſeu cephalæa Polonica; 4° dolores omnium

omnium artuum potiſſimùm in articulis, pedibus, manibus, ſeu arthritis Polonica; ſupervenit 5° ſyrigmus; 6° convulſio; 7° contractura; 8° rachitis, cum oſſium fragilitate.

Symptomata ſalubria quibus priora tolluntur, ſunt 1° plicæ eruptio; 2° phthiriaſis cum fœtore, porrigine; 3° demùm alopecia; 4° an cruorem fundant deraſi capilli nondum conſtat; 5° ea verò critica plicæ excretio non fit ſubitò, ſed poſt longum tempus abſolvitur. Cognoſcitur verò perfecta, cùm omnia ſymptomata interna evaneſcunt, & capilli ſponte defluunt, deinceps iterum naſcituri; hactenùs verò, ſeu ante perfectam illam criſim, eos reſecare periculoſum eſt; quandoque cirros illos per totam vitam geſtare conſultius eſt.

2. *Trichoma villoſum*; *Plica femina* Schultzii, Collect. Academ. T. 3. pag. 285. *Plique femelle.* C.

Ea cognoſcitur ex tophis villoſis in quibus modo omninò inexplicabili capilli complicantur, ſive *diſperſi* ſint illi tophi, quales vidi, ſive *coaliti* in mitram ſeu birretum quo totum caput tegitur. *Vide Philoſoph. Tranſact. Abridg. Vol. VI. fig.* 73, ubi icon plicæ iſtius, capillitium ibi delineatum, erat quatuor ulnas longum, palmum latum, & duos pollices craſſum. Fœmina Polona quæ eam plicam per 50 annos geſtaverat, toto hoc tempore arthritide Polonicâ cum contracturis laborans, in maraſmum inciderat.

Hæc ſpecies reſecto capillitio diriora invehit ſymptomata, potiſſimùm verò unguium excreſcentiam mirabilem cum ſcabritie & nigredine, ita ut illi ungues cornua hircina referant, hi demùm ungues delabuntur, ſed iterum ſanato morbo revertuntur.

Curatio exigit 1° ut à phlebotomiâ, imò à catharticis ſaltem acribus abſtineant: 2° Ut potus diluens leviter diaphoreticus adhibeatur, ut dentur decocta ſaſſafras, ſalſæparillæ, lapathi, quibus fluxilitas & blandities humoribus concilietur. 3° Mercurialia pernicioſa ſemper fuerunt, ex *Schultzio*, licet ab affinitate ſyphilidis venereæ indicari videantur. 4° Ut plicæ exitus promoveatur, nihil eſt præſtantius quàm fovere caput decocto tepido lycopodii clavati *Linnæi*, quod idcircò apud Polonos *plicaria* nominatur, vel hujus defectu laudantur radices lupuli, acanthi, folia ſempervivi majoris, &c: Licet dùm plica erumpit cathartica, emetica, phlebotomia ſint noxia; interea & emeticis & catharticis mitibus & phlebotomiâ utendum eſt in morbis plicoſis, ſeu à viru tùm latente, tùm repreſſo oriundis. Superſtitioſa verò eſt plicæ tranſplantatio, & vana plura medicamina à *Bonfiglio*, *Sperlingio* & *Binningero* laudata.

De curâ morborum plicoſorum videantur hiſtoriæ horum morborum à *Stabelio* relatæ.

An diverſæ ſpecies quoad curam ſint diverſæ, uti ſunt quoad ſymptomata, & prognoſim ignoro.

a *Trichoma Polonicum; Plica* vulgò, Cartheuſeri Principia Patholog. 1758 Tom. I.

Ex Tartariâ & Ucraniâ in Lithuaniam & Poloniam promanaſſe anno 1287 inde in Sileſiam & Hungariam irrepſiſſe, teſtatur *Erndtel.* Cognoſcitur potiſſimùm ex capillorum complicatione, quæ molem dolorificam cuculliformem repræſentat, ſtatim & unâ nocte ſe prodit; flocci hic & illic apparent ex capillis convolutis, hi flocci adunantur, adunati quandoque ad ulnas producuntur; pannum craſſum villoſum cucullus ille refert.

Plura alia ſymptomata rachitica, ſcrophuloſa, ſyphilitica, phthiriaſica ſyndromen efformant. Initio ſcilicet amphimerina lenta, tumores ſcrophuloſi in diverſis locis, artuum lordoſes, contracturæ, ulcera, ungues pedum, manuumque incraſſati, curvatura ſpinæ oſſium, fragilitas, ſpaſmi tendinum, dolores arthritici extremorum, occipitis, ſpinæ dorſi; color cutis lividus, ophthalmiæ, phthiriaſis, tinea; demùm accedente capillorum convolutione, velut criſi ſublevatur æger à ſymptomatis præfatis quæ citò remittunt.

Principia hujus morbi ſunt abuſus aquæ vitæ, alimenta acria & viſcoſa; & incredibilis horum populorum ſordities. Raró in exteros tranſit hic morbus. Vidi tamen Anduſiæ Capitaneum D. Bezeſſe, qui è Poloniâ redux in patriam, tres plicæ floccos adſportavit, quos attentè examinavi; flocculi erant ex capillis minimè incraſſatis, ultra radicem invicem adunatis in tophum, hos tophos à quibus nullum incommodum ſentiebat uſque ad mortem cautè ſervabat ſeptuagenarius.

Therapeia; ſi tophi illi capillorum omninò & omnes ſubitò tondeantur, citò omnia ſymptomata etiam adaucta revertuntur, imò cœcitas, aut apoplexia vel phthiſis accedunt; capilli quidem repullulant & complicantur iterùm, ſed hæc ad ægri levamen non ſufficiunt, niſi monente *Fiſchero* ſynochus accedat, quæ humores peccantes abſumat & morbum ſanet.

Medicamina quæ indicata videntur, ut evacuantia per os & alvum, diuretica, ſudorifica, mercurialia, nocent maxime, nec morbum minuunt.

Unicum prodeſt medicamentum, ſcilicet lycopodium, cujus decoctum intus & extus adhibetur, potu, clyſmate, balneo; ſunt qui laudant etiam decoctum acanthi mollis, quod, addito panis fermento, aceſcat: additis roſmarino, ſalviâ, aliiſque plantis aromaticis, decoctum illud potûs formâ adhibetur.

Conſulantur *Erndtel Varſavia phyſicè illuſtrata*; *Hiſtoria naturalis Poloniæ; Rzaczinsky Juch Profeſſoris Erfordiani diſſert. de trichomate; Bachſtromi diſſert. de plicâ Hafniæ* 1725.

Diverſa eſſe ſymptomata plicæ eruptionem antecedentia pro diverſis hujus morbi ſpeciebus refert *Cartheuſer*; aſt quænam ſint illæ ſpecies ignoro.

XXXVIII. Alopecia; *Ophiaſis* Græcis; Gallis *Pelade*, *Alopecie.*

Alopecia ab ἀλώπηξ vulpes, quaſi morbus vulpinus. Genus eſt morbi cunctis

cunctis animantibus communis, in quo pili animantium, capilli hominum, plumæ volatilium epidermiſque omnium decidunt; in avibus & quadrupedibus dicitur *la muë;* huic morbo homines ſilveſtres vulgo *les Sauvages*, & ii qui piloſi undequaque ſunt, obnoxii eſſe poſſunt. Cùm verò tantum ſinciput occupat alopecia, calvities nominatur, vulgò *la Chauveté*, cùm epidermis decidit, *pelade.*

1. *Alopecia ſimplex. Defluvium capillorum*, Sennerti. L.

1° Quibus per tabem vel phthiſim capilli defluunt, hi alvi fluxu ſuperveniente moriuntur *Hippocr. aphor. l. 5 & coac.* 436. Illud ſymptoma nullâ ratione emendari poteſt.

2° Accidit & caſus capillorum à febre acutâ, ſynocho ut vulgò dicitur malignâ: convaleſcentibus ad hanc ſpeciem plura ſuadent jatroliptæ, ut fotus adſtringentes, cutem corroborantes ex vino rubro cum decoctis ſalviæ, rore marino &c: lotus ex aquâ Reginæ Hungariæ, ex phlegmate ab aqua vitæ accenſa reſiduo; adeps viperinus; ſucci raparum, ac ſcillæ, præſcribuntur.

3° Accidit alopecia ſingularis ſincipitis ſeu calvities ſenibus, ab aridura & ſiccitate bulborum capillorum; malum illud immedicabile eſt.

4° Cùm à redundante ſero, ſeu à laxitate pororum cutaneorum accidit, quod ex temperie phlegmaticâ dignoſcitur, exſiccantia externa ut ſupra dicta, item frequens pectinatio, cataclyſmus aquarum thermalium, tum cathartica interiùs uſurpata, eaque phlegmagoga à *Galeno* feliciter adhiberi ſolent.

2. *Alopecia ſyphilitica* Nicol. Heinſii; Verduc Patholog. C.

In hac ſpecie non ſolùm capitis, ſed & totius corporis capilli decidunt; cauſa hujus eſt obſtructio radicularum capillorum à veneno ſyphilitico, vel leproſo; dignoſcitur ſignis hiſce morbis propriis; curatur litu mercuriali conjunctis fotubus capitis ex decocto emollienti radicum lapathi, foliorum malvæ; & præmiſſâ poſt catharſim lacteâ diætâ; altera methodus eſt per ſudorifica, ſed minus tuta.

3. *Alopecia Volatilium* Liger, *la Muë.*

Aves hoc affectu laborantes mœſtæ ſunt, cibos non appetunt, his eriguntur plumæ, quas ob pruritum roſtro avellunt & excutiunt. Seriùs nati pulli circa Septembrem huic obnoxii ſunt, pluresque moriuntur. Ad curam, aviarium ſulphure accenſo imbuendum, frigus vitandum, aves itaque Soli ſunt exponendæ, oleo & decocto cumini, lupinorum ungendæ, eluendæ.

4. *Alopecia areata ſeu Area* Jonſtoni. L.

1° Illa eſt ſpecies in quâ per areas tantum capilli deficiunt; alia alopeciæ nomen retinet, ſub qualibet figura dilatatur, in barba & capillo fit, in qualibet ætate, &c, eaque difficilis curatu, ſi locus fricatus citò non rubeſcit, ſi inveteratum malum ſit, ſi denſa cutis, ſubpinguis & ex toto glabra; ſecus faciliùs curatur: cura ut ſequentis. Hæc eſt ſymptoma tinearum, phthiriaſeos, elephantiaſeos &c.

2° Alia

2º Alia quæ *ophioſis* dicitur, incipit ab occipitio, duorum digitorum longitudinem non excedit, ad aures duobus capitibus ſerpit, quibuſdam etiam ad frontem, donec duo ſe capita in priorem partem committant, infantes maximè afficit; in ea etiam cutis ſuperficialiter excoriatur, color ejus mutatur, & ſi pungatur, ſeroſus ſanguis exit: curatur humoris viſcoſi evacuatione per purgantia & apophlegmatiſmos, ejuſdem humoris, dùm in fluxu eſt, repulſione per adſtringentia, ut eſt ladanum in oleo maſtiches diſſolutum, deterſione per abrotanum, radices arundinis uſtas, dein per ſinapi, naſturtium, adipem urſinum.

Ophioſim actu in puero ferè trimo obſervo, cujus ſymptomata ſunt cuticulæ capitis & totius cutis deſquamatio cum aſperitate, & ſquamulis farinoſis albis, capillorum lapſu, atrophia, pervigilio continuo & anxietate irrequietâ; nulli ſunt crinones, nullus apparet pruritus, niſi quod infans vel ſibi ponè aures ſæpiſſimè fricat, cutim & contrectat; nulla cutis rubedo præceſſit, tuſſis verò comes eſt, fames inconſtans, alvus quandoque laxior, vomitio à cibis paululùm dyſpeptis, rubedo alterutrius genæ, febricula anomala. Menſis eſt à quo hic morbus incepit; noctes integras eum infantem in cunis agitare neceſſum eſt; macies in dies crevit; præmiſsâ catharſi ex mannæ & ſyrupi de cichorio ana unciâ unâ, eâque poſt uſum juſculorum diluentium repetitâ, præſcripſi uſum lactis, veſpere ſyrupi papaveris doſim, & litum cutis ex oleo; deinde verò his irritis lotionem cutis repetitam ex aquâ cum farinæ pauxillo.

Dicitur ophioſis à Græco *ophis* ſerpens, ob deſquamationem cutis. Vide *Gorræi definitiones*. Ophioſis eſt etiam ſymptoma pruritûs, ſcabiei, lepræ, eryſipelatis, rubeolæ, morphææ nigræ, herpetis, purpuræ verminoſæ, atrophiæ à crinonibus, bis vel ter accidit pueris recens natis, ſeu intra primos menſes; phthiſicos etiam non raro afficit; an genus diſtinctum conſtituat inquirant, & determinent Noſologi; hanc *Gorræus* ad alopeciam refert.

3º Alia leproſa eſt & incurabilis nec hodiè ferè cognita, ſed eodem recidit, quæ ſyphiliticam cauſam agnoſcit, & curatur ut ſyphilis.

5. *Alopecia porriginoſa*, *Phthiriaſis* Hippocr. *la Pithyriaſe*. L.

a *Porrigo* & *furfuratio* Sennerti; ea eſt ſpecies morbi in quâ non ſolùm pili deficiunt, ſed cutis piloſa deſquamatur; hoc hominibus in capite tantùm accidit. Curatur præmiſſis catharticis & juſculis aperientibus, per diſcuſſionem & deterſionem cum pauculo adſtringentium; decoctum cicerum & malvæ hìc locum habet.

b Si verò ut canibus & ovibus evenit, ex ſcabie vel herpete accidat, curatur lotione ex abſinthio, fotu ex oleo cadino, decocto calido ſudorifico, unctione ex oleo cum ſulphure, litu mercuriali &c.

Vide Tineam, *lichenes* &c. quorum alopecia eſt ſymptoma, & potiſſimum phthiriaſim.

XXXIX. Elcosis; *Morbus Lazari* Frid. Hoffmanni; *Wurmshaden* Germanis; *Ulcère, exulcération.*

Ulcus eſt ſolutio continui in partibus mollibus cum ſubſtantiæ diſſolutione à cauſis erodentibus, phyſicis facta.

Caries eſt ſolutio continui in partibus oſſeis cartilagineiſve, facta à cauſis putrefacientibus vel erodentibus cum nativi coloris & textûs mutatione.

Si cutis, parteſque cute denudatæ patiantur ulcera, carieſve, numero, extenſione, duratione aliiſque ſymptomatis notabiles, morbus inde exſurgens *Elcoſis* vocatur, ægri verò *exulcerati*, *Lazari*, Gallicè *ulcerés*, *couverts de playes ou d'ulcéres.*

Si ulcera oſſibus ipſis adhæreant, oſſa colorem nativum mutant, eroduntur, carioſa evadunt; quædam etiam intumeſcunt ſeu exoſtoſi afficiuntur; in omnibus his caſibus ægri atrophi, macilenti, imò hecticâ accedente tabidi fiunt; hic verò morbus gravitate, frequentiâ, periculo, ſeu pertinaciâ ſuâ apprimè meretur locum inter eos, qui Medicorum curæ committuntur, dùm ulcus in abſtracto, ut fieri ſolet, ſpectatum vitiis ſeu affectibus chirurgicis tantùm ſolet accenſeri.

In elcoſi eſt cutis corporiſque deformitas, fœditas ob ſolutionem continui, fœtorem, decolorationem; datur & ſymptomatum concurſus, ut fœtoris, fluxûs ichoris, tabi, ſaniei, ſæpiùs cum carie, exoſtoſi, callis, fungis; aliunde obſtinata morbi duratio, periculum vitæ impendens illum cachecticis, chronicis adſcribunt; hujus verò ſpecies plurimæ ſunt & potiſſimùm à virulentiâ quorumvis exanthematum acutorum tuberum & impetiginum foventur; hortor itaque chirurgiæ peritos medicos ut genus hoc, ut par eſt, elaborent, quod tantùm hic raptim delineamus: Vide *Fr. Hoffmann. c. 5. de puſtuloſis &c. p. 426. T. III.*

1. *Elcoſis fiſtuloſa; Fiſtules, abſcès fiſtuleux.* C.

Ortum ducit ab apoſtemate ſæpiùs neglecto, cognoſcitur ex parvo foramine cutis, in ſinum internum cavernoſum ampliorem terminato, oris ut plurimum calloſis, unde ſæpius ichor purulentus exſtillat, à ſuppuratione viſceris aut partis internæ cujuſvis reſiduus, adeoque eſt ſequela morbi cujuſvis inflammatorii ſuppurati, aut phlegmones, furunculi, bubonis, &c: in oculis creat epiphoram purulentam; in podice fiſtula ani vocatur, & cœliacam purulentam excitat; in empyemate, phthiſi, tabe, diverſas corporis partes perforat; ſequitur etiam in artubus vulnera virulenta, vulnera quæ cariem oſſis excitarunt, maximè ſi glans plumbea vel corpus quodvis peregrinum in fundo hæreat.

Curatio apud *Heiſterum*, *Platnerum* &c, inquiratur. Potiſſimus ſcopus eſt ut puri liber exitus patefiat, ut ſordes putridæ eluantur, aëris acceſſus arceatur, ut antiſepticis putredo præcaveatur, caries ſi quæ ſit deſtruatur, & bona firmaque cicatrix inducatur.

2. *Elcoſis varioloſa*, Petit Maladie des os tom. 2. pag. 401 & 481. C.

Eſt exulceratio ut plurimum in genubus, tarſis, aliiſve articulis exorta cum carie & pedarthrocace, à viru varioloſo, ſanatis variolis malignis, reſidua. In variola, ait *Petit*, ſuperveniunt apoſtemata in quibus quàm citiſſimè fluctuatio percipitur, iiſque apertis oſſa detecta tumida & ſæpè carioſa reperiuntur, quia ichor infra perioſteum aut in ipſo oſſium textu latuit; hic affectus tabem aut anaſarcam lethalem inferre con uevit.

3. *Elcoſis Herpetica; ulcera ſerpiginoſa* Heiſteri; *ulcères dartreux*. C.

Sunt ea quæ intus rubra, calida, ſicca, rodentia, in viciniâ ſunt herpete, eryſipelaceo tumore, puſtulis obſita, cum pruritu ferino : unde differunt ab ſcorbuticis quæ pruritu & puſtulis carent.

Illa ſuccedunt morbis cutaneis magnâ ſanguinis acredine, ſingulari, herpeticâ ſtipatis, nec ſanari poſſunt niſi præmiſſis catharticis diureticis & edulcorantibus maſſa ſanguinis correcta fuerit; ulcus dein ipſum eſt leniſſimis unguentis, ut cerato Galeni, & ſimul præparatis ſaturninis, ut albo Rhaſis, diapompholyge tractandum, ſæpius decocto emolliente radicum althææ, foliorum malvæ, aquis acidulis eluendum.

4. *Elcoſis ſcrophuloſa*; *Ulcères ſcrophuleux*. C.

Illa ſunt ut plurimum ſordida, humida, cum tumore labiorum pallido, craſſo, pus verò mucoſum copioſum fundunt, non raró in oſſibus contiguis exoſtoſes, caries comites habent, digiti pedum, manuum his ſæpiùs infeſtantur.

Vide ſigna apud *Petit Malad. des os tom. 2. pag.* 480. ubi *des exoſtoſes ſcrophuleuſes*.

Curatio exigit diætam & pharmaciam internam, qualis in ſcrophulâ, nec non chirurgiam & pharmaciam externam, de quâ conſulatur *Petit pag. 493* & *Heiſterus libr. 5. de ulceribus*. Vide etiam *Ruſſellum de uſu aquæ marinæ pag. 121*, ubi de carie ſcrophuloſâ; & *Storck de cicuta*, ac *Ill. van Swieten* de ſpiritu antivenereo hìc convenientiſſimo.

5. *Elcoſis hydropum*, *Ulcères œdemateux*, *baveux*. C.

Sunt ulcera utplurimùm tibiis hydropum innaſcentia; oriuntur itaque in anaſarcâ, phlegmatiâ, aſcite, aliiſque morbis hujus ordinis; initium ſumunt à phlyctænis ſeu ampullis aquâ plenis, quæ crepant & multum ſerum exſtillant : vicinia ulceris eſt livida maculata; ſimplex datur excoriatio quæ non pus, ſed ichorem ſeroſum diutiſſimè fundit, & quæ in junioribus robuſtis benè conſtitutis quandoque morbum priorem ſolvit, aſt in debilibus, ſenibus dudùm cachecticis gangrænam quandoque & mortem accelerat. Huic ulceri occaſionem præbet vel leve vulnus, vel ſcarificatio arte fact.

Summâ itaque prudentiâ opus eſt ut ſi utilis ſit hæc fontanella, non reſiccetur maturiùs, inde enim hydrops recrudeſceret, & ne in gangrænam abeat. Hæc elcoſis rheumatiſmi criſis eſt.

6. *Elcoſis*

6. *Elcoſis ſcorbutica, ulcères ſcorbutiques.* Lind. de ſcorbuto : *Noma tibiarum* Ill. Linnæi Gen. Morb. 251. C.

Ulcera ſcorbutica fundunt ſaniem tenuem, fœtidam, cruore tinctam, deinde adeſt cruor coagulatus, putris, ulceri agglutinatus; carnes hac cruſtâ tectæ, molles, ſpongioſæ, putridæ; margines ulceris lividi tumidi, carnibus ſpongioſis infra cutem enatis farcti; ſi comprimatur ulcus, gangræna imminet; vicinia ſemper œdematoſa, dolorifica; è fundo ſuccreſcit fungus hepatis vitulini carni ſimilis, qui utcumque receſetur iterùm mirè excreſcit; hoc reſecto periculoſus ſanguinis fluxus ſupervenit, hæc ulcera diù perſtant oſſibus intactis : tibias potiſſimùm afficiunt apud Suecos maritimos, ab eryſipelate ortum ſumunt, variis foraminibus dehiſcunt, pertinaciſſima ſunt.

Eſcharotica in hoc caſu inutilia ſunt; mercurialia, quæ in aliis ulceribus proſunt, hìc periculi plena ſunt; hæc ulcera à leviſſimâ contuſione ſoboleſcunt.

7. *Elcoſis ſyphilitica; Ulcères véroliques* Petit tom. 2 pag. 458, Heiſter cap. 4 de ulceribus venereis. C.

Ea ſæpiſſimè caput afficiunt, prægreſſis tophis, quibus dolores nocturni, exulcerationes, caries laminarum cranii ſuperveniunt, nec non adoriuntur extrema inferiora, ubi exoſtoſes in ſpinâ tibiæ, oſteocopi, deinde caries, medullæ corruptio, tabes aliaque mala ſe comites addunt, in perenne ægri ſupplicium.

Elcoſis ſyphilitica & exoſtoſis ejus frequens comes ſæpè ſuperveniunt antiquæ ſyphilidi imperitè curatæ, ſive quia non ſufficientes præparationes inſtitutæ ſunt ante hydrargyroſim, ſive quia ptyaliſmus excitatus fuit, unde hydrargyrum è corpore elapſum eſt, ſive quia non ſufficiens doſis hydrargyri, nec ſufficienti tempore litus adhibiti ſunt, imò debellato viru ſyphilitico exoſtoſes non rarò perſtant; corruptâque medullâ oſſium, fiunt caries, ulcera, quæ vix unquam ſanari poſſunt, & æger tandem tabe abſumitur. Vide *Petitum loco citato pag. 393, Aſtrucium de lue venereâ lib. 4 cap.* 10. §. *9.*

Apud Angolenſes morbus eſt endemicus *Boaſt* dictus, quo affecti cum diris doloribus patiuntur jacturam pedum, manuum, naſi, aurium &c : an verò ſit elcoſis ſyphilitica non ſatis liquet. Vide *Dapper* Hiſtoire des Voyages.

8. *Elcoſis cancroſa; Ulcères chancreux.* C.

Illa ſunt duplicis varietatis; vel enim ſunt ſuperficiaria, cruſtoſa, *ſicca*, qualia non rarò labia nareſque deturpant, & *noli me tangere* vulgò dicuntur, ea verò dolore lancinante, carnium duritie, ſcabritie, & mali pertinaciâ ſe produnt; ſi intra nares vel os ſerpant, ibi *humida*, fœtidaque ſunt. Vel ea cancroſos mammarum, parotidum, oculorum aliarumve partium tenerrimarum tumores ambiunt, ſeu ſunt ipſi tumores exulcerati, labiis extrorſum verſis, tuberoſis, fœtidis, atro-rubentibus, ſaniemque acrem ſuppeditant, unde æger pervigilio, hecticâ & tabe

ſenſim abſumitur, & illa ſunt ulcera carcinodea, humida, phagædenica &c.

In ambobus balnea, ſerum lactis, lac pro omni alimento, juſcula edulcorantia è pullis, ranis conveniunt. In primâ varietate cum ſucceſſu vidi illitum oleum olivæ intra quod infuſa fuerant folia plumbaginis, ipſâ die infuſionis illinitur pars cancroſa hoc oleo, & deinceps per quindecim dies ſemel quotidiè iteratur ille litus; dolor à litu atrox excitatur, quouſque ad ſeptimam diem increſcit, dein verò quotidie decreſcit, decimâ ſextâ die eſchara nigra craſſa abſoluta eſt, & ſponte delabitur; cutis ſubſtrata tenera eſt, ſed integerrima, & ſic æger ſanatur.

In ulcere cancroſo humido nuper celebratur apud Suecos & Anglos pulvis D. Guy, atro-viridis, arcanus, quo inſpergitur quotidie ſulcus ope lapidis infernalis in cancri peripheriâ cuſus uſque quò ſeparatus tumor excidat; hunc pulverem adhibere ſuſcepi in cancro mammæ, ſed fruſtra, ſulcus enim carnibus fungoſis quotidiè excreſcentibus obliterabatur.

Methodum palliativam curandi hujus ulceris paſſim Auctores referunt; uſum cicutæ ſeu extractum conii maculati celebrat *Storckius*, aſt nullus apud nos ejus adhucdum fuit ſucceſſus; atropa belladona & folia phytolaccæ Berolini laudata extùs admovenda majorem ſpem faciunt.

9. *Elcoſis gangrænoſa* A. non eſt hujus generis, quippe chronicorum morborum numero adſcribi non poteſt.

Curatio Elcoſeos exigit 1º ut craſis vitioſa ſanguinis & humorum corrigatur per remedia generalia, ut cathartica, diuretica, edulcorantia, & per ſpecifica ut antiſcrophuloſa, antiſcorbutica, prout à viru ſcrophuloſo, ſcorbuticove foventur ulcera. 2º Ut vitium topicum quod ulceris cicatricem impedit removeatur, illud verò vitium topicum eſt ſinuoſitas, calloſitas, caries latens, ſiccitas, ſordities & mucoſitas ulceris: ſublatis ſcilicet impedimentis vaſa tùm animalium, tùm vegetabilium facilè vegetant, creſcunt, & ſic vulnera ac ulcera cicatrice obducuntur; cicatrix itaque non eſt opus naturæ ſeu illius principii ſentientis, & moventis quod animalium tutelæ & medelæ invigilat, quippe in plantis in quibus illud principium deeſt, vegetatio, adeoque vulnerum, ulcerumque ſanatio pariter ſuccedit ac in animalibus, ut experimentis *D. Du Hamel* conſtat.

Sinuoſitas ulceris eſt cavitas ejus major quàm eſt orificium; illi ſinus à pure, vel phyſicè, vel mechanicè cuduntur in textu cellulari, proindeque in muſculorum, tendinumque interſtitiis: pus ſcilicet gravitate ſuâ cellulas imas ſubit, muſculorum ambientium preſſione novas ſibi vias cudit, ac erodendo, laxando, putrefaciendo cuniculos, cavernulaſque extendit & auget; in his ſinubus calore & morâ pus majorem in dies putredinem, fœtorem & vim corroſivam adipiſcitur; unde ſummi momenti eſt illi ſufficientem & liberum in loco decliviori exitum parare, ac quotidiè pus illud expurgare; hoc præſtant peritæ exciſiones carnium ſuccreſcentium, quæ orificium

ficium minuunt, callorum eroſiones, aperturæ ex adverſo artûs apoſtematoſi factæ, deligationes bis in die inſtitutæ, puris ex ſinubus expreſſiones, ſitus effluxui puris commodus in artu ægro ſervandus, quies hujus partis, ne preſſione pus vias ſibi aliorſum cudat.

Calloſitas labiorum ulceris in diuturnis ſinubus accedit ex eo quod aëris acceſſu partes exſiccentur, turundis, candelulis, firmioribus compreſſis denſentur, apprimantur; eodem aëris acceſſu putrefactio puris acceleratur, rudiori deligatione, frequentiori & rudi deterſione colliquamenti purulenti, ſuccreſcens de novo caro dura, calloſa, & ad excreſcendum minus apta evadit; ergo ſatius eſt ſuſpenſa manu ulcera mundare, injectionibus leniter detergentibus uti & pus è ſinubus everrere: calli verò vel emolliuntur, poſt leves ſcarificationes, appoſitis emplaſtris, & iterùm inſtitutis ſcarificationibus uſquequò ſuppuratio callum auferat; vel emolliuntur appoſitis turundis ex ſapone vulgari factis, & in ſinu per noctem derelictis; vel demùm utendum lapide infernali, qui eſcharam excitat & phlogoſim, unde ſuppuratio & calli deſtructio; de quibus conſulantur Chirurgi.

Caries naſcens ex oſſis decoloratione, perioſtei ſeparatione cognoſcitur; *perfecta* oſſis ulcus eſt, vel fragilitas & eroſio; alia oſſis laminas tantùm exedit, altera in cavum medullare penetrat, & medullam inflammat, ſuppurat, putrefacit; quoties in fundo vulneris eſt os carioſum, fruſtra tentatur ulceris ſanatio, nunquam firma caro ſuccreſcit, ichor ex carioſo oſſe promanans carnes erodit, emollit, & cicatricem impedit; ergo cariei priùs eſt medendum, partem oſſis cultris, malleolis, ſcalpris auferendo, reſiduam corroſivis ac ſepticis, imò igne actuali deſtruendo, uſquequo ſuccedat exfoliatio, ſeu partis teredinoſæ nigræ in minima, vel majuſcula fragmenta diviſio, à ſuppoſito ſano oſſe ſeparatio.

Siccitas, rubedo & phlogoſis ulceris facilè cognoſcuntur; dolore, pruritu, calore ſtipantur; ea impediunt carnis excreſcentiam, adeoque indicant remedia emollientia, humectantia, ex decocto plantarum vulnerariarum, lotiones ex aquis acidulis, ex decocto hordei, oryzæ, potum ſimilem, juſcula refrigerantia.

Mucoſitas, ſordities & putredo ulceris cognoſcuntur ex abundantiâ puris viſcoſi, ſeroſi, fœtidi, carnibus mollioribus, pallidis, fungoſis; ſi negligantur hæc ulcera potiſſimùm æſtate, muſcæ carnariæ in his ova ſua deponunt, quibus excluſis larvæ vermiformes in ulcere nidulantur; hoc vitium avertitur frequenti deterſione, lotione ex decocto plantarum amarore, ſucco reſinoſo gaudentium, unguentis, reſinâ & balſamo ſcatentibus, præparatis ſaturninis formâ pulveris adſperſis, aut unguentis viride æris recipientibus; nec non fungi cultro reſecantur, aut alumine uſto exeduntur.

In elcoſi cancroſâ, ſcrophuloſâ, ſyphiliticâ, aliiſque nullum ſalubrius auxilium quàm uſus internus extracti cicutæ, id eſt conii maculati Linnæi; hujus extracti analyſis ab *Ill. Roberto Laugier* inſtituta dedit ferè tertiam par-

 tem,

tem, tum ſpiritus alkalini volatilis, tum ſalis ejuſdem indolis, evaporato per coctionem ſpiritu rectore virulento plantæ.

Hujus extracti in pilulas redacti grana 10, 12, 14, mane & veſpere deglutiuntur, aſcendendo ſenſim ad majorem doſim, ut 30 gr. & rarò ad drachmam unam; hoc verò medicamen per menſes continuandum, interea dum ulcus decocto foliorum bis de die oblinitur, cum vel ſine melle roſaceo, & aliquot guttis ſpiritûs ſalis.

Hiſce ſolis medicaminibus & congruâ Chirurgi operâ *Ill. Locherus Medicus Viennenſis* non ſolùm ulcera cancroſa, ſcrophuloſa, cacoëthea quamplurima ſanata vidit, ſed etiam ſcrophulam, carcinomata, contracturam arthriticam, arthritidem veneream, ſcabiem veneream, phthiſim ſcrophuloſam, phiſconiam, &c, ſanavit. In juvenibus celerior eſt effectus quàm in annoſis; doſis granorum 14 ſæpiùs ſufficit.

10. *Elcoſis Ægyptiaca. Tarbo* Ægyptiorum.

Apud Ægyptios, ut mihi retulit *Illuſtr. Pery*, *Doct. Med. Anglus*, recens ex Ægypto redux, viget morbus endemius, *Tarbo* dictus, qui pedum, manuumque exulceratione, atque doloribus atrocibus eſt inſignitus, quique ſucceſſu temporis articulorum affectorum ſucceſſivum lapſum inducit; addit intermittentes febres ferè nullas in hac regione, aſt ſcorbutos plurimos obſervari.

XL. GANGRÆNA, *Gangrène humide;* cujus ultimus gradus *Sphacelus* quibuſdam dicitur.

Plura ſucceſſiva ſigna gangrænam præſentem denotant; 1° mors partis; ſeu ejus anæſthesia, immobilitas, frigus; 2° textus facilis laceratu; 3° color lividus, griſeus, deinde nigricans; 4° diſſolutio putrida cum fœtore cadaveroſo.

Diſcrepat à necroſi 1° infarctu tumido, 2° putridâ diſſolutione; color ex roſeo nativo mutatur in atro-rubrum, vel in pallidum, deinde lividum, ac denique nigricantem, vel cineritium.

Calor nativus mitis abit in frigidum gelidum. Conſiſtentia elaſtica mollis abit in flaccidam, lacerabilem, diſſolutam. Motus proprius omnis eſt vel muſculorum, vel arteriarum; motus muſcularis partis gangrænoſæ ceſſat, licet pars tota ut manus motum habeat à vicinis muſculis, ut à muſculis ulnæ; pulſatio verò arteriæ quandoque ſubſiſtit, quandoque evaneſcit in parte gangrænoſâ.

Demùm ociùs, ſeriùs gangrænoſa pars fœtet, putreſcit, diſſolvitur, quod in necroſi non accidit.

Gangrænæ primus gradus vulgò à Medicis Scholaſticis *gangræna* propriè dicitur, & partis mors definitur, in quâ tantùm adeſt tendentia, & diſpoſitio proxima ad putrefactionem; verùm nomina morborum generica non debent mutari pro diverſis eorum gradibus; ſecùs triplicandus eſſet eorum numerus. Partes omnes molles, & potiſſimùm fluidæ animalium, maximè

maximè verò excrementitiæ, cruor etiam ſponte tendunt ad putredinem, à quâ, durante ſanitate, immunes fiunt, per novam chyli aceſcentis admixtionem, continuam humorum reſolutionem, & putreſcentium excretionem, adeoque fluidorum circulationem, docet Phyſiologia potiſſimùm Stahliana. Adeòque ubi fluida extra, vel intra vaſa hærent, nec depurantur, ea tantò citiùs putreſcunt, quò magis alkaleſcentia ſunt, quò acriori calori expoſita, & aëri pervia, niſi viſcoſitas, ſiccitaſque motum inteſtinum putrefactorium impediat; docent experimenta culinaria.

Putrefactio itaque, ſeu molecularum ſulphurearum volatilium, & alkalinorum volatilium ſalium acceſſus, & lucta mutua eſt cauſa efficiens gangrænæ, ubicumque ſolita ejus impedimenta deficiunt.

Principia verò gangrænæ ſunt quæ fluidorum depurationem impediunt, eorumque motui putredinoſo favent, ſi tamen necroſim excipiamus, quæ alterius indolis videtur eſſe, adeoque diverſum genus conſtituere debet.

Gangræna ſupponit fluida reſolutioni apta, non verò glutinoſa, adipoſa, ſebacea, maximè verò cruoris in vaſis congeſtionem; ejus verò principia diverſas ſpecies diſtinguunt.

1. *Gangræna à contuſione* D. Queſnay cap. 2 de gangrænâ, pag. 1. A. In carnibus valdè contuſis vaſa tenerrima lacerantur, fluida in textum cellularem delapſa coagulantur, cætera in textu vaſorum intercepta hærent, hinc putredinis initium; aſt natura hos obices ſuperatura majori niſi cruorem in has partes impellit, unde affluxus, infarctus, phlogoſis, dolor obſcurus; nervis ſcilicet à contuſione ſolutis, mediante calore acceleratur vel ſuppuratio, vel putredo gangrænoſa.

Contuſionem ſæpè comitatur *commotio* nervorum, unde eorum *ſtupor*; inde intercipitur fluidi nervei irradiatio vivifica, inde laxitas partis major, & novum gangrænæ principium, maximè ſi commotione per oſſeam compagem ad cerebrum perventâ delirium accedat; unde fit ut natura opus tum reſolutionis, tum ſuppurationis negligat; inde ſtaſis putrefactiva ulteriùs progreditur.

Si verò vulnus adſit, adeòque aëris acceſſus, ſi vulnus à ſclopeto carnes altiùs penetret, ſinuſque cudat, ex quibus fluida vitioſa difficile elabantur, ibique ſit ſumma vaſorum deſtructio, & fluidorum ignea acrimonia; inde principiis conjunctis fiunt gangrænæ celeriter depaſcentes. Tabum etenim gangrænoſum vaſa vicina emortua ſubiens, inficit, corrumpit; nil enim ad carnes diſſolvendas & fluida corrumpenda aptius; niſi vis vitalis quæ ſuppurationem molitur, hoc tabum expellat, & contagii effectum arceat; ut à pomo putri pomum contiguum, ita à dente carioſo dens vicinus, & caro ſphacelatæ parti continua ſphacelo inficitur, vaſis capillaribus tabum veluti ſugentibus, niſi fluido in circulum ex adverſo truſo repleantur; erythema ita tumidum cum textu carnium paſtaceo, ſine tenſione, ſine calore notabili citò liveſcit, vulnera contu-

ſa ambit, circulo rubro ſenſim à centro recedente, & gangrænam de-ſignante.

2. *Gangræna ab infiltratione* D. Queſnay part. 1ª cap. VI. A.

Quoties intra textum cellularem, in adipis locum ſuccedit lympha; ſerum, pus, lac, lochia, aliuſve humor facile putreſcibilis, toties intumeſcentia mollis, flaccida, vix dolens, infiltrationi tribuitur, quæ à quadruplici principio dependet; ſcilicet 1° à laxitate præviâ partis infarciendæ; 2° à copiâ fluidi infarcturi; 3° ab obſtructione vaſorum ſanguiferorum utplurimùm eryſipelatoſâ; 4° vel à venarum ſtrangulatione tum per externam preſſionem, tum per ſpaſmodicam conſtrictionem quam inducit irritatio.

Hæc infiltratio phthiſicis, ſcorbuticis, convaleſcentibus plures hæmorrhagias, diarrhœas, phlebotomias paſſis, morbis chronicis cum amphimerinâ junctis, ulceribus, eryſipelatibus à magnâ tenſione ortis, vulneribus venenatis, lactis & lochiorum refluxibus, hydropicis morbis, &c, ſupervenit; quoties enim cruor venas difficiliùs ſubit, & à retro pellitur, toties ibi ſtagnans in extremis arteriis ſanguineis lymphatica diducit, & lymphaticus humor, quo onuſtus eſt, uberius ſubit textum cellularem, ex quo vix reverti poteſt in circulationis vias; adeps quidem inibi lentè progrediens à putredine immunis fermè eſt, utpotè viſcidus; verùm humores ſeroſi ibi ſtagnantes ſolida relaxant, & ſi calor accedat & acrimonia, demùm putreſcunt, & gangrænam excitant.

3. *Gangræna ab ſtrangulatione*, D. Queſnay, cap. X & XI. A.

Si vaſa ſanguifera, tum venoſa, tum potiſſimùm arterioſa ab aponevroſibus, membranis, calyptriſve, ligaturis, compreſſionibus, nervorum vulneribus, acri irritante quovis, coarctentur, languet ſtatim circulatio inter ligaturam & cor, & in ramis vicinis; unde gangræna, quam præcedit infarctus tumidus rubore & phlogoſi fugaci ſtipatus, ſi venæ ſint ſtrangulatæ; hinc textus flaccidus, elapſâ inflammatione molleſcens, paſtaceus; ſi verò arteriæ ſint ſtrangulatæ ut in vulnere cranii, faſciæ latæ, vel nullus tumor extus appareat, ſed tantùm mollities, pallor rapidè creſcentes, vel tumor inflammatorius, tenſivus initio, ſed citò in flaccidum œdema terminatus, & deinceps ſphacelus ab ſtagnantis cruoris & lymphæ in textu celluloſo decubitu.

Si ligaturæ tantum venas coarctent, inde tumor maximus & ab infarctu gangræna; ſi ligatura ſimul arterias coarctet, gangræna etiam ſicca poteſt oriri. Idem præſtare poſſunt tumores in inguinibus, & axillis poſiti; inde enim preſſis venis tumor magnus, preſſis verò arteriis atrophia & necroſis; vulnera ſunt vel puncturæ, vel inciſiones, vel contuſiones vel lacerationes, quæ nervos tendineſve afficiunt.

Puncturæ à clavis, acubus, ſtylis, ſpinis trachini, aculeis raiæ, ononidis &c, ſi nervos aut etiam fibras nerveas attingant, non vero tranſverſim ſecent, ſi aponevroſes irritent, eadem die ſine infarctu tumido notabili, partium vicinarum gangrænam ab ſtrangulatione inducunt, quam accelerant

ſant ſpirituoſa & aromatica, tollunt profundæ inciſiones, quæ laxant textum, ſedant olea tepida.

Verùm ſi gangræna non niſi poſt quatuor vel ſex dies à punctura ſe prodat, ſtrangulatio tunc oritur à cauſâ phyſicâ, ſcilicet à fluido quod in fundo vulneris corruptum membranas irritat, & inde ſtrangulatio gangrænam latè diffundens; perperam illæ gangrænæ tribuuntur degenerationi humorum, cacochymiæ, veneno.

4. *Gangræna à Veneno* D. Queſnay cap. 12. A.

Inter venenatos ſerpentes ſola vipera apud Gallos debet reponi, nec aliud eſt verè venenatum animal, ſi veſpam & apem excipias. Quidquid de aliorum hujuſce regionis ſerpentium veneno traditur, error eſt plebis; ſoli ſerpentes duobus dentibus in maxillâ ſuperiore armati, venenum in morſu gerunt.

Vipera manum momorderat hominis, qui vulnus illicò ſuxit, aſt lingua ei, referente *Pareo*, multùm intumuit, vix loqui poterat, inde in ſyncopes lapſus ferè moriebatur, brachium ad ſcapulam uſque emphyſematosè tumuit cum dolore. Alter quem viperæ caput abſciſſum pupugerat cardialgiâ affectus, dein preſſionem pectoris ante & pone, quaſi ferreis vectibus vinctus eſſet, expertus, cùm eum pedes ſuſtinere recuſarent, devectus eſt in lectum, ubi difficillimè reſpirabat; acceſſit magnum frigus per horas duodecim, pulvere viperino calor rediit, ſudore oborto brachium enormiter intumuit cum toto latere ad umbilicum uſque; acceſſit nigra ecchymoſis in illis partibus, embrochationes ſpirituoſæ & theriacales per tres ſeptimanas uſurpatæ morbum fugarunt.

Aliis viperâ morſis magna debilitas, ſyncopes, ſudores frigidi, vomitus, ardor viſcerum quandoque ſuperveniunt, neglectis remediis pars demorſa & vicinæ gangrænaſcunt, niſi mors gangrænam prævertat: alcali volatile eſt ibi ſpecificum.

5. *Gangræna ab inflammatione*, D. Queſnay cap. 4.

Inflammationes gangrænam inducunt tum ratione infarctûs ſyſtrophici, tum ratione ſtrangulationis vaſorum à nervis & aponevroſibus irritatis; præſtant idem inflammationes puræ intenſiſſimæ quæ ſuppurantibus acribus pertractantur.

Inflammationes *malignæ* primo aſpectu videntur eryſipelaceæ, parùm tumidæ, ſed tactu frigidæ, & veluti duræ, ſine ulla elaſticitate aut tenſione; adacto ſcalpello nullus ferè ſenſus, accedunt puſtulæ lividæ, pulſus ſenſim minuitur, mors accedit; has inflammationes *mortuas* nuncupat *D. Queſnay*.

Inflammationes *cauſticæ*, quales in anthrace obſervantur, quæ licet lapſu eſcharæ ſiccæ & nigræ accedente ſuppuratione feliciter quandoque terminentur, aliàs tamen carnes ad uſque oſſa corrumpunt, ut anthraces illi quos obſervavit *Pareus*, & *malum ardentium* vocant Franciæ Hiſtoriographi.

Inflammationes *eryſipelatoſæ* acres gangrænam aliam inducunt, nam ardor inflammatorius alius pendet à principiis mechanicis ſeu valido arteriorum & fluidorum attritu, alius à phyſicis, ſcilicet à cauſticâ humorumaracredine ex quâ phlyctænæ eryſipelatibus adnaſcuntur, calor urens adeſt; interea pars conſiſtentiam œdematoſam citò adipiſcitur, & gangræna latè ſerpit.

Demùm inflammatio per nimium infarctum accerſit gangrænam quæ cùm magno tumore demùm liveſcente & remolleſcente ſtipata ſit, diſtinguitur ab inflammatione malignâ; gangræna imminet ſi tumor deprimatur, rubedo obſcuretur, calor extinguatur, elaſticitas evaneſcat, carnes paſtaceæ, compactæ fiant, dolor abeat.

6. *Gangræna ex ambuſtione* D. Queſnay, cap. 16.

Pars ipſamet profundè ambuſta ſphacelo ſicco ſeu necroſi afficitur, carnes vicinæ ob influxum ſanguinis & ſyſtrophicam inflammationem, gangrænam patiuntur cum dolore atroci, puſtuloſo, quandoque eryſipelate.

7. *Gangræna à gelu* D. Queſnay, cap. 18; *Gangræna à frigore nimio* Vandermonde Journ. de Med. Juin 1758. A.

Ille ſphacelus incipit à dolore frigorifico atroci, quem ſequitur ſtupor, pallor, aridura partis, potiſſimùm extremorum ut pedum, manuum, mentulæ, naſi &c: quæ partes dein œdematoſè intumeſcunt cum motûs impotentiâ; & demùm gangræna etiam ſupervenit.

Adoleſcens cùm pedibus nudis per nivem iter feciſſet, dolores atroces pedum ſenſit, in Noſocomium delatus, igni admotus diriùs doluit, palma pedum, ſubtus pallida, frigida, minimè tumida, ſupernè pedes rubri, tumidi, calidi, digiti pedum atrorubri, tumidi, vix ſenſu prædití, tibiæ tumidæ, cutis dura, purpurea, venis violaceis variegata, veſtigium digiti ſervans, calida, dolor lancinans, preſſionem linteorum non ſuſtinens, alibi pruritus à frictione lancinans, pulſus durus, frequens, cephalalgia.

Intra ſitulam plenam aquâ frigidiſſimâ identidem renovandâ, cum nive & glacie ulteriùs frigefactâ, immiſſi ſunt pedes per horam, inde levamen, deinde per bihorium, inde nigredo digitorum evanuit, tumor decrevit, dolores imminuti; balnea ſexies repetita ſunt, veſpere frictiones ex aquâ frigida, dein vinum aromaticum & camphoratum; intra octiduum æger ſanatus abiit.

8. *Gangræna à putredine.* D. Queſnay cap. 20.

Ea eſt quæ ab antecedente putredine dependet, 1° ſi à diſſolutione putridâ humorum, gangræna ſine dolore accedit, ac formâ emphyſematis intensè rubri vel coccinei, quaſi eryſipelatoſi, ſe prodit: ægri paucis diebus interpoſitis fato cedunt. Viſa eſt illa gangræna in varioloſâ per totum ferè corpus diffuſâ, *Ephem. German. cent. 6. obſerv.* 81. Cutis preſſa ſtillabat humorem ſanguinolentum; omnis ſcarificatio in hoc morbo hæmorrhagias incoercibiles excitat, non ſecus ac in ſcorbuto.

2°. Si

2° Si à ſuppuratione putridâ pendeat, ſignum eſt tabum putre in maſſam ſanguinis reſorptum, principio vitali energiam ſuam abſtuliſſe.

3° Si à congeſtione putridâ ſeu inflammatione ſyſtrophicâ, tunc pars remolleſcit, ſenſum amittit, & rubedo in livorem mutatur.

4° Quandoque ſupervenit à fluidis extravaſatis, ecchymomatis, excrementis in veſicâ, alvo retentis, in herniâ, ulcere cavernoſo, &c, congeſtis.

In cadaveribus ſucceſſivè putreſcunt 1° abdominis viſcera ob excrementorum putredinem: 2° partes ſauciatæ & pulmones ob aëris contactum; 3° partes teneræ, ut collum, labia, genitalia, ubi etiam ſucci excrementitii.

Praxis.

In gangrænâ datur ſemper infarctus & tumor à ſanguinis affluxu, quem natura concitat eo fine ut ſanguis ſtagnans tum ulteriùs promoveatur, tùm reſolvatur à calore, tùm demùm ut ſuppuratione, tanquam tutiſſimo & feliciſſimo remedio, mortuum à vivo ſegregetur.

Infarctus verò & tumor vim vitalem ſuffocari aut citò ſuffocatum iri indicant quoties lividitas aut mollities paſtacea, aut firmitas iners & tenſione deſtituta accedunt, adeoque imminuendus eſt, quod præſtant 1° diæta liquida, reſolvens, phlebotomiæ repetitæ; 2° ſcarificationes quæ nunc ad textum cellularem tantùm, nunc ad muſculos ipſos infarctos, pro ſede mali, debent pertingere, additis dein antiſepticis & reſolventibus, necnon ſuppurantibus, ſi ſuperficiaria tantùm immineat gangræna; ſed ſi profunda ſit, tantaque tabes ſolidorum oſſium, artuum, ut nulla ſpes ſit fore ut ſolvatur infarctus, ad imputationem deveniendum eſt.

Contuſiones quò plus inflammatæ ſunt & tenſæ ac dolorificæ, eò magis periculoſæ; verùm quò plus ſtuporis ſecum invehunt propter commotionem nervis aut quod pejus cerebro illatam, eò pejores ſunt.

Si tumor vix elatus, calor ſuffocatus, firmitas iners & ſine tenſione, aut ſenſûs imminutio cum mollitie pultaceâ inveniantur, *ſtrangulatio* vaſorum arterioſorum metuenda eſt. Si verò maximus tumor liveſcens aut atro-ruber à vulnere partem occupet, ſtrangulatio venarum vel ligatura aut compreſſio ſignificatur; in his verò caſibus aromatica, calida ſtimulantia ſunt pernicioſa; una ſalus eſt in inciſionibus, quæ tendinem, nervum omninò præſcindant, & quæ aponevroſes conſtrictas ſolvant: illæ verò inciſiones ultra textum adipoſum debent pertingere, cùm illæ aponevroſes ibi lateant.

Vulnera à *globis ignitis* inflicta ſæpè, cùm altè perfodiunt, artus commovent, compagem oſſeam, contundunt carnes & membranas criſpant, tum illicò, tum poſt aliquot dies, unde ſtupor partis, omnium gangrænæ principiorum peſſimum; præſtat in hoc caſu ita dilatare vulnus ut medicamina fundum vulneris ſubeant, ut materies putres eliminari queant; aper-

turæ ex adverſo factæ, ſetaceum per vulnus trajectum, imò oleum terebinthinæ fervidum injectum his indicationibus ſatisfaciunt.

Infiltratio quæ à ſuppreſſis ſanguifluxibus anaſarcam excitat, quæ à repetitis phlebotomiis aut hæmorrhagiis fit, interna remedia & analeptica requirit, inde verò vix unquam timenda gangræna; verùm infiltrationes quas humorum diſſolutio putris & ulceroſa creat, quas febris amphimerina ſuppuratoria, caries & ulcera interna fovent, non raro poſt longum tempus eryſipelatoſam excitant inflammationem, quæ gangrænam lethalem & immedicabilem accerſit; fruſtra diureticis cathartiſque eam debellare conaris, inde vires proſternis; infelices ſunt ſcarificationes quæ mortem accelerant; inutilia ſunt, quæ à medicinæ & chirurgiæ penu petuntur, auxilia.

Erethiſmo ſeu criſpaturæ aponevroſium tria poſſunt opponi remedia; 1º laxantia ut diæta humectans, phlebotomiæ repetitæ & topica emollientia; 2º ſi ea non ſufficiant, inciſiones aponevroſeos ſunt inſtituendæ ad ſufficientem altitudinem; illæ autem aponevroſes utut ſint in trunco tenues & in artubus magis craſſæ, per totam corporis ſuperficiem extenduntur; tales ſunt quæ muſculos humeri, ulnæ, femoris, capitis, colli, palmæ manuum & plantæ pedum veſtiunt. Dantur aponevroſes duplicatæ, quæ muſculos temporales, quæ in dorſo magnum dorſalem, ſacrolumbarem, &c, in abdomine rectum &c, involvunt: ſolvendæ ſunt illæ aponevroſes, ſi oſſibus inſideant, ad os uſque inciſiones penetrare debent. 3º. Demùm ſenſibilitas partis irritatæ tollenda eſt, quod præſtant cauſtica ut oleum terebinthinæ, caryophyllorum, cinnamomi, aut alterum oleum deſtillatum ex plantâ aromaticâ; ſic oleo terebinthinæ curatus eſt Carolus Nonus à *Pareo*; ſic curantur odontalgiæ carioſæ: ſi verò ea non ſufficiant, oleum etiam fervidum adhibendum eſt, quod *La Peyronie* adhibuit in puncturâ tendinis *Principis de Dombes*; tendines verò majores ut & nervi puncti tùm oleo fervido, tùm exciſione curantur.

Ubi gangræna à *morſu viperæ* metuenda eſt, debet pars dentibus viperæ, tanquam duabus aciculis, puncta, ſine ſcarificationibus aſſuetis, foveri vino vel aquâ vitæ in qua diſſoluta ſit theriacæ drachma, ſimulque theriaca ad drachmam unam ſemel vel bis uſurpari, qua ſola methodo omnes ſanare conſueverat *Chirurgus La Motte*.

Inflammationes malignæ ſeu gangrænoſæ vel ab externâ, vel ab internâ cauſâ pendent; ſi ab internâ pendeant, nunquam juvant ſcarificationes ad vivum uſque protenſæ.

Rurſùs inflammationes à cauſâ internâ ſunt vel externæ vel internæ; internæ pendent à principio deleterio fluidis commixto, quod phlebotomiæ tollere nequeunt, adeoque phlebotomiæ vix unquam in illis conveniunt; ſolum perfugium eſt in antidotis, cardiacis, alexipharmacis, ſed ita promptè hæ inflammationes internæ, ſopito dolore, abeunt in gangrænam, ut nulli remedio locus ſuperſit.

Externæ verò *inflammationes gangrænoſæ* non ita certò mortem inferunt; dantur

dantur enim gangrænæ criticæ, & quæ criticæ non ſunt, ſæpè non ultra partis inflammatæ limites ſeſe extendunt, imò obortâ ſuppuratione in marginibus ſponte quandoque ſegregantur à vivis carnibus. Cavendum tamen ne tabum putre, quod efformatur, repat in vicinas partes, quod in inflammationibus gangrænoſis per infarctum ortis metuendum, multò minùs in gangrænis ſiccis, vel inflammationibus cauſticis quales ſunt eryſipelata, eſcharotica, anthraces, cruſtæ gangrænoſæ, &c.

Ad ſuppurationem promovendam in mortuis illis inflammationibus, intus & extus uſurpanda ſunt quæ calorem & ſtimulum procreant, topica ſunt aptiſſima reſolventia & diaphoretica actuoſa, non raro ſinapiſmi facti ex fermento, camphorâ, ſale ammoniaco, ſinapis ſemine, cum aquis ſpirituoſis & oleis eſſentialibus æthereis.

Si verò jam gangræna adſit, ſperandum eſt, ſi fixi jam ſint limites ejus, ſi margines inflammati ſuppurationi ſe accingant; tunc partes mortuæ ſcalpello incidendæ vel exſcindendæ intactis vivis; ſi verò ceſſante gangrænæ progreſſu nulla ſit ſuppurationis ſpes, ſpiritu nitri debent partes mortuæ comburi, ut vivæ ad ſuppurandum excitentur, & tabum putre deſtruatur.

In eryſipelatibus gangrænoſis infarctus eſt maximus vel valdè extenſus; horum verò cura exigit 1° ut carnium mortuarum phlyctænis, maculis lividis obſitarum, infarctus ſolvatur; 2° ut harum carnium ſucci à putredine immunes ſerventur, condiantur; 3° ut carnes vicinæ ſtimulentur ad ſuppurandum; 4° ad promovendam ope ſuppurationis mortuarum ſeparationem à vivis.

Antiputrida quæ ibi conveniunt ſunt 1° acetum, ſpiritus ſalis, ſulphuris, vitrioli aquâ diluti, ſalia neutra, imprimis ſal ammoniacum. 2° Spiritus terebinthinæ, eſſentia Rabel, ſpiritus nitri anaticis ſpiritûs vini partibus dulcificatus. 3° Sal marinus, nitrum. 4° Reſinæ & balſama, terebinthina, myrrha, camphora, ſtyrax, pix. 5° Vinum, aqua vitæ, ſpiritus vini. 6° Exſiccantia balſamica, ut myrrha, colophone, aloë, reſina. 7° Rodentia urentia, ut oleum fervens, ferrum candens, ærugo, ſpiritus nitri hydrargyro fœtus, aqua phagædenica.

Furunculi majores ſummè dolorifici non incidendi ſunt quandiu crudi & dolentes, niſi in perinæo vel vulvá ſiti ſint, tunc enim metus eſt, ne pus ſibi ſinus cudat; exſpectanda ſuppuratio quæ concreta ſolvat, & craſſamentum maturet.

Eryſipelata cauſtica quæ cruſtaceam eſcharam faciunt, pendent à vi materiæ lapidem cauſticum æmulantis; harum cruſtarum ſeparatio pariter debet promoveri per olea emollientia & digeſtiva, ut ceratum Galeni; ſi eſchara craſſior ſit, ea incidenda, & ubi ſecedunt, avellenda fragmenta; vitanda ſpirituoſa actuoſa; juvant tantùm topica reſolventia, anodyna.

Anthraces eodem modo tractandi, vitanda ſunt irritantia, monente etiam *Pareo*; lenia emollientia è ſuppurantibus eligenda; tantùm apex

emortuus oleo ferventi vel aquâ forti comburendus, dein exſpectanda ſuppuratio; retardatur etiam eſcharæ putredo ope ſpiritus terebinthinæ, eſſentiæ Rabel, ſpiritûs nitri dulcificati cum ſpiritu vini, ſed cauſtica tutiora ſunt.

In *ambuſtione* quæ cutem tantùm erodit, non verò ultra penetrat, dolor & pertinacia majores ſunt quàm ubi carnes ipſæ comburuntur, quippe ſecretoria cutis irritata fundunt ſerum acre & copioſum, quo affectus perennat adhibitis unctuoſis. 1° Antequam infarctus, vel tumor excitentur, igneæ partes extrorſum ducendæ ſolutione vitrioli, atramento, ſpermate ranarum, albumine ovi, nuce gallarum, vulnerariis, aſtringentibus herbis. 2°. Accedente infarctu indicantur emollientia, laxantia, adipoſa, unctuoſa, olea, butyrum. 3° Si inflammatio adveniat his miſſis, fomenta ex aquâ tepidâ, mucilagines, lacticinia, farinoſa uſurpantur, & propter ſævitiem doloris adduntur anodyna. 4° Quandoque anodyna paululum volatilia adhibentur, ut camphora, flores ſambuci; folia tabaci, hyoſcyami, ſapo, ſtercus avium, &c; ſi dolor mitior ſit, cæpæ coctæ vel tritæ conveniunt. 5° Cùm pars ambuſta ſuppurationem putrem ſuppeditat, antiſeptica, ut vinum, aqua vitæ, nitrum, ſal marinus indicantur.

Periti ſunt qui tamdiù utuntur ſolo vino, quamdiù propter ſenſibilitatem non licet aquam vitæ addere, mox puram admovere, uſque ad integram ſanationem. Juvat non raró folia viridia tabaci, vel betæ apponere, & ſuper ſplenia vino madida applicare, quæ ſic vulneri non adhærebunt.

Si *frigori* vel gelu debeatur ſphacelus, amputatio non eſt inſtituenda quamdiu nulla eſt diſſolutio putris, quæ ſola viciniam inficit, & in vivo inſtituenda eſt amputatio, non in mortuâ carne. Pars *congelata* ſtatim nive vel aquâ frigidâ eſt confricanda, ne ſubitò regelaſcendo crepent vaſa; interea cardiaca ſudorifica intùs uſurpanda.

Si à *putredine* antecedenti humorum in vicinis partibus ortum duxerit gangræna, vel ea pendet à diſſolutione maſſæ ſanguineæ, & in hoc caſu de ægro conclamatum eſt; vel pendet à peculiari acrimoniâ venenatâ, adverſus quam dantur ſpecifica antidota, ut in ſyphilide, ſcorbuto, ſcabie, & tunc illa antidota uſurpanda ſunt; ſi ab ulcere putrido oriatur, tunc adhibenda ſunt antiſeptica fortiora, ut 1° balſamica, quale eſt oleum terebinthinæ: 2° Salina, ut ſal marinum, nitrum, ſal ammoniacum, pulverata & magnâ doſi adſperſa: 3° Eſcharotica, ut acidum nitri dulcificatum, aqua Rabel, imò oleum bulliens, unguentum Ægyptiacum, viride æris, aqua phagædenica, ſublimatus corroſivus, &c: inde fit eſchara quæ carnes à putredine defendit, uſquequò ſuppuratio partem ſphaceloſam à ſana ſeparaverit; non tamen negligenda intùs alexipharmaca.

XLI.

XLI. NECROSIS, *L'Ergot*; *le Feu St. Antoine*, *la Gangrène ſéche*, *le mal des ardents*.

Morbus eſt chronicus, in quo artus, ut pedes, manuſve, poſt ſtuporem & dolorem, ut plurimùm ſine tumore areſcunt, exſiccantur, & ſenſu, motuque amiſſis ſpontè utplurimùm à corpore ſecedunt.

Differt à gangrænâ, 1º quòd in gangræna ſit tumor utplurimùm inflammatorius. 2º quòd pars gangrænoſa in putredinoſam mollitiem fœtidiſſimam vergat: 3º & quòd citam mortem intentet; necroſis verò partes mumiæ ſiccæ ſimiles reddat vix fœtidas, niſi ubi mortuum à vivo ſeparatur, ac per menſes divexat. Differt ab arthritide ſcorbuticâ quâcum convenit ratione dolorum, quòd in arthritide illâ ſint ſtomacaces ſigna, dolor noctu urgentior ſit, nec artus excidant.

Species hujus generis à nemine diſtinctè traditæ ſunt, exceptâ necroſi uſtilagineâ, de quâ nuper *Clariſſ. Salerne* plura docuit; cæteras primus ferè *Ill. Queſnay* in eximio tractatu de gangrænâ ſiccâ tantùm delineavit.

Sanguis viſcoſiſſimus, tenax, nigricans, & ea ſiccitate ad putreſcendum ineptus, ſimulque in extremis partibus hærens, ſero per calorem, ventilationem, diaphoreſim evaporato, hujus morbi eſt materia morbifica, inde ſtupor, dolor, livedo, ſiccitas, mors partis, atque in limitibus superveniens ſuppuratio gangrænoſa, corruptio tendinum & ligamentorum ſine ullo dolore, artum nigrum, ſiccum, mortuum à vivo ſegregat.

1. *Necroſis uſtilaginea. L'Ergot.* C.

Vide *Hiſtoir. de l'Academ. R. des Sc. ann.* 1740, 1748, 1752. & *le 2e volume des Mémoires des Etrangers ann.* 1755. à *Clariſſ. Salerne*; *Acta Lipſiæ* 1708 à *Langio* & 1752 *pag.* 634; item *Commentarios Lipſiæ Ludwigii anno* 1757 *pag.* 72 *&* 601. *Ill. Queſnay*, *de gangrænâ ſiccâ*, *pag.* 355 *&* 407.

An ſit idem cum *malo ardentium*? vide *Mezerai*, *Hiſtoire de France ann.* 1090. licet morbus ardentium cum arthritide ſcorbuticâ magis affinis videatur.

Uſtilago vulgò *ſecale cornutum*, Gallicè *ergot*, & *ſeigle ergoté*, de quo ſcripſit *Moellerus Comment. Lipſiæ anno* 1752 *pag.* 634, vocatur illud ſecale, cujus ſpicæ gerunt aliquot grana, ſex vel ſeptem lineas longa, cornuta, extùs nigra, intùs alba, Germanis *Brand* & *Mutterkorn* dicta, ab uſtilagine *nigellâ* dictâ diverſiſſima: nam in uſtilagine tritici, avenæ, ſemen eſt intùs nigrum & pulverulentum, non corniculatum. Secalis cornuti proventus uber eſt annis pluvioſis, & in agris paludoſis, quales ſunt Soloniæ juxta Aureliam, inde fortè Secalauniæ Latinis dictæ, & agri Bleſenſis, Vaſtinienſis, Bituricenſis Provinciæ hic morbus epidemicè graſſatur, ſcilicet quoties deficiente tritico abundat hoc ſecale, quo pauperes panem conficere coguntur; unde viget epidemia ſtatim poſt meſſem uſque ad hyemem; plures mares quàm fœminas adoritur, & ſæpiùs apud Solonienſes

pedibus

pedibus quàm manibus nocet; fortè quia in locis humidis illi laborare conſueverunt.

Illa morbi ſpecies ſine febre, ſine tumore, pedes vel manus aggreditur, doloribus intenſis ſtipatur, colorem nigerrimum & ſiccitatem ſummam partibus conciliat, ac demùm poſt plures menſes artum mortuum à corpore ſegregat; viſi ſunt trunci cruribus orbati, alii uno crure & uno brachio, rariſſimi ambobus cruribus & brachiis mutilati; pluries accidit ut digiti pedum inſciis excidant, pauciſſimis extremus naſus delabitur. Ægri Solonienſes in Noſocomium Aurelianenſe deferuntur, ubi obſervati ſunt à *Chirurgo Noelio*, & nuper ab *Illuſtr. Medico Sulerne.*

Incipit morbus à laſſitudine, ſine febre, ſine inflammatione; raro rubent partes extremæ; facies verò, totaque cutis pallet ac liveſcit, venter induratur & tumet, mens hebes eſt, & hebetudo creſcit cum morbo; urina & feces ritè ſecedunt; feces tandem ſunt fœtidæ; corpus emaciatur; pedes & manus ſtupore afficiuntur, cum dolore deinde punctorio, qui cùm atrox eſt, pulſûs frequentiam fugacem cum ſudore capitis & epigaſtrii excitat; ſecus pulſus eſt parvus, & ita debilis, ut vix percipi queat; appetitus interea non deficit, ab alimentis calidis læduntur & ſudant, raro accidit dolorem pedum, manuumque eſſe urentem & rubore ſtipatum, quod ſolus refert *Noelius.* Verum tamen eſt hoſce dolores atroces miteſcere, ſi artus aëri frigido exponantur; interea frigeſcunt & pallent ægri, difficulter ſe movent, dolor ſenſim aſſurgit à pedibus ad tibiam, crus, &c; à manibus ad ulnam, humerum, quæ partes ſucceſſivè exſiccantur, & ita nigreſcunt, ac ſi fumo fuiſſent induratæ; tunc verò cùm nigreſcunt, ceſſat dolor partis, imò ſenſus & pars mortua eſt, ſed ſicca, non fœtens; cutis videtur corrugata, quaſi, ait *Noelius*, diù in aquâ frigidâ ſtetiſſet. Necroſis illa demùm ſiſtitur in tarſo, tibia, genu, &c, & tunc linea quædam cuditur ſeparans vivum à mortuo, qualis cuditur ope lapidis infernalis; illa ſola linea humida eſt, putris & fœtida; ſenſim per fruſta aut artus integri mortui, carbonis inſtar nigri, à vivo ſegregantur, aliquamdiù verò hærent ligamentis, tendinibus laciniatis nondum omninò diſſolutis. Si imperitè cataplaſmata maturantia applicentur, acceleratur lapſus artuum, ſed cum periculo, quippe gangrænaſcit etiam pars viva; ſi verò opus ſoli naturæ committatur, ægri quidem artu truncantur, ſed ſine dolore, ſine ullâ hæmorrhagiâ, & ſic mutilati per menſes & annos vivunt.

Quare nulla ſit hæmorrhagia, etiam dùm crura ex acetabulis coxendicis ſeparantur? quia ſanguis eſt niger, viſcidus & veluti ſiccus; talis enim fermè exit è venâ, cùm initio morbi ſecatur ad dolores ſedandos; tenacitas ſanguinis quandoque ea eſt, ut non faciliùs ſecetur cultro quàm ipſa caro indurata; è centum & viginti quibus artus à Chirurgis fuerunt amputati, vix quinque ultra ſex menſes ſuperſunt; aſt qui opus naturæ commiſerunt, plures multò evaſerunt.

Hoc ſecale cornutum anatibus, ac porcellis datum ab ipſis ſtatim reſpuitur;

tur; hoc tamen urgente fame, & cum furfure mixto utentia animalia inſtar hominum malè afficiuntur, & enecantur.

De curâ hujuſce morbi conſulantur *Ill. Queſnay*, *Salerne*, *Sharp.* In ſumma ſuffecerit dixiſſe initio indicari parvam doſim theriacæ, unam, alteramve phlebotomiam, fotum ex aquâ vitæ camphoratâ; aſt cùm pars induruit, & nigrorem contraxit, fugienda maturantia; ubi exulceratur, ſola antiſeptica & exſiccantia conveniunt, oleum terebinthinæ, pulvis ex ſale marino, vitriolo, ac demùm exſpectandum donec pars ſpontè excidat: kinkinæ in gangrænâ utiliſſimæ uſum in necroſi damnat *Sharp.*

2. *Necroſis à viru* Illuſt. Queſnay de gangrænâ ſiccâ, pag. 362; Hildani centur. 4. obſerv. 92. C.

Virus eſt humor venenatus in animali ipſo quod laborat genitus, vel ab alio communicatus, unde à venenis per vulnus immiſſis aut ab alio regno petitis differt; huc refer virus venereum, ſcorbuticum, arthriticum, herpeticum, cancroſum, &c.

Virus quod necroſim inducit debet vel ſanguinem ita inficere ut in extremis partibus coaguletur, exſiccetur, vel ut vaſa ita corrugentur, ut exſuccæ ſiccæque carnes evadant; debet itaque idem efficere intus quod extus patrant cauſtica, ut lapis infernalis; quippe in eſcharam mutari debent partes quæ necroſi afficiuntur; in ſenibus illa mutatio tantò facilius contingit, quò ſanguis ad ſiccitatem & viſcoſitatem magis eſt pronus.

Senex 72 annos natus podagricus menſe Auguſto frigus quoddam moleſtum ac ſtuporem in pede perſenſit, ſine ullo dolore & tumore vel minimo; de his minimè ſollicitus fuit, tandem aucto ſtupore pes ejuſque digiti lividi deinceps nigri evaſerunt, & necroſis ſenſim ſeſe patefacere, ſenſimque verſus genua ſerpere viſa eſt. *Hildanus* accerſitus menſe Septembri, pedem & crus ad ſuram uſque ſphacelatum inſtar carbonis nigrum, frigidum, & ſupra modum ſiccum, extenuatumque reperit. De cætero nullus dolor, inquietudo ferè nulla, ſomnus, fames, pulſus pro more. Rogarunt adſtantes *Hildanum* ut crus amputaret, quod peritus ille Chirurgus recuſavit, & cùm quidam barbitonſor deinceps crus amputaſſet, gangræna ſerpſit citò in femur & truncum, quæ priùs ſteterat, ac æger intra paucos dies temeritatis illius culpam luit.

Differt itaque illa ſpecies necroſeos ab uſtilagineâ ratione originis, & ratione ſymptomatum ſeu doloris defectu, de cætero eadem eſt cura, ſcilicet omiſſiva.

3. *Necroſis febrilis*, Lamotte obſervat. 298, ad 302. C.

Ea eſt quæ typho potiſſimum, febribuſque aliis malignis dictis ſupervenit, ſymptomaticè aut criticè, ut aiunt; illa verò non ſolùm pedes, ſed potiſſimùm coccygem, nates & femora adoritur, & differt à gangrænâ ex eo quod ſicca ſit, cùm gangræna diſſolutionem putridam comitem habeat, præterea ſine ullo dolore progreditur; diſtinguitur verò à priori per febrem comitem.

Hæc vulgò tribuitur vel ſorditiei in quâ hæ partes ob alvi & urinæ fluxum obnoxiæ ſunt, ſed cùm etiam pedes, ab immunditie illâ immunes, quandoque necroſi afficiantur vix illud principium poteſt admitti; preſſioni etiam tribuitur, quippe his partibus in typho per menſem incumbit æger, & reapsè preſſio illa eſcharas ſiccas non rarò in partibus pelvis eminentioribus excitat; verùm & vidi internas, externaſque femorum partes in eo caſu ſolùm aut primariò affici, quod nec preſſioni, nec immunditiis erat adſcribendum, maximè verò cùm necroſis primis febris diebus ſupervenit, nec ſordes nec decubitus incuſari poſſunt, ut patet ex obſervationibus citatis.

Sanguinem in febribus triplò viſcoſiorem evadere quàm in ſanitate probant experimenta *Cl. Langrish*, adeoque ſi concurrat ſimul materia febrilis inſpiſſans, ut in typho, facilè concipitur occaſione decubitûs in vaſis cutaneis coccygis, viciniſque illum hæſurum eſſe, & ratione ſiccitatis necroſim inducturum.

Hic affectus ita lethalis cenſetur ut *Hildanus* nullum per quadraginta annos evaſiſſe ſuæ curæ commiſſum profiteatur; verùm hæc lethalitas videtur potiùs curæ olim adhibitæ quàm morbi gravitati tribuenda, ut docent *Cl. Lamotte* obſervationes repetitæ; conſtat enim ex illis nihil eſſe pernicioſius in hac ſpecie necroſeos quàm mortuas & putridas partes exſiccatas forcipibus auferre, inde enim ſphacelus humidus evadit & ulteriùs ob aëris acceſſum ſerpit; quin fugiendæ ſunt etiam ſimplices ſcarificationes, pars tantùm eſt tegenda unguento de ſtyrace, vel mundificativo, & ſi ſit excoriata vel exulcerata, unguento Ægyptiaco, & exſpectandum donec febris remiſerit vel ceſſaverit, tunc enim lapſus carnium putridarum ſponte accidir & tutò poteſt ſolitis medicamentis adjuvari. Vide de his *Clariſſ. Queſnay de cura gangrænæ ſiccæ pag. 583.*

4. *Necroſis ſcorbutica*, Tulpii Lib. III. cap. 38; Du Pleſſis Journ. de Med. Avril 1757 pag. 341: Vide *Melaſicterum ſcorbuticum* à quo differt tantùm doloris defectu.

5. *Necroſis epidemica* D. Boucher Journ. de Med. 1762 pag. 327, 396, 504. A.

Morbus erat epidemicus apud Flandros annis 1749 & 1750, pauperes extra urbem, in aëre nebuloſo ſoloque humido degentes devaſtans, poſt varias caloris & frigoris viciſſitudines, bellique ærumnas: tres erant hujus epidemiæ periodi.

1a *Periodus*. Contracturæ ſpaſmodicæ muſculorum tibias, brachiave retrahentium, quandoque amborum ſimul, cum doloribus acutis, ſæpe urentibus, per intervalla remittentibus: Rarius præceſſerant dolores vagi dorſi, lumborum, qui dein in extremis artubus hærebant, cæteris functionibus, ut pulſu, fame, vix mutatis: hæc periodus ad duas treſve ſeptimanas extendebatur.

2a *Periodus*, decem diebus terminanda, notata erat ſtupore vel fremitu obſcuro artûs affecti, cum ſenſatione frigoris fere glacialis, qui ſenſus incipiebat

piebat à partibus primùm contractis & deſinebat in pedes vel manus; inde artuum gravitas, movendi impotentia, anæſthesia, ſed reſtituto calore dolores reviviſcebant, membra erant pallida, frigida, cutis rugoſa, pars macilenta; macies totum corpus dein afficiebat: pauperrimi, à primæ periodi ſymptomatis immunes, ſecundam tantùm, ſed tantò diutius, experiebantur.

3ª *Periodus.* Pars affecta ſtupore & frigore liveſcebat, mox nigricabat; quibuſdam calor atro-cæruleus, quandoque cum ſenſu caloris urentis & formâ erythematis phlegmonodis, aliis cum ſenſu obſcuro; quibus prima periodus defuerat, nigredo artuum nullo inflammationis ſigno præludebat; quibus verò præludebat erythema, phlyctænæ non rarò aſſurgebant, ſub quibus pars erat omninò ſphaceloſa, muſculis & ipſo perioſteo putrefactis: pulſus erat tunc debilis, proſtratio virium magna, oculi languidi, facies marcida, rugoſa, deformis & ſenilis. Necroſis quæ à digitis inceperat ſenſim ad carpum vel tarſum accedebat, raró ultra cubitum aut genu reptans: demùm gradum ſiſtebat necroſis & tunc pulſûs vigor paulatim reſurgebat: linea ſuppurans mortuum à vivo diſterminabat, & ſenſim artus mortuus, ſiccus, cruore nigro, viſcoſo farctus delabebatur, extremo oſſe arido & inſtar carbonis nigro: artus necroſi affectus ſicciſſimus, nigricans, odoris expers, mumiæ artui ſimillimus erat.

Quibus verò calor inflammatorius præceſſerat, febris etiam ſupererat, quæ moderata non nocebat, ſed violenta funeſtum mali exitum accelerabat.

Hujus morbi ſeminium eſt miaſma quoddam ſanguinem coagulans, unde præmiſſis phlebotomiis ex quibus pulſus prius languidus reſurgebat, diluentia, diſſolventia aromaticis, ſpirituoſis, antiſepticis juncta, intus ſumpta, proderant; lapſus ſpontaneus artuum erat expectandus, aut nulla horum amputatio inſtituenda erat, niſi cùm natura mortuum à vivo ſeparaſſet.

6. *Necroſis infantilis.*

Morbus eſt novus, ſeu nullibi deſcriptus, frequens tamen apud infantes quinquennes, potiſſimùm in orphanotrophio; illis vel in gena, vel in vulvâ apud puellas, ſupervenit, ſine febre, macula rubra vel liveſcens, ſine dolore, tumore, calore, quæ acu pertuſa non dolet, poſt paucos dies ſponte laceratur à leviſſimo tactu, ſine ulla ſanguinis vel alterius humoris effuſione: ſenſim vicinæ carnes, gingivæ v. g. eroduntur, pulſu, fame, cæteris vix mutatis, & intra paucos dies fato cedunt, omninò abſumtis, nigris, ſiccis, vel vulvâ eodem *modo eroſa.*

Pluribus ſcorbuticis ſuperveniebat ad genam ulcus exiguum, album, in ambitu durum, quod neglectum liveſcebat, nigredine & fœtore accedente, unde totâ genâ perforatâ, eroſâ, dentes in conſpectum ſe prodebant; hujus ulceris indolentis, gangrænoſi, ſicci, progreſſus ſiſtit ſpiritus vitrioli. Similes caſus vidi pluries, ſed gena ſine ulcere ſtatim liveſcebat, altero die perforata, ſine dolore, inappetentia, febre, debilitate, inte-

interiora oris patefaciebat, letho intra paucos dies ſubſequente : idem vidi apud virgunculas in vulvâ: *Pourpart Hiſt. de l'Acad. R. des Sc. 1699, p. 175.*

Huc etiam poſſet referri necroſis à compreſſione, cujus exempla profert *Cl. Queſnay* ex *Hildano* & *Boerhaave* petita, fortè & aliæ ſpecies; verùm ſatius eſt hoc argumentum peritis Chirurgis elucidandum relinquere. Nobis ſuffecerit in hoc genere aliiſque benè multis novam viam tradendæ & illuſtrandæ Noſologiæ indicaſſe; ſingulorum generum elaboratio non eſt opus unius hominis nec fortè unius ſæculi.

CLASSES MORBORUM

ÆTIOLOGICÆ.

SCientia principiorum, à quibus morbi dependent, eſt *aitiologia* noſologiæ. Diſpoſitio morborum ſecundum affinitatem principiorum & cauſarum à quibus dependent vocatur *methodus* morborum *aitiologica* juxta quam morbi qui à ſimilibus principiis dependent, conjunguntur, & qui à diverſis ſeparantur; inde tot claſſes exſurgunt quot diverſa ſunt principiorum genera: ea quidem numeroſiſſima ſunt, verùm tamen maxima morborum pars ad viginti quinque genera principiorum, totidemque morborum claſſes commodè reducitur. Horum principiorum alia ſunt *phyſica* quoad agendi modum, ut venena, virus, miaſmata, &c...; alia ex *legibus mechanicis* & *hydraulicis* agere videntur, ut tumores, calculi, vermes, conformationes vitioſæ, ſanguis, pituita, ſerum, flatus; demùm ſunt principia *moralia* hypermechanica, quorum actio ex pſychologia aliquatenus intelligitur, ut naturæ conatus, ſpaſmi, dolores, pathemata animæ, &c...

Eatenus verò ea cenſentur principia morborum, quatenus ex illis intelligimus hos vel illos morbos eſſe poſſibiles; nulla alia eſt connexio inter principia & morbos; & quam ſæpius erramus in judicio, cùm, ex eo quod illud præceſſerit morbum, illud alterius eſſe principium inferimus; hoc ſcilicet ſophiſma, *poſt hoc ergo propter hoc*, in Medicina vulgatiſſimum eſt.

Accurata cognitio ſymptomatum, organorum quibus inſident, legum phyſiologicarum juxta quas functiones, qualitates & excretiones per illa organa fiunt, & demùm dogmatum phyſico-mechanicorum ex quibus vis & energia horum principiorum concipitur, poteſt mentem Medici dirigere in veritatis indagatione, & nos inducere ad cognoſcendum num datus morbus huic vel alteri principio ſit adſcribendus: Attamen his auxiliis adjuti ſummi Medici quotidie errant, ut patet ex eorum in praxi

diſſidio; ſi fidem quibuſdam adhibeamus, omnes ferè morbi à *ſaburra* dependent; juxta alios *plethora* eſt omnium ferè principium; ſunt qui à vermibus eos deducunt; ſunt qui à *ſalibus* acido vel alkali; non pauci à *ſpiſſo* & *acri* omnes chronicos derivant; à *ſpaſmo* & *atonia Baglivi*; à *circulatione vitioſa Deiderius*; à *pituita Schneiderus*; à *ſero Carolus Piſo*; à *flatibus Polybus* morborum iliadem, ut olim *ab humorum quaternione Galenus*, & à ſolo *vitio ſolidorum* plures Neoterici deducere amant. Non minus tamen verum eſt eatenus felicem eſſe therapeiam, quatenus Medicum origo morbi non fefellerit, ut ait *Celſus*, adeoque cauſam & principium morbi curandi cognoſcere apprime utile eſt, imo neceſſarium; verum in hoc experientia fallax & judicium difficile.

Illuſtriſſ. Archiater Senac triginta conſultationes ſcriptas viderat à totidem peritiſſimis Medicis circa eundem morbum, quem ſpiſſitudini ſanguinis tribuebant, & neuter verum attigerat: ſecto enim cadavere, facilè conſenſerunt omnes omnia ſymptomata aneuryſmati interno eſſe tribuenda. Similem errorem trium percelebrium Italiæ Medicorum, circa morbum viri præclari quem ſimul inviſebant, *Illuſtriſſim. Morgagni* enarrat; neuter verum morbi principium etiam conjectando præſenſerat.

Si viri anatomiæ, phyſices & mechanices periti, hujus ſæculi præclaris inventis eruditi, ſingularem morbum accuratè perpendentes eumque diuturnum attentè conſiderantes, circa ejus principium à vero aberrant; quid expectandum erat ab Antiquis, qui omnes morbos ejuſdem generis ab hoc vel illo principio pendere à cathedra docebant; &, verbi gratiâ, omnem tertianam à bile, quartanam à melancholia, catarrhum à pituita, vomitum à ſaburra, nephralgiam à calculo repetendam eſſe? Quid cenſendum de illuſtribus etiam Neotericis qui omnem morbum chronicum ab ſpiſſo & acri humore pendere pronunciant & huic theoriæ ſuam praxim adoptant? Ex ſequentibus ſpecierum enumerationibus evidenter patebit nullum eſſe morbi genus quod à diverſis principiis non pendeat, ſeu cujus diverſæ ſpecies à diverſis principiis non ſint repetendæ diverſamque medendi methodum non expoſtulent? Sit vomitus in exemplo, licet ejus cauſa ſit in omnibus ſpeciebus eadem, ſcilicet conatus naturæ quæ, mediante vi ſtomachi expultrice, materies in eo contentas foras per os eliminat, nihilominus natura ad hanc ſtomachi contractionem excitatur, nunc à ſaburra cruda, quâ ſemel ejectâ morbus evaneſcit; vel à ſaburra putri, vel bilioſa, vel viſcoſa, quibus rejectis remanent non rarò fomites in ſanguine, hepate, colo, ſtomachi, diverſis auxiliis impugnandi; vel vomitus ille fovetur à veneno quod labe conſtanti affecit ſtomachum; vel ab ulcere, quod curandum ſupereſt; vel à phlogoſi ventriculi, quæ, nedum emetica & cathartica indicet, ab illis exacerbatur; vel à vermibus qui ſpecificis remediis tantùm cedunt; vel à metaſtaſi humoris excrementitii, ut urinæ, puris, ſeri, cui humori exitus nativus parandus eſt; vel à plethora vaſorum ventriculi quam vel menoſtaſis vel vicini viſceris obſtructio, vel nimia ciborum euchymorum ingurgitatio ſuſtinet; vel pendet à mechanica preſſione quem ſtomacho infert

infert cartilago xiphoidea depreſſa, pancreas tumidum, jecur induratum, vel ipſa gaſtrocele; mitto loqui de vomitu ſympathico quem ictus capiti inflictus excitat, de vomitu marino quem ſuccuſſio navis aut rhedæ determinat, de hyſterico quem antipathia aut abditius etiam principium creat.

Quibus poſitis quid cenſendum de therapia quam viri aliunde oculatiſſimi quotidie in ſcriptis ſuis proponunt, in qua duas vel tres tantùm vomitûs ſpecies curandas ſiſtunt ratione totidem principiorum à quibus illas excitari putant, quaſi omnis vomitus ab hac vel illa ſaburra penderet, & ferè omnis vomitoriis vel catharticis curandus foret: in quo quidem conſentientes habent omnes ferè veteres artis antiſtites, qui errore mortalibus perniciofo cum ipſis laborant: quid enim eſt pernicioſius quàm emetica indiſcriminatim adhibere in vomitu quovis, ut nephralgico, ulceroſo, phlogiſtico, hyſterico, gaſtrocelico, marino, &c, in quibus ea certè veneni inſtar agere omnibus cordatis viris haud dubium videbitur: doctrina itaque cauſarum & principiorum, ſi fallax ſit, funeſtiſſima eſt, eoque magis pernicioſa quo ad plures morbi ſpecies extenditur: ſi enim quis in praxi ignoret verum principium unius vomitûs, & in nephralgico emeticum præſcribat, ille unum tantummodo ægrotum in vitæ diſcrimen adducet; aſt ſi omnem vomitum à ſaburra pendere docuerit, is tot ægros vomentes in idem periculum conjiciet, quo ſunt diverſi vomitus in quibus ſummam perniciem neceſſariò inferunt; aut in quibus diverſiſſima & ad curam neceſſaria juxta hanc aitiologiam omittentur, ut phlebotomia, limonata, ſalia neutra, opiatica, balnea, quies, anthelmintica, chirurgica operatio &c.

Verùm dati morbi principium cognoſcere eſt certè in praxi omnino utile, imò neceſſarium; illud itaque eſt indagandum; ſed tanto periculoſius eſt illud ignorare, in eo inveniendo errare, falſis dogmatis circumventum eſſe; falſum autem eſt illud dogma quod ab obſcuris ad clara, à minus cognitis ad magis certa ſit procedendum: principia morbi ſunt minus clara, minus evidentia quàm morbus ipſe ſeu quàm ſymptomatum illum conſtituentium concurſus, ergo methodus aitiologica, quæ à principiis & cauſis abditis nos deducere debet ad morbi cognitionem, fallax eſt & erronea, multoque tutior eſt via quæ initium ducit à ſymptomatis ſenſuum ope compertis, ex qua cognitione deinceps, tanquam firma baſi, aſſurgere poſſumus ad ejus morbi individui oblati principium. Evolvite omnes libros ſcholaſticos de vomitu, nullibi ferè invenietis ſigna vel ſymptomata vomitum gaſtrocelicum, hyſtericum, gaſtriticum, &c, deſignantia, quorum tamen fidelis & ſagax deſcriptio & diagnoſis ad eos dignoſcendos ita utilis eſt, ut ex hac ferè ſolâ quænam ſint indicationes curativæ eluceat: emineat tumor à partu creſcens inter abdominis muſculos, iſque circumſcriptus, quem ex ſignis cognoſcimus eſſe à ſtomacho prolapſo vel hernioſo, nonne vel medicinæ tyro vomitum inde oriundum eſſe judicabit & artificioſa repoſitione curandum concludet; ſed ſi nullus Author in ſcriptis eum de hujus ſpeciei vel exiſtentia vel ſignis monuerit, is hunc morbum, ſenſibus, ut ut obvium, non agnoſcet, ſummo

ægro-

ægrotantis detrimento : & tantò magis ab eo cognoſcendo alienus erit, quò majorem adhibuerit fidem ſuis Magiſtris docentibus omnem vomitum à ſaburra pendere, & vomitum in genere vomitoriis eſſe impugnandum.

Has claſſes morborum aitiologicas ideo ſiſtimus, ut cuique pateat nullum eſſe morbi genus cujus ſpecies ad diverſa principia non attineant, adeoque ut deleatur illa præjudicata opinio, omne genus morbi uni vel alteri tantùm principio tribuendum eſſe; ex his etiam claſſibus apparebit ab eodem principio diverſos morbos exoriri, prout diverſas corporis partes illud afficit, majori vel minori doſi, tempore, agit, aut diverſa eſt recipientis diſpoſitio; ita ut ex cognito principio vix poſſibile ſit morbum inde eventurum præſagire : difficultas autem eo major eſt quo major numerus eſt circumſtantiarum in eodem morbo concurrentium, unde ancipites hæremus utri ex his tribuendus ſit morbus. Si quis vomitu divexetur, dubium eſt an voracitati prægreſſæ, an vitioſæ aſſumptorum qualitati, an pravæ digeſtioni, an cephalalgiæ comitanti, an bili per vomitionem rejectæ, an ſanguinis copiæ ventriculum gravanti, &c, hic effectus tribuendus ſit : quid verò nos ab his ambagibus extricabit? fida & ſagax hiſtoria ſymptomatum cuique ſpeciei convenientium; licet enim quævis ſpecies à principio ejus denominetur, ut vomitus gaſtrocelicus, marinus, &c, non ideo neceſſum eſt abſolutè ut cognoſcamus quomodo hocce principium agat in ejus morbi productione, modò ex ſignis & hiſtoria quid in eo caſu agendum ſit aut fugiendum ſciamus : perinde eſt, v. g., utrum ſciam aut ignorem quomodo ſtomachi phlogoſis inducit vomitum, licet hoc ſcitu utiliſſimum ſit, modò ſciam quod dum adeſt epigaſtrii ſenſibilitas exquiſita, dolor & calor, ſitis, pulſus frequens & durus, ſanguis extractus coriacea cruſta tectus, &c, in hoc morbo repetitam phlebotomiam, aquam pulli & diætam tenuiſſimam ægro ſanando ſufficere; emetica verò & cathartica acria perniciosa eſſe : aſt licet mera principii cognitio hiſtorica ſæpe ſufficiat ad curandum morbum, etiamſi ignorem connexionem hujus cum ſymptomatis, nihilominus hujus principii cognitio philoſophica eſt multò ad praxim utilior quam hiſtorica; utinam æquè certa foret!

Nullam ſpeciem morbi accenſere volui, niſi quam aliqua conſtans obſervatio confirmavit, & ideo cum ſuo epitheto inſignatam volui, tanquam teſtimonium veritatis; v. g. dum *vomitum urinoſum* voco, his verbis intelligo eos vomitus, quorum deſcriptiones & hiſtorias tradit *Hallerus*, aut referunt Authores ab illo citati in *Phyſiologiæ majoris Tom. II. pag. 371*, qui ſunt vomitus nephralgici, iſchurioſi, &c : Utrum reapſe urina, in nephritide iſchuriaque retenta, in ſanguinem refluat, inde in ſtomacho ſecernatur, nihil ad me; modò ſciam fide hiſtoriæ in eo caſu vomitum, non emeticis, nec catharticis, ſed remediis adverſus nephralgiam aut iſchuriam indicatis debellandum eſſe; ideo Authores præcipuos citatos volui, ne tyrones Profeſſorum dogmatis, ut pote compendioſis, ſerviliter adhæreant, & ut rem penitus in Authoribus examinare ac omnes circumſtantias indagare queant, ne in verba Magiſtri jurent, nec in originibus hiſtoriarum inquirendis hæreant,

reant, ne demùm morbos poſſibiles tantùm pro realibus ſibi oblatos putent, quod in ſcholis frequentius evenit apud Aitiologicos, quibus ſufficit ut morbus ſit poſſibilis, ad hoc ut eum inter morbos annumerent.

Nomina trivialia morborum, qualia hîc ſiſtimus, id tantum uſûs habent, quod ob brevitatem ſint retentu facilia & commoda, minimè verò ſola quid ſignificant, adeoque ſemper inquirendus eſt ſignificatus quem ipſi definitione addita tribuimus, quod de nominibus Claſſium etiam intelligendum.

Curare eſt ſatagere ut ſtatus morboſus in meliorem, &, ſi fieri poſſit, in ſanum mutetur; *curatio* alia eſt *palliativa*, quæ tantummodo morbi cauſam tollit; *radicalis*, quæ ſimul & cauſam & principium ejus proximum ac proëgumenum aufert.

Certum eſt ex Pathologia cauſam veram & effectricem maximæ partis morborum eſſe conatum quo principium morbi vel corrigere vel foras amandare natura contendit; ſic vomitionis cauſa eſt ille conatus naturæ qui ſtomachi contractione antiperiſtaltica, concurrente pylori arctatione & muſculorum epigaſtricorum, ac diaphragmatis ſimultanea contractione, abſolvitur: hanc cauſam tollit qui vires contractivas ſufflaminat aut ſenſum ſtomachi obtundit; ſed hæc curatio palliativa eſt & ut plurimum inſida vel inanis, aut tantùm momentanea: ſic prophylacticè in cholera à veneno narcoticis vomitionem ſuſpendimus.

Principium morbi *proximum* eſt illud ex quo intelligimus naturam immediatè ad hunc producendum determinari; ſic venenum deglutitum eſt principium vomitûs vel choleræ, quatenus intelligimus ex ejus actione in ſtomachum naturam ſanitatis tutricem ad illius expulſionem inſurgere, & in hunc finem organa huic ſcopo deſtinato in motum agere. *Curatio radicalis* eſt itaque illa quæ principium morbi proximum materiale removere aut corrigere nititur.

Curatio quatuor auxiliis abſolvitur, ſcilicet *diæteticis*, *gymnaſticis*, *chirurgicis* & *pharmaceuticis*, quæ auxilia partim à natura partim ab arte adhibentur: unde ſequitur duplicem eſſe curationem, *naturalem* ſcilicet & *artificialem*, quarum mutua conſpiratione medela vel levamen obtinetur.

Auxilia diætetica ſunt eſculenta & potulenta morbo curando convenientia: ea in morbis bilioſis fervore, ſiti ſtipatis, ut in tritæophya, cauſo, præſcribuntur, quæ refrigerant, diluunt, bilem enervant, ut aqua frigida, limonata, cremores avenacei, hordeacei, fructus acidi, blandi, & natura cum arte in his ſuadendis conſentit; inde averſatio carnium, acrium, calidorum, exſiccantium, & ſitis ſeu appetitus frigidorum, diluentium.

Auxilia gymnaſtica ſunt quies vel motus mentis & corporis in ambiente congruo; in morbis febre acuta ſtipatis, pyrecticis, debilitas & laſſitudo artuum exigunt decubitum horizontalem quo vires ſuperſtites ſervantur, quarum maxima pars cordi movendo & principio morbifico corrigendo ac expellendo neceſſaria eſt; decumbendum autem eſt in eun-

dem finem molliter in lectulo, & ambiens aër debet eſſe ita temperatus, ut nec calore nec frigore noceat, nec quietem animæ neceſſariam turbet.

Auxilia chirurgica ſunt mechanica: 1° noxiorum excluſio; ſic natura fœtum mortuum, feces, excrementa noxia foras amandat, calculos ſuis niſibus è veſica, pus ex abſceſſibus, ſaburram è primis viis ejicit: 2° ſanguinem ſuperfluum ruptis per impetum vaſis emittit in hæmorrhagia, artus necroſi corruptos à toto ſeparat: 3° ſoluta conſolidat, ulcera detergit, quod in brutis quotidie obſervamus, ita ut naturæ imitatrix ſit ars chirurgica.

Auxilia demùm pharmaceutica ſunt medicamina quorum moleculæ diſſolutæ valent ratione cohæſionis cum noſtris ſolidis fluidiſve illis ſalubres mutationes inferre, ſi tempeſtivè applicentur: medicamina verò vel ſimpliciter corrigunt vitia noſtri corporis & *alterantia* dicuntur; vel alterant ſimul & ad evacuationes ſollicitant naturam, & *evacuantia* ſunt: natura autem, maximè apud bruta medicamina convenientia quærit, ut de canibus & bobus notum eſt: ars verò Medici multò tutius & multò plurima rationis interventu cognoſcit.

Illa omnia auxilia eatenus ſalubria ſunt, quatenus ſtatum novum in corpore, priori morboſo contrarium, conciliant; ergo ut rectè applicentur à Medico dogmatico, neceſſum eſt ut ſtatus morboſus individuus cognoſcatur; & vix medicata auxilii huic contraria ſit comperta, ſecus fortuitò vel empiricè adhibentur.

Sunt morbi quorum principia proxima obſcuriſſimè cognoſcuntur à Medicis, ut deleterii ſcilicet, venenati, virulenti, miaſmatici, exanthematici & febricoſi; ſed Divina Providentia nobis non pauca medicamina conceſſit adverſus ipſos, ſingulari virtute prædita, his ſpecificè contraria quæque *antidota* vocantur, ut in febricoſis kinkina, in ſyphiliticis hydrargyrum, quorum agendi modus eſt obſcuriſſimus.

Quorumdam morborum principia proxima ſub ſenſus cadunt, & minus ignotus eſt eorum agendi modus; tales ſunt morbi humorales, ut ſanguinei, pituitoſi, ſeroſi, quorum principia ferè ex legibus hydraulicis agere videntur; aliorum verò morborum, quales ſunt acrimonioſi, purulenti, phlogiſtici, principia ex legibus phyſices & chemiæ intelliguntur: dantur etiam morbi, ut organici, traumatici, emphractici, calculoſi, verminoſi, quorum principia viribus mechanicis agunt in nos, eorumque auxilia ut plurimum ſunt mechanica, ſæpiuſque chirurgica; aſt obſcuriſſima ſunt principia morborum ſpaſmodicorum, atonorum & moralium, unde difficillimè curantur, eorumque auxilia partim empyrica ſunt, partim philoſophica ſeu moralia, ut in hyſteria, hypochondriaſi, melancholia, mania &c.

Præter remedia antidota quibuſdam principiis morborum ſpecifice debellandis convenientia, ut hydrargyrum in ſcabie, ſyphilide, hydrophobia; kinkina in febribus intermittentibus; moſchum, camphoram, caſtoreum in hyſte-

hyſtericis & ſpaſmodicis, dantur alia quæ certis corporis humani partibus ſpecialiter prodeſſe putantur, quæ proinde à veteribus ophthalmica, otica, cephalica, cardiaca, thoracica, hepatica, &c, vocantur; unde non immerito juxta hanc opinionem morbi juxta methodum anatomicam diſponebantur, ut cognita ſede facilius detegerentur medicamina ſpecifica; verùm licet cephalica, aromatica, nervina, ſpirituoſa, ob ſpecificam levitatem, qua affinitatem habent cum nervorum fluido & cerebri ſubſtantia, in cerebrum & nervos præ aliis partibus agant, ut cantharides in urinam & vias urinarias, & bechica in humorem bronchialem & pulmones, non inde ſequitur quod, cognita ſede morbi, inde cognoſcatur medicaminis huic convenientis genus; quippe eandem ſedem occupant morbi à principiis diverſiſſimis oriundi, ut patebit ex hiſce claſſibus: ſic caput eſt ſedes morborum à veneno, viru, miaſmite, ſanguine, ſero, pituita, obſtructione, vulnere, &c. pendentium; nullum eſt itaque medicamentum & auxilii genus quod in morbis eandem corporis ſedem occupantibus non indicetur; & ut cephalica in ſeroſis & pituitoſis capitis morbis conveniunt, ita in phlogiſticis, bilioſis, purulentis ejus morbis nocent. Cùm cauſa plurimorum morborum ſit naturæ conatus, & natura, nunc ſegniùs quàm pars eſt, nunc vividiùs, adverſus materies morbificas inſurgat, potiſſima auxilia, quæ omnium ferè morborum cauſam attingunt, ſunt, vel *ſedantia*, ut anodyna, narcotica, quæ irritatæ nimium & vividioris naturæ conatus moderantur, tum ſenſum obtundendo, tum vires motrices compeſcendo; & *ſtimulantia*, quæ ſenſum excitando & fibras nerveas irritando, in motum agendo, valent naturæ conatus torpidos erigere, languentes ſtimulare, ipſiſque veluti calcar addere; vis illa ſtimulans communis eſt omnibus alterantibus calidis, ut cephalicis, cardiacis, ſtomachicis, ſinapiſmis, errhinis, &c; nec non omnibus fere evacuantibus, ut emeticis, catharticis, emmenagogis; eo tamen diſcrimine quod alterantia ſæpius roborent, evacuantia verò ſtimulando excitent, evacuando naturam debilitent, niſi copiâ adauctâ peccent humores, quos foras amandat natura his remediis irritata.

In omnibus morbis curandis maxima habenda eſt facultatis motricis, ejuſque virium ratio; quippe cùm nulla mutatio fiat in corpore niſi per motum, adeoque per vires motrices, quarum principium eſt natura vel libertas, nulla curatio, quæ mutatio eſt, abſolvi poteſt, niſi per vires naturæ, adeoque illarum conſervationi Medicus invigilare debet. Naturæ vires ſervantur, ſi perditæ reficiantur, quod præſtant alimenta; & ſi præſentes non fruſtra abſumantur, quod quies mentis & corporis, præcipuèque ſomnus exequitur: auxilia itaque diætetica & gymnaſtica viribus naturæ ſervandis potiſſimùm inſerviunt, & in omnibus morbis maximè ſunt adhibenda, verùm ea ſigillatim in quavis claſſe morborum aitiologica enumerare non ſinunt quos nobis propoſuimus limites.

Sufficiat annotaſſe nullum fere eſſe auxilii genus, quod in quacumque morborum claſſe, imò genere, ad eundem curatorium ſcopum non poſſit

 con-

conſpirare. Sic ad ſtimulandum & vires excitandas conferunt, non ſolùm medicamina cardiaca, cephalica, tonica, non ſolùm frictiones, ſiccæ calidæ, quæ chirurgica ſunt auxilia; ſed etiam motus muſcularis, vigilia, pathema vividum, quæ ſunt auxilia gymnaſtica; ſed etiam potulenta fermentata, ut vinum, caffé, cocolata & eſculenta aromatis condita, quæ ad diætam attinent: idemque dictum eſto de diverſis auxiliis ſedantibus, ſeu oppoſitos effectus producentibus.

SYNOPSIS CLASSIUM

ÆTIOLOGICARUM.

1. MOrbi venenati ſunt illi qui à veneno animali, foſſili, vel vegetabili excitantur: Venena verò ſunt corpora ſenſibilia quæ parva doſi per principia phyſica agendo periculoſas mutationes valent inferre, ut arſenicum, ſublimatum corroſivum, &c.

2. *Morbi virulenti* differunt à venenatis in eo quod materies morbifica non extrinſecus acceſſerit, ut in venenatis; ſed in corpore ipſo genita ſit, aut ab alio animali morboſo communicata, ut virus ſyphiliticum, hydrophobicum, &c.

3. *Morbi exanthematici* ſunt illi qui à materie exanthematum erumpente, retenta, vel repulſa foventur; ab *ex* extus, & *anthema* floreſcentia, quaſi *effloreſcentia*: tale eſt virus variolæ, rubeolæ, ſcabiei, herpetis, &c: & in hoc, quod morbus primarius puſtulas vel maculas cutaneas emittat, differunt à virulentis.

4. *Morbi metaſtatici* ſunt illi qui producuntur à materie morbifica quæ e parte tranſlata fuit aut repulſa, cùm in parte primariò affecta ulcus, fontanellam, phyma aut ſimile tantùm vitium, non verò morbum propriè dictum, intuliſſet; & in hoc differunt metaſtatici ab exanthematicis.

5. *Morbi febricoſi* ſunt illi qui à materie febrili, vel remittentium, vel intermittentium, producuntur, ſub quo cenſu febres ipſæmet recenſeri debent, nec non morbi etiam pyrexia deſtituti, qui ab eadem materie foventur.

6. *Morbi miaſmatici*, ſunt illi quorum materies morbifica eſt miaſma ſeu vapor moleculis deleteriis inconſpicuis onuſtus, vel per aëra delatus, vel e mephitibus, cloacis, paludibus exhalans, ut omnes ferè epidemici & quidam ſporadici.

Hactenus actum de morbis quorum principium eſt quidpiam ſubtile & tenuiſſimum, modò penitus occulto & deleterio morbos peſſimos excitans; jam ſequuntur morbi *humorales* dicti, quorum principium eſt humor quidam

dam *quantitate* ſæpius peccans, ut ſanguis, bilis, ſerum, pituita, lac, flatus; vel humor vitioſus *qualitate* potiſſimùm noxius, ut acrimonia, pus, ſaburra.

7. *Morbi phlogiſtici* ſunt illi quorum calor internus vel externus eſt comes aut principium, ut plurimùm cum pyrexia acuta, ſiti, ut tritæophya ardens, phrenitis pura, nephritis.

8. *Morbi ſanguinei*, qui à plethora tum vera tum commota producuntur, ut hæmoptyſis plethorica, &c.

9. *Morbi bilioſi* qui à bilis quantitate, diffuſione & acrimonia foventur, ut tertiana bilioſa, cholera ſpontanea, &c.

10. *Morbi ſaburrales* qui à ſuccis vitioſis, intra primas vias latitantibus, acidis, alkaleſcentibus, neutris excitantur, ut vomitus à ſaburra, ſynochus, typhus, &c.

11. *Morbi pituitoſi* qui ab humore vel ſanguine viſcido, ſpiſſo, tenaci, mucoſo, producuntur: qui tamen à ſanguine ſpiſſo & ſicco inferuntur, ſæpius *melancholici* vocantur, ſi ſimul morales ſint.

12. *Morbi catarrhales* quos perſpirationis ſuppreſſio & frigus determinant, ut rheuma, coryza.

13. *Morbi lactei* quos lactis ſuppreſſio & in maſſa ſanguinis redundantia producit, ut ephemera lactea.

14. *Morbi ſeroſi* qui à ſero ſeu parte ſanguinis aquoſa exundante dependent, ut hydrothorax, anaſarca.

15. *Morbi flatulenti* ab aëre elaſtico intus contento producti, ut colica, flatulenta, tympanitis.

16. *Morbi purulenti* à pure, ulcere, carie dependentes, ut phthiſis, tabes.

17. *Morbi acrimonioſi* acrimoniæ cuidam maſſæ ſanguinis tribuendi citra ullam virulentiam, ut polydipſia; vel cum virulentia hereditaria, ut phthiſis, arthritis.

Præter morbos humorales ſunt alii quorum principia ſunt mechanica, ſed ſolida, non fluida, ut calculi, vermes, tumores, herniæ, corpora vulnerantia, &c.

18. *Morbi organici* à prava & conſpicua organorum poſitura, figura dependentes, ut ab hernia, luxatione, ut ileus ab enterocele, caligo à blepharoptoſi.

19. *Morbi traumatici* differunt ab organicis quod pendeant ab unitatis quadam ſolutione, ut vulnere, fractura, ictu, contuſione, commotione, ut carus à fractura cranii.

20. *Morbi emphractici* ſunt illi quos emphraxis ſeu obſtructio chronica, aut non inflammatoria vaſorum, canalium, fovet, ut ileus à calculo, paraphonia à polypo.

21. *Morbi verminoſi* quorum principia ſunt inſecta, vermes, &c, ut convulſio, vomitus à vermibus.

22. *Morbi calculoſi* qui à concretionibus duris excitantur, ut nephralgia calculoſa, hepatalgia calculoſa,

Denique dantur principia morborum ut plurimum non materialia ; licet à materialibus ipſamet excitentur, ut ſpaſmi ſeu contractiones muſculorum & membranarum, atonia ſeu earum laxitas, debilitas ; & animæ cupiditates aut averſationes effrænes, ſeu pathemata.

23. *Morbi ſpaſmodici* qui pendent à convulſione hyſterica aut hypochondriaca muſculorum, ob nimiam nervorum ſenſibilitatem, dolorem, erethiſmum, ut hyſteria, epilepſia à pathemate.

24. *Morbi atoni* à laxitate nervorum, fibrarum, vaſorum & muſculorum debilitate, inanitione, inedia, &c, ut exania.

25. *Morbi morales* ab errore, averſatione, antipathia, appetitu & variis pathematis oriundi.

Limites harumce claſſium determinare non facile eſt, quippe pro ſua quiſque theoria, quem uni claſſi adſcribo cum maxima Neotericorum parte, alter pari jure poſſit ad alteram claſſem amandare; adde quod maxima morborum pars à principiis combinatis dependeat, ut febris intermittens in rigore ab ſpaſmo, in calore à phlogoſi & obſtructione, non rarò à bile, in declinatione verò ab atonia ; ſed ſi principium verè morbificum & characteriſticum velimus aſſignare, certum eſt illud eſſe materiem morbificam ſui generis, quæ ſpecificis quibuſdam, ut venena ab antidotis, ſcilicet febrifugis debellatur.

Si quis verò clariùs horumce morborum convenientiam ratione principii ipſos foventis, & therapiæ ipſis congruentis velit introſpicere, is cujuſlibet hiſtoriam in noſologia attento examini ſubjiciat, & diverſas ſpecies ejuſdem claſſis invicem cónferat, & eam principiorum analogiam percipiet. Sic, licet apoplexia ſit morbus apyretus ſumma immobilitate ſtipatus, & ſynochus ſanguineus ſit morbus febrilis nullo ſopore inſignitus, evidens eſt quod, cùm uterque pendeat à plethora, utrique conveniunt remedia molem ſanguinis detrahentia & diæta tenuis : ſic in cardialgia & in convulſione quæ à vermibus primarum viarum, vel a materie verminoſa dependent, adſunt plura ſymptomata communia, licet non eſſentialia, utrique generi, & cathartica, emetica ac anthelmintica utrobique indicantur.

CLASSIS PRIMA.

Morbi venenati ;

Maladies vénimeuſes.

VEnena ſunt foſſilia, vegetabilia vel animalia. Foſſilia ſunt vel nativa ; ſcilicet cobaltum, vel arte facta, ut arſenicum album, flavum & rubrum, quorum cobaltum eſt minera ; præparata antimonialia, emetica

ca potiſſimum, vinum antimonii, hepar antimonii, ſulphur auratum, crocus metallorum, pulvis agaroth, &c; præparata mercurialia, ut ſublimatus corroſivus, præcipitatum viride, turpethum minerale, &c.

Venefici ut plurimum arſenico albo ſeu cryſtallino, aut ſublimato corroſivo utuntur; cætera ab Empiricis imperitis in bonum finem præſcripta non minus truculenta ſunt.

Venena autem eatenus dicuntur, quia ſub minima mole, ſi malitioſè aut inopportunè & nimia doſi uſurpentur, ſtrages in corpore excitant: licet minima doſi, & ſapienter ac cautè correcta in certis morbis & individuis ſint eximia & energetica remedia, ne excepto quidem ſublimato corroſivo omnium potentiſſimo. Venena *vitriolica*, ut vitriolum cupreum, martiale, lapis lazuli, ærugo vix unquam uſurpantur, niſi adhibeantur vaſa cuprea verè æruginoſa; frequentius verò uſurpantur venena lenta quidem ſed pernicioſa, quæ *ſaturnina* ſunt præparata, ſcilicet ceruſſa, ſaccharum ſaturni, lithargyrium, vaſa culinaria plumbo obducta & acido corroſa, quæ venena ſunt adſtringentia & rachialgiam producentia, quibus etiam *calx* marmoris *viva* corrodens addi poteſt.

Cobaltum & omnia arſenica ſunt corroſiva & ſeptica, quæ intus ſumpta choleram, cardialgiam, citamque mortem creant; aſt horum levis decoctio venenum eſt lentum, quod non niſi poſt menſes & annos hecticam, tabem, dyſenterias lethales producit; quod autem determinato tempore venenum poſſit mortem inferre vix ullus peritus crediderit.

Arſenicum album cryſtalli inſtar nitidum, metalli inſtar ponderoſum, à miſcela ſulphuris colorem flavum & rubrum induit, in aqua parum ſolvitur, inflammabile eſt & ejus fumus odorem allii ſpargit; ſapor minimè injucundus eſt, ſaltem initio: vis ejus regulo cobalti unito cum ſale ſpeciali arſenicali tribuenda eſt. Nulla eſt minera metalli aut ſemimetalli quæ arſenicali materia deſtituatur, ſi fides *Junckero*, unde intelligitur cur mineræ foſſores, metallorum fuſores, rachialgiæ, pareſi, convulſioni ſint obnoxii.

Sublimatus corroſivus eſt ſal reſultans ex unione chemica acidi marini cum hydrargyro: hydrargyrus purus omnino blandus eſt & veneni expers, quidquid crediderint veteres; aſt acidum ſalis, nitri & vitrioli ſunt venena urentia, corroſiva, & à metallis quibus uniuntur quandoque vires majores acquirunt: ſublimatus extus eſcharas, intus ardorem, cardialgiam, choleram, ileum, dyſenteriam, convulſionem, mortem eò citiùs excitat quò majori doſi & debiliori homini exhibetur: unum granum intus ſine periculo vitæ ſumi non poteſt, niſi ſtomachus pinguedine fuſa, lacte, oleo, farctus illud recipiens citò vomitione rejiciat, ut ſycophantæ facere ſolent, qui ſua antidota majori pretio ſtolidæ plebi venditent. An ſpiritu vini vel addito vel deſuper accenſo ſublimatus corroſivus aliaque foſſilia venena mitigentur, magis quàm aquâ purâ, dubium faciunt experimenta *Bonæ Itali*, qui ſublimatum corroſivum aquâ purâ diſſolutum præbet ad ſextam grani

ni partem pro cochleari aquæ adverſus morbos venereos more *Ill. van Swieten.*

Venena mercurialia & antimonialia intus ſumpta nauſeam, cardialgiam, vomitum, diarrhœam, choleram, meteoriſmum, dyſenteriam, &c, excitant: cuprea & vitriolica ſimiles, ſed debiliores effectus edunt ſub pari doſi.

Metallici morbi dicuntur qui à venenis metallicis dependent, ut ab hydrargyro, plumbo, cupro, cinnabari; talis eſt rachialgia & omnes morbi rachialgici quibus metallurgi, pictores, mineræ foſſores, plumbarii, ſpeculorum confectores, &c, ſunt obnoxii.

Ab arſenicalibus & præparatis emeticis antimonii, mercurii,

Cardialgia 2a,	Tabes 18a,
Vomitus 8us,	Cholera 4a,
Ileus 14us,	Cynanche 11a.

A cupreis, æruginoſis, vitriolicis eadem, & præterea

Hepatalgia 5a.

A plumbo, hydrargyro, ſaccharo Saturni, mineris metallicis,

Rachialgia 3a,	Aſphyxia 2a,
Tremor 5us,	Rheumatiſmus 10us,
Paralyſis 2a, & 2a a,	Cephalalgia 13a,
Pſelliſmus 7us,	Aſthma 12um,
Hemiplegia 17a,	Peripneumonia 12a,
Paraplexia 5a,	Orthorpnœa 12a.

Venena vegetabilia alia ſunt acria, corroſiva, inflammantia, ut boleti, agarici quidam, ranunculi ferè omnes, maximè ſceleratus dictus, anemones, euphorbiæ omnes, colocynthis, œnanthe cicuta Linnæi, mançanilla, chærophyllum hirſutum; ex horum uſu interno fiunt

Cardialgia 2a,	Tremor 4us,
Gaſtrodynia 4a,	Triſmus 18us,
Gaſtritis 3a,	Ecclampſia 12a, 13a, 14a,
Vomitus 8us,	Singultus 3us, 6us, 7us,
Cholera 2a, a, b,	Typhus 9us,
Rachialgia 1a,	Amphimerina 11a,
Rheumatiſmus à ſabina,	Eryſipelas 3um, 7um,
Dyſphagia,	Abortus à ſabina,
Meteoriſmus 4us,	Abortus ab adhatoda.
Convulſio 7a, 8a,	

Alia verò ſunt dementantia, temulenta, inebriantia, & majori doſi narcotica, ut opium, datura methel, datura ſtramonium, atropa belladono, hyoſcyamus albus, niger, phyſalis narcotica, narciſſus, crocus, lolium, conium Linnæi, ſolanum hortenſe, carbonum fumus, plumbaginis vapor,

Paraphroſyne 1, 2, 3, 4, 5,	Diplopia 10a,
Vertigo 6a,	Amentia 3a,

Amne-

Amneſia 7ª,	Carus 10ᵘˢ, 14ᵘˢ,
Lethargus 3ᵘˢ,	Paraplexia 5ª,
Aſphyxia 2ª,	Dyſphagia 11ª.

Ultima vires habent omnino ſingulares; nam à ſemine raphaniſtri in pane convulſio raphania, boulimia; ab uſtilagine, ſecali cornuto necroſis, ſtupor; à gramine oſſifrago aſthenia; à boletis venenatis aurigo; à coffea tremor; à ranunculo ſcelerato triſmus Sardonicus; ab odore ſantalorum amphimerina mimoſa, à manihoc typhus; à coriaria eclampſia ſuperveniunt.

Bulimia 6ª,	Singultus 7ᵘˢ,
Hæmaturia 3ª,	Triſmus 18ᵘˢ,
Aurigo 4ª,	Convulſio 7ª, 8ª,
Necroſis 1ª,	Phœnigmus 3ᵘˢ, 4ᵘˢ,
Aſthenia 9ª,	Amphimerina 17ª,
Stupor 4ᵘˢ,	Typhus 9ᵘˢ.

Venena animalia ſunt multò rariora quàm creditur vulgò; ab hoc ſiquidem cenſu excludendi plures piſces, nec torpedinem, nec gymnotum tremulum his accenſeas; nullum eſt venenum trachyni, ſcorpænæ, raiæ, quorum aculei puncturas mechanicas ſine ullius liquoris inſtillatione cudunt; venenata ſunt ova lucii & barbi, choleram enim inducunt; ſquali catabi hepar, mytuli in neſcio quibus circumſtantiis, eryſipelas inducunt; tethys leporina demùm & meduſa quidpiam venenati habent. Aves omnes veneni expertes ſunt; quadrupedia nulla venenum habent nativum, ſed omnia acquiſitæ hydrophobiæ ſunt obnoxia, imò à vehementi irâ morſus ſciuri, felis, hominis, venenatus evaſit.

Inſecta autem plurima vires ferè venenatas habent, ſcilicet apes, veſpæ, culices, quorum aculei fiſtuloſi liquorem acrem in vulnus infundunt; huc quidam araneas & ſcorpios referunt, de quorum vi venenata dubitant plurimi; imò Neoterici à veneno tarentulam ipſam abſolvunt: tethys leporina & meduſa, non piſcibus, ſed zoophytis debent adſcribi. Cantharides & ſcarabæus Maialis venenata ſunt inſecta, eaque veſicatoria: his adde formicas *Journal de Medec. Septembre 1762.*

Superſunt demum amphibia, inter quæ bufo, ſalamandra, & lacerta veneno carent, quidquid dicant ſycophantæ; carent etiam apud nos omnes colubri, ſolâ viperâ exceptâ; aſt apud Americanos, Africanos ſunt amphibia venenatiſſima, ut crotali omnes; cherſea & aſpis in Gallia Septentrionali & Suecia obſervantur; vipera autem noſtra eſt coluber berus Linnæi, quo nomine à vipera Ægyptiaca diſcrepat.

Tarantiſmus 1ᵘˢ,	Hæmaturia à cantharidibus,
Hydrophobia 1ª,	Priapiſmus 1ᵘˢ,
Peripneumonia 10ª,	Cyſtitis 1ª,
Phrenitis 8ª, 14ª,	Arthritis 14ª,
Cholera 5ª,	Eryſipelas 10ᵘᵐ,
Vomitus 5ᵘˢ,	Syncope 10ª,

Aſthma 4um,
Cardialgia 10^{a},
Melaſicterus 2us,
Phœnigmus 4us,
Aurigo 4^{a},
Gangræna 4^{a},
Pneumatoſis 1^{a},
Stomacace 3^{a},
Pruritus 2us.

Curatio morborum à veneno oriundorum, alia eſt *rationalis*, alia eſt *empirica*; rationalis ſola valet, ubi nulla ſunt cognita antidota; empirica in ſubſidium accedit, cùm ea cognita ſunt. Sumptis quibuſvis venenis, vel natura ea per vomitionem aut ſeceſſum foras amandare conatur; vel obruta, & ſomno vel delirio detenta quieſcit: cum natura ejus eliminationem molitur quantociùs ea juvanda eſt, vel per emetica vulgaria, ut tartarum, vinum ſtibiatum, ſi nulla ſit ventriculi aut inteſtinorum inflammatio, quæ inde exacerbaretur; ſecus verò vel emeticum lene; ut ſemen raphani, vel aquam tepidam, oleum, affatim bibere ſufficit: idem dictùm eſto de catharticis. Evacuato pro viribus veneno reſiduum promptiſſimè eſt corrigendum, idque diverſis auxiliis pro veneni diverſitate; ſcilicet oleoſis, pinguibus, lacticiniis, ſi venenum ſit acre, corroſivum, cathartico-emeticum; acidis verò, ut aceto, oxycrato, aliiſque ſpecificis, ſi ſit narcoticum; uſu camphoræ ſi cantharides aſſumptæ, radicis ſeneka ſi morſus cherſeæ aut viperæ medendus, & ſic de aliis. Si venenum jam è primis viis in maſſam ſanguineam irrepſerit, cardiaca ad vires refocillandas, ſudorifica, alexipharmaca ad ſudorem promovendum, narcotica in eundem finem & ad dolores ac ſpaſmos compeſcendos, intermixtis ſemper, ſi adſint, ſpecificis.

Si verò venenum vulneri, puncturæ infuſum fuerit, illud ſucta, ſi tuto adhiberi poſſit, ſecus cucurbitulis ſcarificatis, foras illico eſt educendum; ſecus igne, cauſticis, ſpecificis extus applicatis corrigendum; dein quod in maſſam ſanguineam manavit debitâ methodo corrigendum & eliminandum; ut in hydrophobia per litus mercuriales, moſchum, alkalinum volatile; in morſu viperæ per alkalinum volatile ad ſudorem movendum, ſuccum plantarum cruciformium; in tarantiſmo per choream quæ ſudorem excitet; in morſu crotali, cherſææ per radicem ſeneka, in morſu colubri, raiæ per ophiorizam.

Pro curatione cujuſque ſpeciei conſulenda eſt noſologia in quolibet morbo ſuperius citato; ſic ad curâm rachialgiæ methodicam quære rachialgiam Saturninam, & ibi datur duplex methodus, draſtica ſcilicet & lenitiva, quæ ad omnes morbos metallicos à plumbo feliciter adhibetur. Ad curationem morborum quos viperæ morſus excitat, lege quæ ſcripta ſunt de punctura viperæ, de anxietate, aurigine, gangræna, ſyncope ab hoc veneno oriundis; curam hydrophobiæ videſis in claſſe veſaniarum de hydrophobia, nec enim ea hìc repetere permittit brevitas cui conſulere animus eſt; qui plura voluerit legat *diſſertationem noſtram de hydrophobia præmio Academiæ Toloſanæ decoratam; Diſſertationem de venenatis Galliæ animalibus in Academia Rhotomagenſi ſimili honore remuneratam*, & quod

præſtat

præſtat eximia *Mead*, *Brogiani de Venenis opera*, *Boerhaave Therapeuticen*, *Frider. Hoffmanni Pathologiam* de Venenis &c.

CLASSIS SECUNDA.

Morbi virulenti;

Maladies virulentes.

V*Irus* eſt humor venenatus in homine ipſo genitus, qui ſimili labe valet alios coinquinare per contactum. Morbi virulenti ſunt itaque contagioſi; ſed quoniam eorum virulentia non inficit aërem, illi Epidemici non eradunt, ut qui per miaſmata communicantur, ut ut pandemii fiant: ſic in obſidione Neapolitana ſyphilis, in navibus ſcorbutus pandemicè diffunduntur ab ægris in ſanos.

Princeps virulentorum morborum eſt ſyphilis, quæ concubitu propagatur; ſcabies, lepra, elephantiaſis, herpes ſimili modo ſe in ſanos immediato contactu diffundunt. Farcimen, ſcrophula, rachitis, phthiſis, arthritis &c, quidem contagio ab uno ad alium hominem non tranſeunt; verùm non ſolùm in eodem ægro à parte ad partem, ſed etiam à parentibus ad prolem tranſeunt, & hereditarii ſunt; imò ſcrophula & rachitis ex viru ſyphilitico de genere profluere quandoque cenſentur. Quoad virus ſcorbuticum, licet illud minime contagione propagetur, non minus more ſyphilitici & ſcabioſi diverſa genera morborum à ſcorbuto diverſorum excitat, ita ut, niſi Medicus priùs noverit hos morbos ab illo viru latente foveri, is illis mederi minimè queat: ſunt tamen plurimi qui ſcorbutum contagioſum eſſe putant, & eâdem cautelâ in noſocomiis ſeorſim ab aliis ægris reponuntur ſcorbutici, ac ſyphilitici, & ſcabioſi.

Virus ſyphiliticum, prout recens eſt aut inveteratum, diverſis corporis humani partibus fluidis ſolidiſve adhæret, & ſic diverſos morbos inducit; recens quidem, coitu ſuſceptum, ſeminalibus humoribus affine eſt, & ſyphilidem excitat, id eſt, ulcuſcula, rhagades, criſtas, verrucas, porros, ficus, thymos, gonorrhœam, bubones, phimoſes producit, quorum ſymptomatum concurſus vera eſt ſyphilis; inveteratum verò jam exulcerationes oris, veli palatini, amygdalarum, narium, polypos, caries vomeris, paraphoniam, oſtocopum, rheumatiſmum, puſtulas cutaneas, cruſtas leproſas, lepram, elephantiaſim, cophoſim, cephaleam, dyſenteriam, tertianam, quartanam, ophthalmiam, aliaſque diverſorum generum ſpecies excitat, quarum ignotâ origine curatio impoſſibilis eſt. Materia mòrbifica virulentorum, exanthematicorum, febricoſorum, miaſmaticorum, producit morbos

duplicis ordinis, ſcilicet *regulares* ſeu conſpicuos, ut virus varioloſum excitat puſtulas varioloſas; arthriticum dolores articulorum; ſyphilis vitia genitalium, &c: vel *deliteſcentes* anomalos, ut cùm virus arthriticum caput pectuſve afficit, ſcabies interiora occupat. Morbos tum regulares tum deliteſcentes ſimul enumerabimus.

A viru ſyphilitico producuntur.

Morbi ſyphilitici	Syphilis,	Aſthenia,
	Tertiana,	Coryza,
	Quartana,	Ptyaliſmus,
	Aphtha,	Gonorrhœa,
	Triſmus,	Amauroſis,
	Tetanus,	Anoſmia,
	Priapiſmus,	Hemiplexia,
	Aſthma,	Oſtocopus,
	Angina,	Cephalæa,
	Caligo,	Ophthalmia,
	Pleurodyne,	Dyſuria,
	Arthritis,	Dyſenteria,
	Iſchias,	Tabes,
	Dyſecœa,	Elephantiaſis,
	Cophoſis,	Tinea,
	Paraplexia,	Elcoſis.

A viru ſcabioſo inopportunè repulſo, aut ſine prævia ſanguinis depuratione, ſuperveniunt plurimi morbi, qui, principio ſolo excepto, habent cum ſcabie affinitatem; qui ideò Medicos diu ancipites tenent, ægroſque diſcruciant, uſquequò puſtulæ excitatæ fuerint; & deinceps ſanguine ſufficienter edulcorato ſcabies tutò ſanatur.

Quod de ſcabie dico, de lepra hodie rariſſima & olim de elephantiaſi dictum eſto, quod etiam de ipſo herpete valet.

Morbi ſcabioſi	Scabies,	Pica,
	Lepra,	Aſthma,
	Elephantiaſis,	Tuſſis,
	Herpes,	Amauroſis,
	Hectica,	Hemiplegia,
	Tertiana,	Apoplexia,
	Quartana,	Pruritus,
	Gaſtritis,	Hæmaturia,
	Cynanche,	Angina,
	Peripneumonia,	Pleurodyne,
	Ecclampſia,	Hydrothorax,
	Palpitatio,	Aſcites,
	Epilepſia,	Anaſarca,
	Convulſio,	Dyſuria,
	Arthritis,	Phthiſis,
	Mania,	Rachitis.

A

A viru ſcorbutico producitur ſcorbutus, qui maculas luteas, punctatas, vibices violaceos, nigricantes, in artubus potiſſimùm infimis, & ſtomacacem conjunctam habet; ſed præterea ab ipſo viru latente, & quandoque ſine prævіis ſcorbuti ſymptomatis, ſuperveniunt morbi, apud nautas & Septentrionales familiariſſimi, ſcilicet,

Morbi ſcorbutici	Orthopnœa,	Aſcites,
	Dyſpnœa,	Melaſicterus,
	Pleurodyne,	Rachitis,
	Oſtocopus,	Paralyſis,
	Arthritis,	Syncope,
	Rheumatiſmus,	Aſthenia,
	Rachialgia,	Stomacace,
	Odontalgia,	Hæmoptyſis,
	Lumbago,	Hæmaturia,
	Atrophia,	Lienteria,
	Hepatirrhœa,	Ptyaliſmus,
	Dyſenteria,	Elcoſis.
	Hæmatemeſis,	

Curatio virulentorum morborum, ut & venenatorum, partim rationali, partim empiricâ methodo abſolvenda eſt; quippe pluribus virulentis debellandis dantur antidota, ut hydrargyrum in ſyphilide; hydrargyrum, ſulphur & ſaturni liquor in ſcabie & aliis affinibus morbis; acidi fructus, & præſertim limones, in ſcorbuto. Cùm autem omnis virulentia conſiſtat in quadam acrimonia humorum, potiſſimùm cutaneorum & lymphæ, operæ pretium eſt medicamentis rationalibus hanc acrimoniam evacuare & corrigere, antequam ad ſpecifica deveniamus.

Acrimoniam corrigunt diluentia, quæ ſalibus enervandis ſunt aptiſſima, ut decocta, juſcula, apozemata ex foliis lactucæ, endiviæ, portulacæ, betæ; aquæ acidulæ Vallenſes, Aleſienſes, Lodovenſes; balnea & ſemicupia: his adjungenda vel ſuccenturianda evacuantia, potiſſimùm diuretica, ut juſcula aperientia ex radicibus fragariæ, graminis canini; foliis cichorii, ſiſymbrii, ſii berulæ, chærophylli, petroſelini; ſale nitro, Glauberiano, polychreſto; aſellis: in eumdem finem paratur ſerum lactis harum plantarum & aſellorum ſucco factum, quod per viginti dies ad libram unam mane bibitur; præmiſſis & in fine additis catharticis mediocribus ex ſenna, rheo, cum manna in decocto prunorum vel tamarindorum. His verò ſic peractis reſiduum eſt ut acrimonia ſuperſtes corrigatur & involvatur, quod uſus diuturnus lactis aſinini, caprilli, vel vaccini præſtat. Si verò morbus recens ſit, nec æger infirmus aut ſenex, ab initio mittendus eſt ſanguis, ut reſiduum faciliùs reſolvatur; & liberior aditus medicamentis pateat, atque excretiones cutaneæ, renales, expeditiùs fiant.

Curatio verò cujuſque morbi, præter hæc remedia generalia, exigit medicamina ſpecifica; ſic in curanda ſyphilide, præmiſſis repetitis bal-

neis, ad litum mercurialem devenire opus eſt; unguentum verò paratur ex ſex unciis axungiæ & tribus hydrargyri, prius in pauxillo terebinthinæ extincti, aſſiduo tritu intimè commixtis; vel adhibetur, potiſſimùm in antiquis morbis ſyphiliticis qui hydrargyroſim eluſêre, ſpiritus antivenereus Ill. van Swieten, cujus quodvis cochlear quintam vel quartam partem grani ſublimati corroſivi ſoluti contineat, ſuperbibendo magnam lactis vel decocti lenientis copiam; vel demùm adhiberi poſſunt trageæ *Keiſerianæ* ſub cautelis in ipſo libello enarratis: ſed de his vide quæ de ſyphilide ſcripſimus.

Curam herpetis & ſcabiei quod attinet, præter repetita juſcula, aqúas acidulas per novem dies epotas, balnea domeſtica, ſerum lactis, interpoſitis catharticis, deveniendum eſt ad litum ex unguento ſulphuris; ſi verò fœtorem hujus æger exhorreſcat, methodus à *Cl. Goulard* propoſita poteſt adhiberi; ſecus ad hydrargyroſim deveniendum, quod non ſine cautelis & tempeſtate opportunâ tentandum eſt; verùm tamen ſæpius auxilia generalia ad herpetem & ſcabiem benignam ſufficiunt. Verùm ſi morbi foveantur à viru herpetico, ſcabioſove repulſo, nec cedant remediis generalibus, tunc ſcabies ipſa revocanda eſt; quod facilè fit indutâ ſcabioſi tunicâ, eaque noctu interdiuque geſtatâ, uſque quò ſcabioſæ puſtulæ effloruerint, quæ dein ſcabies vel ſponte vel generalibus remediis præmiſſis ſanatur.

Inoculatio ſcabiei eſt novum auxilium ad morbos chronicos, alia methodo inſanabiles, ſuperandos, licet à viru ſcabioſo minimè pendeant; de quibus legi meretur hiſtoria anæſtheſiæ à *Celeberr. Mutzello* ſanatæ.

De curatione lepræ, elephantiaſeos & ſcorbuti *vide hos morbos in Noſologia*, & curationes *Ill. Profeſſoris Monſpelienſis Jacobi Lazerme*, nec non quæ de uſu cicutæ, hyoſcyami in his morbis eradicandis nuperi Authores tradunt.

CLASSIS TERTIA,

MORBI EXANTHEMATICI;

Maladies éruptives.

SUnt illi qui foventur à materia morbifica exanthematum febrilium, ut variolæ, rubeolæ, miliaris, purpuræ, eryſipelatis, ſcarlatinæ, &c, in maſſa ſanguinis retenta, vel introrſum repulſa, difficiliuſve erumpente.

Horum morborum plurimi ſunt contagioſi, vel per inoculationem communicari queunt, ut virulenti; ſic juxta *Illuſtr. Deidier* experimenta, ſi bilis peſtiferi injiciatur in venas animalis, illud animal peſte corripitur; de

de inoculatione variolæ res eſt notiſſima ; de rubeolæ & miliaris contagio non ita certum videtur in omnibus, nec inſtituta eſt eorum inoculatio. Tanta eſt exanthematum & impetiginum affinitas, ut vix differant niſi ratione pyrexiæ exanthemata ſæpius comitantis. In eodem genere exanthematici morbi dantur ſpecies apyretæ, aliæ typhodes malignæ perinicioſæ, aliæ pyrexia acuta vivida ſtipatæ, quod in peſte Maſſilienſi viderunt Medici Monſpelienſes, & in variolo ac pemphigo vulgò obſervatur. Sunt alia exanthemata quæ calido regimini tribuenda ſunt, eaque valde anomala, ut miliaris quædam ſpecies ; alia verò regularia, quorum ſeminium eſt à calido regimine independens, ut variola, peſtis; à peſte, variola & rubeola qui ſemel evaſit, vix unquam huic morbo ſubjacet; ſoluto tributo immunis eſt in poſterum, quod de cæteris exanthematis nemo dixerit.

Eruptio varioloſa, rubeoloſa, herpetica, miliaris & phlyctænodes ſeu pemphigoſa non rarò in aliis morbis epidemicis inconſtanter efflorefcunt & commiſcentur, ita ut in peſte, præter bubones & anthraces, qui ſunt ejus generis criterium, interveniant puſtulæ horum diverſorum generum ; in variola maligna intermiſceantur maculæ petechiales, herpeticæ, miliares, eryſipelaceæ, ſed puſtulæ varioloſæ ſemper primas tenent ; & ſic de aliis morbis epidemicis, etiam per ſe non exanthematicis, ſeu in quibus ſymptomatica ſunt exanthemata ; ſic in typho caſtrenſi, in ſynocho miliari vulgo *ſuette*, in amphimerina Hungarica, durante morbi ſtatu inconſtanter apparent puſtulæ miliares, petechiales, pemphingodes, & ob hanc inconſtantiam hi morbi inter veros exanthematicos non numerantur.

Quod de exanthematis ſymptomaticis dico, de aliis phlegmaſiis intelligatur : quippe in peſte, variola, rubeola, prout materies morbifica, vel copioſior vel difficulter in cute erumpens, ad hoc vel illud viſcus irruit, ſuperveniunt phrenitides, peripneumoniæ, pleuritides, gaſtritides fugaces, ſymptomaticæ dictæ, quæ etiam in febribus, ut ſynocho, typho, ephemera, ſynocha, tritæophya, potiſſimum in ſtatu & paroxyſmis, quandoque apparent.

Symptomaticos hos morbos cum Medicis omnibus appello, quia per ſe non conſtituunt morbum primarium, ſed ſunt ejus partes adventitiæ, ſeu ſymptomata accidentalia ; nequaquam verò rectè quis dixerit hæc ſymptomata eſſe primarii morbi effectus ; nam morbus primarius ſeu ſymptomatum congeries non eſt cauſa ipſorum : ſic ex eo quod in procella ventus, grando, fulgur concurrant, nemo Phyſicus dixerit quod unum ſit cauſa alterius, aut quod procella ſeu venti & grandinis concurſus ſit cauſa fulguris.

Materia morbifica exanthematum eſt quidem ſpecies virus quod tenuiſſimis moleculis, acribus, cauſticis, partes inflammat, erodit, pungit, exulcerat, putrefacit; ſed indolem cuique propriam nemo niſi ab effectibus cognoſcit : in miliari alba, lactea, illud virus eſt acidum ; in purpura ſeu petechiis eſt putridum ; ſed quot ſunt acida in rerum univerſitate, tot

ſunt

ſunt proprietates diſtinctæ; nec acidum vitrioli idem eſt ac acidum acetoſæ: acido limonum vomitum acidum etiam curamus; obſcura eſt itaque hactenus horum venenorum cognitio: hoc tantùm ſcimus quod in exanthematicis natura pyrexiæ interventu materiem morbificam ad cutem protrudere conatur, & quod Medicus, naturæ miniſter, eundem ſibi ſcopum proponere debet, non ſecus ac in virulentis impetiginoſis; aſt in iſtis non ideo ſanatur æger quod herpes, ſcabies, ſcorbutus in cute reſideant; è contra in exanthematicis factâ bene & completâ eruptione, æger ſolius naturæ ope dein ſanatur.

Numeroſiſſima ſunt ſymptomata quæ à cujuſlibet exanthematis difficili aut ſuppreſſa eruptione ſoboleſcunt in ipſo morbi decurſu; ſed ea inter morbos exanthematicos non reponimus, quia fugacia ſunt, & cum aliis ejuſdem generis ſymptomatis, eodemque tempore apparent: ſic in variolæ confluentis decurſu cephalalgia, vomitus, ſomnolentia, quæ tribus primis diebus ſolent accidere ſuccedente eruptione pyrexiâ acutâ, aſtheniâ, unum tantùm morbum, variolam dictum, conſtituunt: ſed ſi ſubſequente tempeſtate accedat Epidemicus morbus, in quo ſit pyrexia acuta, cephalalgia, vomitus, ſomnolentia, qui ſine ulla eruptione per ptyaliſmum ſolvatur, ut variola ab illo non differat, niſi per eruptionem cutaneam, *Sydenham* ipſe hunc morbum ſynochum variolodem, ſeu à viru varioloſo latente excitatum, nuncupat, & propria methodo curandum eſſe monet. Eſt itaque iſte morbus diſtincta ſpecies ſynochi ab aliis, quoad ſymptomatum ſeriem & therapeiam diverſiſſima: hic morbus non eſt exanthematicus, ſed enanthematicus, ſeu intus efflorеſcens.

Quoties etiam in decurſu Epidemiæ, v. g. peſtilentiæ, obſervatur morbus qui eodem modo incipit & creſcit ac peſtis, ſed ob impeditam eruptionem bubonibus non ſtipatur, ſi hoc frequens & conſtans ſit, inde exſurgit hujus morbi vel ſpecies vel varietas notatu digniſſima, ut pote quæ abſolutè & citò lethalis, quæ *peſtis abortiva* vocatur, quæque ſpecies hujus morbi *claſſis* non aptè à Clariſſ. Viris nominatur.

Morbi pyrectici ab exanthematis difficulter erumpentibus oriundi, ſunt

Synochus variolodes,	Peſtis interna,
Synochus miliaris,	Pleuritis miliaris,
Tertiana petechialis,	Gaſtritis exanthematica,
Tertiana miliaris,	Gaſtritis eryſipelatoſa,
Phrenitis miliaris,	Cynanche exanthematica,
Phrenitis morbilloſa,	Peripneumonia exanthematica,
Phrenitis varioloſa,	Aphtha omnis.

Morbi evacuatorii ex eodem principio dependentes,

Hæmaturia exanthematica,	Dyſenteria miliaris,
Hæmaturia varioloſa,	Diarrhœa varioloſa,
Hæmoptyſis varioloſa,	Diarrhœa miliaris,
Dyſuria herpetica,	Coryza varioloſa.

Materies acris exanthematum morbos dolorificos excitat, quales ſunt

Rheu-

Rheumatiſmus miliaris,
Stupor miliaris,
Pruritus exanthematicus,
Catarrhus rubeoloſus,
Ophthalmia phlyctænodes,
Ophthalmia puſtuloſa,
Lumbago miliaris,
Arthritis exanthematica.

Si ea materies in pectus vel pulmones influat,

Aſthma exanthematicum,
Orthopnœa varioloſa,
Catarrhus rubeoloſus,
Angina exanthematica,
Hydrothorax à rubeola.

Si demum caput aut diverſa organa affecerit,

Amauroſis exanthematica,
Hemiplegia exanthematica,
Hemiplegia purpurea,
Carus varioloſus,
Cataphora exanthematica,
Mania à metaſtaſi.

Morbi verò exanthematici regulares ſunt,

Variola diſcreta,
Variola confluens,
Pemphigus major,
Rubeola vulgaris,
Rubeola variolodes,
Scarlatina febris,
Scarlatina urticata,
Miliaris benigna,
Miliaris lactea,
Purpura benigna,
Eryſipelas roſa,
Eſſera vulgaris.

Illud diſcrimen eſt inter morbos exanthematicos puros & miaſmaticos, quod miaſmatici ſeminium ſuum ab aëre mutuantur; exanthematici in ipſo corpore habeant: ſic variola benigna, ut ut epidemicè graſſetur, ſuum ſeminium, velut innatum, habet in corpore humano, quod datâ tempeſtate evolvitur; ſed variola maligna, præter ſeminium varioloſum, habet etiam ſeminium ab aëre mutuatum, pernicioſum, quod pyrexiam typhodem cum variola conjunctam inducit; illud verò ex eo probatur, quod ſi pus ex variola etiam maligna inſeratur infanti ſano, illud variolam benignam, non verò malignam, inferat; à ſeminiis itaque variolæ & typhi combinatis ſuum periculum habet variola maligna; quod de aliis exanthematis, nequidem peſte excepta, intelligendum eſt: dari enim peſtem benignam, ſeu quæ ſine febre notabili, ſine virium proſtratione bubones ſuos tantùm extrudit, docet Claſſis quinta Peſtis *D. Chicoyneau* & *Verny* Maſſiliæ obſervata: & ſi peſtis inoculatio fieret, veroſimile eſt in ſubjecto præparato, ut in variolis moris eſt, eam ſpeciem innocuam erupturam fore.

De Cura exanthematum vide Claſſem 3am in Ordine 3°.

Cura verò exanthematicorum ad eum ſcopum vergere debet, ut foras ad cutem deferatur materia morbifica; quod, præmiſſâ unâ phlebotomiâ, & ut plurimum primis viis ano & cato expurgatis, natura ſola præſtat; interea adjuvetur in peſte cataplaſmatis ad inguina applicatis; in variolis fomentis è vaporibus tepidis cuti admotis, & juxta quoſdam balneis tepidis; in aliis verò morbis graviſſimis, ut pemphigo Helvetico, admotis occipiti veſicatoriis, quorum uſum etiam in miliari & variola adhibent Angli. Horum veſicatoriorum uſus eſt neceſſarius quoties materies

exanthematis repreſſa vel retenta caput aut pulmones afficit, præſertim cùm vires vitales languent, pulſus depreſſus eſt, calor imminutus; quippe horum uſu ut plurimum pulſus reſurgit, plenior & pacatior evadit, ut pluries in pleuritide expertus eſt *Clar. Raymond* Anglorum exemplo incitatus.

CLASSIS QUARTA.

Morbi metastatici;

Maladies métaſtatiques.

METaſtaſis eſt tranſlatio materiæ morbificæ à parte in partem, in qua alterius generis morbus producitur: ſic ex fontanella reſiccata, ex materie arthritica repulſa, ex ichore cancroſo retento, ſi alibi ſuperveniat, ophthalmia, hemiplegia, phthiſis, &c: morbi illi à prioribus diverſi per metaſtaſim facti ſeu metaſtatici dicuntur; quod de ſcabie repreſſâ & iterum reſumpta dici non poteſt.

Virulenti plurimi quidem metaſtaſes faciunt, ſed per metaſtaticos intelligimus eos qui virulentiæ expertes ſunt, licet à materia morbifica, ejuſdem fere indolis ac virulenti, producantur, & qui reapſe contagioſi non ſunt; ſic arthritis, ſcrophula, trichoma, rachitis, gangræna, carcinoma, elcoſes, imò hæmorrhois, exulceratio veſicatoria, ulcus fontanellæ, repreſſa morbos metaſtaticos inducunt.

Reſumptio materiæ morbificæ fit per venas, tum ſanguineas, tum lymphaticas, quæ inſtar tubulorum capillarium ſuccos attrahere & vi circulationis in maſſam ſanguineam reducere valent; inde verò materies illa, per arterias quoquoverſum delata, ibi ſecernitur ubi cum vaſis ſecretoriis eorum exigit affinitas, eadem lege ac bilis in hepate, & urina in renibus, non verò reciprocè deponuntur.

Dantur morbi metaſtatici ſalubres, ut pyuria pus è thorace in vias urinarias deducens; hæmorrhoïs in ſplenalgiâ & hypochondriaſi; diabetes in anaſarca; dantur & nocui, ut cephalæa arthritica, phthiſis à plica; periculum etenim eſt ſi materies morbifica è colatoria foras mittenda intus retineatur; magis adhuc ſi in partes nobiliores mittatur: è contra bonum eſt eam ad cutem, extremas partes, aut ad colatoria amandari ut foras excernatur. Quò materies retenta magis eſt acris & deleteria eò metaſtaſis pejor eſt; ſic ab urinâ retentâ & in cerebrum tranſlata convulſiones fiunt; à pure ulcerum retento & in pulmonibus depoſito phthiſis.

Curatio exigit ut materies morbifica ad colatoria conſueta aut loca commoda

moda iterum amandetur, ſaltem ad cutem aut artus extremos; nec non ut ſimul corrigatur ejus acrimonia; verùm ut illa revocetur materies morbiſica ad excretoria, ſæpius eſt naturæ quàm artis opus; intereà primò materia illa tenax viſcida reſolvenda eſt potu calido, movenda auxiliis circulationem accelerantibus, ſudoriſicis, cardiacis; ſecundò minuenda reſiſtentia in partibus ad quas amandari debet, fotu, balneo, cataplaſmate, frictione, calore, ſtimulantibus, veſicatoriis, &c.

Sic ad revocandam podagram, pedes in aqua fervidiſſima retinentur; ſinapiſmi ipſis applicantur, udones ex tela cerata geſtantur, frictiones ſiccæ adhibentur, intereadum potu diaphoretico intra lectum calidum fluida diluuntur & commoventur.

Ad revocandam ſcabiem, cutis ſorditie omni detergitur, balneo emollitur, pannis ſiccis fricatur, dein decocto ex foliis nicotianæ, hederæ arboreæ, lauri, fovetur, vel quod tutius eſt tunica ſcabioſi cruſtis infecta noctu geſtatur.

Si humiditas aurium revocanda, aures calidè foventur, fricantur, ſinapiſmo irritantur; aut demum emplaſtrum veſicatorium pone eas applicatur; fluxus verò inde exſurgens folio betæ, hederæ butyro illito ſervatur: ulcera maturiùs reſiccata unguento digeſtivo teguntur, cruſtæ cataplaſmatis emollientibus foventur.

Si non ſint emunctoria artificialia ad vicina nativa materies eſt revocanda; quod præſtant diuretica, ſudoriſica, cathartica; ſi fluxus mariſcarum ſuppreſſus ſit, is frictione, fotu, vapore calido, aut affrictis foliis ficûs, vel demum admotis hirudinibus revocatur aut ſuppletur.

Scrophula, trichoma, arthritis, carcinoma, gangræna, viru ſuo vagante inducunt morbos metaſtaticos ſequentes:

Morbi metaſtatici	Paralyſis ſcrophuloſa.	Oſtocopus clavus.
	Hectica ſcrophuloſa.	Necroſis cancroſa.
	Phrenitis à plica.	Arthritis rachitica.
	Dyſenteria Polonica.	Paralyſis rachialgica.
	Dæmonomania Polonica.	Chloroſis rachialgica.
	Cephalæa Polonica.	Scrophula farcimen.
	Ophthalmia cancroſa.	Dyſuria rachialgica.
	Hemiplegia ſcrophuloſa.	Elcoſis cancroſa.
	Ophthalmia ſcrophuloſa.	Peripneumonia rachialgica.
	Pleuritis Polonica.	Aurigo rachialgica.
	Paralyſis Polonica.	Eclampſia rachialgica.
	Rachitis Polonica.	Contractura rachialgica.
	Phthiſis à plica.	Rheumatiſmus rachialgicus.

Morbi arthritici	Quartana arthritica.	Aſthma arthriticum.
	Peripneumonia arthritica.	Hemiplegia arthritica.
	Tuſſis arthritica.	Pruritus arthriticus.

Morbi arthritici.

Agrypnia arthritica.	Paralyſis arthritica.
Diarrhœa arthritica.	Syncope arthritica.
Diabetes arthriticus.	Iſchias arthriticum.
Rachialgia arthritica.	Cholera arthritica.
Palpitatio arthritica.	Ptyaliſmus arthriticus.
Odontalgia arthritica.	Phthiſis arthriticus,
Tremor Aſturienſis.	Aſcites arthriticus.
Cynanche arthritica.	Cephalæa arthritica.
Triſmus arthriticus.	Pyuria arthritica.
Anorexia arthritica.	

Morbi rheumatiſmales ab arthritide rheumatica.

Hemicrania.	Ophthalmia.
Odontalgia.	Otalgia purulenta.
Angina.	Carus.
Pleurodyne.	Peripneumonia.

CLASSIS QUINTA.

Morbi febricosi, febriles;

Maladies intermittentes.

ILli ſunt qui à materia morbifica febris, vel remittentis vel intermittentis, excitantur, ſive ſint cum ipſa febre, ſive citra ipſam. Cognoſcuntur ex eo quod 1° periodici ſint cum intervallis vel lucidis vel ſaltem ſenſibiliter pacatis; 2° quod more acceſſuum febrilium quodam horrore, frigore, oſcitatione, non raro & ſine cauſa evidenti, veluti ſubitò aggrediantur; 3° quod pariter ſine cauſa evidenti poſt aliquot horas remittant aut intermittant; 4° quod urinæ ſint ut plurimum lateritiæ, rubræ; 5° quod æger quandoque febri intermittenti vel remittenti fuerit obnoxius, vel actu ſit detentus.

Primus qui hos morbos utcumque familiares prætervidit fuit *Mercatus*; hos acriùs examinavit *Mortonus*, deinceps verò accuratè deſcripſit *Torti*, quos ſequuti ſunt *Werlhof*, illuſtris S... : aſt Scholaſtici etiam nuperi eas ſub malignorum & anomalorum morborum vana denominatione confuderunt, aut ut rectiùs loquar non cognoverunt.

Febribus certè adſcribi non debent omnes morbi; quippe nulla quandoque ſunt febris ſigna pathognomonica, nec calor, nec horror præcedens, nec pulſûs frequentia, ſed facies alterius morbi, ut ſyncope, vomitus, cholera, carus, orthopnœa, apoplexia, pleuritis, unde per tot ſæcula Medicorum ſagacitas maximo ægrorum detrimento deluſa fuit.

Illi morbi periculoſiſſimi ſunt, quoties ignoti; aſt ſi mature cognoſcantur

tur multo faciliùs quàm quis crederet debellantur ; unicum autem eſt ſed præſtans antidotum , kinkina , quod non ad unam alteramve drachmam, ſed ad ſemi uncias , quandoque quater in die , præſcribi debet , ſi morbus urgeat & ſeriùs cognitus fuerit ; ex hac quidem uberrima kinkinæ aſſumptione urinæ turbidæ evadunt , imo quandoque iſchuria accedit , ſed fugax , & cùm æger à priori morbo in tuto collocatus eſt facilè ſuperanda : vide *Typhomaniam febricoſam tertianam.* Bolus febrifugus ex *kinkinæ recens pulverati drachm. iij* ; *florum chamæmeli Romani drachm. j ; cremoris tartari ſcrup. j ; cum ſyrupo de abſinthio vel de cichorio fiant tres boli.*

Datur etiam *ſemen paſtinacæ, ad drachm. j ; teſtæ ovorum calcinatæ pro puerulis amara recuſantibus , ad ſcrup. j ; ſemen Hiſpanicum nondum ſatis cognitum , ad ſcrup. j. ſemel in die per triduum.*

Flores matricariæ, chamomillæ ad drachm. ſem. tertia die ; radix pentaphylli, caryophyllatæ, anſerinæ, in apozematis ad unc. j ; caſcarillæ pulvis ad ſcrup. j, præſtans in intermittentibus.

Morbi febricoſi {

- Ephemera menſtrua.
- Ephemera anniverſaria.
- Amphimerina ſyncopalis.
- Amphimerina phricodes.
- Amphimerina pſeudo-hemitritæus.
- Tritæophya carotica.
- Tritæophya deceptiva.
- Tetartrophya carotica.
- Quotidiana ſimplex.
- Tertiana epileptica.
- Quartana amens.
- Quartana comatoſa.
- Erratica quintana.
- Erratica nonana.
- Rigor febricoſus.
- Eclampſia febricoſa.
- Hyſteria febricoſa.
- Ephialtes tertianaria.
- Pleurodyne febricoſa.
- Ephemera dichomene.
- Amphimerina epiala.
- Amphimerina humoroſa.
- Amphimerina hemitritæus.
- Amphimerina ſpaſmodica.
- Tritæophya leipyria.
- Tetartrophya maligna.
- Tetartrophya ſemitertiana.
- Tertiana carotica.
- Tertiana hemiplegica.
- Quartana nephralgica.
- Erratica vaga.
- Erratica ſeptena.
- Tetanus febricoſus.
- Rigor tertianarius.
- Epilepſia febricoſa.
- Scelotyrbe intermittens.
- Oſcedo febrilis.
- Aſthma febrilis.
- Orthopnœa febrilis.
- Amauroſis febrilis.
- Paraplexia intermittens.
- Typhomania febricoſa
- Apoplexia febrilis.
- Arthritis febriſequa.
- Cephalalgia intermittens.
- Hemicrania lunatica.
- Ophthalmia febricoſa.
- Gaſtrodynia.
- Nephralgia 13ª.
- Rachialgia 2ª.
- Amentia à quartana.
- Vomitus febricoſus.
- Diarrhœa febricoſa.

Morbi febricoſi	Aurigo febrilis	Ophthalmia febricoſa.
	Syncope febrilis.	Cardialgia 4a.
	Hemiplegia febricoſa.	Colica 6a.
	Catalepſis quartanaria.	Hyſteralgia 9a.
	Cataphora timor.	Paraphroſyne 6a.
	Arthritis febricoſa.	Hepatirrhœa intermittens.
	Rheumatiſmus febrilis.	Cholera intermittens.
	Cephalæa febricoſa.	Ephidroſis febrilis.

CLASSIS SEXTA.

Morbi miasmatici.

Maladies épidémiques, malignes.

SUnt illi qui ut plurimum acuta febre aut pyrexia ſtipati à regione in regionem graſſantur interventu miaſmatum qualitatis deleteriæ, gangrænoſæ, phlogiſticæ, qui ex cloacis, foricis, noſocomiis, carceribus, caſtris, ſepulchretis exhalant, ut morbi maligni, putridi, peſtilentes; vel ope miaſmatum ſingularis prorſus, vix cognitæ, indolis, ex quibus epidemiæ catarrhales, anginoſæ, pleuriticæ procedunt; nec non plures phlegmaſiæ exanthematicæ, ut variola, rubeola, miliaris & peſtis ipſamet.

Principium horum morborum eſt commune, adeoque ab aëre, aqua vel cibo repetendum videtur; ſed præterea illud à regione in regionem graſſatur; quod de aqua & cibo vix intelligi poteſt, niſi ab influxu vaporum, roris maligni, mephitidum, ipſe cibus & potus inficiatur; unde ſemper ad miaſmata per aërem diffuſa referendæ ſunt epidemiæ, aut ad vapores ex locis infectis exhalantes: huic verò morbifico principio addendus eſt mœror & timor, quo omnes ferè ejuſdem regionis incolæ afficiuntur, maximè verò in annonæ caritate pauperes, in urbium obſidionibus mulieres, n terræ motu, fulgure & tempeſtate fere omnes.

Occaſionem morbis epidemicis præbent 1° bella, 2° terræ motus, 3° exundationes, 4° annonæ caritas, 5° paludum exſiccationes, 6° conſtitutiones aëris; quæ omnes ærumnæ ſæpius ſimul concurrunt aut ſe mutuo conſequuntur.

Morbi caſtrenſes ſunt maximè ex malignorum & contagioſorum numero, & ex intima ſuccorum vitalium corruptela procedunt: hujus verò corruptionis variæ & multiplices ſunt cauſæ, ut fames quæ ad peſſima & corrupta edulia capeſcenda cogit, aſſiduæ vigiliæ, fatigatio continua, metus, terror eorum qui obſidione detinentur, horrenda crudelitatis ſpectacula præ oculis obſervantia; in caſtris ipſis, ſub tanta pecorum hominumque

numque multitudine, aër fœtidis varii generis exhalationibus inquinatur. Vapor è latrinis exſurgens, dum viget dyſenteria, ingreſſu in inteſtinum rectum morbum aliis impertit. Poſt prælia cadavera inſepulta terrore animum dejiciunt, fœtore viciniam morbis malignis inficiunt. Terræ motus, præter terrorem & infortunia belli ærumnis ſimilia, pernicioſos ex ſpecubus telluris halitus excitant; imò ubi magnæ foſſæ & terræ ſubverſiones fiunt, morbos epidemicos produci docet hiſtoria. Exundationes fluminum, urbes vicinas impetentium, omnes aquas potulentas luto inquinant, vicos & plateas eodem luto citò fœtido replent, quo nihil aptius ad putredinem inducendam, ad omnia ibi immerſa corrumpenda, ut Aleſienſes experti ſunt; adde quod vina, olea, pecora, annona, cibaria ſubmergantur, unde eorum corruptio vel penuria; inde ærumnæ, mœrores, morbi epidemici. Verùm nihil aptius ad hos inducendos putrefactione piſcium, inſectorum, plantarum in aquis paludoſis, cùm æſtu ſolis, vel de induſtria hæc loca paludoſa exſiccantur. Horrendus fœtor ante aliquot annos ex lacubus duas leucas à Monſpelio diſtantibus huc uſque & ultra extendebatur, & dein pleuritides peſtilentes oppida vicina invaſerunt.

Putredine nihil eſt infenſius, ad hanc vergunt omnes humores, potiſſimum excrementitii, & poſt eos ipſe ſanguis, multò minus lympha, omnium minimè pinguedo; ſed hæc à fermentis deleteriis, à miaſmatis putridis maximè exaltatur. In primis viis materies putrida ructus nidoroſos, nauſeas, cardialgias, vomitus, choleras excitat; natura quippe totis viribus eam materiem eliminare contendit: verùm cùm ſimilis materia infecit ipſum ſanguinem, quid opis ſupereſt naturæ ut ab hac ſe liberet, niſi ut, excitatâ febre, ejus materiei ſtagnationem impediat; ut, excitatis ſudoribus, diarrhœis, ejus excretionem in colo cutaneo inteſtinalive promoveat; hinc ſynochi, tritæophyæ, tertiana ſimiliaque mala, *putrida* dicta. Si verò pejor ſit indoles fermenti illius deleterii ita ut textum ſolidorum corrumpat & vapore mephitico fluidi nervei activitatem deſtruat, quod experimentis electricis conſonum eſt, tunc viſcera quandoque plura ſimul, ut pulmones, inteſtina, verâ gangrænâ afficiuntur; pulſus ſanorum ſimilis eſt aut multò debilior, inæqualis, intermittens; purpureæ maculæ, vibices efflorefcunt, delirio turbatur anima, mors oſtia pulſat, funera denſantur, cadaverum abdomen meteoriſmo tenditur, fœtor horrendus intra paucas horas ex illis ſpargitur, viſcera remollita, nigricantia, tumores atri, brunnei, virideſcentes, ſanioſi reperiuntur, & hi morbi *maligni* aut *typhodes* vocantur. Aliquid ſpei ſupereſt in his anguſtiis, ſi deleteria materies ejus ſit indolis ut in emunctoriis à corde diſſitis, ſi non excerni, ſaltem congeri poſſit, & procul à corde in parotides, glandulas inguinales, axillares aut cutaneas formâ anthracum, bubonum, puſtularum amandari; ſed cùm ipſa peſtis epidemicè viget, non id felicitatis omnibus peſtiferis accidit, ut venenum peſtilens ad illas glandulas amandetur; quippe dantur peſtes abortivæ in quibus bubones non erum-

punt

punt & omnes ægri intereunt, ut in variola ſuppreſſa cujus puſtulæ foras trudi non poſſunt, & materies deleteria viſcera nobiliora, ut cerebrum, pulmones, ſtomachum infarcit, inflammat, gangræna afficit, unde mors.

His anomaliis inducti ſunt quidam Medici ad credendum peſtem epidemicam non unum genus eſſe morbi, ſed plurimorum generum ſimul vigentium congeriem; ſed nedum res ita ſit, facilè attendenti patebit peſtem abortivam eſſe veram peſtem, ut variola abortiva vera eſt variola, in qua tantùm deficit eruptio, ſeu in qua æger ante eruptionem aufertur; & multò rectiùs, meo quidem judicio, opinantur illi qui peſte regnante omnia alia morborum acutorum genera ſilere contendunt, quod Aleſiæ anno 1721 Collegæ mei ſedulò obſervarunt.

Non me latet noſtram theoriam *Chiracio*, *Deiderio*, aliiſque ſectæ mechanicæ fautoribus exſibilatam fuiſſe: illi enim omnem acrimoniam, omne virus inter fabulas habent, & omnia malignorum morborum phænomena ex infarctu vaſorum cerebri mechanicè & hydraulicè intelligi poſſe contendunt; vide *Chiracii Librum de Febribus*, de quo ipſe ſcripſerit, *Exegi monumentum* . . . . . . illud tamen monumentum num vitabit Libitinam anceps eſt.

Curatio horumce morborum hactenus æquè difficilis eſt ac eorum theoria obſcura; errarunt Veteres in eo quod alexipharmacis ſudorificis, per vim, nullâ habitâ ſtaſis inflammatoriæ ratione, materiem morbificam eliminare voluerunt; aſt tamen errando viam Neotericis præmonſtrarunt: in hoc morbi illi periculoſiſſimi ſunt quod natura veluti perterrita nequidem adverſus materiam morbificam pugnare aggrediatur, ut ait *Galenus*. Medici itaque hoc munus eſt, ut ſtaſes inflammatorias quantocius unâ vel alterâ phlebotomiâ everrat, quantocius ſaburram putrem è primis viis ope emeticorum & catharticorum everrat; dein verò antiſepticis putredinem humorum corrigat; & ſi natura vergat ad glandulas inguinales, cutaneas, eò per appoſita auxilia materiem morbificam ducat, cardiacis & alexipharmacis vires ejus reficiendo. Alterum verò Medici munus eſt ut prophylacticis remediis imminentes has epidemias avertat, & animos ægrorum, quos terror ſæpius dejicit, exemplo ſuo erigat.

Alexipharmaca ſeu antiſeptica maximè laudata, ſunt camphora, nitrum, kinkina, acetum, ſucci fructuum acidorum, ut limonum; ſerpentaria Virginiana, contrayerva, theriaca; illa parcâ doſi, interpoſitis catharticis quæ etiam antiſeptica eximia eſſe expertus novi. De iis *vide Curationem Peſtis*, *Variolæ malignæ*, *Typhi*, *&c.*

Prophylaxis conſiſtit in remotione occaſionum; fugienda ſunt ſcilicet loca in quibus aër eſt fœtidus, putridus, cœnoſus; ſi vitari non poſſint aër eſt renovandus, refrigerandus, vapore aceti, aromatum accenſione, pulveris pyrii deflagratione corrigendus: ventilatore carceres, noſocomia, naves, granaria ſunt munienda: veſtimenta lanea, linea, ſæpius mutanda; aquæ puræ potendæ vel aceto corrigendæ; carnium eſus fru-

frugum uſu commutandus. *Boerhaave Therapeut.* 1145; Frider. Hoffmann. de Venenis in Patholog. c. 4. 9.

Morbi miaſmatici.

- Ephemera ſudatoria.
- Synochus dyſenteriodes.
- Synochus ardens.
- Synochus miliaris.
- Typhus nervoſus.
- Typhus caſtrenſis.
- Synochus variolodes.
- Synochus pleuritica.
- Synochus hyemalis.
- Typhus carcerum.
- Typhus comatoſus.
- Typhus Ægyptiaca.
- Typhus icterodes.
- Amphimerina humoroſa
- Amphimerina hemitritæus.
- Amphimerina miliaris.
- Amphimerina mimoſa.
- Amphimerina bilioſa.
- Tritæophya Americana.
- Tritæophya carotica.
- Tritæophya deceptiva.
- Tertiana petechialis.
- Tertiana duplex.
- Quartana legitima.
- Variola benigna.
- Variola confluens.
- Rubeola vulgaris.
- Miliaris benigna. Miliaris maligna.
- Miliaris nautica.
- Purpura maligna.
- Phrenitis ſynochalis.
- Pleuritis bilioſa.
- Pleuritis putrida.
- Cephalitis Ægyptiaca.
- Cynanche tonſillaris.
- Cynanche ulceroſa.
- Peripneumonia vera.
- Peripneumonia typhodes.
- Peripneumonia exanthematica.
- Tuſſis convulſiva.
- Amphimerina epiala.
- Amphimerina phricodes.
- Amphimerina Hungarica.
- Amphimerina anginoſa.
- Amphimerina paludoſa.
- Tritæophya cauſus.
- Tritæophya aſſodes.
- Tritæophya leipyria.
- Tertiana legitima.
- Tertiana carotica.
- Tertiana ſubcontinua.
- Peſtis vulgaris.
- Variola miliaris.
- Pemphigus caſtrenſis.
- Rubeola anomala.
- Miliaris ſudatoria.
- Purpura benigna.
- Phrenitis miliaris.
- Pleuritis vera.
- Pleuritis verminoſa.
- Pleuritis catarrhalis.
- Cephalitis verminoſa.
- Cynanche epidemica.
- Cynanche exanthematica.
- Peripneumonia putrida.
- Peripneumonia catarrhalis.
- Tuſſis ferina.
- Orthopnœa peripneumonica.
- Angina bronchus.
- Catarrhus epidemicus.
- Aſphyxia à carbonis fumo.
- Stomacace.
- Dyſenteria caſtrenſis.
- Syncope ab antipathia.
- Scorbutus ſeptentrionalis.
- Cardialgia ab antipathia.
- Aſphyxia à mephitide.
- Aſphyxia à muſto.
- Amauroſis foricariorum.
- Dyſenteria æquinoctialis.
- Diarrhœa bilioſa.

Sudorifica.

Aqua generalis, theriacalis, imperialis, Carmelitarum, Reginæ Hungariæ à drachm. j—iv.

Syrupus de cinnamomo, de floribus aurantiorum, de kinkina, à drachm. ij—unc. j.

Elixirium proprietatis, theriacale, vitrioli à gutt. v—xx.

Oleum eſſentiale cinnamomi ad gutt. j in mixtura.

Spiritus vini camphoratus, à gutt. iv—x.

Acetum quatuor furum, à drachm. j—iv; acetum theriacale ad drachm. vj.

Eſſentia cephalica, à gutt. vj—xx.

Acetum deſtillatum ad drach. iv quovis quadrante horæ in mixtura.

Tinctura coralliorum à gutt. vj—xx.

Flores benzoini, ſal volatile oleoſum, ſal volatile ſuccini, à gran. ij—xij.

Guttæ Anglicanæ, Monſpelienſes, Generalis La Mothe, ætheris vitriolici, tinctura ſalis tartari, tinctura antimonii, à gutt. iv—xx.

Lilium Paracelſi, à drachm. j—iv.

Tinctura ambræ griſeæ, à gutt. ij—viij.

Vinum de kinkina, ab unc. j—iv.

Theriaca Andromachi, Mithridatium, Confectio alkermes, Pulvis Comitiſſæ, Ambaræ griſeæ, pulvis aureus Zellii, à gran. xij—drachm. j.

Kermes mineralis, à gr. j—ij.

Pulvis diarrhodon, à gr. vj—xx.

Opiata Salomonis à ſcrup. j—drachm. j.

Trochiſci de Catechu cum cinnamomo, num. iij—iv.

Syrupus de ſtœchade, de tunicis à drachm. j—iv.

Syrupus de citreo, à drachm. j—unc. j.

Extractum juniperi, ad drachm. j.

Cortices citri conditi, ad drachm. iv.

Pulvis viperinus, à gr. xij—xxx.

Sal volatile viperarum, cornu cervi, à gr. vj—xx.

Bezoarticum Orientale, à gr. x—xx.

Flores ſalis ammoniaci, à gr. vj—xij.

Camphora, à gr. v—xv. Coccinella à gr. iij—xx. Crocus à gr. iij—viij.

Flores ſulphuris, à gr. x—drachm. j. Flores benzoini, à gran. iij—xxx.

Spiritus volatilis urinæ, ad gutt. vj. Aqua Luciæ ad gutt. x.

Suffitus ex aqua vitæ, baccis juniperi, Karabe.

Stuphæ domeſticæ, thermales, amurca uvarum, folia ulmi.

CLAS-

CLASSIS SEPTIMA.

Morbi phlogistici;

Maladies phlogiſtiques.

DIcti ſunt à Græco phlogizo, inflammo; ardor verò flammeus quo ſtipantur, vel à cauſa externa, ut inſolatione, igne; vel à cauſa interna, ſeu vehementi partium ignearum & acrium evolutione & affrictu dependet. Vide *Phlegmaſiarum theoriam.*

Qui coram fornacibus magnis laboribus ſe exagitant, vel Sole ſub ardenti morantur, illi maniæ, tritæophyæ ardenti, ophthalmiæ ſunt obnoxii; & ſi, vel frigidam bibant, vel aëri frigido ſe exponant incautè, inde in pleuritides, peripneumonias, rheumatiſmos alioſque morbos inflammatorios ſe conjiciunt; & apud Americanos plurimi inde tetano vel triſmo convelluntur.

Verùm maxima pars phlegmaſiarum à cauſis internis ortum habet, ut plethorâ, menoſtaſi, pathematis, infarctibus viſcerum; unde febrilis conatus vehemens ad infarctus reſolvendos, ad ſanguifluxum ciendum; & ex illo febrili conatu calor accenditur, infarctus inflammatorius concitatur; adde quod rarò, ſaltem apud nos, inflammationes illæ puræ ſint, ſed ſæpius ſaburrâ primarum viarum ſtipatæ, vel putridæ; puræ verò ſunt non rarò apud ruſticos, monticolas, duris laboribus exercitatos, diæta vegetabili utentes, aëris viciſſitudinibus magis expoſitos, & fibra fortiori ſanguineque calidiori donatos.

Cognoſcuntur ex calore vehementi, dolore, pulſu veloci, tenſo, frequenti, ſiti, ſiccitate, pervigilio; &, ſi pars externa obſeſſa ſit, adeſt tumor, rubor, tenſio, quandoque pulſatio. Morbi illi ut plurimum acuti ſunt; iis obnoxii ſunt robuſti, exercitati, ruſtici, operarii; adoleſcentes bilioſi, ſanguinei; rariùs ſenes, infantes, debiles, pituitoſi; huc referendæ ſunt phlegmaſiæ puræ membranoſæ, ut pleuritis, phrenitis, enteritis; & parenchymatoſæ, ut peripneumonia, nephritis, hepatitis; & febres ardentes, ut ſynochus ardens, tritæophya, cauſus; necnon rheumatiſmus inflammatorius, dyſenteria &c.

Curatio exigit ut impetus ſanguinis compeſcatur, quod largæ & repetitæ phlebotomiæ, diæta liquida, potus diluens, refrigerans, nitroſus, ſubacidus maximè præſtant; huc pertinent emulſiones, limonatæ vegetabiles ac minerales; & leniter expurgatis primis viis per eccoprotica, conveniunt balnea, ſemicupia; ſi verò natura aliquam criticam evacuationem moliatur per ſputa, enureſim, ſudorem, alvi fluxum bilioſum, catamenia, eò

ducendum eſt imminutis reſiſtentiis ex parte colatorii, & pyrexiâ in juſto tenore ſervatâ. Si verò inflammatio reſolvi nequeat, tunc partis inflammatæ ſuppuratio juvanda, puris ejectio, ulceris deterſio, cicatriciſque efformatio promovenda : *Boerhaave Aphor.* 370 & *Aphor.* 92. & 770 - 1006 : Vide etiam quæ de phlegmaſiis dicta ſunt in *Noſologia.*

Morbi phlogiſtici.

Ephemera à phlogoſi.
Ephemera ſudatoria.
Synocha tragœda.
Syhochus ardens.
Synochus dyſenteriodes.
Tritæophya Americana.
Tritæophya elodes.
Tritæophya leipyria.
Tertiana duplex.
Eryſipelas roſa.
Phrenitis calentura.
Paraphreneſis pleuritica.
Paraphreneſis hepatica.
Pleuritis dorſalis.
Pleuritis hepatica.
Enteritis meſenterica.
Gaſtritis ſternocoſtalis.
Cephalitis Ægyptiaca.
Cephalitis Epidemica.
Cynanche tonſillaris.
Cynanche pharyngea.
Cynanche hepatica.
Peripneumonia pura.
Peripneumonia phthiſicorum.
Hepatitis eryſipelatoſa.
Hepatitis pleuritica.
Convulſio febrilis.
Lethargus cephaliticus.
Ephemera ardens.
Synocha ardens.
Synocha cephalalgica.
Synochus pleuriticus.
Synochus bilioſus.
Tritæophya cauſus.
Tritæophya aſſodes.
Tertiana legitima.
Eryſipelas ambuſtio.
Phrenitis vera.
Phrenitis ſynochalis.
Paraphrenitis diaphragmatica.
Pleuritis vera.
Pleuritis mediaſtina.
Pleuritis bilioſa.
Gaſtritis legitima.
Cyſtitis ſpontanea.
Cephalitis ſpontanea.
Carditis ſpontanea.
Cynanche parotidea.
Cynanche trachealis.
Cynanche prunella.
Peripneumonia ardens.
Hepatitis muſcularis.
Hepatitis cyſtica.
Nephritis vera.
Aſthenia Virginica.
Carus ab inſolatione.
Laſſitudo à calore.
Ardor externus.
Ophthalmia chemoſis.
Rheumatiſmus acutus.
Pyroſis à phlogoſi.
Anxietas febrilis.
Paraphroſyne calentura.
Chloroſis Carthagenica.
Gangræna ab uſtione.
Ardor internus.
Ophthalmia humida.
Otalgia inflammatoria.
Rheumatiſmus calidus.
Cardialgia inflammatoria.
Paraphroſyne febrilis.
Dyſenteria æquinoctialis.
Chloroſis Bengalenſis.
Gangræna ab inflammatione.

CLASSIS OCTAVA.

Morbi sanguinei;

Maladies ſanguines.

SUnt illi qui determinantur à plethora, eaque foventur, ſive quia ab aſſumptis copioſis, eupeptis, bene digeſtis, aucta eſt ſanguinis copia, ſive quia à ſuppreſſis, imminutis ſolitis fluxibus, & potiſſimum ſanguifluxibus, ut catameniis, hæmorrhoidibus, ejus moles major facta eſt. Differunt à phlogiſticis in eo quod ſi plethora ſit commota & febre ſtipata, febris illa non eſt inflammatoria ſeu peculiari partis inflammatione ſtipata.

Plethora dicitur illa boni ſanguinis abundantia quæ ſanitati nocet.

Menoſtaſis eſt ſanguifluxuum periodicorum, aſſuetorum, ſuppreſſio, vel retardatio aut imminutio.

Maxima pars ſanguineorum morborum accidit apud mulieres à menoſtaſia, tum vacuarum tum gravidarum; inde fit ut maxima pars morborum qui gravidas divexant phlebotomia curetur.

Plethora dicitur particularis ſi quædam pars majori copia ſanguinis gaudeat quàm fert conſueta proportio.

Vaſa piæ meningis & cerebri poſt mortem reperiuntur fere ſemper turgida magis ſanguine quàm cæteræ partes, quia ex aliis partibus preſſione atmoſphæræ cutis coarctatur & ſanguinem in venulas exprimit quoquoverſum; cùm autem theca cranii ab illa atmoſphærica preſſione cerebrum liberet, huc ſanguis undequaque preſſus faciliùs affluit nec ex eo exprimitur.

Morbi plethorici quà tales curantur 1° abſtinentia à cibis potiſſimùm ab euchymis & multum nutrientibus, ut carnibus, pane, offis, in quorum vicem juſcula diluta, pauca, cremores ex farinoſis ſubſtituuntur: initio acutorum mera aqua & diatritaria diæta ſufficit; vulnerati potiſſimùm & febrientes ſolâ ptiſanâ vitam per aliquot dies ſuſtinent & citius curantur: 2° detractione ſanguinis per phlebotomias repetitas è vena commodiori; nec enim delectus earum alio motivo fermè determinari poteſt, niſi præjudiciis adſtantium aut veterum Medicorum obſequioſe adhæreamus: ſi plethora partialis ſit in certis partibus, nec ea ſit vis pulſûs quæ phlebotomiam admittat, partis affectæ viciniæ hirudines admoveri poſſunt, quarum etiam pars poſtica reſecatur ut uberiorem exſugant cruoris copiam; quo facto, ſale aſperſæ cutem dimittunt: 3° demum detracta per cathartica aut emetica humorum è primis viis copiâ, imminuitur maſſa ſanguinis,

 ob-

ob evacuationem ſuccorum qui hac occaſione à ſanguine ſecernuntur.

Aſt ſi fluxûs cujuſdam, potiſſimùm ſanguinei, ſuppreſſio plethoram foveat, operæ pretium eſt eum revocare, quod ipſa phlebotomia e brachio inſtituta in plethoricis non rarò præſtat, pediluvia calida, juſcula diluentia & aperientia, ambulatio & demùm emmenagoga forma juſculi vel ptiſanæ, in phlegmaticis verò martialia & reſinoſa efficiunt. Si hæmorrhoïs fluere deſierit mariſcæ ſunt fotu emollienti præparandæ, uſu aloëticorum interno irritandæ, ſi turgeant lanceola vel hirudinibus admotis pertundendæ: *Boerhaave Aphoriſm. 106.*

Qui fiunt à plethora tum univerſali tum particulari, tum verâ tum commotâ ſeu apparenti, ſunt

Morbi ſanguinei

Ephemera plethorica.	Epilepſia plethorica.
Synochus ſanguineus.	Tuſſis gravidarum.
Tremor à plethora.	Dyſpnœa plethorica.
Eclampſia parturientium.	Orthopnœa peripneumonica.
Scelotyrbe plethorica.	Pleurodyne plethorica.
Tuſſis hæmoptoïca.	Amauroſis plethorica.
Aſthma plethoricum.	Paralyſis plethorica.
Orthopnœa cardiaca.	Aſthenia febrilis.
Caligo hypohæma.	Catalepſis à menoſtáſi.
Anorexia plethorica.	Carus febrilis.
Paraplexia ſanguinea.	Rheumatiſmus acutus.
Syncope plethorica.	Rheumatiſmus calidus.
Carus ſpontaneus.	Cephalalgia hæmorrhoïdalis.
Apoplexia ſanguinea.	Cephalalgia febrilis.
Rheumatiſmus vulgaris.	Cephalalgia gravidarum.
Cephalalgia plethorica.	Ophthalmia chemoſis.
Cephalalgia catamenialis.	Odontalgia gravidarum.
Cephalalgia pulſatilis.	Colica gravidarum.
Hemicrania hæmorrhoïdalis.	Colica phlogiſtica.
	Nephralgia rheumatica.
Ophthalmia choroïdea.	Iſchias ſanguineum.
Cardiogmus omnis.	Proctalgia à mariſcis.
Colica plethorica.	Vertigo plethorica.
Nephralgia hæmorrhoïdalis.	Diplopia pyrectica.
Maſtodynia phlegmonodes.	Syrigmus cephalalgicus.
Iſchias rheumaticum.	Sirigmus bombus.
Proctalgia inflammatoria.	Paraphroſyne puerperarum.
Suffuſio myodes.	Hæmorrhagia plethorica.
Syrigmus plethoricus.	Hæmoptyſis accidentalis.
Synocha plethorica.	Hæmoptyſis habitualis.
Tertiana pleuritica.	Hæmoptyſis Helwigiana.
Eclampſia plethorica.	Hæmatemeſis catamenialis.

Nauſea

Morbi ſanguinei	Nauſea gravidarum.	Hæmoptyſis catamenialis.
	Vomitus hæmorrhoïdalis.	Hæmoptyſis periodica.
	Dyſuria hæmorrhoïdalis.	Hæmatemeſis plethorica.
	Leucorrhœa gravidarum.	Melæna hæmorrhagica.
	Aſcites calidus.	Vomitus gravidarum.
	Hydrometra ſanguinea.	Ephidroſis cruenta.
	Iſchuria lunatica.	Dyſuria neonympharum.
	Aurigo febrilis.	Phlegmaſia à menoſtaſi.
	Phœnigmus plethoricus.	Aſcites ſanguineus.
	Hæmaturia violenta.	Iſchuria nephritica.
	Hæmaturia hæmorrhoïdalis.	Aurigo plethorica.
	Menorrhagia immodica.	Aurigo typhodes.
	Menorrhagia ſtillatitia.	Hæmaturia ſpontanea.
	Menorrhagia lochialis.	Hæmaturia ſtillatitia.
	Hepatirrhœa meſenterica.	Menorrhagia difficilis.
	Hæmorrhois moderata.	Menorrhagia gravidarum.
	Dyſenteria benigna.	Menorrhagia erronea.
	Dyſenteria gravidarum.	Hepatirrhœa cruenta.
	Hypochondriaſis ſanguinea.	Hæmorrhoïs polypoſa.
	Amneſia plethorica.	Hæmorrhoïs immodica.
	Hæmorrhagia critica.	Dyſenteria catamenialis.

CLASSIS NONA.

Morbi bilioſi;

Maladies bilieuſes.

SUnt illi quorum principium eſt bilis abundantia, ejuſque acrimonia ſolito major, ut plurimum cum temperamento bilioſo, ex cujus ſignis cognoſcuntur : bilioſi ſcilicet ſunt ſicci, calidi, alacres, audaces, vivido ingenio prædit, ad iram & rixas proni, activi, negotioſi ; ipſis pulſus eſt velox, fortis ; rubet facies ; cutis ſtrigoſa, macilenta ; ſanguis fluxilis, acer ; cor & arteriæ vegetæ ſunt ; in morbis levi de cauſa calent, ſitiunt, bilem ano vel cato rejiciunt, morbis ardentibus, inflammatoriis obnoxii ſunt ; juvantur à frigidis, acidis ; læduntur à calidis, acribus, ſiccis.

Cùm in his morbis humores acrimonia alcaleſcente & ſiccitate peccent, & deficiat partium ſeroſus latex, indicantur alimenta & medicamenta diluentia & refrigerantia, acida, tum foſſilia ſed multùm diluta, tum vegetabilia ; olera molliora ; fructus aquoſi, ſubacidi, cathartica

ca diluentia, ut acidulæ minerales, tamarindi, pruna, caſſia; necnon ea quæ ſecretionem bilis ſollicitant, inteſtina expurgando, ſanguinem diluendo; huc pertinent hepatica dicta aperientia, cichorium, taraxacum, lupulus, fumaria, agrimonia, rheum; imò fortiora ſi emphraxi frigidâ laboret hepar: *Vide Auriginis curam: Boerhaavé Aphoriſm. 76. Inſtitut. Therap. 788.*

Huic claſſi accenſendi ſunt morbi phlogiſtici febre aut pyrexia ſtipati.

Morbi bilioſi.	Anorexia bilioſa.	Melæna atrabilis.
	Aſthenia Americana.	Vomitus à veneno.
	Typhomania agrypnocoma.	Vomitus atrabilarius.
	Pyroſis bilioſa.	Vomitus marinus.
	Gaſtrodynia bilioſa.	Cholera à veneno.
	Cephalalgia ſtomachica.	Cholera auriginoſa.
	Cephalalgia febrilis.	Cholera Indica.
	Hepatalgia calculoſa.	Diarrhœa bilioſa.
	Hepatalgia æruginoſa.	Diarrhœa febricoſa.
	Singultus inflammatorius.	Teneſmus ſpontaneus.
	Singultus a dyſenteria.	Ptyaliſmus viridis.
	Hypochondriaſis bilioſa.	Aurigo à vipera.
	Polydipſia febrilis.	Aurigo hepatica.
	Paralyſis bilioſa.	Dyſenteria caſtrenſis.
	Typhomania continua.	Dyſenteria intermittens.
	Pruritus ictericus.	Vomitus bilioſus.
	Pyroſis Suecica.	Vomitus à capitis ictu.
	Colica bilioſa.	Vomitus iliacus.
	Cephalalgia traumatica.	Cholera ſpontanea.
	Cardialgia à ſaburra.	Cholera dyſenterica.
	Hepatalgia Petitiana.	Cholera intermittens.
	Singultus criticus.	Nauſea bilioſa.
	Singultus exanthematicus.	Diarrhœa choleriodes.
	Vertigo ſtomachica.	Diarrhœa hypercatharſis.
	Paraphroſyne febrilis.	Anacatharſis bilioſa.
	Polydipſia fluxuum.	Aurigo febrilis.
	Dyſenteria epidemica.	Aurigo febricoſa.
	Dyſenteria æquinoctialis.	Aurigo ab obſtructione.

CLASSIS

CLASSIS DECIMA.

Morbi saburrales;

Maladies de ſaburre.

Vitioſi ſucci è reliquiis pravæ digeſtionis intra primas vias reſidui *ſaburram* conſtituunt, *quæ* vel *cruda* eſt ſi alimenta vix digeſta nativas qualitates ſervent; *acida* ſi ob moram & ſalivæ culpâ fermentationem iniverint, ut vegetabilia, inde flatus, ructus, morſus ventriculi, lactis coagulatio; *nidoroſa* eſt ſi ex carnibus putreſcentibus ſint illæ reliquiæ, unde fœtor putris, nauſea, horror juſculorum, acidorum appetentia, diarrhœæ fœtidæ, bilioſæ; ſaburra in morbis eſt *primaria* ſi ipſis anſam dederit ciborum major copia vel qualitas; *ſecundaria* verò eſt ſi alimenta ratione ægritudinis malè concocta fuerint.

Ita frequens eſt in morbis ſaburra, tum primaria tum ſecundaria, ut ſint non pauci Medici qui hanc veluti omnium ferè morborum principium habeant & *ſtercorarii Harveo* dicuntur. Fatendum eſt vix ullum eſſe morbum, ſive acutum ſive chronicum, in quo, initio vel in decurſu, uſurpari non debeant cathartica ad digeſtiones reſtituendas, obſtructiones viſcerum reſerandas, cacochyliam in ſanguinem transfuſam aut ſaburram eliminandam; cavendum tamen ab irritantibus, ubi ſtomachus aut phlogoſi, tenſione, nimia ſenſibilitate, ſiccitate affectus; ubi adeſt ſimilis ſtatus in inteſtinis; aut alvus eſt obſtipata: præmitti debent in his caſibus apozemata, juſcula humectantia, clyſmata emollientia, aqua pulli, phlebotomia; aut adhiberi tantùm cathartica eccoprotica, pulpoſa, aquoſa, gummoſa, abſtinendo à reſinoſis.

Ubi verò pondus ſtomachi, cardialgiæ, nauſeæ, oris amaror, vertiginoſa cephalalgia, vomitoria adhibenda ſuadent, eædem cautelæ adhibendæ ſunt, & emetica multum diluta partitis vicibus in uſum vocanda: ſic vini emetici uncia in aquæ unciis xij vel xv dividatur in duas doſes; & dimidia pars omni quadrante horæ tepidè ſumatur, facilis & plenaria inde excitatur vomitio; aut ſi grana quatuor aut quinque tartari ſtibiati in aquæ unc. xij diluta, in tres doſes diviſa, ſimili intervallo hauriantur; ypecacuanha etiam pulverata à gran. xv--xxv. ut plurimum adultos ſatis evacuat; in multis caſibus oxymel ſcilliticum ad unc. j. idem præſtat: dum vomitio accedit multo tepidæ potu ea juvanda eſt. *Boerhaave Aphor. 642. Therapeut. 1202 ad 1220.*

Morbi ſaburrales.

Ephemera nauſeativa.	Nauſea à ſaburra.
Tertiana emetica.	Vomitus à ſaburra.
Eclampſia à ſaburra.	Cholera à ſaburra.
Ephialtes à ſaburra.	Diarrhœa vulgaris.
Tuſſis ſtomachalis.	Ptyaliſmus nauſeoſus.
Dyſpnœa à ſtomacho.	Ptyaliſmus Laponicus.
Agheuſtia à ſaburra.	Flatulentia nidoroſa.
Leipothymia à ſaburra.	Ephidroſis febrilis.
Amphimerina ſingultuoſa.	Cephalalgia ſtomachica.
Tremor à ſaburra.	Colica accidentalis.
Hyſteria à ſaburra.	Vertigo ſtomachica.
Oſcedo ſtomachica.	Vomitus à crapula.
Tuſſis convulſiva.	Vomitus rabioſus.
Aſthma ſtomachicum.	Diarrhœa ſtercoroſa.
Anorexia à ſaburra.	Diarrhœa febrilis.
Syncope ſtomachica.	Ptyaliſmus à pyroſi.
Câtarrhus epidemicus.	Flatulentia acida.
Cardialgia à ſaburra.	Dyſodia ſtomachica.
Lumbago à ſaburra.	Ephidroſis à ſaburra.

Emetica.

Tartarus ſtibiatus à gran. j — v ; vel gran. ij , iv , vj in aquæ unc. xij : ſumat quartam vel tertiam partem omni quadrante horæ , uſquequò vomitio ſuccedat.

Vinum emeticum à drachm. j. ad vj vel viij ; vel miſce vini emetici unciam & ſemiſſem in aquæ cyathis tribus , quatuor ; ſumat unum omni quadrante horæ.

Nunquam præſcribantur emetica niſi explorato abdomine , num doleat , tenſum ſit ; utatur æger clyſmatis, aqua pulli ; & ſæpius phlebotomiâ præmiſſâ , ſi ſit plethora.

Semen raphani contuſum ad drachm. j , vel in decocto ad drachm. ij.

Oxymel ſcilliticum ad unc. j & ſemiſſem.

Aqua vitæ Germanica ab unc. ſemiſſe ad unc. j & ſemiſſem.

In chronicis ; ſyrupus emeticus Glauberi à gutt. iv ad xij pro pueris & mulieribus.

Ypecacuanha formâ pulveris à gran. iv ad xxv ; ubi adſtringenda alvus formâ infuſi ad drachm. j in aquæ unc. viij pro duabus doſibus ; ad gran. ij vel iij acuit cathartica : ad gran. j. in opiatis viſcoſa primarum viarum everrit , tonum reſtituit uſu iterato.

Turpethum minerale ad gran. ij vel iv in prophylaxi hydrophobiæ.

Extus Unguentum de arthanita forma litûs ſuper abdomen.

Magna aquæ Vallenſis, Aleſienſis copia confertim ingeſta vomitionem excitat

citat in chronicis non ſeroſis ſed ſiccis : Bellilucanæ in ſeroſis atonis.

Cathartica mitia in ſubjectis ſenſibilibus.

Extractum caſſiæ à ſemiuncia ad unc. iij.
Caſſiæ pulpa ad unc. ij.
Manna ab unc. j ad iij.
Tamarindi decocti pro aquæ cyatho ad unc. j.
Pruna Damaſcena cocta pro aquæ cyatho, num. xij.
Oleum amygdalarum dulcium in morbis inflammatoriis bis vel ter in die ab unc. j ad iij; ſed recentiſſimum ſit adeoque non limpidum.

Aquæ acidulæ Vallenſes, Aleſienſes, in morbis apyretis, intra bihorium ad libras viij calidè bibantur.

Aquæ thermales Bellilucanæ, in morbis frigidis, ad libras vj vel viij intra bihorium calidæ bibantur.

Aquæ acidulæ æſtate apud bilioſos, ſiccos, calidos, acuuntur manna, rheo, vel ſale cathartico; thermales hieme apud frigidos, pituitoſos, acuuntur ſale cathartico, jalappa, ſcammonio, pulvere de tribus &c, tartaro vitriolato, cremore tartari.

Cathartica mediocria edulcorantur infuſo florum violæ, malvæ, decocto caſſiæ, tamarindorum, polypodii, cuſcutæ, aliquot aquæ acidulæ cyathis ſimul aſſumptis : Initio acutorum acuuntur uno grano tartari ſtibiati vel vini emetici drachm. j, vel jalappæ gran. x, vel ſcammonii gran. ij, iij, vel ſalis cathartici drachm. j, ij, vel reſinæ jalappæ, gr. j, ij, magneſiâ albâ ad drachm. j vel ij, terrâ foliatâ tartari ad drachm. j, ij.

Sal Glauberi, Epſamenſe, Sedlicenſe, Rupellenſe, polychreſtum ad unc. j vel unc. j & ſemiſſem in aquæ libra una.

Medicamina vix apud nos formâ ſiccâ præſcribuntur, ſaltem in acutis & pyrecticis morbis; adhiberi poſſunt in pituitoſis & frigidis.

Sennæ folia in aquæ cyatho infuſa ad drachm. j, ij, iij : pulvis ingreditur pilulas cochias : corrigitur acrimonia ſennæ ſi infundatur in limonata, decocto prunorum, dactylorum, ſebeſten, ficuum, caſſiæ, tamarindorum. Folliculi ſennæ eâdem doſi ferè eâdem vi agunt; horum infuſum nigricat.

In chronicis, pituitoſis, frigidis.

Aloës, pilulæ aloëticæ à ſcrup. j — drachm. j.
Pilulæ cochiæ, à ſemi-ſcrupulo ad ij.
Pulvis Cornachini vel de tribus, à ſcrupulo ſemiſſe ad drachmam j.
Tabellæ de citro, diacarthami, à drachm. ij — vj.
Rhei & cremoris tartari, ana, gran. XL, fiat pulvis.
Cathartica adſtringentia ex rheo, rhapontico, myrobalanis.
Rheum in chronicis apyretis à gran. x ad ſcrupul. ij formâ pulveris : infu-

infuſum pro aquæ cyatho à ſemidrachma ad drachmam unam & ſemiſſem, additur cremor tartari pari doſi.

Hydragoga.

Jalappæ ſcrupulus j diutiſſimè teratur in mortario cum ſacchari pauxillo; ſumatur pulvis, ſuperbibendo potum theiformem.

Reſinæ jalappæ gran. ij diutiſſime terantur in mortario cum ſacchari fruſtulo & tribus amygdalis; adde ſyrupi capillorum veneris drachmam pro infante omnia cathartica recuſante.

Reſinæ jalappæ gran. xij, ſcammonii grana iij, contunde cum fruſto ſacchari in mortario marmoreo quam accuratiſſimè, fiat emulſio aquam ſuperaffundendo ad unc. vj: potus purgans minimè ingratus.

Scammonii gran. x vel xv contunde in mortario marmoreo cum amygdalis dulcibus ij, vel cum ſucci limonum unc. j. ſuperaffundendo emulſionis ex amygdalis & ſeminibus frigidis unc. x; fiant doſes duæ.

Cremoris tartari uncia una injiciatur in lactis bullientis libra una; ſerum percolatum bibatur: purgat jucundè.

Syrupus de rhamno cathartico ab unc. j—ij.

In noſtris regionibus apud juvenes bilioſos, ſiccos, æſtate, hæc cathartica acria, pulveris aut boli formâ, tormina, diarrhœas, dyſenteriam excitant: præſtant larga decocta vel infuſa mediocrium & mitium adhibenda.

Arthriticis reſina guaiaci à drachma ſemiſſe ad drachmam unam.

Pro infantibus manna in aqua ſoluta ad unciam unam, ſyrupus de cichorio compoſito cum rheo ad unciam unam.

CLASSIS UNDECIMA.

MORBI PITUITOSI;

Maladies glaireuſes.

PItuita eſt humor mucilaginoſus, viſcidus, qui interiora narium, œſophagi, ſtomachi, inteſtinorum, veſicæ, pulmonis; &c, oblinit; à ſiccitate & acredine defendit; verùm ſi uberior fuerit ille mucus, inſipidus, tenax, tunc nervoſas papillas obducens, odoratum, guſtum, famem, ſitim obſcurat vel tollit, ſtomachum aggravat, digeſtionem præpedit, vomitus, diarrhœas pituitoſas excitat; in ureteribus, veſica, pyurias mucoſas excitat; in articulis hydarthrum, in aliis alia incommoda producit.

Ad

Ad ſanitatem requiritur ut ſucci digeſtivi, ſaliva, bilis, craſi ſalinâ, ſapidâ gaudeant, ut diſſolvant alimenta, motum periſtalticum & famem excitent; ſi verò prædominetur mucus blandus, iners; in primis viis & in maſſa ſanguinea, languent functiones ab his humoribus pendentes; inde exſurgit digeſtio vitioſa, glutinoſum chylum inducens, ſanguis & omnes humores eandem indolem retinent; hinc urinæ cruditas, aquoſitas, faciei pallor, functionum tarditas, obſtructiones variæ.

Alimenta vegetabilia, acida, terrea, farinoſa non ſatis fermentata, animalium partes gelatinoſæ, pingues, mucoſæ, idem vitium inducunt, maximè ſi concurrat vita deſes, debilitas, ſenecta, vaſorum laxitas, nativa bilis, ſalivæ vappiditas, inſipiditas.

Morbi, quos pituita copioſior excitat, dum eſt in maſſa ſanguinea, ſunt ſequentes.

Morbi pituitoſi.	Chloroſis pituitoſa.	Arthritis chlorotica.
	Scelotyrbe pituitoſa.	Paraplexia rheumatica.
	Catarrhus frigidus.	Hypochondriaſis pituitoſa.
	Anaſarca Americana.	

Si in origine nervorum aut organis adſit, oriuntur

Morbi pituitoſi	Cophoſis à comate.	Pica, malacia.
	Apoplexia pituitoſa.	Anorexia pituitoſa.
	Coryza phlegmatorrhagia.	Epiphora ſebacea.
	Coryza catarrhalis.	Ptyaliſmus gravidarum.

In pulmonibus, gutture, naſcuntur

Morbi pituitoſi	Tuſſis gutturalis.	Stertor aſthmaticus.
	Dyſpnœa pituitoſa.	Aſthma humidum.
	Dyſpnœa hydatidoſa.	Anacatharſis aſthmatica.

Demum in primis viis fiunt

Morbi pituitoſi	Vomitus pituitoſus.	Cardialgia bradypepta.
	Cœliaca mucoſa.	Diarrhœa pituitoſa.
	Colica pituitoſa.	

Et in aliis organis

Iſchuria phlegmatica.	Iſchuria thromboides.
Leucorrhœa Nabothi	Pyuria mucoſa.
Pyuria viſcida.	Hydarthrus ſynovialis.

Ad curandos morbos pituitoſos 1° prævertenda eſt mucoſi illius humo-

ris productio uſu cibi & potûs benè fermentati, ſale & aromate conditi, ſtomacho grati; nec non victu ex carnibus animalium, avium, piſcium, &c quæ ad alcaleſcentiam vergunt; 2° exercitio corporis & animi paulò vegetiori, quo calor generatur in corpore, mucus diſſolvitur, craſſa attenuantur, craſis ſalina extricatur, viſcoſa reſolvuntur, & potiſſimùm vaſa & viſcera roborantur; huc frictio, equitatio, deambulatio conferunt.

Medicamina verò quæ in his conducunt ſunt 1° ſtomachica & omnia roborantia partibus aromaticis calorem & motum in fluidis viſcoſis excitantia; imprimis martialia, rheum, ſalia alkalina fixa & volatilia, ſaponacea, amara, ut enula campana, aloes, balſama, reſinoſa, demùm evacuantia quæ abſtergunt mucum à pulmonibus, ut bechica incidentia; à viis urinariis, ut diuretica calida; ab inteſtinis, ut cathartica ſalina, non neglectis tamen diluentibus calidis quæ pituitæ tenaci fluxilitatem conciliant.

CLASSIS DUODECIMA.

Morbi catarrhales;

Maladies catharrhales.

IN hoc differunt morbi catarrhales à pituitoſis 1° quod à frigore perſpirationem reprimente ſubito corpus calefactum adoriente naſcantur; 2° quod lympham inſpiſſet quidem illud frigus, ſed levem ſimul phlogoſim in vaſis infarctis excitet, unde dolor, levis intumeſcentia, febricula; 3° quod materia ſudoris aut perſpirationis retenta acredine ſua dolores intendat: morbi itaque catarrhales recentes ſunt phlogiſticis ſed mitioribus affines, inveterati verò pituitoſi fermè evadant; curantur initio phlebotomiâ, diluentibus calidis, diaphoreticis, victu tenui; inveterati verò exigunt ſudorifica, ſuffitus, ducias ex aquis thermalibus, tegumenta lanea, calida, ſicca; frictiones.

Morbi catarrhales.

Ephemera à frigore.	Aſthma catarrhale.
Synochus hyemalis.	Angina bronchus.
Amphimerina catarrhalis.	Rheuma vulgare.
Quotidiana catarrhalis.	Aphonia à raucedine.
Peripneumonia catarrhalis.	Carus à frigore.
	Catarrhus epidemicus.
Strabiſmus catarrhalis.	Stupor à frigore.
Rigor catarrhalis.	Cephalalgia catarrhalis.
Sternutatio catarrhalis.	Hemicrania coryza.

Colica

Morbi catarrhales {

Colica à frigore.
Diplopia à catarrho.
Hæmoptyſis catarrhalis.
Diabetes Anglicus.
Synocha catarrhalis.
Amphimerina latica.
Amphimerina anginoſa.
Pleuritis catarrhalis.
Contractura catarrhalis.
Rigor à frigore.
Pleurodyne catarrhalis.
Tuſſis catarrhalis.
Orthopnœa pſeudò-peripneumonica.
Angina naſalis.
Anoſmia catarrhalis.
Paraphonia catarrhalis.
Catarrhus ferinus.
Catarrhus caninus.
Algor externus.
Cephalalgia anemotropa.
Otalgia catarrhalis.
Rachialgia ab adiapneuſtia.
Hypochondriaſis algida.
Ptyaliſmus catarrhalis.
Anaſarca ab adiapneuſtia.

CLASSIS DECIMA-TERTIA.

MORBI LACTEI;

Maladies laiteuſes.

CHylus in puerperis & nutricibus redundans, in ſano corpore elaboratus, partim in mammis ſecretus abit in lac mammare, & in colo uterino lac uterinum præbet quod partim cum lochiis foras poſt partum emittitur. Utrumque lac, ſi foras non emittatur, & in maſſam ſanguinis redeat, diverſa producit incommoda & morbis lacteis materiem ſuppeditat.

Lac autem, cùm ad acidam fermentationem ſponte vergat & ad coagulum, excitat in mammis tumores inæquales, dolorificos, inflammatorios, inde abſceſſus ſcirrhoſi, cancri; idem lac in glandulis axillarum, inguinum hærens, in textu celluloſo aggeſtum, œdemata, phlegmatias, obſtructiones inducit; aſt acore ſuo diverſos dolores, exanthemata, acidum odorem inducit.

In alumno etiam lac aceſcens, corruptum, coagulatum, vomitus, cardialgias, diarrhœas, aliaque genera morborum producit, qualia ſunt

Vomitus lacteus.
Diarrhœa lactentium.
Colica lactea.
Colica chyloſa.
Miliaris lactea.
Aphtha lactucimen.

In nutricibus verò & puerperis oriuntur à lacte ſuppreſſo.

Ephe-

Ephemera lactea.
Miliaris puerperarum.
Metritis lactea.
Hyſteralgia lactea.
Maſtodynia ab ſpargonoſi.
Maſtodynia à terrore.
Mania lactea.
Epiphora lactea.
Pyuria lactea.
Galactirrhœa erronea.
Phlegmatia lactea.
Tritæophya lactea.
Pleuritis lactea.
Hyſteralgia ab ſpargonoſi.
Maſtodynia pilaris.
Maſtodynia butyroſa.
Iſchias ab ſpargonoſi.
Ephidroſis lactea.
Enureſis ab ſpargonoſi.
Galactirrhœa mammarum.
Galactirrhœa ſeroſa.
Aſcites chyloſus.

Indicationes adimplendæ ſunt ut lac alumnis ſuis præbeant matres, adeoque excernatur per vias à Sapientiſſimo Numine ſtabilitas; ſic enim omnes morbi lactei prævertuntur, atque ſi jam ſuppreſſum lac in alias partes deviaverit ſuctu aſſiduo vel alumni vel catelli vel ſuctricis in mammas ejus fluxus eſt revocandus: Si verò tardiùs ad hoc remedium & fruſtra confugiat puerpera, nec multùm fluxerint lochia, ptiſanis diureticis & cathar-ticis eſt inſiſtendum, modò nulla uteri phlogoſis impediat, in quo caſu phlebotomiæ præmittendæ ſunt diætaque tenuis imperanda.

In morbis lactentium 1° cavendum ne lacte copioſiori ingurgitentur; 2° ne nutrices pathematis, ebrietati indulgeant; ne lac fluxilius, acre ſuppeditent; 3° lenia purgantia in vomitu lacteo, diarrhœa lactea adhibentur, ut ſyrupus de cichorio, manna; 4° dein ad abſorbentia terrea deveniendum eſt, ut cretam, oculos cancrorum, corallia, quæ ad ſcrupulos duos ſumenda cum ſyrupo ſtomachico vel conſerva adſtringente, non acida. De his vide curas ſpeciales *œdematis lactei*, *maſtodyniæ piloſæ*, *ephemeræ lacteæ &c in Noſologia.*

CLASSIS DECIMA QUARTA.

Morbi seroſi;

Maladies ſéreuſes.

Seri nomine intelligimus humorem aqueum ſubpellucidum ſero lactis ſimilem, aut ipſam lympham qualis in patella à thrombo purpureo ſeparatur, qui humor, cùm ſanguis in patella per diem integrum remanſit, eſt æqualis quoad pondus thrombo reſiduo; verùm hæc proportio mutatur in morbis ſeroſis; in illis ſerum vel ubique exundat, vel in certis locis

locis contra ſanitatis leges cumulatur, vel in textu celluloſo & inde anaſarca, in ſcroto hydrocele, in cerebro hydrocephalus, in oculo hydrophthalmia, in pectore hydrothorax, in pericardio hydrocardia, & ſic deinceps : cùm autem ſerum ſit vehiculum ſalium, ubi eſt acrimonia in ſanguine ſerum acrius ſolito evadit, & urinæ ac ſudori quam ſimile eſt, niſi quod igni expoſitum vel vini alcoholi mixtum concreſcit in albumen.

Cùm ſanguis per venas expeditè ad cor revertitur, ſerum è vaſis lymphaticis redux has venas facile ſubit & cum eo circulatur ; aſt cùm ſanguis in venis hærere cogitur ob ligaturam, ut patet experimento Loweri, vel ob obſtructiones, ſerum in ſuis vaſis reſtitans, vel effunditur in cavis vicinis, vel intra textum cellularem cumulatur. Hæc ſeri intra textum cellularem collectio in morbis chronicis familiaris eſt, quoties vires circulationis languidæ evadunt, ſerum enim illud propria gravitate vires circulationis in minimis vaſis ſuperans, eò verſus tendit quò jubet gravitas, nec facilè à partibus imis ad ſuperiores aſcendit ; hinc imarum partium phlegmatia ſed œdematoſus tumor qui horis veſpertinis apparet, dum matutinis ea intumeſcentia pallida, pultacea, partes omnes, præſertim molliores ut palpebras, labra, invadit. Initio quidem anaſarcæ aut phlegmatiæ quæ ſubito quandoque invadit, textus ſolidorum ab hujus ſeri ſtagnatione non eſt remollitus & facultas vitalis integra poteſt tolerare phlebotomiam, maximè cùm à plethora pendet reſiſtentia circulationi lymphæ ejuſque eſt ſtagnationis cauſa ; verùm ubi remollitæ ſunt partes ſolidæ, ubi chronicis morbis ſuccedunt œdematoſi tumores aut ſeri collectiones, phlebotomia eſt maximè noxia, quæ vires cordis languidas ulterius imminuit.

Hi morbi ſunt ſanatu difficillimi, qui natura organis flaccidis debiliter utitur, & ea debet maximam in omnis morbi curatione operam præſtare ; hac cooperante proſperè cedunt omnia ſi morbus ſanabilis ſit ; ea verò quieſcente & debilitata fruſtranea ſunt ut plurimum artis conamina.

Indicationes curativæ ſunt 1° robur addere organis vitalibus quæ obſtructionibus impedita vel ſero dudum remollita languidè moventur ; 2° obſtrùctiones reſerare thrombum purpureum in his morbis denſatum & cohærens attenuando, dividendo ; utrumque præſtant omnia martialia quæ ſolidis robur, fluidis attenuationem conciliant : idem ſed debiliùs efficiunt ſtomachica, tonica, ut cinnamomum, caſſia lignea, ſaſſafras, ſantalum album, china ; pulvis ex cinnamomo & limatura ferri in his præſtantiſſimus eſt ; ſumitur quotidie in offa ad gran. VI -- X &c ; ex rhei & limaturæ ferri ana drachma j in aquæ libris ij infuſa ſit ptiſana, cujus longus uſus utrumque roborandi aperiendique, necnon digeſtivas vires reparandi ſcopum attingit. Aperientia etiam ſeu diuretica calida craſſum ſanguinis textum attenuant ; huc pertinent radices aſparagi, ruſci, fœniculi ; cortices

radicum eryngii, ononidis, fœniculi, calcitrapæ; ſalia neutra, ut Glauberianum, Epſamenſe, Rupellenſe, tartarus crudus; imprimis verò terra foliata tartari, quæ à drachma ſemiſſe ad drachmam unam non ſolum obſtructa reſerat, verùm etiam urinas alvumque feliciter movet. Extus verò exſiccant & roborant partes phlegmatia remollitas thermarum lutum calide admotum, ducciæ, arena maris calore ſolis fervida, furfur macrum calefactum, ſpiritus vini calefactus, ſacculi plantis aromaticis, ut ſalvia, thymo, ſerpillo, maro, ſtœchade, roremarino &c turgidi, frictiones ex pannis laneis ſiccis, calidis, fumus plantarum aromaticarum ſuper prunas ardentes projectarum, item fumus ex ſuccino &c.

Sed alter ſcopus eſt ſerum ſuperfluum foras amandare, & 2° novi geneſim præcedire. Serum exundans foras mittitur in robuſtis ope catharticorum & emeticorum, indebilibus ope diureticorum; huc etiam ſpectant tum paracenteſis in aſcite, tum ſcarificationes in quibuſdam caſibus.

Inter cathartica laudantur potiſſimùm ſyrupus de rhamno cathartico ad uncias duas, vel purus, vel minori doſi catharticis vulgaribus additus, aqua vitæ Germanica, ſuccus radicis iridis Germanicæ, ſambuci ab unc. j ad ij, baccæ rhamni cathartici, jalappa, ſcammonium acido citri mitigatum &c.

Inter diuretica aſelli decem aut viginti in ſero lactis; ſucci expreſſi ex recentibus herbis cichorii, apii, ſyſimbrii aquatici contuſis, & cum limatura martis ac aſellis aliquandiu relictis, qui dein expreſſi ad uncias iij hauriuntur; juſcula parata ex radicibus aperientibus, foliis cichorii, ſcolopendriæ, additis cancris fluviatilibus, aſellis, ſale Glauberiano; ac oxymel ſcilliticum ad drachmas duas bis vel ter in die ſumptum; lixivium cinerum geniſtæ, ſtipitum fabarum ex vino albo ad uncias tres ſero & mane bibitum.

Sed ſi aſcites vel anaſarca pendeat à morbo exanthematico repreſſo, ut ab ſcabie repulſâ, à rubeola &c. *Vide curam exanthematicorum.* Si à virulento quodam morbo foveantur, ut ab ſcorbuto, hujus primarii morbi remedia adhibenda ſunt ſimul cum hidragogis. Si obſtructio, menoſtaſis his anſam dederint, remedia his propria advocanda ſunt.

Morbi ſeroſi.
- Hectica hydropum.
- Convulſio ab hydrocephalo.
- Eclampſia ab hydrocephalo.
- Aſthma cachectium.
- Orthopnœa ab hydropneumonia.
- Hydrothorax vulgaris
- Amauroſis pituitoſa.
- Cophoſis ſeroſa.
- Anorexia cachectarum.
- Hemiplegia ſeroſa.
- Paraplexia ab hydrorachitide.
- Aſthenia cachectica.
- Syncope ab hydrocardia.
- Lethargus à frigore.
- Cataphora ſube.
- Cataphora hydrocephalica.
- Carus hydrocephalicus.
- Pleuritis hydrothoracica.
- Tremor ab hydrocephalo.
- Epilepſia ab hydrocephalo.

Orthop-

Morbi ſeroſi.

- Orthopnœa hydrothoracica.
- Hydrothorax chyloſus.
- Amblyopia hydrophthalmica.
- Dyſecœa ab hydrotympano.
- Anæſtheſia ab hydrorachitide.
- Paralyſis ſeroſa.
- Aſthenia hydrocephalica.
- Aſthenia infantum.
- Lethargus febriſequus.
- Cataphora ſomnolenta.
- Cataphora ſcorbutica
- Carus iſchurioſus.
- Apoplexia pituitoſa.
- Cephalæa ſeroſa.
- Amentia ſeroſa.
- Amentia moroſis.
- Hepatirrhœa vera
- Diarrhœa ſeroſa.
- Ephidroſis ſpontanea.
- Ptyaliſmus à laxitate.
- Diabetes hyſtericus.
- Dyſpermatiſmus ſeroſus.
- Enureſis critica.
- Enureſis infantum.
- Otorrhœa ſeroſa.
- Hydrocephalus interior.
- Aſcites urinoſus.
- Hydrometra gravidarum.
- Hydrometra aſcitica.
- Chloroſis virginea.
- Anaſarca periodica.
- Anaſarca Americana.
- Lumbago ab hydrothorace.
- Amentia ſenilis.
- Menorrhagia decolor.
- Melæna hepatirrhoica.
- Diarrhœa urinoſa.
- Epiphora frigida.
- Ptyaliſmus urinoſus.
- Diabetes artificialis.
- Enureſis catamenialis.
- Enureſis paradoxa.
- Dyſuria gravidarum.
- Hydrocephalus exterior.
- Aſcites vulgaris.
- Hydrometra aſcitica.
- Hydrometra ovarii.
- Chloroſis ab hydrothorace.
- Anaſarca à ſuppreſſione.
- Anaſarca hyſterica.
- Elcoſis hydropum.

CLASSIS DECIMA QUINTA.

Morbi flatulenti;

Maladies venteuſes.

Flatus qui in humano corpore obſervantur fere omnes à ciborum fermentatione ortum ducunt, aut ab ipſo aëre cum eduliis deglutito, qui ope bonæ digeſtionis & potiſſimum interventu ſalivæ debuerat intimè cum chylo diſſolvi & elaſticitatem deperdere, ut docent *Illuſtr. Pringle* egregia experimenta, quique hujus rectæ digeſtionis defectu integram elaſticitatem conſervat, aut calore loci majorem adipiſcitur.

Deficiente itaque ſaliva quoad fluxilitatem & vim ſaponaceam benè conſtituta, quoties ſcilicet ea viſcoſa eſt, nec alimentis ritè diſſolvendis apta, aër elaſticus remanet, fermentatione in primis viis ex alimentis extricatur, hinc ructus, borborygmi, dolores, tenſiones, tympanites aliaque mala plurima: inteſtina his flatibus diu diſtenſa laxantur, inde novas ſtaſes patiuntur in his materiæ chymaceæ, ubi iterum morâ fermenteſcunt.

Curatio itaque morborum flatulentorum eò dirigi debet ut ſalivæ & ſucci gaſtrici fluxilitas & vis diſſolvens reſtituatur, quod potus diluens ex infuſione chamomillæ, veronicæ, chamædryos; aquæ acidulæ ſale Glauberiano fœtæ, ut Aleſienſes, Vallenſes, efficiunt; ſed ſi debitum exercitium, ut equitatio, deambulatio, ad ſolvendam fluidorum viſciditatem, & aquei potûs cum ipſis intimam miſcelam, non concurrat, fruſtranea ſunt medicamina; magna etiam eſt habenda victûs ratio, imprimis tuburcinatio, edulia non fermentata, dulciaria, piſtorum fercula vitanda ſunt; offis & carne tum aſſata tum elixa ac potu aqueo veſcendum, alvus laxa eſt ſervanda; catharticis exſiccantibus, rhabarbarinis raro utendum, aquea & ſalina multo præſtantiora ſunt. Ubi vigent dolores, præmiſſâ phlebotomiâ largus ptiſanæ emollientis potus calidus, ut aquæ pulli, eſt præſcribendus, & ſi dolor non ceſſerit ad laudanum confugiendum eſt.

Alterius generis eſt meteoriſmus qui in febribus putridis & malignis accidit; à putrefactione expanditur aër & extricatur in majori copia quàm abſorbetur. Aërem a putridis vaporibus deſtrui docent experimenta *Haleſii*; verum ubi ſunt mixta putreſcibilia multo aëri commixta calore & putredine ea ſtatim rareſcunt, ut patet ex meteoriſmo cadaverum, unde corrupta aquæ innatant; ipſæ carnes putridæ leviores evadunt aqua, ut *Illuſtriſſ. Pringle* expertus eſt.

Morbi flatulenti.	Enteritis flatulenta.	Phyſometra humida.
	Dyſpnœa tympanitica.	Tympanitis abdominalis.
	Pleurodyne flatulenta.	Tympanitis aſciticus.
	Cardialgia lactentium.	Meteoriſmus ſtomachi.
	Colica flatulenta.	Meteoriſmus hyſtericus.
	Singultus flatulentus.	Hypochondriaſis flatulenta.
	Dyſpnœa à pneumatia.	Cholera flatulenta.
	Cardialgia flatulenta.	Flatulentia nidoroſa.
	Gaſtrodynia flatulenta.	Flatulentia accidentalis.
	Aſphyxia flatulenta.	Pneumatoſis artificialis.
	Maſtodynia emphyſematoſa.	Phyſometra ſicca.
	Ileus phyſodes.	Tympanitis inteſtinalis.
	Flatulentia acida.	Tympanitis enterophyſodes.
	Flatulentia hypochondriaca.	Tympanitis Stwartii.
	Pneumatoſis hyſterica.	Meteoriſmus abdominis.
	Pneumatoſis febrilis.	

Medi-

Medicamenta carminativa.

Aqua menthæ compoſita, à drachm. ij ad unciam j.
Aqua imperialis, generalis, theriacalis, à drachm. j ad IV.
Aqua naphæ, aqua cinnamomi hordeata, à drachm. ij ad IV.
Tinctura abſinthii, balſamum vitæ Hoffmanni, à gutt. x ad xxx.
Elixirium Garus, à drachm. ij ad IV.
Syrupus de mentha, à drachm. ij ad unc. ij.
Opiata Salomonis, à ſcrupulo j ad drachm. j.
Oleum eſſentiale aniſi, à gutt. ij ad vj.

Anodyna.

Syrupus papaveris albi, adultis, à drachm. IV ad unc. j.
Syrupus de karabe, à drachm. IV ad unc. j.
Caput papaveris albi decoctum, num. j.
Extractum capitum papaveris rhœados, à gran. x ad x, xx.
Extractum opii, à quarta parte grani ad gran. j, vel aſſuetis plura.
Laudanum ſolidum eâdem doſi; opium eadem doſi.
Laudanum liquidum, adultis, à gutt. vj ad xx; & aſſuetis plures.
Philonium Romanum, à ſcrupulo j ad drachm. j.
Theriaca recens, à gran. xx ad drachm. ij.
Pilulæ de cynogloſſo, à gran. ij ad viij.
Camphora à gran. iij ad xv, in hyſtericis, convulſivis, maniacis.
Moſchus à gran. j. ad xij.
Sal ſedativum, à gran. iij ad xx in hyſtericis.

Extus oleum chamæmeli, liliorum, anethi, ſeſeli, amygdalarum; unguentum de Althea, ceratum Galeni; butyrum recens, de cacao; pinguedo urſi, porci, vituli, humana; lac. Semen lini, fœnugræci; flores & folia violarum, malvæ; radices altheæ; bulbi liliorum.

CLASSIS DECIMA SEXTA.

MORBI PURULENTI;

Maladies purulentes.

PUs eſt humor albus, ſubviſcidus, inodorus, aquâ ponderoſior, qui ex partis inflammatæ ſuppuratione exſurgit. *Ichor* eſt humor fœtidus, liquidior, ſeroſus, diverſicolor, putris, brunneus, virideſcens, lu-

teus, nigricans, qui ex ulceribus cariebuſve exſtillat : ſi rubellus ſit à tinctura ſanguinis *ſanies* vocatur ; ſi ex ulcere gangrænoſo omnino putrido & nigricans ſit, *tabum* dicitur.

Puris materia exſiccata *cruſta* vocatur ; ſi à cauſtico facta ſit, eſchara eſt.

Quomodo verò diſtinguatur à pure humor ſebaceus qui ſine prævia inflammatione ex lupiis, favis, tineâ, cryptis tarſorum, œſophagi effluit ; qui in morbis catarrhoſis expectoratur viſcoſior pure, non ut pus reſolubile in griſeam paſtam, hoc inquirendum reſtat.

Omnis humor purulentus, diu in corpore retentus, tandem fœtidus, acer, corroſivus, putris evadit ; ex hujus præſentia irritantur nervi ; hinc obortâ pyrexiâ foras formâ ſudoris enureſis, diarrhϾ, emittere natura conatur ; hinc oriuntur tabes, amphimerina hectica, diarrhϾ colliquativæ, ſudores colliquativi, phthiſes &c. Si ſuppurentur puſtulæ herpeticæ, varioloſæ, leproſæ ; ſi phlyctænæ, erythemata, ſimiliaque vitia cutanea puri originem præbuerint, pus illud eſt magis acre, magis virulentum ; ſi verò ſcrophuloſi tumores, lupiæve, huic anſam dederint, pus eſt mitius, viſcoſius, à putredine magis alienum, nec pyrexiam lentam facilè excitat.

In omni morbo purulento exitus eſt ociſſimè puri facto, ichori, ſaniei, parandus ; ulcera detergenda ; fiſtulæ aperiendæ, dilatandæ, cuniculi reſerandi, ne in textum cellularem diffuſa materies morbifica novas ſtrages edat & ulterius diffundatur ; aëris acceſſus, quo putredo intenditur, cautè arceri debet, quod extus optimè præſtant balſamica ; alkaleſcentia & putredo arcenda, cui ſcopo diuretica, balſamica, vulneraria potu theiformi & lotu præſtant ; deinde verò demulcentia, incraſſantia, lacticinia diſſolutionem ulteriorem humorum avertunt ; ſucceſſu enim temporis cùm purulentia maſſam ſanguineam infecit, hæc maſſa reſolvitur, & lympha acris & diſſoluta diarrhœas colliquativas, ſudores fœtidos, ſuberrimos excitat. Vide curam in acrimoniis diſſolutis.

Morbi purulenti.	Ephemera vulneraria.	Peripneumonia phtiſicorum.
	Amphimerina varioloſa.	Convulſio à capitis ictu.
	Cephalitis ſpontanea.	Rigor à purulentia.
	Cephalitis cerebelli.	Singultus purulentus.
	Cynanche ulceroſa.	Dyſpnœa à vomica.
	Hepatitis ſuppurans.	Dyſpnœa à ſtomacho.
	Palpitatio apoſtematoſa.	Orthopnœa à vomica.
	Eclampſia traumatica.	Orthopnœa ab empyemate.
	Tuſſis phthiſica.	Pleurodyne phthiſica.
	Dyſpnœa à liene.	Empyema à peripneumonia.
	Dypnœa traumatica.	Empyema mediaſtini.
	Amphimerina tabidorum.	Empyema intercoſtale.
	Tritæophya varioloſa.	Amauroſis à ſynchyſi.
	Cephalitis traumatica.	Paraphonia ulceroſa.
	Carditis ſpontanea.	Syncope ab apoſtemate.

Hemi-

Morbi purulenti

Hemicrania ocularis
Hemicrania purulenta.
Ophthalmia unguis.
Odontalgia carioſa.
Dyſphagia ulceroſa.
Pyroſis ulceroſa.
Hepatalgia intercus.
Splenalgia ſuppurata.
Nephralgia à carie.
Hyſteralgia ulceroſa.
Hyſteralgia purulenta.
Maſtodynia carcinomatoſa.
Lumbago ab arthrocace.
Lumbago apoſtematica.
Iſchias ex abſceſſu.
Ptyaliſmus aphthoſus.
Proctalgia à fiſtula.
Proctalgia Braſilienſis.
Pudendagra carcinomatoſa.
Angina ſuppuratoria.
Pleurodyne ex abſceſſu.
Empyema à vomica.
Empyema diaphragmatis.
Cataracta purulenta.
Anoſmia ab ozæna.
Hemiplegia apoſtematoſa.
Lethargus pulmonicus.
Hemicrania odontalgica.
Ophthalmia elcoma.
Ophthalmia fiſtuloſa.
Odontalgia à parulide.
Dyſphagia tuſſiculoſa.
Gaſtrodynia ulceroſa.
Hepatalgia apoſtematoſa.
Nephralgia purulenta.
Nephralgia meſenterica.
Hyſteralgia cancroſa.
Hyſteralgia ex abſceſſu.
Maſtodynia apoſtematoſa.
Lumbago pſoadica.
Iſchias à carie.
Ptyaliſmus purulentus.
Ptyaliſmus à pædanchone.
Proctalgia à rhagadibus.
Pudendagra ab ulcuſculis.
Hypochondriaſis phthiſica.
Agrypnia à pancreate.
Hæmoptyſis à tuberculis.
Hæmatemeſis à pancreate.
Dyſenteria à vomica.
Diarrhœa purulenta.
Lienteria ulceroſa.
Teneſmus Indicus.
Teneſmus à carcinomate.
Epiphora ægilopis.
Coryza purulenta.
Anacatharſis phthiſica.
Anacatharſis puriformis.
Pyuria renalis.
Pyuria à thorace.
Leucorrhœa ulceroſa.
Leucorrhœa ſyphilitica.
Galactirrhœa purulenta.
Gonorrhœa virulenta.
Ædopſophia urethræ.
Dyſodia pulmonica.
Dyſodia à tinea.
Tabes ulceroſa.
Tabes renalis.
Phthiſis humida.
Phthiſis aſthmatica.
Anaſarca purulenta.
Phlegmatia Malabarica.
Phlegmatia cruralis.
Hæmoptyſis phthiſica.
Stomacace purulenta.
Menorrhagia ulceroſa.
Vomitus ab ulcere.
Cœliaca purulenta.
Lienteria aphthoſa.
Teneſmus ulceroſus.
Ephidroſis hectica.
Epiphora anchilopis.
Coryza virulenta.
Anacatharſis à vomica.
Dyſuria nephralgica.
Pyuria veſicalis.
Pyuria à meſenterio.

Morbi purulenti.

Leucorrhœa fungoſa.	Frambæſia Americana.
Leucorrhœa carcinomatoſa.	Syphilis venerea.
Gonorrhœa pura.	Tinea humida.
Otorrhœa purulenta.	Lepra Aſturienſis.
Dyſodia ozæna.	Elcoſis varioloſa.
Dyſodia ab otorrhœa.	Elcoſis ſcrophuloſa.
Tabes à vomica.	Gangræna omnis.
Tabes apoſtematodes.	Hydrometra puriformis.
Phthiſis ſicca.	Iſchuria cyſtopyica.
Phthiſis ſcrophuloſa.	Malis cornupedum.
Phthiſis à vomica.	Frambæſia Guineenſis
Phlegmatia ulceroſa.	Syphilis Polonica.
Phlegmatia elephantiaſis.	Tinea favoſa.
Aſcites purulentus.	Elcoſis fiſtuloſa.
Aſcites intercus	Elcoſis herpetica.
Iſchuria nephropyica.	Elcoſis hydropum.
Iſchuria urethropyica.	

CLASSIS DECIMA SEPTIMA.

Morbi acrimonioſi;

Maladies acrimonieuſes.

ACrimonia eſt in humoribus vel ſanguine principiorum ſalinorum prædominium.

Principia ſalina ſanguinis ſunt vel aceſcentia vel alkaleſcentia, vel neutra ut muriatica; aſt in ſanguine vix unquam acor obſervatur niſi in morbis lacteis; acrimonia verò acida primarum viarum ad morbos ſaburrales attinet.

Hîc itaque agitur de acrimonia alkaleſcente vel muriatica ſanguinis & humorum, & huc referendi ſunt morbi omnes virulenti, bilioſi, necnon purulenti; horum quipiam *melancholici* à Veteribus habebantur, quo nomine intelligebant eos qui ab atrâ bile excitantur ſeu ab humore acri ſimul & viſcido, tum in primis viis contento tum in maſſam ſanguinis diffuſo. Alii verò morbi acrimonioſi ſunt cum ſanguine ſeroſo ſeu diſſoluto, & illi morbi poſſunt vocari lixivioſi, quia fluidum multo ſale ſaturatum pro principio agnoſcunt: ſed lixivioſi recidunt ad *purulentos* vel malignos à diſſolutione, ut ſunt *ſcorbutici*, *exanthematici*, *caſtrenſes* &c.

Acrimonia cum ſiccitate & ardore, qualis poſt labores immodicos, itinera ætate ſuſcepta, uſum potuum ardentium, condimentorum, ut ſalis, piperis,

piperis ; maxime ſi concurrat genus vitæ quod fornacum , ignis præſentiam exigit , ut ars coquorum , vitriariorum , fabrorum ferrariorum , chymicorum &c , curatur diluentibus , qualia ſunt in acutis infuſa ex foliis floribuſque emollientibus , violæ , malvæ ; potus nitrati ; aqua pulli ; emulſiones ; limonatæ vegetabiles ac minerales , phlebotomia præmiſſâ , ut calor , ſitis , pyrexia contemperetur ; necnon præmiſſâ catharſi antiphlogiſticâ ex tamarindis , caſſia , manna. In chronicis juſcula ex pullo , ranis , carne vitulina , cum radicibus graminis canini , fragariæ , ſeminibus frigidis majoribus ac minoribus quibus pulli venter infarctus ſit ; ſerum lactis purum ſerò & mane per aliquot dies ad uncias xij hauſtum , aquæ acidulæ æſtivo tempore per novem dies epotæ intra trihorium ad libras vj , vel pro potu ordinario ad libram j vel j & ſemiſſ. quotidie per menſem : balnea domeſtica præmiſſâ catharſi antiphlogiſtica per dies quindecim aut viginti , horis matutinis , in quibus per horam ſtet æger ; & ſi maniacus æger fuerit balnea frigida ſunto ac frigida caput irrigetur.

Si acrimonia fuerit ſine ardore aut cum ſanguinis viſcoſitate , pulſu tardo , duro , ut in melancholicis & hypochondriacis , maſſa ſanguinis eſt diluenda ſed ſimul reſolvendo , adeoque juſculis addenda ſunt folia ex plantis diureticis , antiſcorbuticis ut cichorio , endivia , ſyſimbrio , taraxaco , additis cancris fluviatilibus , millepedibus , ut viſcoſitas ſanguinis ſolvatur : martialia etiam parvâ doſi ptiſanis vel juſculis addantur : aquæ acidulæ ſale Glauberiano fœtæ , ſerum lactis ſucco plantarum prædictarum onuſtum , æſtate balnea domeſtica , cœlo ſereno , ruſtico , exercitia moderata ut equitatio , deambulatio adhibenda ſunt ; nec enim acrimonia ſanguinis è viſcoſo poteſt educi , niſi viſcoſitas medicamentis & exercitio reſolvatur ; autumno verò juſcula ex teſtudinibus cum herbis nitroſis , lacte ſaponaceo turgidis ; deinde verò lac aſininum per menſem unum aut alterum uſurpetur.

Huc referendi ſunt omnes morbi virulenti , exanthematici , metaſtatici , bilioſi , purulenti , & præterea

Morbi acrimonioſi.	Pruritus omnis.	Polydipſia hydrophobica.
	Cephalæa ab acrimonia.	Satyriaſis neogamorum.
	Ophthalmia ſicca.	Nymphomania ſalacitas.
	Ophthalmia trachoma.	Nymphomania fervor uteri.
	Pyroſis vulgaris.	Hæmaturia lateritia.
	Hyſteralgia pruriginoſa.	Dyſenteria alba.
	Proctalgia intertriginoſa.	Dyſenteria atrabilaria.
	Pudendagra pruriens.	Diarrhœa Chilienſis.
	Pudendagra arſura.	Diarrhœa hypercatharſis.
	Pica chloroſiantium.	Epiphora calida.
	Boulimia canina.	Diabetes legitimus.
	Boulimia eſurigo.	Dyſuria à diabete.
	Boulimia ab acidis.	Dyſuria primaria.

 Gonor-

Morbi acrimonioſi.

Gonorrhœa libidinoſa.
Gonorrhœa balani.
Flatulentia nidoroſa.
Chloroſis infantum.
Anxietas tibiarum.
Ophthalmia angularis.
Ophthalmia puſtuloſa.
Odontalgia hæmodia.
Colica lactentium.
Lumbago à ſatyriaſi.
Proctalgia teneſmodes.
Pudendagra gonorrhoica.
Pica infantilis.
Pica antiſcorbuticorum.
Boulimia cardialgica.
Boulimia addephagica.
Polydipſia febrilis.
Satyriaſis venerea.
Satyriaſis chronica.
Nymphomania furibunda.
Nymphomania pruriginoſa.
Hæmaturia ſpuria.
Dyſenteria à catharticis.
Melæna atrabilis.
Diarrhœa febricoſa.
Lienteria ſpontanea.
Epiphora ophthalmica.
Diabetes à vino.
Dyſuria herpetica.
Dyſuria venerea.
Gonorrhœa oneirogonos.
Flatulentia acida.
Tabes rachialgica.

CLASSIS DECIMA OCTAVA.

MORBI ORGANICI;

Maladies organiques.

SUnt illi qui ab organorum, ſeu partium ſolidarum, viſcerum, glandularum evidenti diſpoſitione, figura, magnitudine, (tumore non inflammatorio nec purulento) demum luxatione, hernia, prolapſu dependent.

Differunt ab emphracticis quod emphractici ſupponant obſtructionem ſeu obturationem canalis vitio fluidi craſſi cujus tranſitus denegatur; organici verò ſupponunt figuram, volumen, ſitum cujuſdam viſceris aut organi, non verò vitium fluidi; differunt à phlogiſticis defectu inflammationis, à purulentis defectu ſuppurationis.

Morbi organici ſunt diuturni & curatu difficillimi, niſi vitium organicum operatione chirurgicâ tolli queat: ſic cordis auricularum, aortæ aneuryſmata, tumores, oſſificationes, polypi, vomicæ, medicamentis nullis, nulli diætæ cedunt; & cùm ars chirurgica nihil præſtare poſſit morbi ab his principiis oriundi ſunt immedicales, ut

Morbi organici.

Palpitatio.
Orthopnœa.
Syncope.
Cardialgia.
Cardiogmus.
Dyſpnœa.
Pleurodyne.
Lumbago.
Dyſphagia.
Dæmonomania.

Idem

Idem dictum eſto de morbis à viſcerum ſarcomate, excreſcentia, ſcirrho, cancro, glandulis; à graviditate quatenus illi tumores pondere, preſſione vicinas partes irritant.

Morbi organici.

Dyſphagia à ſarcomate.	Cardialgia ſcirrhoſa.
Colica à pancreate.	Colica meſenterica.
Hepatalgia à ſarcomate.	Hepatalgia Petitiana.
Splenalgia ſarcomatoſa.	Nephralgia monſtroſa.
Nephralgia ſcirrhoſa.	Hyſteralgia cancroſa.
Hyſteralgia ſcirrhoſa.	Maſtodynia portentoſa.
Dyſpnœa hydropneumonica.	Dyſpnœa à tuberculis.
	Dyſpnœa à vomica.
Dyſpnœa ab hydatidibus.	Dyſpnœa à carie.
Dyſpnœa à liene.	Orthopnœa à pinguedine.
Dyſpnœa rachitica.	Orthopnœa cardiaca.
Orthopnœa à bronchocele.	Orthopnœa thymica.
Orthopnœa à lipomate.	Hydrothorax ab omento.
Orthopnœa polypoſa.	Cataracta omnis.
Hydrothorax hydatidoſus.	Caligo à ſarcomate.
Caligo à lupia.	Caligo à pterygio.
Caligo à cancro.	Lumbago meſenterica.
Caligo à pacheablepharoſi.	Proctalgia à cancris.
Proctalgia à mariſcis.	Pudendagra à phimoſi.
Pudendagra cancroſa.	Nauſea à ſcirrho.
Amentia à tumore.	Vomitus gravidarum.
Vomitus à ſteatomate.	Vomitus ab hepate.
Vomitus à pancreate.	Dyſpermatiſmus nodoſus.
Dyſpermatiſmus refluus.	Tabes à pericardio.
Tabes ab hydrope.	Graviditas mola.
Graviditas ſarcoma.	Amblyopia hydrophthalmica.
Rachitis nodoſa.	
Amauroſis ſcrophuloſa.	Amauroſis venerea.
Anoſmia à polypo.	Anaphrodiſia à mariſcis.
Paraplexia hydrorachitica.	Paraplexia ex gibbere.

Multi morbi pendent à partium vel oſſearum vel mollium è ſuo loco dimotione.

Morbi organici.

Caligo à ceratocele.	Caligo à ſtaphylomate.
Orthopnœa à gaſtrocele.	Aſthma à gibbo.
Dyſpnœa à gaſtrocele.	Enureſis hernioſorum.
Iſchuria à cyſtocele.	Ileus hernioſus.
Nauſea à gaſtrocele.	Pudendagra hernioſa.
Pudendagra à parorchidio.	

CLASSIS DECIMA NONA.

Morbi vulnerarii;

Maladies vulneraires.

SEu qui à vulnere, fractura, ictu, contuſione, &c, oriuntur; horum diagnoſis eſt facillima ut plurimum; ſymptomata verò pertinent partim ad dolores, qui eò diriores ſunt quò plures nervi læſi ſunt, quò inſtrumentum ſecans eſt aſperius & lacerare potiùs quàm ſecare aptum; poſt vulnera lacerata, puncturæ cutis, extremorum digitorum, nervorum & tendinum atrociores dolores excitant; ex his quandoque ſpaſmi ſuperveniunt; tertium genus ſymptomatum ad inflammationem pertinet, hinc tumor, tenſio, rubedo, calor, dolor ut plurimum cum pyrexia; inflammatio verò vel reſolvitur vel abit in ſuppuratum, vel demùm gangrænâ terminatur: ultimum genus ſymptomatum vulnera ſtipantium eſt ſanguifluxus, qui eò major quò majora vaſa tranſverſim ſecta ſunt, & ſub pari diametro ter major eſt ex arteriis quàm ex venis.

Vulnera ſclopetaria cæteris ſunt pejora, maxime ob vehementem quam inferunt toti corporis compagi ſuccuſſionem, inde erethiſmus, vaſorum conſtrictio per faſcias aponeuroſeſque irritatas, hinc ſtaſes ſanguinis gangrænæ excitandæ aptiſſimæ, quibus maximè nocent ſpirituoſa, dolorem, ſpaſmum, gangrænam accelerantia.

Contuſiones gangrænam faciliùs inducunt quàm vulnera; imò ſi partibus mollibus ut abdomini inferantur, dum nulla ſui in integumentis veſtigia relinquunt, periculoſas in vulneribus impreſſiones tranſmittunt; nam viſcera undique contenta reſiſtunt impetui & quæ magis reſiſtunt ictibus ea magis patiuntur; actio enim reactioni æqualis eſt

Morbi traumatici.
- Pleuritis.
- Cephalitis.
- Carditis.
- Ephemera vulneraria.
- Phlegmone.
- Peripneumonia.
- Gaſtritis.
- Cyſtitis.
- Ecchymoma.

Morbi evacuatorii qui vulnera ſequuntur, ſunt

Morbi traumatici.
- Hæmoptyſis.
- Abortus.
- Vomitus ſympathicus.
- Hæmatemeſis aneuryſmatica.
- Hæmaturia.
- Hepatirrhœa.
- Hæmatemeſis traumatica.

Morbi

Morbi convulſivi etiam plures inde oriuntur.

Morbi traumatici.	Triſmus.	Convulſio.
	Eclampſia.	Epilepſia.
	Tetanus.	

Ex ictibus capiti, medullæ ſpinali inflictis, oriuntur,

Morbi traumatici.	Amauroſis.	Aphonia.
	Dyſecœa.	Cophoſis.
	Amentia.	Amneſia.
	Vertigo.	Mutitas.
	Hemiplegia.	Paraphonia.
	Aſphyxia.	Carus.
	Apoplexia.	Rachialgia.

Ex vulneribus pectoris oriuntur,

Morbi traumatici.	Pleuritis.	Peripneumonia.
	Hæmoptyſis.	Dyſpnœa.
	Pneumatoſis.	Carditis.
	Orthopnœa.	Empyema.

Abdomine verò contuſo, vulnerato,

Morbi traumatici.	Cyſtitis.	Gaſtritis.
	Hepatirrhœa.	Hæmaturia.
	Abortus.	Aſcites.
	Hæmatemis.	

In vulnerum curatione diæta æque tenuis eſt ſervanda ac in morbis inflammatoriis, & ſi gravia contuſa penetrantia, primis diebus à juſculis abſtinendum, & potus aqueus tantùm concedendus; phlebotomiæ, niſi æger à ſanguifluxu debilitatus ſit, ſunt adhibendæ & ſæpe repetendæ ut poſt operationes chirurgicas: expectanda etenim eſt pyrexia quam prævertere conſultum eſt: ptiſana herbarum vulnerariarum convenit, maximè ſi ecchymoſis adſit; poſitura ſanguinis & puris exitui commodior eſt ſervanda; dolores & ſpaſmi phlebotomiis, emollientibus, ſolerti vulneris mundatione, peregrinorum corporum, ut fruſtulorum oſſis, cruoris, puris, glandium plumbearum, &c, extractione, demùm terebinthinæ in ovi vitello ſolutæ affuſione ac narcoticis intus ſumptis ſedantur.

Si nervi vel tendinis punctura ſpaſmi anſam præbeat, nec hæc ſymptomata prædictis auxiliis cedant, ad tranſverſam nervi vel tendinis ſectionem deveniendum eſt.

In vulneribus ſclopetariis cavendum à ſpirituoſis & calidis, quæ augent erethiſmum: emollientia, ſedantia, & ſi adſit ecchymoma ſolers ſcarificatio gangrænam tutius prævertunt. Sanguifluxus è vulnere, ſi exiguæ arteriæ & venæ tuſæ ſint, permittendus ad arcendam inflammationem, ſi

uberior ſit linteo carpto cohibendus ; aut ſi periculum urgeat arteria ſupra vulnus eſt comprimenda ; ſi ea majuſcula ſit & puncta, tranſverſim ſecetur, quo facto retracta anguſtabitur, lamina boleti igniarii mollis, vulgò *amadou* vulneri appreſſa ſine incommodo ſanguifluxum cohibebit, modo appreſſa teneatur ; ſpiritus vini purus effuſus cruorem coagulando & vaſa criſpando ſanguinem ſiſtet : ſed è cavo pectoris abdominiſve refluens ſanguis non cohibendus eſt, quippe intro collectus in tabum putridum mutaretur, ſed phlebotomiis, diætâ tenuiſſimâ, quiete mentis & corporis, maximè præcavendus.

Cætera ex ſcriptis *Heiſteri*, *Platneri*, *Ludwigii*, aliiſque eruantur : hîc enim ſumma rerum cacumina attingere tantùm animus eſt.

CLASSIS VIGESIMA.

MORBI EMPHRACTICI;

Maladies d'obſtruction.

SUnt illi qui pendent à canalium, vaſorum, meatuum obſtructione, immobilitate, imperforatione. Plurimi quidem ſtipantur tumore, ſcirrho, infarctuve viſcerum, & ad organicos videntur referendi ; verùm organici pendent, non à cauſa obturante canales, ſed ex eo quod tumores, ſi adſint, alio quocunque modo noceant, ut gravando, irritando ; & in hoc differunt ab emphracticis.

Aliæ ſunt obſtructiones evidentes, ſenſibus conſpicuæ, ut pupillæ in cataracta, œſophagi in angina, alvi in conſtipatione, inteſtini in ileo hernioſo ; aliæ ſunt obſcuræ & vi ratiocinii, quandoque hypothetici deductæ, ut nervorum in paralyſi, vaſorum in febre, atque, ſi Neotericis quibuſdam credamus, maxima pars morborum his obſtructionibus debetur, hinc apparet quàm fallax ſit methodus aitiologica.

Emphraxis pendet vel à vitio fluidi tranſituri, vel à vitio canalis tranſeundi, vel demùm à culpa principii moventis, ſine quo nullus tranſitus ſeu nullus fluidi motus dari poteſt.

Medicus itaque obſtructionem curaturus debet hujus cauſam prius indagare ; ſit verbi gratia menoſtaſis ſeu catameniorum emanſio vel ſuppreſſio : inquirendum eſt num uterus tono, rigiditate, dolore, ſpaſmo conſtrictus ſanguini fluxuro exitum deneget, in quo caſu ſemicupia, vapores humidi, fomenta emollientia, anodyna, antiſpaſmodica hanc obſtructionem ſublatura ſunt, quam emmenagoga & calida irritantia valent intendere aut in pejorem ſtatum mutare.

Si ſanguis non adſit ſuperfluus, ut in nutricibus, convaleſcentibus, impu-

impuberibus , quæ valent catamenia movere aut uteri obſtructionem reſerare ſunt analeptica , vires reſtaurantia. Si ſanguis viſciditate peccet , tunc diluentia , moventia , emmenagoga vulgaria fluorem ſanguini conciliabunt , & nullum erit ex ejus craſſitie fluxuris catameniis impedimentum ; ac demum ſi inertia , languor , mœror , debilitas principii vitalis in cauſa ſit cur ſanguis uteri vaſa non ſufficienter diſtendat , tunc exercitia , ſtimulantia , ambulatio , equitatio catamenia reſtituunt.

Sæpius verò plura principia concurrunt ſimul ad catamenia ſupprimenda , & tunc auxilia his vitiis impugnandis propria debent combinari ; ſic ſi ſanguis ſero deſtitutus , ſeu , ut aiunt , ſiccus concurrat cum ſolidorum ſtrictura & tono majori , debent humectantia , diluentia cum anodynis maritari ; ſi inertia principii vitalis cum plethora concurrat tunc phlebotomia , quæ plethoram tollit , tollit & reſiſtentiam principio vitali oblatam , unde ab hac ſarcina liberatum hoc principium velocius faciliuſque impellet ſanguinem quoquoverſum & ſpecialiter in uterum. Si fluidorum craſſities & viſcoſitas gummoſa concurrat cum vaſorum atonia & laxitate , tunc utrique vitio medentur martialia , caſtoreum , reſinæ ferè omnes.

Hinc patet quantum illudant tyronibus , qui non ſatis diſtinctis ejuſdem morbi principiis ſeriem formularum huic medendo deſtinant , quæ quantum in uno caſu proſunt , tantum in altero nocere poſſunt : Nulla itaque eſt methodus quæ ſine ſedula principiorum & cauſarum inveſtigatione , ſeu ſolida & certa theoria nos poſſit in tutam praxim manuducere ; ſed ante omnia inquirendum eſt nomen morbi , id eſt ſigna cuique ejus ſpecierum propria ; ſignorum enim illorum concurſus ut ſpeciem ita & ejus principium proximum à Medico debellandum determinat.

Morbi emphractici	Hectica infantilis.	Hectica chlorotica.
	Tetartophya ſimplex.	Tetartophya ſplenalgica.
	Tetartophya hepatalgica.	Quartana legitima.
	Quartana ſplenetica.	Quartana duplex.
	Quartana triplex.	Erratica vaga.
	Palpitatio chlorotica.	Hyſteria chlorotica.
	Hyſteria emphractica.	Cataracta vera.
	Cataracta antiglaucoma.	Cataracta glaucoma.
	Cataracta membranacea.	Cataracta ſecundaria.

CLASSIS VIGESIMA PRIMA.

MORBI VERMINOSI;

Maladies vermineuſes.

QUæcunque inſecta in corpore genita morbos inducunt ; hi morbi vulgò à Medicis *verminoſi* vocantur. Inter vermes propriè dictos novimus tantùm gordium Medinenſem, furiam infernalem, lumbricum ſtrongylum, aſcaridem vermicularem & lumbricoïdem, faſciolam hepaticam & inteſtinalem, hirudinem medicinalem, tæniam ſolium, tæniam vulgarem, latam & caninam : Inſecta illa ſunt apoda, artubus oſſibuſque deſtituta & in corpore humano nidulantur.

Verùm his affines ſunt larvæ plurimorum inſectorum volatilium ; nam ova muſcarum, v. g. ut papilionum, cùm primùm excluſa ſunt, exhibent inſecta vermiformia, vel apoda vel pedata, quæ poſt aliquot exuvias dimiſſas in volatilia mutantur, poſtquam ſub forma nymphæ aut chryſalidis aliquamdiu veluti mortua vixerint : inſecta verò volatilia nos ſæpe importunè circumvolitant, os, nares, imò podicem, aures, ulcera, fiſtulas avidiſſimè ſubeunt ; quædam, ut oeſtri, pecorum corpora perfodiunt, & ibi ova ſua deponunt, unde naſcuntur tot larvæ in ſinubus frontalibus caprarum & hominum, in auribus purulentis, in puſtulis varioloſis, in ulceribus neglectis quæ pertinent ad muſcam carnariam ; illæ enim larvæ, ſi in phiala vitrea aliquamdiu ſteterint, in has muſcas mutantur : ſunt œſtri qui ſinus frontales potiſſimùm in ovibus ſubeunt, ut faſciola eorum ductum choledochum, & varenæ equorum ſtomachum in quo nidificant ; ea omnia inſecta vermibus ſatis affinia ſunt ; verùm ex his naſcuntur alia inſecta alata à vermibus valdè diſtincta.

Sub generico itaque licet improprio vermium nomine cætera inſecta quæ hominibus intus nocent aut extus huc referimus, de quibus ſigillatim conſulendi veniunt *Andry* & *Le Clerc*, nec non J. B. Bianchi de morboſa generatione, ac præ omnibus *Equitis Linnæi Syſtema Naturæ*, & *de noxa inſectorum diſſertatio.*

Signa lumbricorum ſunt conſuetudo lumbricos ore vel ano ejiciendi, pruritus narium, alterutrius genæ fugax rubedo, dolores vagi vel mobiles abdominis, alvi laxitas noctu præſertim ſuperveniens ſed inconſtans, odor oris proprius, ſenſus titillationis quaſi vermis ad œſophagum, tuſſis ſicca, febris cum pulſu non raro inæquali, parvo, intermittenti, mutitas, caroticus affectus, convulſio, vomitus ; ſed hæc ultima ſigna cum rubedine fugaci genæ & tuſſi ſicca ſunt quandoque dentitioni difficili communia

omnia ſine lumbricis, adde famem ſeu eſuriginem inconſtantem, faciei pallorem, feces griſeas, ſtridorem dentium, urinas turbidas; ſigna in tænia ſunt prioribus non diſſimilia, excepto quod in tæniâ laborantibus cardialgia, bulimia, eſurigo, cùm ſtomachus eſt cibis vacuus, frequentiores & majores ſint, quod cucurbitini ſeu fragmenta tæniæ cum fecibus excerni ſoleant, quæ titillationem aut pruritum podicis, non ſecus ac aſcarides excitant: huc attinent

Morbi verminoſi	Cardialgia.	Amphimerina.
	Nauſea.	Pleuritis.
	Colica.	Triſmus.
	Diarrhœa.	Eclampſia.
	Hectica.	Hyſteria.
	Purpura.	Typhomania.
	Pleurodyne.	Dæmonomania.
	Panophobia.	Rheumatiſmus.
	Tetanus.	Tuſſis.
	Vomitus.	Mutitas.
	Ileus.	Atrophia.
	Bulimia.	Scelotyrbe.
	Dyſenteria.	Chloroſis.

Morbi verò qui ab aliis inſectis dependent varii ſunt pro ſede quam ea occupant & pro diverſitate inſectorum.

Morbi verminoſi.	Phthiriaſis à pediculis.	Pruritus à pediculis.
	Trichoma à pediculis.	Vertigo à larvis in ſinubus.
	Hemicrania à larvis in ſinubus.	Otalgia à larvis.
	Scabies à ſironibus & faſciolis.	Herpes à ſironibus & faſciolis.
	Malis à muſcis.	Malis à pulice Americano.
	Malis à crinonibus.	Malis à dracunculis ſeu gordiis.
	Malis à ricinis Americanis.	Malis à furia.
	Atrophia à crinonibus.	Pruritus à crinonibus.
	Eclampſia ab aſcaridibus.	Tuſſis ab aſcaridibus.
	Teneſmus ab aſcaridibus.	Iſchuria ab aſcaridibus.
	Pudendagra ab aſcaridibus.	Hæmatemeſis ab hirudinibus.
	Eryſipelas à veſpis, apibus.	Dyſuria à cantharidibus.
	Priapiſmus à cantharidibus.	

Vermes è primis viis eliminantur vel enecantur: eliminantur per cathartica, potiſſimùm ſennam, rheum; emetica, ut ope tartari & vini

ſtibiati, aceti ſcillitici, a'ari. Enecantur interventu plantarum quæ gaudent ſapore amaricante fœtido, ut foliis & ſeminibus abſinthiorum, præſertim abſinthii ſantonici ſeu cinæ, ſcordii, tanaceti, ſantolinæ &c ad ſcrupul. j. forma pulveris: omnia amara proſunt, ut ſuccus aurantii amari, aloes, kinkina; olea omnia ad uncias ij ſumpta, præſertim oleum nucis, amygdalarum, ſal marinum, pulvis corallinæ, ſuccus limonum, radix filicis maris, mori, decoctum hydrargyri in aqua pro potu; mercurius dulcis ad grana xv præſcripto mane cathartico, veſpere injiciatur enema ex decocto paſſularum, ficuum, aliiſque dulcibus ad ineſcandos lumbricos: aqua etiam frigidiſſima apud adultos: demum in debellanda tænia arcanum *D. Herrenſchvand nunc Regis Poloniæ Archiatri*; vel quod tutius & lenius eſt illud *Da. Nouffre* quod poſſidet etiam *D. Pouteau Chirurgus Lugdunenſis celeberrimus, dexterrimus.*

Quoad alia inſecta quæ in diverſis partibus nidulantur, ea decocto tabaci extus admoto, pulvere hordei cauſtici, vulgò cevadille, litu mercurialis unguenti enecantur. Vide *curas ſpeciales in locis Noſologiæ allegatis.*

Extractum rhei, aloes, à gran. IV ad ſcrupul. j: pilulæ mercuriales à gran. vj ad drachm. j: extractum juniperi ad dragm. ij: tinctura abſinthii ad guttas xxx: vinum abſinthii, ad unc. IV; quinta-eſſentia abſinthii ad guttas xx; pilulæ Becheri ad ſcrupul. j.

CLASSIS VIGESIMA SECUNDA.

Morbi calculosi;

Maladies calculeuſes.

SUnt illi quos excitat vel fovet concretio terrea vel ſalino-terrea vel reſinoſa in corpore humano latens; illæ concretiones fiunt in omnibus ferè corporis humani partibus; in aure à cerumine indurato, unde dyſecœa vel cophoſis; circa dentes, unde labarium; in glandulis ſublingualibus, colli, meſenterii à concreto muco ſcrophuloſa; in cyſtide fellea ubi calculi ſunt polyhedri ex ſtratis viridibus, luteis & nigreſcentibus; in pulmone ſeu glandulis bronchialibus ubi tuſſim & dyſpnœam creant; in ſtomacho ubi bezoartica nuncupantur; inde ea ex cyſtide fellea in inteſtina delabuntur, ubi ileum quandoque creant; in utero & circa peſſaria intra vaginam, in articulis arthriticorum & illi ſunt cretacei; demùm in renibus, ureteribus, veſica & glandulis urethræ frequentiſſimi ſunt, & illi ſunt vel cretacei vel lapidei & murales, atque vel arenulas, vel lapillos,

lapillos, vel majores calculos ſphæroideos referunt hæc concrementa.

Concretum cerumen in canali auditorio ſoni tranſmiſſionem impedit, & vel auriſcalpio foras educitur, vel aquis thermalibus, ut Bagnolienſibus injectis diſſolvitur.

Calculi dentium ferramentis aptis auferuntur, illi dyſodiam excitant gingivarum accretionem impediunt, unde ſucceſſu temporis dentes carnibus denudati labuntur, & in radice ob putredinem humoris hærentis carioſi evadunt; dentes dealbant acida vegetabilia, ut acetoſa, tum foſſilia, ut ſpiritus ſalis; ſed dum lutum terreum his adhærens diſſolvunt hæc acida, ipſi vitreæ parti dentium rodendo nocent maximè. Solus fragarum uſus calculum dentium diſſolvit nec dentes flavos reddit.

Calculi ſeu tophi in geniculis enati (genicula voco loca ubi mutuò oſſa articulantur) nodos articulorum excitant, unde ancyloſes arthriticorum: hi calculi ruptâ cute demum foras ſponte prorumpunt, curantur ut arthritis.

Calculi ſublinguales, gutturales, dyſphagiam, anginam, ptyaliſmum excitant: hi ſectione chirurgica foras educuntur.

Calculi in bronchialibus glandulis enati multò frequentiores ſunt; quidam diutiſſimè geſtantur ſine noxa, quia non commoventur; alii verò hæmoptyſim, phthiſim, tuſſim producunt; his lac, aquæ thermales ſulphureæ remedio ſunt, quatenus horum expectorationem adjuvant.

A calculis hepaticis atrocia quandoque mala gignuntur, ſcilicet hepatalgia diriſſima rachialgiæ affinis, præter auriginem; juvant in his caſibus juſcula diluentia, aquæ acidulæ, ſaponaceæ, ſapo ipſemet ad drachmas ij quotidie deglutitus, balnea domeſtica, quibus demùm ipſi calculi in inteſtina delabi queunt, unde foras per alvum ejiciuntur.

Calculi inteſtinales ſunt ovis columbinis æquales aut majores, non aquæ innatant ut plures bilioſi, ex albo flaveſcunt, & iiſdem auxiliis eorum per inteſtina prolapſus juvatur. Vide *Ileum calculoſum*, *vomitum bezoarticum &c.*

Frequentiſſimi omnium ſunt calculi in viis urinariis enati, in quorum cenſu reponenda non ſunt arenulæ tenuiſſimæ quæ in matula concreſcunt ad parietes, quoties urinæ acres, ardentes ſunt, ſalinis principiis nimium ſaturatæ: hæ arenulæ rubræ ſub digito crepitantes efformatæ ſunt in matula, nec erant in corpore; verùm ſunt lapilli lentis, piſi, ciceris magnitudine, rubelli & duriſſimi, quos ſenes nephralgici, arthritici ſæpius non ſine dolore ejiciunt, ſibique tumulum ædificare dicuntur; hi lapilluli rarò gravem iſchuriam inducunt, & difficillimè ſi unquam diſſolvuntur. Vide *Nephralgiam arenoſam.*

Calculos majores renum & veſicæ quod attinet, illi vel ſunt murales, ſicci, duriſſimi, & vix ullum eſt lithontripticum quo diſſolvantur: ſola ſupereſt vel nephrotomia in certis circumſtantiis tentanda, ut cùm abſceſſus ad lumbos locum affectum indicat; vel cyſtitomia, lithotomia vulgò dicta, quæ hodie per apparatum lateralem Monſpelii feliciter inſtitui-

ſtituitur. Si verò calculus ſit vel omninò calcareus vel ex lapillulis duris cretaceo glutine coagmentatis factus, tunc eximia remedia ſunt infuſum ex drachma j foliorum uvæ urſi in libra j aquæ bullientis factum, & quotidie ſumptum ad uncias vj ſuperbibendo juſculum emolliens: 2° uſus quotidianus ſaponis vulgaris à drachm. ij ad iv: 3° lixivium ex aqua prima calcis vulgaris, quod remedium Ettmullero non erat ignotum, vel ex aqua prima calcis oſtreorum, quod quotidie bibitur ab unc. vj ad xij per multos menſes: de quibus vide eximium tractatum *Ill. Rob. Whytt.* Novi puerulum cui bis extractus eſt è veſica calculus, quique iterum calculo veſicæ afficitur; itaque lithotomia principium morbi non eradicat quod præſtant lithontriptica.

Morbi calculoſi.	Hectica à calculis.	Nephritis calculoſa.
	Convulſio nephralgica.	Dyſpnœa à calculis.
	Aſthma pneumonodes.	Angina calculoſa.
	Amauroſis à calculo.	Pſellimus calculoſus.
	Hemicrania nephralgica.	Gaſtrodynia calculoſa.
	Hepatalgia calculoſa.	Nephralgia calculoſa.
	Nephralgia arenoſa.	Nephralgia à pancreate.
	Dyſphagia pharyngea.	Hyſteralgia calculoſa.
	Hypochondriaſis calculoſa.	Hæmaturia calculoſa.
	Nauſea nephralgica.	Ileus calculoſus.
	Teneſmus calculoſus.	Vomitus bezoarticus.
	Ptyaliſmus à calculo.	Enureſis calculoſa.
	Dyſuria calculoſa.	Dyſuria nephralgica.
	Syncope Lanzoni.	Phthiſis calculoſa.
	Iſchuria cyſtolithica.	Iſchuria nephrolithica.
	Iſchuria uterolithica.	Aurigo calculoſa.

CLASSIS VIGESIMA TERTIA.

MORBI SPASMODICI;

Maladies ſpaſmodiques.

OMnis morbus ab anima dependens in corpore fit interventu contractionis muſcularis, ſive totus muſculus, ſive tantùm quidam ejus lacerti aut fibræ quædam contrahantur; hæc contractio à libertate non dependens in ſtatu morboſo *ſpaſmus* dicitur. Natura itaque in plurimis morbis ſpaſmo utitur ad eliminandam vel corrigendam materiem morbificam, & quandoque per errorem, moroſitatem, pravam conſuetudinem, ineptè hos

ſpaſm os

ſpaſmos excitat ſine præſentia materiæ morbificæ ſaltem Medicis cognitæ, ut in hyſtericis, hypochondriacis affectibus, doloribus, anxietate, agone mortis, profuſis evacuationibus. Non mirum itaque ſi quidam Neoterici, ut *Gandinius*, poſt Germanos maximam morborum partem ſpaſmis tribuant.

Spaſmos per ſympathiam & ſympathiæ leges explicare eſt obſcurum per obſcurius exponere, ac in mechanices & hydraulices leges impingere: omnis ſpaſmus eſt contractio muſcularis violenta, adeoque pendet ab influxu violento fluidi nervei in muſculos; requiritur in motu muſculari vis impreſſa fluido nerveo multoties major vi muſculi ipſius evidenti; nulla autem eſt vis motrix in homine præter eam quam animæ facultates exerunt, quæ muſculos integros decurtet.

Licet Anatomici in membranis viſcera involventibus fibras rubras non inveniant, inde non poſſumus inferre membranas illas vi muſculari contrahi non poſſe, cùm in morbis eas coarctari doceat obſervatio: dantur enim fibræ muſculares albæ, ut in inſectis ferè omnibus haud dubium eſt, dantur itaque contractiones ſpaſmodicæ membranarum viſcera involventium, ut meningum, pleuræ, peritonæi, necnon vaſorum excretoriorum; fibræ ſanguiferorum, inteſtinorumque in cadaveribus albiſſimæ ſunt, & ex his ſpaſmis ſupprimuntur excretiones, ſecretiones, fiunt humorum metaſtaſes, fluidi nervei influxus in partes ſupprimuntur, inde morbi qui convulſivis omninò oppoſiti videntur, ut carus hyſtericus, mutitas, amauroſis ſpaſmodica.

Horum morborum curatio difficillima, quia theoria obſcuriſſima eſt; alii enim ſpaſmi excitantur occaſione plethoræ, ut a menoſtaſi, & illi exigunt phlebotomiam; alii ab inanitione dependent in quibus phlebotomia valde noxia eſt, & adhiberi debent analeptica, cardiaca, ſpirituoſa; quidam à dolore cientur & in his conveniunt anodyna, narcotica; plurimi à pathemate foventur & in his cephalica, fragrantia, aromatica, camphora, moſchus, alkalina volatilia conferunt, necnon auxilia moralia quæ animam à triſtibus ideis divertunt, in quo cenſu reponi debent ambulatio, ruſticatio, equitatio, muſica, monita philoſophica, religionis præcepta quæ in chronicis, hyſtericis, hypochondriacis, melancholicisque morbis minimè ſpernenda ſunt.

In ſpaſmodicis morbis quædam auxilia generalia conveniunt, quæ à principio materiali morbi indicantur, uti emetica, cathartica cùm ſaburra primarum viarum his anſam præbent; anthelmintica cùm verminoſa eſt materia morbifica; phlebotomia cùm materia, febris vehemens, pulsûs plenitudo ſuadent; præter ipſa cùm ſpaſmi perſeverant ad antiſpaſmodica medicamina ſic dicta deveniendum eſt, qualia ſunt *in hyſteria*.

Sal volatile ſuccini à gran. x ad xxx: Oleum ſuccini ad gutt. xx.

Moſchus à gran. ij ad xx, vulgò ad gran. vj.

Camphora cum aliquot nitri granis ad gran. j - iij.

Aqua artemiſiæ in qua camphoræ fruſtum accenſum dein fuerit extinctum.

Pulvis caſtorei à gran. j ad xij: Tinctura croci eâdem doſi.

Tinctura caſtorei à gutt. xij ad XL: Tinctura myrrhæ ad gutt. xv.

Tinctura ſuccini à gutt. vj ad xx: Balſamus vitæ Hoffmanni ad gutt. x.

Aqua menthæ, aqua generalis, aqua theriacalis, aqua Reginæ Hungariæ, aqua Carmelitarum, elixirium Garus à drachm. j ad IV.

Tinctura cinnamomi à ſcrupulo j ad drachm. ij.

Sal ſedativum ad gran. xx.

Aqua rutæ, matricariæ, naphæ, meliſſæ ſimplex, ad unc. ij.

Sirupus de floribus aurantiorum, artemiſiæ, balſami de Tolu ad unc. j -- ij.

Balſamus Commendatoris de Perna, ad ſcrupul. j.

Lilium Paracelſi, ad guttas XL; Elixirium theriacale ad gutt. xx.

Pilulæ hyſtericæ, Pilulæ chalybeæ, à gran. vj ad ſcrupul. j.

Pulvis antiſpaſmodicus, Pulvis de gutteta, Pulvis radicis valerianæ ſylveſtris, à gran. vj ad ſcrupul. j.

Pulvis ſuccini ad ſcrupul. ij: Aqua Luciæ ad gutt. vj.

Flores tiliæ, lilii convallium, gallii lutei, ad pugill. ij. in infuſo theiformi, ſero lactis &c: flores tunicæ, primulæ veris.

Ad odorandum aqua Luciæ, ſpiritus volatilis ſalis ammoniaci, ſal volatile aromaticum oleoſum, ſal volatile aceti, aqua Carmelitarum, Reginæ Hungariæ.

In ſpaſmis à dolore, pathemate anodyna.

Philonium Romanum, à ſcrupul. j. ad drachm. j.

Pilulæ de cynogloſſo, à gran. iij ad x.

Theriaca cœleſtis, à gran. j ad xx.

Syrupus de Nymphæa, ad unc. j.

Theriaca Andromachi, Orvietanum, Mithridatium, Diaſcordium, à gran. x ad drachm. j.

Sal ſedativum, ad gran. xx.

Laudanum liquidum, à gutt. IV ad xx & ultra pro aſſuetis.

Syrupus de karabe, ſyrupus de papavere albo, à drachm. j ad IV.

Moſchus ad gran. x. Crocus ad gran. x. Camphora ad gran. ij, iij.

Extractum hyoſciami albi ad granum ſemiſſe.

Extus ſemina anethi, opium, camphora, caſtoreum, hyoſciamus.

In Epilepticis.

Pulvis foliorum aurantii ad gran. xx. Folia decocta ad manipul. ſemiſſ. pro duobus cyathis.

Radix valerianæ ſylveſtris pulveratæ, ad drachm. j; in decocto ad drachm. j -- ij.

Radix pæoniæ in decocto, ad drachm. ij; dictamni ad drachm. ij.

Viſcus quercinus ad drachm. ij in decocto.

Caſto-

Caſtoreum, ad gran. xij. Cinnabaris artificialis, ad gran. xij.
Hepar lupi exſiccatum, ad drachm. j.
Flores tiliæ, gallii lutei &c in potu theiformi.
Kinkina, ad drachm. j ter in die.
Flores hyperici in aceto infuſi.
Spiritus aceti, ad cochlear j, ter in hora.

CLASSIS VIGESIMA QUARTA.

Morbi atoni;

Maladies d'atonie.

LAxitas ſeu atonia partium procedit à minori fibrillarum eas componentium cohæſione, ſive fluidum ipſis ſpecificè levius ipſis interpoſitum ſit, unde tollitur proximitas ad cohæſionem neceſſaria, cùm vis cohæſionis cubo proximitatis reſpondeat; hinc laxitas corporis humani nimio calore reſoluti, ſive appreſſio mutua fibrillarum deficiat ob vaſorum inanitionem ſive fluidi ipſas diſtenſuri defectum. Sic intelligimus ab alvi-fluxibus, ſanguifluxibus, abſtinentia làxari & debilitari vaſa, tum totum corpus: verùm ſunt aliæ laxitatis cauſæ ad debilitatem referendæ, impetus fluidi nervei & ſanguinis eſt cauſa canales diſtendens; quippe fluidum duplo velocius vas flexibile trajiciens quadruplo fortius in ejus parietes agit, ergo inertia, languor, tarditas fluidi nervei nervis, tarditas ſanguinis ſanguiferis vaſis atoniam & debilitatem conciliat.

Animæ pathemata vivida, cupiditates intenſæ, fluido nerveo, proindeque ſanguini proportionatam velocitatem impertiunt, unde liquet cur languente animo omnia debilitentur, laxentur, ut patet ex leipothymia, ſyncope à metu.

Humores quidam corporis humani ratione voluptatis quam fovent aut excitant, ut ſaliva ſuavi ſalito ferculi ſucco imprægnata, ut ſemen prolificum diu retentum, hunc animi ſtatum vividum, hos appetitus excitant, ergo & vires motrices ſuſtinent; his verò deficientibus languet anima, languet nativus totius naturæ erethiſmus qui vigorem animæ & corporis comitatur.

Nervorum obſtructio, immeabilitas fluidi nervei eſt potiſſima paralyſeos & immobilitatis muſculorum cauſa; an verò ſerum iners & pituita ſolo contactu nervis electricitatem aufert, ut filis ferreis electricitatis conductoribus? hoc ſuadet analogia fluidi nervei cum vapore electrico: An à pituita obſtruantur pori nervorum? certè ligatis, compreſſis nervis, reſolvi muſculos appenſos non dubium eſt: in tanta rerum obſcuritate ignoramus

ignoramus quinam morbi cauſis internis tribuendi pertineant ad atonos ; quinam ad emphracticos , ad ſanguineos , ſeroſos &c , licet ſub eadem Claſſe , imò ſub eodem genere militent.

Morbi atoni.

Typhus exhauſtorum.
Convulſio ab inanitione.
Tremor à debilitate.
Hyſteria menorrhagica.
Claudicatio à debilitate.
Amblyopia crepuſcularis.
Amauroſis congenita.
Agheuſtia paralytica.
Cophoſis à tympano laxo.
Anæſtheſia naſcentium.
Anorexia exhauſtorum.
Aſthenia abſtenentium.
Anaphrodiſia gonorrhoica.
Syncope à phlebotomia.
Mutitas ſurdorum.
Hectica fluxuum.
Convulſio ab onaniſmo.
Tremor paralytodes.
Triſmus diaſtrophe.
Scelotyrbe inſtabilis.
Amblyopia abſoluta.
Amauroſis à narcoticis.
Paracuſis Williſiana.
Cophoſis congenita.
Anorexia paralytica.
Anorexia neophytorum.
Aſthenia ab inanitione.
Syncope ab inanitione.
Adipſia primaria.
Mutitas à narcoticis.
Paraphonia ſtertens.
Hemiplegia ab epilepſia.
Lethargus omnis.
Rheumatiſmus dorſalis.
Laſſitudo à fluxu.
Ephidroſis ſyncoptica.
Abortus à laxitate.
Enureſis infantum.
Leucorrhœa Americana.
Diplopia à debilitate.
Tabes dorſalis.
Tabes nutricum.
Atrophia à ptyaliſmo.
Anaſarca à fluxu.
Hemiplegia ab apoplexia.
Ecſtaſis reſoluta.
Apoplexia ſeroſa.
Laſſitudo à labore.
Amneſia à venere.
Hæmoptyſis à diapedeſi.
Diarrhœa acraſia.
Enureſis paralyticorum.
Dyſpermatiſmus apractodes.
Syrigmus à debilitate.
Tabes ſudatoria.
Atrophia nervoſa.
Atrophia ab alvi-fluxu.
Chloroſis à menorrhagia.

Auxilia atoniæ debellandæ apta ſunt diverſa pro diverſitate principii à quo pendent ; quæ pendet à laxiori fibrillarum cohæſione , quod ex partium mollitie cognoſcitur & ex ignavia , vita ſedentaria , abuſu oleoſorum , aëre calidiori , balneorum uſu pendet , exigit auxilia gymnaſtica , ut exercitium paulò validius conſtanter repetitum , ſæpius pro viribus auctum , ut potiſſimùm equitatio , venatio , ruſticatio , frictiones ex pannis calidis , volatili aromate , ſuccini fumo fœtis , balnea frigida æſtate repetita , natatio , aër montanus , regio ventis auſtrinis minus expoſita , frigida , uſus vini generoſi , ciborum aceto , ſucco limonum , ſale

ie conditorum ; hæc in chronicis benè multis neceſſaria ſunt. Apud omnes ferè convaleſcentes hæc atonia viget unde ipſis victum reficientem, aërem purum, exercitium viribus proportionatum ſuademus.

Si atonia ex ſanguifluxibus ſeu ab inanitione & collapſu vaſorum pendeat, indicantur auxilia diætetica chylum & ſanguinem reparantia ; ſi ſtomachi vires vigeant nec ulla ſaburra ſit in primis viis, cremores oryzæ, hordei, lacticinia varia vires à ſanguifluxibus exhauſtas reficiunt, maximè ſi à diabroſi pendeant aut foveantur illi ſanguifluxus, ut in menorrhagia ulceroſa, cancroſa, hæmoptiſi phthiſicorum ; magna ſimul quies animæ & corporis requiritur, ne impetu ſanguinis vaſa nondum coalita dehiſcant & novum ſanguifluxum patiantur. Si alvifluxus perſtiterint vix unquam digeſtiones rectè fiunt ; illis itaque proſpiciendum eſt per cathartica & ſtomachica ; dein verò cibus conveniens & quantitate viribus proportionata concedendus eſt, offæ, panatellæ, ova tremula genalitæ, decoctum album in his primaria ſunt ; jura ex carnibus ſemi-aſſatis & taleolatim ſectis, dum calent expreſſa juſculis addita ſuccum eupeptum ſuppeditant ; conveniunt etiam condimenta aromatica, cinnamomum, cortex citri, conditurae ex aurantiis Sinenſibus, nuce ; zingiber conditum ; juvant nux moſchata cujus pulvere juſcula condiuntur ; vinum generoſum Burgundiacum, Alicantinum, aut Hiſpanicum aliud.

Si ſeminis profluvium quodvis morbo anſam dederit, ut in tabe dorſali, amneſia à venere, anorexia exhauſtorum, lacticiniis, cremoribus jungenda ſunt aphrodiſiaca, ut chocolata cum vanilla, moſcho, cremores ex ſalab addito ginſeng, bulbi plurimarum orchidum in cremorem decoquendo mutati vires propiùs reficiunt : Huc pertinent morbi nutricum quas longior lactatio ſæpè exhaurit, unde tuſſis, phthiſis.

Si à ſero ſtagnante in ventriculis cerebri, medulla ſpinali, nervorum laxitas procedat, catharticis, emeticis, diureticis illud foras eſt ducendum, veſicatoriis, fontanellis ad nucham tuſſis extus derivandum ; ſudores ope ammochaſiæ, ſtupharum, balneorum thermalium, proliciendi ; thermæ autem eligendæ calidiores ſaleque potiſſimum ſcatentes, ut Balerucanæ, in quibus ſi per pauca minuta ſteterit æger, ephemera vehemens excitatur ſudore uberrimo intra horam ſolvenda, cui potiſſimum febri & ſudori tribuenda plurimorum morborum hujuſce proſapiæ ſanatio.

Illæ eædem aquæ thermales epotæ ſtomachi & inteſtinorum atoniam, anorexiam, vomitum inde ortum ſanant. Diarrhœas ab inteſtinorum atonia ortas pariter tollunt medicamenta tonica, ſtomachica, adſtringentia, ut rheum, myrobalani, rhaponticum &c.

Rheum, ad gran. vj -- x : extractum rhei, ad gran. xij.
Extractum juniperi, à ſcrupulo j ad drachmam j : kinkina ad ſcrup. ij.
Vinum abſinthites, de kinkina, ab unc. j. ad iij.
Tinctura abſinthii, à gutt. x ad drachmam ſemiſſem.
Elixirium proprietatis, theriacale, Garus à guttis xx ad drachm. ij.

Confectio de hyacintho, alkermes; theriaca, opiata Salomonis, ad drachm. j.

Trochiſci catechu ſimplices, cum cinnamomo, cum ambara.

Aqua cinnamomi, à drach. j ad vj; menthæ ad uncias iij.

Syrupus de cinnamomo, de cortice citri, de floribus aurantiorum, ad unc. j.

Extus Epithemata ex fruſto panis calido cum pulvere nucis myriſticæ, cinnamomi, piperis, oleo nucis myriſticæ, vino generoſo.

Si verò nervorum adſit obſtructio à cauſa phyſica, à lympha ſpiſſa & acri, materie arthritica, rheumatiſmali, tunc conferunt irrigationes, balnea, fotus ex aquis thermalibus ſulphureis, Bagnolenſibus, S. Laurentii, Barregienſibus &c. Juvant etiam mirificè electriſatio, commotio electrica, ſcintillis ex nucha & ex artu paralytico eductis, admoto identidem cono ferreo.

CLASSIS VIGESIMA QUINTA.

Morbi morales;

Maladies morales.

SUnt illi qui ab animæ facultatibus erroneè agentibus dependent tanquam à ſuis principiis proximis, ut ab imaginatione, appetitu, voluntate, judicio vitiatis: tales morbi vocantur ab Anglis & *Ill. Lorry morbi nervoſi*, aliis *melancholici*, aut hypochondriaci, hyſterici ſine materia.

A prava conſuetudine oriri plures morbos docet obſervatio: ruminationem voluntariam dein coactam in homine nuper obſervavit *D. le Nicolais*; morbos diverſi generis à mœrore, triſtitia, ut anorexiam, agrypniam quotidiè obſervamus, & hanc mœſtitiam ratione ſuperari poſſe quis negat? à patriæ vel parentum effræni deſiderio noſtalgia, hectica & millena incommoda ſuperveniunt quæ ſolâ ſpe adauctâ repetendi patriam ſublevantur. Datur melancholia multiplex, mania, paraphroſyne ſine materie, quæ initio averti & ſanari potuiſſent, ſi ægri animam à certis objectis removiſſent: novi certè plurimas eorumdem generum ſpecies eſſe humorales, ſic nymphomania, ſatyriaſis à ſeminis acrimonia oriuntur, ſed dantur etiam merè morales, ut erotomania quâ uxorem ſuam Numinis inſtar habebat eique thus offerebat *Ariſtoteles*, quâ Principem Eſtenſem vix viſu cognitam proſequebatur Poëta Taſſus, ut Dulcineam Eques Hiſpanus, à romanenſium fabularum lectione ortum ducebat.

Verùm

Verùm nec minus morales ſunt morbi, etiamſi in origine voluntas non peccaverit. Nuper vidi mulierem quæ à duobus annis quotidie convellitur ex quo fulminis fragore fuit perterrita. Quot epileptici à terrore facti ſunt? certè ex decem epilepticis ſex & ultra huic principio morbum ſuum debent. Quot ſtrabones alterutrius oculi uſum amiſere, quòd meliori tantùm oculo objecta cernere vel lumen alterutro oculo inſpicere conſueverunt? Antipathiæ effectus quis ignorat? inde ſubita aphonia, convulſio, ſyncope & alia mira ſymptomata.

Morbi ſimulati ſingularem attentionem merentur & ſæpius Medicos decipiunt. Milites, ut honeſtam licentiam impetrent, morbos ſæpiſſime fingunt: Moniales, ut è monaſteriis dimittantur, miros morbos ſimulant: puerulos etiam quadriennes, quinquennes, quod vix antea crediſſem, novi qui epilepſiam ſimulabant, ita ut præſcriptis flagris illicò ſanati ſint, nec unquam eorum motivum hariolando noſſe potui. Sunt qui morbos ut aiunt politicos, ut ſe à quodam munere, itinere eximant, vel ut alterius amorem tentent. Convulſiones fanaticorum cujuſcunque Religionis, quis huic claſſi non annumeret? Hyſtericorum malorum iliadem pati apud plures mulieres decorum cenſetur, ut delicatioris ingenii character, ita ut ipſas puderet non animo linqui aut non vomere ad illepidi carminis recitationem, ad paſſeris obitum non convelli.

Ita autem frequentia ſunt horumce morborum, quos vapores vocant, exempla, ut chronicorum morborum dimidiam partem conſtituant.

Morbi morales.	Synochus tarantatus.	Melancholia omnis.
	Tremor à pathemate.	Satyriaſis omnis.
	Epilepſia à terrore.	Hypochondriaſis multiplex.
	Hyſteria multiplex.	Hæmatemeſis ſimulata.
	Strabiſmus Buffonii.	Gonorrhœa oneirogmos.
	Hectica noſtalgica.	Chloroſis amatoria.
	Rigor à pathemate.	Orthopnœa ab antipathia.
	Epilepſia ſimulata.	Anaphrodiſia magica.
	Triſmus hypochondriacus.	Aphonia attonitorum.
	Strabiſmus myopum.	Aſthenia à pathemate.
	Strabiſmus caligantium.	Carus à pathemate.
	Mutitas proeretica.	Dyſphagia à nauſea.
	Aphonia ab antipathia.	Maſtodynia à terrore.
	Hemiplegia ſimulata.	Diplopia à pathemate.
	Leipothymia à pathemate.	Pica voluntaria.
	Laſſitudo à pathemate.	Noſtalgia omnis.
	Dyſtocia à pathemate.	Paraphroſyne à pathemate.
	Vertigo fugax.	Dæmonomania omnis.
	Somnambuliſmus vulgaris.	Mania à pathemate.
	Pica ſimulata.	Amneſia à pathemate.
	Panophobia omnis.	Epiphora à pathemate.
	Tarantiſmus omnis.	Agrypnia à pathemate.

Ut obſcuriſſima eſt morborum moralium aitiologia, ita & difficillima ſanatio & fruſtranea ſæpe curatio.

Morbis animi obnoxii ſunt aulici, qui fortuna lautiori utuntur & magnis ſimul curis exagitantur: *multi fateor*, ait *Baglivi*, *ob repletiones in morbos incidunt, ſed multò plures ob animi pathemata, & potiſſimum ſi, aut patres familias, aut rei familiaris curâ diſtenti, aut in dignitate conſtituti fuerint, aut in aula vivant.* Mercatores quorum fortuna labaſcit, puellæ quarum honos jacturam patitur, quæque virtutem colere prius aſſuetæ fuerunt, artifices qui ab opinione plebis ſuum cenſum ſuaſque divitias ſpectant & qui ab invidis aut malevolis detrectantur; pejus etiam habent qui ea patiuntur infortunia quæ in amici ſinu exponere pudor eſſet; hinc morbi plurimi, eò ſanatu difficiliores, quo rariùs à Medicis cognoſcuntur quoad originem: tales enim ægrotantes principium ſui morbi vel non agnoſcunt, aut Medicos ipſos celant cautiſſimè.

Hyſtericæ, hypochondriaci, melancholici, qui animi affectus moderari neſciunt ob ſummam ſenſibilitatem cum infirmitate conjunctam, miſerrimam vitam ducunt. Puellæ, v. g. amoris ignibus accenſæ, inde chloroſim patientes, agrypniâ, anorexiâ abſumptæ. Qui laborant gravi animi pathemate conqueruntur 1° de ſtomacho, de anorexia, oris amarore, flatibus; his ſi Medicus ignarus catharticis & emeticis repetitis obviam eat, ægritudo in pejus ruit, & hoc nimis familiare eſt Medicos in omnibus repletionem & ſaburram incuſare.

Qui ſtudio acriùs incumbunt corpus ſuum debilitant & in morbos animi facilè dilabuntur, niſi per intervalla otio, ambulatione, ruſticatione, amicorum colloquio vires animi fractas reſarciant; his agrypnia, anorexia, melancholia, macies ſimiliaque mala ſuperveniunt, quibus quies, balnea, diæta magis proſunt quàm medicamina.

A pathematis oriundi morbi aut ipſis ſupervenientes, ſi acuti ſunt, ut plurimum cæteris ſunt multò periculoſiores; à catharticis & phlebotomiis non miteſcunt ut cæteri; ſymptomatis peregrinis, miris ſunt ſtipati; & quamdiu viget animi pathema, tamdiu ægrum divexant: in illis vires ſunt cautè ſervandæ; medela blanda ſit oportet; à nimia remediorum copia & vehementia abſtinendum eſt: Infelices illi ægri qui non ingenioſum ſed bardum Medicum advocant quâdam craſſâ theoriâ ſcholaſticâ circumventum.

Deſideratur, ut ait ſagax *Baglivi*, hiſtoria morborum cuique pathemati ſupervenire ſolitorum; à mœrore diarrhœa, ſynochus, typhos; ab ira vehementi diarrhœa bilioſa; à terrore, qualis in terræ motu, urbium obſidione, abortus, epilepſiæ, tertianæ, aliique morbi ſolent accedere, quos *Telonius libro de terræ motu* enumerat.

Curatio morborum moralium ab auxiliis moralibus potiſſimum eſt repetenda: animi fortitudo, prudentia, tranquillitas ſunt potiſſima illorum remedia & præſidia ſine quibus vana ſunt medicamina, quæ vulgò exhilarantia, antimelancholica in pharmacopoliis venditatur; ſolum pharmacopolam.

copolam exhilarant ut plurimum ; exercitia tempeſtiva ; migratio in exteras regiones, equitatio, ruſticatio, uſus muſices, ſaltationis, luſus non lucri ſed delectationis cauſa inſtituti, ægros curis, negotiis implicatos, ſi ab his abſtinere poſſunt optimè juvant ; ſi verò negotia momentoſa ſint, illa juxta prudentiæ leges prius componenda ſunt. Si verò infortunii nulla ſit medela, tunc forti animo religionis potiſſimum auxilio ea infortunia ſunt ſuſtinenda : indignatio enim, impatientia, animi dejectio morbos multò graviores efficiunt, nedum ipſis medeantur. In hujuſmodi ægris curandis præſtat Medicus qui remedia aut præcepta ea arte ac dicendi libertate proponit, quâ ipſum ad patientiam & tranquillitatem componere & ad ſummam medicamentis præſtandam fidem hortari valeat : ægri morbis animi dejecti, tanquam infantes, verbis, promiſſis, crepundiis duci ſe non rarò patiuntur ; magna curationis pars eſt eorum animum erigere, ſpem ſanitatis proximam facere, quod quidem in noſtalgia quotidie cum ſucceſſu factum videmus : qui enim morbo gravi à noſtalgia laborant, ſi repetendorum penatum ſpes acceſſerit, illicò melius habent, longo itineri ſuſtinendo pares evadunt, quos antea vix evaſuros putabant adſtantes. Curam horumce morborum ſpecialem videſis in ſingulis generibus, ut *melancholiâ*, *dæmonomaniâ*, *hyſteriâ*, *noſtalgia*.

METHODUS ANATOMICA
MORBORUM.

CLASSIS PRIMA.

Morbi cutanei univerſales.

ORDO I.

Morbi decolores.

AUrigo.
Chloroſis.
Melas icterus.
Phoenigmus.
Scorbutus.

ORDO II.

Morbi eruptivi calidi.

Peſtis.
Variola.
Rubeola.
Miliaris.
Scarlatina.
Purpura.
Pemphygus.
Eryſipelas.

ORDO III.

Morbi eruptivi apureti.

Pſydracia.
Eſſera.
Scabies.
Frambæſia.
Lepra.
Elephantiaſis.
Syphylis.
Tinea.
Pruritus.
Herpes.

ORDO IV.

Morbi tumidi.

Polyſarcia.
Pneumatoſis.
Anaſarca.
Phlegmatia.

ORDO V.

Morbi tabidi.

Tabes.
Phthiſis.
Atrophia.
Aridura.

ORDO VI.

Morbi intemperiei.

Ardor.
Algor.
Ephemera.
Synocha.

Syno-

Synochus.
Typhus.
Hectica.
Amphimerina.
Tritæophya.
Tetartophya.
Quotidiana.
Tertiana.
Quartana.
Erratica.

CLASSIS SECUNDA.

Morbi cutanei partiales.

ORDO I.

Morbi maculoſi.

Leucoma.
Vitiligo.
Ephelis.
Gutta roſea.
Nævus.
Ecchymoma.
Alopecia.
Gangræna.
Necroſis.

ORDO II.

Phymata.

Phlegmone.
Bubo.
Parotis.
Furunculus.
Anthrax.
Cancer.
Paronychia.
Phimoſis.
Erythema.
Oedema.
Emphyſema.
Scirrhus.
Sarcoma.
Condyloma.
Verruca.
Pterygium.
Hordeolum.
Bronchocele.
Exoſtoſis.
Cancer.
Scrophula.
Rachitis.
Leontiaſis.
Epinyctis.
Varus.
Papula.
Puſtula.

ORDO III.

Cyſtides.

Aneuryſma.
Varix.
Hydatis.
Mariſca.
Staphyloma.
Lupia.
Hydarthrus.
Hydrorachitis.
Apoſtema.
Exomphalus.
Oſcheocele.
Hydrocephalus.
Phyſocephalus.
Aſcites.
Hydrometra.
Phyſometra.
Tympanites.
Meteoriſmus.
Iſchuria.

ORDO IV.

Ectopiæ.

Exophthalmia.
Encephalocele.
Blepharoptoſis.
Paragloſſe.
Proptoma.
Exarthrema.
Loxarthrus.
Diaſtaſis.
Lordoſis.
Gibboſitas.
Exania.
Exocyſte.
Hyſteroptoſis.
Enterocele.
Epiplocele.
Gaſtrocele.
Hepatocele.
Splenocele.
Hyſterocele.
Cyſtocele.
Parorchidium.

ORDO V.

Plagæ.

Vulnus.
Punctura.
Excoriatio.
Contuſio.
Fractura.
Fiſſura.
Ruptura.
Amputatura.
Ulcus.
Elcoſis.
Malis.
Carcinoma.
Frambæſia.
Tinea.
Exulceratio.
Sinus.
Fiſtula.
Rhagas.
Eſchara.
Caries.
Arthrocace.

CLASSIS TERTIA.

Morbi artuum.

ORDO I.

Morbi partium mollium.

Hemiplegia.
Paralyſis.
Paraplexia.
Beriberia.
Tetanus.
Rigor.
Tremor.
Scelotyrbe.
Crampus.
Pandiculatio.
Rheumatiſmus.
Convulſio.
Anxietas.
Laſſitudo.
Iſchias.
Pernio.
Sarcoma clavus.
Paronychia.
Arthritis podagra.
Loxarthrus.
Exarthrema.
Exoſtoſis.
Hydarthrus.
Phlegmatia.

Lordo-

Lordoſis.
Contractura.
Aridura.
Claudicatio.
Carphologia.

ORDO II.

Morbi partium tendineo - oſſearum.

Arthritis.
Oſtocopus.
Rachitis.
Claudicatio.
Contractura.
Exarthrema.
Loxarthrus.
Gibboſitas.
Exoſtoſis.
Paronychia.
Hydarthrus.
Lordoſis.
Diaſtaſis.

CLASSIS QUARTA.

Morbi Sexuum.

ORDO I.

Morbi genitalium communes.

Gonorrhœa.
Enureſis.
Dyſuria.
Pyuria.
Iſchuria.
Hæmaturia.
Diabetes.
Ædopſophia.
Anaphrodiſia.
Pudendagra.
Ulcus venereum.
Condyloma ficus.
Condyloma porrum.
Condyloma thymus.
Verruca venerea.
Rhagas venerea.

ORDO II.

Morbi virorum.

Phimoſis.
Parorchidium.
Oſcheocele.
Priapiſmus.
Oedema penis.
Satyriaſis.
Dyſpermatiſmus.

ORDO III.

Morbi mulierum.

Abortus.
Dyſtocia.
Leucorrhœa.
Graviditas.
Hyſteria.
Hyſteroloxia.
Hyſteroptoſis.
Phyſometra.
Hydrometra.
Menorrhagia.
Nymphomania.

CLASSIS QUINTA.

Morbi ſenſuum.

ORDO I.

Morbi oculorum : 1° interni.

Amauroſis.

Diplopia.
Suffuſio.
Amblyopia.
Epiphora.
Vertigo.

2° *externi.*

Caligo.
Cataracta.
Exophthalmia.
Ophthalmia.
Hordeolum.
Pterygium.
Staphyloma.
Blepharoptoſis.
Nyſtagmus.
Strabiſmus.
Apoſtema hypopyon.
Apoſtema ſynchyſis.
Apoſtema onyx.
Ecchymoma palpebrarum.
Ecchymoma hypopyon.
Phlegmone oculi.
Sarcoma encanthis.
Sarcoma oculorum.

ORDO II.

Morbi aurium interni.

Cophoſis.
Dyſecœa.
Paracuſis.
Syrigmus.
Otalgia.
Otorrhœa.
Proptoma auris.

ORDO III.

Morbi narium.

Anoſmia.
Dyſodia ozæna.
Paraphonia à polypo.
Coryza.
Hæmorrhagia.
Sarcoma narium.

ORDO IV.

Morbi oris.

Aphtha.
Ptyaliſmus.
Hypoſtaphyle.
Paragloſſe.
Agheuſtia.
Pſelliſmus.
Mutitas.
Adipſia.
Aphonia.
Paraphonia.
Polydipſia.
Stomacace.
Angina.
Cynanche.
Apoſtema parulis.
Odontalgia.
Caries dentium.
Dyſphagia à labario.
Proptoma labii.
Pica.

CLASSIS SEXTA.

Morbi Capitis.

ORDO I.

Externi.

Alopecia.
Trichoma.
Tinea.
Hydrocephalus.
Phyſocephalus.

Phthi-

Phthiriaſis.
Encephalocele.
Lupia teſtudo.

Colli.

Scrophula.
Catarrhus.
Bronchocele.
Angina.
Cynanche.
Triſmus.
Obſtipitas.

ORDO II.

Morbi capitis interni.

Mania.
Dæmonomania.
Melancholia.
Paraphroſyne.
Panophobia.
Phrenitis.
Cephalitis.
Agrypnia.
Amentia.
Amneſia.
Apoplexia.
Anæſtheſia.
Carus.
Cataphora.
Catalepſis.
Catochus.
Ecſtaſis.
Lethargus.
Stupor.
Convulſio.
Eclampſia.
Epilepſia.
Ephialtes.
Hydrophobia.
Rabies.
Cephalæa.
Cephalalgia.
Hemicrania.

Tarantiſmus.
Antipathia.

CLASSIS SEPTIMA.

Morbi Pectoris.

1º *externi.*

Galactirrhœa.
Maſtodynia.
Triſmus.
Bronchocele.
Catarrhus.
Gibboſitas.
Pleurodyne.

2º *interni.*

Rheuma.
Tuſſis.
Oſcedo.
Singultus.
Dyſpnœa.
Aſthma.
Orthopnœa.
Hydrothorax.
Empyema.
Pleuritis.
Peripneumonia.
Pleurodyne.
Paraphreneſis.
Hæmoptyſis.
Anacatharſis.
Phthiſis.
Stertor.
Paraphonia.
Aphonia.
Anxietas.
Aſphyxia.
Syncope.
Leipothymia.
Palpitatio.

Cardiogmus.
Carditis.
Aſthenia.
Cholera.
Hypochondriaſis.

3° *Inteſtinorum.*

Melæna.
Ileus.
Dyſenteria.
Diarrhœa.
Hepatirrhœa.
Lienteria.
Cœliaca.
Teneſmus.
Colica.
Enteritis.

4° *Hepatis.*

Scirrhus hepatis.
Hepatalgia.
Aurigo.
Hepatitis.
Melasicterus.

5° *Lienis.*

Splenalgia.
Splenitis.

6° *Renum.*

Nephralgia.
Nephritis.
Iſchuria falſa.
Pyuria.

7° *Veſicæ.*

Cyſtitis.
Diabetes.
Enureſis.
Pyuria.
Dyſuria.
Iſchuria.

8° *Epiploi.*

Epiploitis.
Phiſconia.

CLASSIS OCTAVA.

Morbi Abdominis.

1° *Externi.*

LUmbago.
Rachialgia.
Exomphalus.
Gaſtrocele.
Hepatocele.
Enterocele.
Epiplocele.
Splenocele.
Cyſtocele.
Erythema intertrigo.
Phiſconia.
Hæmorrhois.
Proctalgia.
Exania.
Mariſca.
Tympanites.
Aſcites.
Phyſometra.
Hydrometra.
Meteoriſmus.
Bubo.

2° *Stomachi interni.*

Anorexia.
Bulimia.
Nauſea.
Pica.
Pyroſis.
Gaſtrodynia.
Flatulentia.
Vomitus.
Hæmatemeſis.
Gaſtritis.

CLAS-

Spaſmi.

Convulſio febrilis.
Convulſio ab hydrocephalo.
Convulſio verminoſa.
Eclampſia verminoſa.
Eclampſia à dentitione.
Eclampſia ab hydrocephalo.
Scelotyrbe chorea Viti.
Ephialtes ſtomachica.
Ephialtes verminoſa.
Tetanus verminoſus.
Triſmus naſcentium.
Triſmus verminoſus.
Strabiſmus omnis.
Claudicatio rachitica.

Anhelationes.

Aſthma à gibbo.
Dyſpnœa rachitica.
Pleurodyne verminoſa.
Sternutatio rubeoloſa.
Tuſſis ferina.
Tuſſis à dentitione.
Singultus à gula.

Debilitates.

Anæſtheſia naſcentium.
Anæſtheſia hydrorachitica.
Aſthenia ab hydrocephalo.
Aſthenia infantum.
Carus verminoſus.
Carus ab hydrocephalo.
Amblyopia luſcorum.
Anorexia Neophytorum.
Mutitas à gloſſolyſi.
Mutitas ſurdorum.
Mutitas elinguium.
Pſelliſmus omnis.

Dolores.

Agrypnia à dolore.
Agrypnia à crinonibus.

CLASSIS NONA.

Morbi ætatum.

ORDO I.

Morbi Juvenum.

Vitia.

Hydrorachitis, ſpina bifida.
Pædarthrorace omnis.
Erythema intertrigo.
Erythema pernio.
Exania ab alvi fluxu.
Exomphalus aqueus.
Enterocele umbilicalis.
Enterocele inguinalis.
Bubo creſcentium.
Parorchidium omne.
Paragloſſe omnis.
Phimoſis vera.
Phimoſis circumligata.
Hydroa ſudamen.

Febres.

Hectica infantilis.
Hectica noſtalgica.
Hectica verminoſa.
Hectica ſcrophuloſa.

Phlegmaſiæ.

Variola omnis.
Rubeola omnis.
Aphtha lactucimen.
Cephalitis ſiriaſis.
Cynanche gangrænoſa.

Anxietas à faſciis.
Cardialgia verminoſa.
Cardialgia lactentium.
Catarrhus rubeoloſus.
Colica meconialis.
Colica lactentium.
Dyſphagia à freno.
Gaſtrodynia ſaburralis.
Odontalgia dentitionis.
Ophthalmia ſcrophuloſa.
Oſtocopus ab orthopnœa.
Proctalgia ab exania.
Pruritus pedicularis.

Veſaniæ.

Bulimia verminoſa.
Bulimia eſurigo.
Bulimia addephagia.
Noſtalgia omnis.
Panophobia verminoſa.
Pica infantilis.

Fluxus.

Diarrhœa acraſia.
Diarrhœa varioloſa.
Diarrhœa verminoſa.
Diarrhœa lactentium.
Dyſuria calculoſa.
Enureſis infantum.
Enureſis calculoſa.
Flatulentia acida.
Flatulentia infantilis.
Vomitus lacteus.
Vomitus à ſaburra.
Vomitus à dentitione.
Vomitus verminoſus.
Ileus verminoſus.
Hæmorrhagia plethorica.
Dyſodia ab otirrhœa.
Dyſodia à tinea.

Cachexiæ.

Atrophia lactentium.
Atrophia rachitica.
Atrophia à crinonibus.
Atrophia verminoſa.
Aurigo neophytorum.
Chloroſis infantum.
Chloroſis verminoſa.
Elcoſis varioloſa.
Hydrocephalus omnis.
Malis à crinonibus.
Phthiriaſis pedicularis.
Phiſconia meſenterica.
Rachitis nodoſa.
Rachitis Britannica.
Scrophula vulgaris.
Scrophula fugax.
Scrophula meſenterica.
Tinea omnis.
Tabes meſenterica.
Tympanitis verminoſus.

ORDO II.

Morbi Senum.

Vitia.

Herpes omnis.
Mariſca omnis.
Oedema flaccidum.
Gibboſitas omnis.
Condyloma clavus.
Varix tibiarum.
Oſcheocele aquoſa.
Enterocele omnis.
Epiplocele omnis.
Hyſterocele omnis.

Febres.

Typhus carcerum.
Hectica cachectorum.
Tetartophya ſimplex.
Quartana omnis.

Spaſmi.

Contractura omnis.
Tremor omnis.

Clau-

Claudicatio à dolore.
Rigor catarrhalis.
Hyſteria emphractica.
Tuſſis catarrhalis.
Tuſſis aſthmatica.
Dyſpnœa rachitica.
Aſthma humidum.
Aſthma arthriticum.
Aſthma catarrhale.
Orthopnœa pſeudoperipneumonia.
Rheuma catarrhale.

Debilitates.

Cataracta omnis.
Caligo à rhytidoſi.
Caligo à nephelide.
Amblyopia proximorum.
Amauroſis multiplex.
Dyſecœa ſenilis 4.
Dyſecœa à tuba obſtructa.
Paracuſis barycoia.
Cophoſis multiplex.
Anaphrodiſia multiplex.
Pſelliſmus à labario.
Paraphonia ſtertens.
Paralyſis ſeroſa.
Hemiplegia ex apoplexia.
Hemiplegia arthritica.
Paraplexia multiplex.
Aſthenia cachectica.
Aſthenia ab inanitione.
Cataphora ſomnolentia.
Cataphora coma.
Cataphora arthritica.
Carus ſpontaneus.
Apoplexia multiplex.

Dolores.

Arthritis multiplex.
Rheumatiſmus arthriticus.
Catarrhus benignus.
Pruritus arthriticus.
Algor externus.
Algor internus.
Cephalæa arthritica.
Ophthalmia trachoma.
Nephralgia arenoſa.
Nephralgia calculoſa.
Nephralgia hæmorrhoidalis.
Hyſteralgia calculoſa.
Lumbago rheumatica.
Iſchias multiplex.
Proctalgia ex mariſcis.
Proctalgia ab exania.

Veſaniæ.

Syrigmus multiplex.
Hypochondriaſis melancholica.
Amentia ſenilis.
Amentia ex ſiccitate.
Amneſia ſenilis.
Agrypnia arthritica.
Agrypnia ſenilis.

Fluxus.

Hæmaturia calculoſa.
Hæmorrhoïs moderata.
Vomitus pituitoſus.
Ileus à bubonocele.
Teneſmus à ſcybalis.
Epiphora multiplex.
Anacatharſis aſthmatica.
Enureſis hernioſorum.
Enureſis paralyticorum.
Dyſuria hæmorrhoidalis.
Dyſuria à caruncula.
Diſpermatiſmus aphractodes.
Dyſpermatiſmus ſeroſus.
Dyſpermatiſmus cachexiæ.
Atrophia ſenilis.
Iſchuria multiplex.
Scabies herpetica.
Gangræna ſenilis.
Elcoſis ſcorbutica.
Scorbutus vulgaris.
Aſcites ſeroſus.
Phlegmatia ulceroſa.

TABLE

TABLE

Des Noms François des Maladies.

ABſcès, Apoſtema.
Accouchement, v. Abortus, Dyſtocia.
Achore, Tinea.
Affection ſcorbutique, Stomacace.
Agitations, Anxietas.
Aigreurs, v. Flatulentia acida.
Alopécie, Alopecia.
Alteration, Polydipſia.
Amaigriſſement, Tabes, Atrophia.
Amblyopie, Amblyopia.
Amertume, v. Anorexia biliofa. Vomitus bilioſus.
Ampoule, Phlyctæna, Pemphygus, Hydroa.
Anaſarque, Anaſarca, Phlegmatia.
Aneuryſme, Aneuryſma, Cardiogmus.
Angine, Angina, Cynanche.
Angoiſſe, Anxietas.
Antipathie, Antipathia.
Antracoſe, Anthrax.
Anxieté, Anxietas.
Aphonie, Aphonia.
Aphthes, Aphtha.
Apoplexie, Apoplexia, Carus.
Ardeur, Ardor, Dyſuria.
Aſcarides, vid. Teneſmus.
Aſcites, Aſcite.
Aſphyxie, Aſphyxia.
Aſſode, v. Tritæophya.
Aſſoupiſſement, Coma, Cl. VI.
Aſthme, Aſthma.
Atrophie, Atrophia.
Avant-cœur, v. Peſtis.
Avives, Angina.
Avortement, Abortus.

Bâillement, Oſcedo.
Bave, Ptyaliſmus.
Bégayement, Pſelliſmus.
Berluë, Suffuſio.
Bévuë, Diplopia.
Bile répandue, Aurigo.
Bleſſure, Abortus, Vulnus.
Boiteux, v. Claudicatio.
Borgne, v. Amauroſis, Caligo, Cataracta.
Boſſe, Gibboſitas.
Bouffiſſure, Anaſarca, Phlegmatia, Oedema.
Bouillonnement, Ardor.
Boulimie, Bulimus.
Bourdonnement, Syrigmus.
Bourſouflure, Emphyſema.
Bouton, Papula, Phyma.
Brediſſeure,
Bruiſſement, Syrigmus.
Brulure, v. Erythema.
Bubon, Bubo.
Bubonocele, Enterocele, Epiplocele.

Cachexie, Cachexia, Chloroſis.
Cacochymie, Cachexia.
Cacophonie, Paraphonia.
Caigneux, v. Lordoſis, Diaſtaſis, Rachitis.
Cal, v. Condyloma.
Calenture, v. Phrenitis, Paraphroſyne.
Calcul, v. Dyſuria, Nephralgia, Nephri-

phritis, Hepatalgia &c.
Cancer, Cancer, Carcinoma.
Carcinome, Carcinoma.
Cardialgie, Cardialgia.
Carie, Caries.
Carreau, Phyſconia.
Catalepſie, Catalepſis.
Cataphore, Cataphora.
Catarrhe, Catarrhus.
Cephalalgie, Cephalalgia.
Cephalée, Cephalæa.
Chancre, Aphtha, Ulcus, Carcinoma.
Charbon, Anthrax.
Chartre, Rachitis.
Chaſſie, v. Epiphora, Ophthalmia.
Chaudepiſſe, Gonorrhœa.
Chauveté, Alopecia.
Chique, v. Malis.
Chloroſe, Chloroſis.
Cholera morbus, Cholera.
Chute, v. Ecchymoma.
Chute de la luette, Hypoſtaphyle.
Chute de la matrice, Hyſteroptoſis.
Chute du fondement, Exania.
Claveau, *Clavelée*, Malis.
Cloche, Phlyctæna, Claudicatio.
Clou, Hemicrania, Staphyloma, Furunculus.
Cochemar, Ephialtes.
Cœliaque, Cœliaca.
Colique, Colica.
Colique de Poitou, Rachialgia.
Colique du foye, Hepatalgia.
Colique renale, Nephralgia.
Colique uterine, Hyſteralgia.
Colique de miſerere, Ileus.
Colique d'eſtomac, Gaſtrodynia.
Condylome, Condyloma.
Conſomption, Tabes, Phthiſis.
Conſtipation, v. Teneſmus.
Contracture, Contractura.
Contuſion, Contuſio, Ecchimoma.
Convulſion, Convulſio.
Coqueluche, Catarrhus.
Cor, Condyloma.
Corpulence, Polyſarcia.
Coup de ſoleil, Cephalalgia, Aſphyxia.
Coup de ſang, Apoplexia, Phrenitis.
Coup de vent, Pleuritis, Catarrhus.
Courbature, Laſſitudo, Rheumatiſmus.
Couronne de Venus, Gutta roſea.
Cours de ventre, Diarrhœa, Alvi fluxus.
Courte-haleine, Dyſpnœa.
Crachement, Ptyaliſmus.
de ſang, Hæmoptyſis.
de pus, Phthiſis, Anacatharſis.
Crampe, Crampus.
Cremaſon, Pyroſis.
Crête, Condyloma.
Crinons, vid. Malis.
Croiſſants, Bubo.
Croute de lait, Tinea.
Crudité, v. Nauſea, Vomitus, Anorexia, Cardialgia &c.
Cryſtalline, v. Oedema.
Cucurbitins (*vers*) v. Nauſea, Bulimia.
Cyrons, v. Hordeolum.

Danſe de S. Guy, Scelotyrbe.
Dartre, *Dertre*, Herpes.
Défaillance, Leipothymia, Cardialgia.
Dégout, Anorexia, Agheuſtia.
Délire, Paraphroſyne, Delirium.
Démangeaiſon, Pruritus, Scabies, Lepra.
Démence, Amentia.
Dentition, v. Odontalgia.
Dépot, Apoſtema.
Deſcente, Proptoma, Exania, Enterocele &c.
Détorſe, Exarthrema.
Dévoyement, Diarrhœa.
Diabete, Diabetes.
Diarrhée, Diarrhœa.

Diſlocation, Exarthrema.
Diſtorſion, v. Triſmus.
Douleur, Dolor, Cl. VII.
  d'eſtomac, Gaſtrodynia.
  des dents, Odontalgia.
  d'oreille, Otalgia.
Dragon, v. Malis.
Drapeau, vid. Pterygium.
Dureté d'oreille, Dyſecœa.
Durillon, Condyloma.
Dyſſenterie, Dyſſenteria.
Dyſurie, Dyſuria.

Ebrouement, Apomyttoſis.
Echauboulure, Hydroa.
Echauſement, Gonorrhœa, Teneſmus, Conſtipatio, Polydipſia.
Echimoſe, Ecchymoma.
Ecorchure, Excoriatio.
Ecoulement de lait, Galactirhœa.
Ecoulement de ſemence, Gonorrhœa.
Ecrouelles, Scrophula.
Edematie, Phlegmatia.
Edeme, Oedema.
Effort, v. Hernia, Vomitus, Pleuritis, Lumbago.
Emphyſeme, Emphyſema.
Empyeme, Empyema.
Encanthis, Sarcoma.
Enchifrenement, Coryza.
Enflure, v. Phymata, Oedema.
Engelure, Erythema pernio.
Engourdiſſement, Stupor, Anæſtheſia.
Enrouement, Paraphonia.
Entorſe, Exarthrema.
Envie, Nævus, Pica.
Eparvin, Exoſtoſis.
Ephelides, Ephelis.
Ephemere, Ephemera.
Epiale, v. Amphimerina.
Epilepſie, Epilepſia.
Epian, Frambæſia.
Epine venteuſe, Arthrocace.
Epreinte, Teneſmus, Colica, Dyſenteria.
Epuiſement, Aſthenia, Syncope, Atrophia.
Eraillement, Blepharoptoſis.
Ereintement, Lumbago.
Ergot, Necroſis.
Eſcare, Eſchara.
Eſquinancie, Cynanche.
Eternuement, Sternutatio.
Etourdiſſement, Vertigo, Cephalalgia.
Etranguillon, Dyſphagia, Cynanche.
Evanouiſſement, Syncope.
Excroiſſance, vid. Claſſ. I.
Exomphale, Exomphalus.
Exoſtoſe, Exoſtoſis.
Expectoration, Anacatharſis.

Faim-canine, Bulimia.
Faim vale, Syncope.
Farcin, Scrophula.
Fauſſe-couche, Abortus.
Felure, Fiſſura.
Feu Perſique, Erythema.
  S. Antoine, Necroſis, Erythema.
  volage, Erythema.
Fic, Condyloma.
Fiévre, Febris, Claſſ. 2.
  ardente, Tritæophya.
  bilieuſe, Tritæophya.
  cacochymique, Synochus.
  catarrheuſe, Amphimerina.
  colliquative, Tabes, Phthiſis.
  continue, Claſſ. 2.
  épiale, Amphimerina.
  éruptive, Exanthematica.
  éryſipelateuſe, Eryſipelas.
  inflammatoire, Claſſ. 3.
  intermittente, Claſſ. 2.
  lente, Hectica, Tabes.
  maligne, Typhus.
  miliaire, miliaris.
  petechiale, purpura.
  pourprée, purpura.
  putride, Amphimerina, Synochus.
  quartaine, quartana.

Fiévre remittente, Claſſ. 2.
rouge, Scarlatina.
ſcarlatine, Scarlatina.
tierce, tertiana.
Filet, Dyſphagia, Pſelliſmus.
Fiſtule, Fiſtula.
Fleurs blanches, Leucorhœa.
Flux hépatique, Hepatirhœa.
Fluxion de poitrine, Peripneumonia.
ſur les dents, Odontalgia.
ſur les yeux, Ophthalmia.
ſur la gorge, Cynanche.
ſur l'oreille, Otalgia.
Foibleſſe, Aſthenia, v. Claſſ. 6.
d'eſtomac, Anorexia, Gaſtrodynia.
de la vuë, Amblyopia, Caligo.
Folette, Amphimerina, Angina.
Folie, Mania, Melancholia.
Fortraiture, Hyſteralgia.
Foulure, Exarthrema.
Fourches, Apoſtema.
Fracture, Fractura.
Frayeur, Panophobia.
Friſſon, Rigor.
Froncle, Furunculus.
Fureur uterine, Nymphomania.
Furoncle, Furunculus.

Gale, Scabies.
Ganglion, Condyloma.
Gangréne, Gangræna, Necroſis.
Germe, v. Abortus.
Gerſure, Rhagas.
Glaire de l'eſtomac, v. Vomitus.
de la veſſie, Pyuria.
Glandes, Scrophula.
Glaucome, v. Cataracta.
Gonflement d'eſtomac, Meteoriſmus, Gaſtrodynia.
des articulations, Rachitis, Hydarthrus, Arthrocace &c.
Gonorrhée, Gonorrhœa.
Gouëtre, Bronchocele.
Goutte, Arthritis.
Goutte-crampe, Crampus.
Goutte ſciatique, Iſchias.
Goutte ſereine, Amauroſis.
Gratelle, Scabies.
Gravelle, Dyſuria, Nephralgia.
Grêle, Hordeolum.
Grenouillette, v. Pſelliſmus.
Grippe, Catarrhus.
Groſſeſſe, Graviditas.
Grumelé (*lait*) v. Maſtodynia.
Guêpes (*piquure de*) v. Punctura.

Hâle, Ephelis.
Haut-mal, Epilepſia.
Hectique, Hectica.
Hémiplegie, Hemiplegia.
Hémorrhagie, Hæmorrhagia.
Hémorroïdes, Mariſca, Hæmorrhois.
Hemvé, Noſtalgia.
Hépatite, Hepatitis.
Herpe, Herpes.
Hoquet, Singultus.
Humeur froide, Scrophulæ.
Hydatide, Hydatis.
Hydrocele, Hydrocele.
Hydrocephale externe, Hydrocephalus.
interne, v. Convulſio, Apoplexia, Eclampſia.
Hydromphale, Exomphalus.
Hydropiſie générale, Anaſarca, Pneumatoſis, Phlegmatia.
de la tête, Hydrocephalus.
de l'oeil, v. Amblyopia.
de poitrine, Hydrothorax, Hydrocardia.
du bas ventre, Aſcites, Tympanitis.
de matrice, Phyſometra, Hydrometra.
Hyſterique paſſion, Hyſteria.

Janon, Tarantiſmus.
Jauniſſe, Aurigo.

Ictere jaune, Aurigo.
blanc, Chloroſis.
noir, Melasicterus.
Iliaque paſſion, Ileus.
Inappetence, Anorexia.
Incontinence d'urine, Enureſis.
Incube, Ephialtes.
Indigeſtion, v. Gaſtrodynia, Vomitus, Flatulentia, Colica, Diarrhœa, &c.
Infiltration, Phlegmatia, Oedema.
Inflammation, Phlegmaſia, Phlegmo, Eryſipelas.
Inquiétude, Anxietas.
Inſomnie, Agrypnia.
Intermittent (*pouls*) v. Palpitatio, Cardiogmus, Alvi fluxus.
Iſchurie, Iſchuria.

Ladrerie, Elephantiaſis, Phlegmatia.
Lait répandu, v. Ephemera lactea, Oedema lacteum.
Langue chargée, v. Synochus, Typhus, Anorexia, Vomitus.
Langueur, Aſthenia.
Larmoyement, Epiphora.
Laſſitude, Laſſitudo.
Lentilles, Ephelis.
Lepre, Lepra.
Lethargie, Lethargus.
Leucome, Leucoma.
Leucophlegmatie, Anaſarca.
Lienterie, Lienteria.
Lipothymie, Leipothymia.
Lipyrie, Tritæophya.
Louche, v. Strabiſmus, Caligo.
Loup, Carcinoma, Ulcus.
Loupe, Lupie.
Luette, v. Angina, Hypoſtaphyle.
Luxation, Exarthrema.
Lycanthropie, Melancholia.

Mal d'avanture, Paronychia.
caduc, Epilepſia.
Mal de cœur, Cardialgia, Nauſea.
des ardents, Necroſis.
S. Antoine, Eryſipelas.
S. Main, Scabies.
S. Lazare, Elcoſis.
de mére, Hyſteralgia.
mort, Lepra.
d'eſtomac, Cardialgia, Anaſarca.
de tête, Cephalalgia.
aux yeux, Ophthalmia.
de gorge, Cynanche, Angina.
Malacie, Pica.
Maladie noire, Melæna.
pédiculaire, Phthiriaſis.
imaginaire, Hypochondriaſis.
Manie, Mania.
Maraſme, Atrophia.
Mélancholie, Melancholia.
Membre retiré, Contractura, Ankiloſis.
Météoriſme, Meteoriſmus.
Meurtriſſure, Contuſio.
Migraine, Hemicrania.
Miliaire, Miliaris.
Miſerere, Ileus.
Morphée, Vitiligo.
Morpions, v. Pruritus.
Morſure, v. Punctura, Hydrophobia.
Muë, Paraphonia, Alopecia.
Mule, Erythema pernio.
Mûre, Condyloma, Encanthis.
Mutité, Mutitas.

Nauſée, Nauſea.
Nephretique, Nephritis, Nephralgia.
Nerfs foibles, Aſthenia, Paralyſis.
Noctambules, Somnambuliſmus.
Noli me tangere, Carcinoma.
Nouage, *Noueure*, Rachitis.
Noyés, v. Aſphixia.
Nuage, v. Leucoma, Nephelium.

Obſtructions, v. Claſſ. X.

Odon-

Odontalgie, Odontalgia.
Oedeme, Oedema.
Ombrage, Leucoma.
Onglet, Ophthalmia.
Oppreſſion, v. Claſſ. V.
Oreillons, Parotis.
Orgeolet, Hordeolum.
Orthopnée, Orthopnœa.
Oubli, Amneſia.
Ouïe trouble, Paracuſis.
Ozéne, Dyſodia.

Pâles couleurs, Chloroſis.
Palpitation, Palpitatio.
Panari, Paronychia.
Paralyſie, Paralyſis.
Paraphreneſie, Paraphrenitis.
Paraphymoſis, Phymoſis.
Paraplegie, Paraplexia.
Pareſſe du ventre, v. Teneſmus.
Parotide, Parotis.
Paſme, Tetanus.
Paſſion cœliaque, Cœliaca.
hyſterique, Hyſteria.
hypochondriaque, Hypochondriaſis.
iliaque, Ileus.
bovine, Malis.
Pendus, v. Aſphixia.
Péripneumonie, Peripneumonia.
Perle, Leucoma.
Perte d'appetit, Anorexia.
de gout, Agheuſtia.
d'odorat, Anoſmia.
de ſang, Hæmorrhagia.
blanche, Leucorrhœa.
Peſanteur d'eſtomac, Gaſtrodynia.
de tête, Cephalalgia.
Petechies, Purpura.
Petite-vérole, Variola.
Phlegmon, Phlegmo.
Phlyctène, Phlyctæna.
Phreneſie, Phrenitis.
Phthiſie, Phthiſis.
Phymoſis, Phymoſis.
Piés enflés, Phlegmatia.
Pié-bot, Lordoſis, Diaſtaſis.
Pierre, Nephritis, Dyſuria &c.
Pituite, Vomitus, Anacatharſis, Ptyaliſmus.
Playe, Claſſis I. Ordo 7.
Pleuréſie, Pleuritis.
Plique, Trichoma.
Plomb, Aſphixia.
Pneumatocele, Oſcheocele.
Podagre, Arthritis.
Poil, Maſtodynia.
Point de coté, Pleurodyne.
Poirreau, Condyloma, Verruca.
Pollution, Gonorrhœa.
Polype, Sarcoma, Palpitatio.
Poulain, Bubo.
Pourpre, Purpura.
Pouſſe, Aſthma.
Priapiſme, Priapiſmus.
Prurit, Pruritus.
Ptyaliſme, Ptyaliſmus.
Puanteur, *Punaiſie*, Dyſodia.
Pulmonie, Phthiſis.
Puſtule, Puſtula.

Quartaine, Quartana.
Quinte, Tuſſis paroxyſmus.
Quotidienne, Quotidiana.

Rache, Tinea.
Rage, Hydrophobia, Rabies.
Ralle, *Rallement*, Paraphonia.
Rapport, Flatulentia.
Rateleux, v. Splenalgia.
Relachement de l'anus, Exania.
Repriſe, Acceſſus, Paroxyſmus.
Retention d'urine, Iſchuria.
Rheumatiſme, Rheumatiſmus.
Rhume, Rheuma.
Ricquets, Rachitis.
Ris Sardonique, Triſmus.
Ronflement, Paraphonia.

Rot, Flatulentia.
Rougeole, Rubeola.
Rougeur, Erythema.
des yeux, Ophthalmia.
Rouſſeur, Ephelis.
Rupture, Ruptura.

Saignement de nés, Hæmorrhagia.
Salivation, Ptyaliſmus.
Sarcocele, Oſcheocele.
Sarcome, Sarcoma.
Sarette, Triſmus.
Satyriaſe, Satyriaſis.
Scarlatine, Scarlatina.
Sciatique, Iſchias.
Scorbut, Scorbutus.
Sécheresse de la gorge, Dyſphagia.
de poitrine, Tuſſis.
Seing, Nævus.
Serpentine, Oedema.
Siam, Typhus, Peſtis.
Sifflement, Syrigmus.
Skirre, Scirrhus.
Soif, Polydipſia.
Solitaire, v. Boulimia.
Soubreſaut, Carphologia.
Souris, Nyſtagmus.
Spermatocele, Oſcheocele.
Sphacele, Gangræna, Necroſis.
Staphylome, Staphyloma.
Stérilité, Anaphrodiſia, Dyſpermatiſmus.
Strabiſme, Strabiſmus.
Strangurie, Stranguria.
Stupeur, Stupor.
Subeth, Cataphora.
Suette, Ephemera, Miliaris.
Sueur, Ephidroſis.
Sueur Angloiſe, Ephemera.
Suffocation, Orthopnœa.
Superpurgation, Diarrhœa.
Suppreſſion des mois, v. Hyſteralgia, Nauſea, Dyſpnœa, Anorexia.
Suppreſſion d'urine, Iſchuria.
Surdité, Cophoſis.
Syncope, Syncope.
Synoque, Synochus.

Tache, Leucoma, Claſſ. I. Ord. I.
Tænia, v. Boulimia, Vomitus, Gaſtrodynia.
Tarantiſme, Tarantiſmus.
Taye, Leucoma.
Teigne, Tinea.
Teneſme, Teneſmus.
Terreur panique, Panophobia.
Tetanus, Tetanus.
Tic, Triſmus.
Tierce (*fiévre*) Tertiana.
Tintouin, Syrigmus.
Tiraillement, Pandiculatio.
Torticolis, Obſtipitas.
Toux, Tuſſis.
Tranchées, Colica, Dyſenteria, Hyſteralgia, Dyſtocia.
Tranſport, Phrenitis, Paraphroſyne.
Tremblement, Tremor, Rigor.
Trouſſe-galant, Cholera, Cephalitis, Cynanche.
Tubercule, v. Phthiſis.
Tumeur blanche, Hydarthrus.
Tympanite, Tympanites.

Vapeurs, Hyſteria, Hypochondriaſis.
Varice, Varix.
Varicocele, Oſcheocele.
Vents, Flatulentia.
Vercoquin, Phrenitis.
Verette, Variola.
Vermine, Phthiriaſis.
Verole, Syphilis.
Verolette, Variola.
Verruë, Verruca.
Vers, v. Gaſtrodynia, Ileus, Colica, Convulſio, Ecclampſia, &c.
Vertige, Vertigo.

Ulcère, Ulcus, Elcoſis.
Volvulus, Ileus.
Vomique, Apoſtema, Phthiſis, Hepatalgia.
Vomiſſement, Vomitus.
de ſang, Hæmatemeſis.
Urine ſanglante, Hæmaturia.
Urine purulente, Pyuria.
Vuë foible, Amblyopia, Caligo.
louche, Strabiſmus, Caligo.
Vuidanges, Menorrhagia.

Yaw, Frambæſia.
Yvreſſe, v. Apoplexia, Vertigo &c.

INDEX

NOMINUM GENERICORUM,

SPECIFICORUM & SYNONYMORUM &c.

Numerus Romanus Tomum , Arabicus verò paginam indicant.

ABdominis dolores , II , 88. morbi , 708. ſpaſmus , 417.
Aberrationes , *Aberrations* , I , 171.
ABORTUS , II , 312. effluxio , 313. octimeſtris, ſubſemeſtris , 314. ſubtrimeſtris , 313. ab uteri laxitate , 314.
Abſcès , I , 166. 167. *fiſtuleux* , II , 609. *au foye* , 109.
Abſceſſus , I , 167. mammarum , II , 134. pulmonum , I , 686. ſpirituoſus , 162.
Abſtinence longue , I , 769.
Accès de fiévre , I , 343.
Accouchement accompagné de convulſion , I , 570. *laborieux* , II , 117. *contre nature* , 120. *prématuré* , 312 , 314.
Achlys , I , 125 , 726.
Achor , Achores , II , 578 , 579.
Acna , Acne , I , 136.
Acrimonioſi morbi , II , 680.
Acrochordon , I , 155.
Adaimonia , II , 37.
Addephagia , II , 217.
ADIPSIA primaria , ſecundaria , I , 770.
Adſtrictio ſtomachi , II , 96.
ÆDOPSOPHIA , II , 417. urethræ , uterina , *ibid.*
Ægilops , II , 373.
Ægis , I , 125 , 726.
AERI-FLUXUS , II. 413.
Aërophobia , II , 233.
Æſtus volaticus , I , 139 ; II , 47.
Ætatum morbi , II , 709.
Affectio oris ſcorbutica , II , 295.
Affections ſoporeuſes , I , 822.
Affectus ſuperficiarii , I , 96 ; eorum theoria , I , 100.
Agacement des dents , II , 77.
AGHEUSTIA ; febrilis ; paralytica , I , 751.
AGRYPNIA ; arthritica , II , 271 ; cephalalgica , 272 ; critica , 273 ; à dolore ; febrilis , 272 ; hyſterica , 271 ; ab indigeſtione , 272 ; ab inſectis , 273 ; ex pancreate , 272 ; à pathematis , 271 ; ructationi ſuccedens , 272 ; ſenilis , 273 ; à vermibus , 272.
Agrypnocoma , I , 830 , 832.
Agues (the) , I , 343.
Aigreur d'eſtomac , II , 83.
Aimatera , II , 321.
Aimatiſmos , II , 284.
Aimatos eccriſis , II , 296 , 306.
Aimorrhois , II , 323.
Aimorroia , II , 306.
Alalia , I , 775.
Albara Avicennæ , I , 127 ; nigra , I , 127 ; II , 572.
Albugo , I , 126 , 726.
Albula , I , 722.
Algarab , II , 373.
Algedo , I , 171.
Algemata , II , 4 , 16.
Algola Arabum , I , 455.
ALGOR , I , 567 ; II , 44. externus , II , 44. febricoſus , 46. internus , 45.
Alguada , I , 127.
Alhaſef , I , 136.
Alienation d'eſprit , II , 240.
ALOPECIA , *Alopecie* , II , 569 , 606 , areata , 607. porriginoſa , 608. ſimplex ; ſyphilitica ; volatilium , 607,
Alphus , I , 127 , II , 592.
ALVI FLUXUS , II ; 315 , 355. colliquativus , 358. puriformis , 361. profluvia , 315. profluvium album , 356.
Alureſchin Maahah , I , 432.
Alyſmon , II , 37.
Amarry , I , 586 , 841.
AMAUROSIS , I , 745 ab achoribus repreſſis , 748. ab aqua in cerebri cortice ſinubuſve , 746. arthritica , 749. ex bombardæ exploſione ; à calculo juxta nervum opticum ; à capitis commotione , vulnere ; à catarrho , 746. congenita ; ab epilepſia , 747. exanthematica , 748. exhauſtorum , 749. à febribus acutis , 746. foricariorum , 748. gravidarum ; ab hæmorrhoi-

morrhoidum fluxu ſuppreſſo, 746. hyſterica; intermittens, 749. à menoſtaſia, menſtruorum fluxu ſuppreſſo, 746. à morbis convulſivis; à myoſi, 747. a narcoticis, 748. ab oculi interna ſuppuratione, 747. vulnere; pituitoſa; plethorica, 746. à plica reſecta vel retenta, 748. rachialgica, 749. à ſcabie ſuppreſſa, 748. ſcrophuloſa, 746. à ſpaſmo, 747. ex ſteatomate in cerebro, 746. à ſynchyſi, 747. traumatica; à tumore globoſo nervis opticis inſidente, 746. venerea, 748. ob veſicam nervis opticis incumbentem, 746. ab uveæ phlogoſi, 747.

Amblosis, II, 312.

AMBLYOPIA, *Amblyopie*, I, 730, 745. abſoluta, 743. crepuſcularis, 732. diſſitorum, 735. hydrophthalmica, 744. luſcorum, 742. meridiana, 734. proximorum, 740.

Amblyoſmos, I, 743; II, 312.

Amblytes, I, 743.

Ambuſtio, I, 138, 451: II, 622.

AMENTIA, II, 248. calculoſa, 251. à croco; ab hydatidibus, 249. ab ictu; microcephala; moroſis; à quartana; rachialgica; 250. ſenilis; ſeroſa, 249. ex ſiccitate, 250. à transfuſione ſanguinis, à tumore, à venenis, 249.

AMNESIA, II, 269. cephalalgica; febriſequa; ab hæmorrhoidibus ſuppreſſis; à lochiis ſuppreſſis; à pathemate; plethorica; ſenilis; à temulentia; traumatica; à venere, 270.

Amor inſanus, II, 252.

Amphemerina, AMPHIMERINA, I, 322. anginoſa, 328. arthritica; bilioſa, 331. cardiaca, 324. catharrhalis, epiala, 323. hemitritæus, 326. humoroſa, 325. Hungarica, 327. latica, 322, miliaris, 327. mimoſa, 329. paludoſa, 330. peripneumonica, 329. phrenitica, 330. phricodes, 325. pſeudohemitritæus, 326. ſcorbutica, 330. ſemiquartana, 332. ſemiquintana, 333. ſingultuoſa, 328. ſpaſmodica, 329. ſyncopalis, 324. tuſſiculoſa, 328. varioloſa, 331.

AMPUTATURA, I, 240.

Anabexis, II, 377.

ANACATHARSIS; II, 382. aſthmatica, 383. bilioſa, 382. phthiſica; puriformis; à vomica, 383.

Anachrempſis, II, 377.

ANÆSTHESIA, I, 763. melancholica; naſcentium, 764. plethorica; à ſpina bifida, 763.

Analepſia, I, 577, 581.

ANAPHRODISIA, I, 770. gonorrhoïca; magica; à mariſcis, 771. à paralyſi, 770. ab urethræ vitio, 771.

Anaptyſis, II, 382.

ANASARCA, *Anaſarque*, II, 470. ab adiapneuſtia, 472. Americana, 473. exanthemica; à febribus; à fluxu, 472. gravidarum, 473. hydropotarum, 474. hyſterica, 473. metaſtatica; periodica, 471. purulenta; rachialgica; urinoſa, 474.

Anatropha, II, 336.

Anaudia, Anaude, I, 775.

Anchylops, II, 374.

Ancœur, I, 418.

Ancyloblepharos, I, 725; II, 193.

Andromania, II, 226.

Andrum; Anduvaiaku, I, 170.

ANEPITHYMIÆ, I, 765.

ANEURYSMA, I, 162. cylindroides, 163. præcordiorum, II, 85. ſpurium, I, 162. ventriculi dextri, II, 86. verum, I, 163.

Aneuriſme, I, 162. *du cœur*, II, 85. *vrai*, I, 163.

ANGINA, *Angine*, I, 677. alba, aneuryſmatica, 682. arthritica, 492. bronchocelica, 682. bronchus, 677. calculoſa, 678, canina, 491. à deglutitis, 679. epidemica, 328. exanthematica, 681. ab hydrargyroſi, 493. hydrophobica; hyſterica, 680. inflammatoria, 487, à laqueo, 679. ſalva larynge &c. 492. Loweriana, 678. morbilloſa, 491. 681. mucoſa, 677. naſalis, 681. œdematoſa, 678. pituitoſa, 677. polypoſa, 681. ſcirrhoſa, 679. ſcorbutica, 681. ſpaſmodica, 682. 1a. ſpecies Boerhaave, 491. 4a. ſpecies, 492. 5a. ſpecies, 487. ſpuria, 492. ſuppuratoria, 680. ſymptomatica; thymica, 681. varioloſa, 491, 681. venerea, 680.

Angoiſſes, II, 37. *de la mort*, 38.

ANHELATIONES, I, 594, 620. earum theoria, 596. OPPRESSIVÆ, 655. SPASMODICÆ, 628.

Anhelitus difficultas, I, 655.

Animi deliquium, I, 808.

Ankyloſis, *Ankyloſe*, I, 537, 539. *vérolique*, 539. *de la cuiſſe*, II, 144.

Annulus, II, 69.

Anoia, II, 250.

ANOREXIA, I, 765. arthritica, 769. bilioſa; cachectarum, 768. catamenialis, 767. exhauſtorum, 768. febrilis; melancholica, 767. mirabilis; Neophytorum, 769. paralytica; pituitoſa, 766. plethorica, 767. ob reſolutionem nervorum ſtomachi, 766. à ſaburra, 768. Stwartiana, 769.

ANOSMIA; catarrhalis; ab ozæna, I, 750. paralytica, 751. à polypo; à ſiccitate; ſyphilitica; verminoſa, 750.

ANTHRAX; I, 147; II, 621. malignus; Perſicus, I, 147. peſtilens, 417. ſimplex, 147, tarantatus, 148.

Anticardia, I, 418.

Antiglaucoma, I, 722.

ANTIPATHIA, *Antipathie*, II, 220. humana, 221.

Anus; ejus dolor; inflammatio, II, 145. inflammatio & ulcus, 364. intertrigo, 145. prolapſus, I, 182.

ANXIETAS, *Anxieté*, II, 37. agoniſtica; cardiaca; febrilis, 38. à morſu, 39. ſpaſmodica, 38. tibiarum, 39.

Aphædros, II, 306.

Aphonia, I, 775, 779, 838, 845. aneuryſmatica; anginoſa, 780. ab antipathia, 779. catarrhalis; hyſterica, 780. melancholica, 779. paralytica; pulmonica; temulentorum; traumatica, 780.
Aphtha, *Aphthes*, I, 455. in adultis; Belgarum; cacoethes; febrilis, 456. infantilis; lactucimen, 455. maligna, 456. ſcorbutica; ſyphilitica, 457.
Apilepſis, I, 845.
Apnœa, I, 841.
Apomyttosis, I, 550.
Apophtora, II, 312.
Apoplexia, *Apoplexie*, I, 484, 791, 845, arthritica, 848. atrabilaria, 850. cerebelli, 815. epileptica, 849. exanthematica, 848. febricoſa, 849. flatulenta, 815, 820. hypochondriaco-ſpaſmodica, 841. hyſterica, 847. inflammatoria, 850. mephitica, 851. metaſtatica, 848. minor, 837. minor ſanguinea, 838. partialis, 797. periodica, 849. phlegmonoſa, 846. pituitoſa, 848. polypoſa, 850. puerperarum, 847. purulenta, 484. ſanguinea, 845. à ſcabie; ſcorbutica; ſeroſa, 848. ſpaſmodica, 841. ſuſpirioſa, 850. temulenta, 847. traumatica, 846. vaporoſa, 847. verminoſa, 851.
Apopſychia, I, 808.
Aporia, II, 37.
Apoſitia, I, 766.
Apoſtaſis, I, 167.
Apostema, *Apoſteme*, I, 166. abſceſſus; apoſtaſis; diapyeſis, 167. empyocele, 168. hypopyon; onyx; paroulis, 167. phalangum; ſpina ventoſa, 168. ſynchyſis, 167. vomica, 168.
Apoſtume, I, 167.
Appetit dépravé, bizarre, II, 211.
Apſychia, I, 809.
Aqua, I, 719. Aquæ ex utero prægnantis effuſio, II, 400.
Aqula, I, 157, 726.
Arcouſſel, I, 293, II, 129.
Arctura, I, 150.
Arcus ſenilis, I, 126.
Ardens (mal des), I, 147, 451.
Ardeur de cauſe interne, II, 46. *d'urine*, 388.
Ardor; externus; internus, II, 46. ſtomachi, ventriculi, 83. volaticus, 47. urinæ, 388.
Area, II, 607.
Argema, II, 69.
Argyrias, I, 721.
Aridura; ab arthrocace; hydropica; paralytica; rachialgica; ſcorbutica; ſpaſmodica; traumatica, II, 464.
Arſura, II, 148, 390.
Arthritis, II, 18. æſtiva; alba, 22. Americana, 25. aſthmatica, 24. Bahamenſis, 26. chlorotica, 22. à colica; cuticularibus morbis ſubjecta; exanthematica; febricoſa, 25. febriſequa, febri vel continuæ, vel eryſipelatoſæ vel intermittenti quartanæ ſuccedens, 24. hyemalis, 21. melancholica, 23. paturſæ ſuccedens, 24. podagra, 19. rachialgica; rachitica, 25. rheumatica, 21. ſcorbutica, 23. ſyphilitica, 24. vaga, 28. venerea, 24.
Arthrocace, I, 242. II, 26, 464.
Artus vari, I, 232, 233.
Artuum morbi, II, 704.
Ascites, *Aſcite*, II, 498. ab aqua ſanguinolenta, nigreſcente, 507. arthriticus; artificialis, 503. calidus, 504. chyloſus, 507. à colliquatione, 502, 504. cruentus; à cruore mero; à cruore loturæ carnium ſimili, 507. ab exanthematis, 503. febrilis, 504. flatulento-peritonæus, 508. ab hepate, 500. ab herpetibus repreſſis, 503. ab inanitione & colliquatione, 502. intercus, 505. intermuſcularis, 506. à liene, 501. à maculis repreſſis, 503. à meſenterio ſtrumoſo, 501. oleoſus Baglivi, 508. omentalis, 506. ab oppilatione, 500. ovarii, 506. ab ovariis, 501. purulentus, 507. purmlento-peritonæus, 510. à quartana, 504. à rubeola repreſſa, 503. ſaccatus, 506, 507. à ſanguifluxibus, 502. ſanguineo-intercus; ſanguineo-peritonæus; ſanguineo-uterinus, 508. à ſcabie repulſa, 503. ſcorbuticus, 503. ſcrophuloſus, 501. ſeroſi abdominales, 498. ſeroſi non abdominales, 505. non ſeroſi abdominales, 507. nec ſeroſi nec abdominales, 508. ſtomachi, 506. à veſica diſrupta; urinoſus, 507. uterinus, 505. vulgatior, 498. ejus curationis praxis, 509.
Aſef, I, 136.
Aſitia, I, 766.
Aſkites, II, 498.
Aſpermatiſmus, II, 411.
Asphyxia, *Aſphyxie*, I, 815. à carbone, 821. cataleptica, 818. congelatorum, 817. flatulenta; foricariorum, 820. à fumis, 816. hyſterica, 818. immerſorum, 815. à mephitide, 819. à muſto, 816. neophytorum, 821. à pathemate, 818, ſideratorum, 820. ſpinalis, 821. ſuſpenſorum, 816. traumatica, 821. Valſalviana, 820.
Aſſe, II, 37.
Aſſodes, I, 337.
Aſſoupiſſement, I, 822. *carotique*, 837.
Asthenia, I, 801. abſtinentium. 805. Americana, 807. cachectica; chlorotica, 803. febrilis, 804. hydrocephali, 802. hydrocephalica; hyſterica, 805. ab inanitione, 804. infantum, 806. nativa, 808. ab oſteoſarcoſi; oſſifraga, 804. à pathematis, 803. Pannonica, 802. ſcorbutica, 803. ſyphilitica, 805. Virginica, 802.
Asthma, I, 661. arthriticum, 666. cachecticum; catarrhale, 669. continuum, 656. convulſivum, 664, 674. equinum, 667. exanthematicum, 668. febricoſum, 670. flatulentum, 662. à gibbo, 667. humidum; humorale, 662. II, 383. hypochondriacum, 666. hyſtericum, 665. metallicum, 668. nocturnum,

turnum, 628. nothum, 666. occultum, 664. orthopnœa, 666. plethoricum, 669. pneumonodes, 662, 669. à polypo cordis; pulverulentorum, 667. ſanguineum, 669. à ſcabie; ſiccum, 664. ſpurium, 656. ſtomachicum, 667. venereum, 669. uterinum, 671.

Aſthme, I, 661. *adipeux*, 667. *ordinaire*, 662.

Atechnia, I, 770.

Atoni morbi, II, 695.

Atrebile, II, 333.

ATROPHIA, *Atrophie*, II, 460. ab alvifluxu, 461. Anglica, 460. à crinonibus, 462. à faſcino; febriſequa; infantilis, 463. lactentium, 461. lateralis, 463. à leucorrhœa, 461. à lue venerea, 450. *de la moitié du corps*, 463. nervoſa, 460. nutricum; à ptyaliſmo, 461. rachitica, 462. à ſanguifluxu, 461. ſcorbutica; ſenilis, 462. verminoſa, 463. Virginiana, 460. à vomitu, 462.

Avant-cœur, I, 418.

Auditus difficilis, I, 751. gravitas, 755.

Avives, I, 487, 492.

Avortement, II, 312. 313.

Auricularum proptoma, I, 181, 182.

AURIGO, II, 584. accidentalis, 586. calculoſa, 589. à colica hyſterica, 590. febricoſa, 589. febrilis, 585. à graviditate, 587. hepatitica; hyſterica, 590. Indica, 586. à menſium ſuppreſſione, 588. Neophytorum, 590. ab obſtructione, 588. periodica, 589. plethorica, 587. purulenta, 588. rachialgica, 591. à ſpaſmis, 589. typhodes, 590. à venenis, 587.

Aurium fluxus; humiditas, II, 413. inflammatio, 71. fluctuatio, ſonitus, ſtrepitus, 193. morbi, 706.

B

Baillement, I, 631.

Balbuties, I, 782.

Bancroches, I, 232.

Barycoia, I, 755.

Bave, II, 377.

Bégaiement, I, 780, 781.

Bénéfice de nature, *de ventre*, II, 355.

BERIBERIA; Indica, I, 592. ſpuria, 593.

Berluë, II, 174. *étincellante*, *raionnante*, 181.

Bêtiſe, II, 248, 250.

Bévuë, II, 190.

Bex; theriodes, I, 647.

Bicephalium, I, 154.

Bicho, II, 146, 362, del culo, 364.

Biecho, II, 551.

Bilioſi morbi, II, 663.

Bitios Angolenſium, II, 146, 364.

Blacciæ, I, 432.

Blæſitas, I, 782.

Blakleg, II, 476, 563, 593.

BLEPHAROPTOSIS, I, 176, 725. ectropium; entropium, 178. genuina; Græcorum;

lagophthalmus, 177.

Bleſſure, I, 235. II, 310, 312, 313.

Bleſtriſmos, II, 37.

Bloodi flux, II, 324.

Blouweſcheut, Blouweſchuyt, II, 563.

Boaſt, II, 611.

Boſten Germanis, I, 422.

Boiteux, I, 565.

Boliſmus, II, 215.

Bombi, II, 413. bombus, II, 199.

Borborygmi, II, 413.

Boſen halſe, I, 681.

Boſſe de l'épine, I, 160. *de l'omoplate*, 161, 232, 233.

Bothor, II, 70.

Botium, I, 157, 158.

Botrium, II, 69.

Bouffiſſure, I, 142. II, 468.

Boulimiaſis, Boulimos, II, 215. Boulimus, 216. vid. *Bulimia*.

Bourgeons, I, 131, 136.

Bourſouffiure, I, 142.

Boutons, I, 131, 136.

Bradypepſia, II, 91.

Bras tournés, I, 233.

die Braune, I, 493.

Brediſſure, I, 533.

Brening, II, 391.

Breſegue, I, 455.

BRONCHOCELE, I, 157. aquoſa, 158. botium, 157. ſarcoma; ventoſa, 138.

Bronchos, I, 786.

Brouiſſement d'oreille, II, 195.

Brulure, I, 138.

Bubas, II, 562.

Bubes, I, 131.

BUBO, I, 145. axillaris, 145, 146. creſcentium; peſtilens; ſcorbuticus, 146. ſimplex; ſtrumoſus; ſyphiliticus, 145.

Bubon, I, 145. *peſtilentiel*, 146. *ſerophuleux*, 145.

Bubonocele, I, 190. 201. altera, 201. epiploico-enterica, 197. inteſtinalis ſive vulgaris, 193. omentalis, 204. prima, 190.

Bubonorixis, I, 200.

BULIMIA, II, 215. ab acidis, 218. addephagia, 217. canina; cardialgica, 216. convulſorum, 218. eſurigo; verminoſa, 217.

Buphthalmia; Buphthalmus, I. 173.

Burning, II, 390.

C

Cacatoria, II, 354.

CACHECTICI MORBI, II, 433, 444. eorum theoria, 433.

Cachexia, II, 596. icterica, 587. CACHEXIÆ, 440. earum theoria, 433, 444. ANOMALÆ, 602. ICTERITIÆ, 562.

Cacophonia, I, 783.

Cacoſitia, I, 766, II, 334.

Cacurematis ſpecies, II, 394.

Caducus, I, 577. matricis, 671.
Cæloma, II, 69.
Cal, I, 155.
Calcul des reins, II, 112.
Calculoſi morbi, II, 690.
Calculus renum, II, 112. veſicæ, 391.
Calentura, *Calenture*, I, 462. II, 247.
Caligo, I, 724. ab ancyloblepharo; à blepharoptoſi, 725. à cancro; ceratocele, 728. à defectu humoris aquei, 729. ab ecſtaſi, 730. hypoæma, 729. hypoſphagma, 728. lactea, 729. à leucomate, 726. à lupia, 727. à myoſi, 730. à nephelio; à pacheoblepharoſi, 726. à pterygio, 728. à rhytidoſi, 729. à ſarcomate, 727. à ſtaphylomate, 728. à ſymblepharoſi, 725. à ſyniſeſi, 730. venerea, 729.
Calloſitas, II, 613. *Calloſité*, I, 154.
Callus, I, 155, 722.
Calor, I, 383. febrilis, 277.
Calus, I, 155.
Cambroul, I, 136.
Cambuca, I, 146. 149; II, 549.
Cancer; lupus, I, 148. mammarum, II, 129. *de la matrice*, 122. myrmecia; *occulte*, I, 148. *de l'œil*, I, 174; II, 67. palpebrarum, II, 67. phagedæna, I, 148. ſyphiliticus; *verolique*, 149. verrucoſus, I, 148. *ulceré*, II, 547. *à l'uterus*, II, 122, 399.
Canſancio, II, 39.
Caphora, I, 560.
Capillorum defluvium, II, 607.
Capiplenium, II, 49.
Capitis ardor, I, 486. dolores, II, 47, 49. gravedo, 49. morbi externi, 706. interni, 707. Caput obſtipum, I, 536.
Caqueſangue, II, 324.
Carazzo, I, 417.
Carbunculus, I, 148.
Carcinoma, II, 547. ſyphiliticum, 549. carcinomata venerea, I, 148. vulgare, II, 548.
Carcinos Græcis, I, 148.
Cardiaca, II, 93.
Cardialgia, *Cardialgie*, II, 88. 93. arthritica, 91. atrabiliaris; bilioſa, 94. bradypepta, 91. à cardiogmo, 93. à cruditatibus, 89. epilepſiam inducens, 94. febricoſa, 90. flatulenta, 90, 94. hirudinoſa, 92. hypochondriaca, 94. inflammatoria, I, 476; II, 93. ab ira effræni, II, 94. lactentium, 92. paralytica, 91. à ſaburra, 89. ſcirrhoſa, 91. ſputatoria, 84, 91. à veneno, 89. verminoſa, 92.
Cardilæa, II, 91.
Cardiogmos, II, 416.
Cardiogmus, I, 560, 561, 812; II, 85, 92, 93. aortæ; auriculæ; cordis ſiniſtri, II, 87. Leprotianus; Meckelii, 88. à mole cordis, 87. Palaggii; polypoſus, 86.
•Cardionchus, I, 812. II, 85, 86.
Carditis; ſpontanea, I, 494. traumatica, 495.
Carebaria, II, 49.
Carie, Caries, I, 242; II, 613.
Carnevaletto delle Donne, II, 229.
Carnoſité de l'urethre, II, 390.
Carphologia; delirantium; ſimplex ſpaſmodica, I, 549.
Cartilaginis mucronatæ prolapſus, II, 95.
Caruncula virgæ, II, 390.
Carunculæ lacrymalis inflammatio, II, 67.
Carus, caros, I, 837. apyretos, 841. arthriticus, 840. exanthematicus, 845. febricoſus, 839. febrilis, 838. à frigore; ab hydrocephalo, 844. hypochondriaccus, 842. hyſtericus, 841. ab inſolatione, 842. iſchuriones, 839. à narcoticis, 843. nyſtagmus, 844. à pathemate; à plumbagine, 842. ſpontaneus, 838. traumaticus, 840. varioloſus, 841. verminoſus, 840.
Catalepsis, *Catalepſie*, I, 824, 828. delirans, 827. II, 207. à fumo, 826. hyſterica, 825. melancholica; à menoſtaſia, 826. prima, 845. quartanaria; à reſolutione, 827. ſanguinea, 826. ſecunda, 842. ſomnambulans, 827. verminoſa, 826.
Catameniorum fluxus immodicus, II, 306. v. *Menſes*.
Cataphora, I, 835. arthritica; chronica, 836. coma, 835. exanthematica; hydrocephalica; ſcorbutica, 836. ſomnolentia, 835. timor, 837.
Cataracta, *Cataracte*, I, 719. antiglaucoma, 722. argyrias, 721. clavata, 722. glaucoma, 722, 723. luxata, 722. membranacea, 723, nigra, 745. purulenta, 721. ſecundaria, 723. à ſynchyſi, 722. à tela, 723. vera, 721. vera Veterum, 723. viva, 722. virgata, 721.
Catarrhales morbi, II, 670.
Catarrhe, II, 35.
Catarrhus, I, 179; II, 35. benignus, II, 35. Bellinſulanus, 36. caninus, 37. epidemicus 36. ad fauces, I, 177. cum febre epidemica, 279. ferinus, II, 36. ad nares, II, 376. pectoreus, II, 37. ad pectus, I, 686. rubeoloſus, II, 37. ſuffocativus, I, 667, 670. veſicæ, II, 396.
Cataſarca, II, 470.
Cataſtagmus, II, 376.
Catatropha, II, 335.
Caterre, II, 35.
Catharſis diapharyngos, II, 377.
Cathemerina, I, 322, 342, 347. cathemerinos pyretos, 347.
Catochus; cervinus, I, 545. cutaneus, 546. diurnus, 547. holotonicus, 545. ſcorbuticus, 546. ſuillus, 547.
Cauma, I, 586. II, 46.
Cauſus, I, 339.
Ceinture dartreuſe, I, 134.
Celes, I, 171.
Cephalæa, II, 53. ab acrimonia ſcorbutica; arthritica; febricoſa; à gutta roſacea repulſa: hypochondriaca; à materia ſalina; melan-

melancholica; Polonica; à ſcabie repulſa; ſeroſa, 54. ſyphilitica, 53.
CEPHALALGIA, II, 49. anemotropa, 52. catamenialis, 49. catarrhalis, 52. à conſtipatione, 49. febrilis, 50. gravidarum, 51. hæmorrhoidalis, 49. hyſterica, 52. inflammatoria; intermittens, 51. à meningum inflammatione, 52. metallica, 53. à phlegmone cerebri, 52. plethorica, 49. pulſatilis, 51. rara, 52. ſtomachica, 50. à vaſis meningum ſanguine turgidis, varicoſis, 49. verminoſa, I, 300, 558.
Cephalée; *verolique*, II, 53.
CEPHALITIS; Ægyptiaca, I, 484. cerebelli, 487. epidemica; Littriana; ſiriaſis, 486. ſpontanea; traumatica, 485. verminoſa, 487.
Ceratocele, I, 728.
Cercoſis, I, 153.
Cerebri abſceſſus, I, 484, 485. phlegmone; ſphaceliſmus, 484. ſphacelus, 484, 485. ulcus, 484.
Chalaſoſis, II, 546.
Chalazium, I, 577; II, 66.
Chaleur exceſſive; *externe*; II, 46. *du foye*, I, 128.
Chalrab, II, 256.
Chancres, I, 455. *vénériens de la boucke*, 457; II, 381. *aux genitoires*, II, 148. *au goſier*, I, 680.
le Chapelet, I, 129.
Chapetonnade, II, 341.
Charbon, I, 147. *peſtilentiel*, I, 147, 417.
Chartre, II, 545.
Chatemie, I, 750.
Chaſmodia, I, 632.
Chaſpe Rhaſis, I, 422.
Chaſſie, II, 373, 375.
Chauchevielle, I, 628.
Chaudepiſſe, II, 403.
Chauveté, II, 607.
Chemoſis, I, 176; II, 65.
Chiques, II, 551.
Chitteſis, II, 211.
CHLOROSIS, Chloroſma, II, 596. amatoria, 598. Bengualenſis, 601. Carthagenica, 600. gravidarum, 599. ab hydrothorace, 600. infantum, 599. maculoſa, 600. à menorrhagia, 598. rachialgica, 601. muliebris à menſtruatione difficili, 598. ſpuriæ, 600. veræ, 596. verminoſa; viridis, 600. virginea, 597.
Choirades, II, 542.
Choleptyſis, II, 382.
CHOLERA, II, 350. arthritica, 354. auriginoſa, 352. à barbi ovis, 353. crapuloſa, 354. dyſenterica; à flatibus: flatulenta; à fungis venenatis, 352. hæmatodes, 299. hypochondriaca, 352. Indica; inflammatoria, 354. intermittens; à lucii ovis, 353. ſanguinea, 299. à ſepiæ atramento, 353. ſicca, 352. ſpontanea, 351. ſuppreſſa, 352. à veneno; à veneno animali; à venenis foſſilibus, 353. verminoſa, 354. xere, 352.
Cholera-morbus, II, 350, 351.
Cholirica, II, 332.
Choloma, I, 565.
Chordapſus, I, 478, 479; II, 102, 344, 345.
Chorea S. Viti, I, 590; II, 230.
Chutes, I, 171. *du fondement*, II, 146. *de la matrice ou du vagin*, I, 189.
Cibi faſtidium, II, 334.
Cicatrice, I, 126.
Circocele, I, 170.
Circumligatura, I, 152.
Cirons, I, 135. *des paupiéres*, 157.
Cirſoceles, I, 154, 164, 170.
Cirſomphalus, *Cirſomphale*, I, 168.
Citta, Cizza, II, 211.
Clapier, I, 241.
Claſſium clavis, I, 79. & Ordinum ſynopſis, 92. ætiologicarum ſynopſis, II, 636.
CLAUDICATIO, I, 565. à contractura; à debilitate, 566. à dolore; à fractura, 565. à luxatione; mutilorum, 566. rachitica, 565.
Claveau, *Clavelée*, II, 550, 551.
Clavus, I, 154; II, 57. hæmorhoidalis, II, 56. hyſtericus, 57. Clavi oculorum, I, 722.
Clou, I, 146. 165; II, 55. *hyſterique*, II, 57. *ordinaire*, I, 146.
Cochemar, I, 628.
Cœcitas, I, 745.
COELIACA, II, 357, 360. paſſio; chyloſa, 360. lactea; mucoſa, 361. purulenta, 360. Cœliacos pathos, *ibid.* Cœliacus affectus, II, 97, 321, 360.
Coldneſs, II, 44.
Colebrilla, II, 553.
Coledon, II, 603.
Coleia, I, 565.
COLICA, II, 99. accidentalis, 106. ab acri & ſcorbutico humore; atrabilaris; bilioſa, 102. calculoſa, 105. catamenialis, 103. a colo obſtructo, 100. Damnonienſis, 131. enterocelica; febricoſa, 107. figula, 131. flatulenta, 100. à frigore, 106. gravidarum, 105. hæmorrhoïdalis, 103. hypochondriaca, 99. hyſterica, 98, 105. Japonica, 103. inflammatoria, 345. ab intermittenti febre, 132. lactentium, 106. Lapponica, 103. meconialis, 106. in purgatione menſtrua, 122. meſenterica; pancreatica, 104. ab impedita perſpiratione, Tronchini ſpec. 5a, 136. phlogiſtica, 102. Pictonum, 132, 133. pituitoſa, 101. plethorica, 103. plumbariorum, 131, 133. pulſatilis, 105. à ſcabie repulſa, 100. ſcirrhoſa, 104. ſpaſmodica, 102 ſpaſmodica Angelmontanorum, 109. ſpecies 4a. Tronchini, 135. ſtercorea, 101. Surinamenſis, 136. à veneno, 133. ventriculi, 93. ab ejus emphraxi, 99. verminoſa, 101. à veſiculis aëre turgidis, 100.
Colicus dolor Pictonum; Pictonum & Figulorum, II, 131.
Colique, II, 99. *des Barbeilleurs*, 133 *bilieuſe*, 94. *convulſive*, 102. *des enfans qui tettent*,

tent, 106. *d'eſtomach*, 93. *après le froid*, 106. *glaireuſe*, 101. *hepatique*, 107. *d'indigeſtion*, 93, 106. *inflammatoire*, 102. *inteſtinale*, 99. *des mois*, 122. *des Peintres*, 133. *de plomb*, 133, 134. *de Poitou*, 131. *des Potiers*, 133. *renale*, 112. *vegetale de Poitou*, 131. *venteuſe*, 94, 100. *uterine*, 122. *hiſterique de l'uterus*, 124.
le Collier, I, 133.
Colli morbi, II, 707.
Color icterodes infantum, I, 129.
Colotes, I, 565.
Columella, bicornis; columna, I, 179.
Coma, COMATA, I, 822. à repulſo eryſipelate, 836. ex iſchuria, 839. lethargicum, 831. chronicum à repulſa podagra; ſcorbuticum, 836. ſomnolentum, 835. ſoporiferum, 847. vigil, 830, 832.
Comacephalus, I, 484, 488.
Comedones, II, 552.
Compernes, I, 162, 233.
Conductiones, I, 526.
CONDYLOMA, *Condylome*, I, 154. callus, 155. clavus, 154. ficus, ganglion; porrum; thymus, 155. tylus, 154.
Congelatio, I, 818.
Conion, II, 244.
Conſomption, II, 451, 460.
Conſternatio, II, 223.
Conſtipatio, *Conſtipation*, II, 363.
Continens putrida, I, 301.
CONTRACTURA, I, 537, 794. ankyloſis; arthritica, 539. Bohemica, 538. catarrhalis, 539. dolorifica, 538. hypochondriaca, 537. paralytica; rachialgica; ſcorbutica, 538. ſpaſmodica; ſyphilitica, 539.
Conturbatio, II, 223.
CONTUSIO, *Contuſion*, I, 130, 238. partialis, 239. univerſalis, 238.
Convolvulus, II, 344.
CONVULSIO, *Convulſion*, I, 550. abdominis, 554. admirabilis, 555. à capitis ictu, 553. febrilis, 552. gravidarum, 556. habitualis, 555. hemitotonos, 558. ab hydrocephalo, 553. ab inanitione, 550. Indica, 554. intermittens, 556. laryngis, 671. nephralgica, 553. à nervi punctura, 551. ab onaniſmo; pleurototonos, 556. raphania; Solonienſis, 554. Suecana, 569. univerſalis, 555. ab uſtilagine, 554.
Convulſion cauſée par la formation des dents, I, 572. *des enfans*, 568.
Convulſiones, convulſivi morbi, I, 506. earum theoria, 508. clonicæ, 547. 550 infrequentes, 555. tonicæ, 526. vid. *Spaſmi.*
Convulſivi motus, I, 547, 550.
COPHOSIS, I, 757, 775. ab aphthis; à catarrho, 760. à comate; congenita, 762. critica; febriſequa; 760. à meatu, 759. ſcroſa, 761. à ſteatomate, 763. ſyphilitica, 761. à tuba; à tubæ polypo; à muco tubam replente; ab angina tubis obſtructis; à tumore palati tubas obſtruente; à tympano, 760.
Copos, II, 39.
Copriemeſia, II, 344.
Coqueluche, I, 486, 488, 651; II, 36. *des enfans*, I, 328.
Cor des pieds, I, 154.
Cordinema, I, 549.
Cordis & pericardii inflammatio, I, 494. cordis vulnera, 495. palpitatio, 560. dolor, II, 93. tremor, I, 561.
Corpulence, II, 467.
Corpulentia ſaginoſa, II, 467. febricoſa, 377.
Corybantiaſmus, II, 260.
CORYZA; catarrhalis; humida; phlegmatorrhagia, II, 376 febricoſa; purulenta; varioloſa, 377. virulenta, 376.
Couches précoces, II, 314.
Cough, I, 647.
Coup d'arme à feu, I, 236. *de ſoleil*, I, 842. *de la torpille*, II, 42.
Couperoſe; *dartreuſe*, I, 129.
Coupure, I, 240.
Courap, II, 577.
Courbature, I, 289, II, 28, 34, 39.
Couronne de Venus, I, 129.
Cours de ventre, II, 355.
Courte haleine, I, 656.
Crachement de ſang, II, 287.
Crachotement, II, 377. *& aigreurs des femmes groſſes*, 381.
Crampe, CRAMPUS; idiopathicus; ſympathicus, I, 540.
Cranckheit, I, 554.
Craſpedon, I, 179.
Cremaſon, II, 83.
Crepitus, II, 413, 414.
Crêtes, I, 155.
Cridones, Crinones, II, 552, 462.
Crocidiſmus, I, 549.
Croiſſances, *Croiſſans*, I, 146.
Crotaphus, II, 53.
Croute de lait, Cruſta lactea, II, 578, 579.
Cryſtalline (*la*) I, 141, 422, 426, 427.
Cneſis, II, 491.
Curucucu, II, 296.
Cutanei morbi univerſales, II, 702. partiales, 703.
Cutubuth, II, 256.
CYNANCHE, I, 487. arthritica, 492. canina, 491. contagioſa, 489. à deglutitis, 493. epidemica, 488. exanthematica, 491. gangrænoſa, 489. hepatica, 492. laryngea, 491. maligna, 489. mercurialis, 493. metaſtatica, 492, parotidæa, 493. peſtilens, 489. pharyngea, 492. prunella, 493. purpuro-parotidæa, 494. thymica, 492. tonſillaris, 487. trachealis; vera, 491. ulceroſa, 489.
Cynorexia, II, 215. Cynorexis, II, 216.
Cyphoſis, I, 160.
CYSTIDES, I, 162, II, 703.
Cyſtiphlogia. I, 483.
CYSTITIS; à cantharidibus; ſpontanea; traumatica, I, 493.

Cyſtobubonocele, I, 214.
CYSTOCELE, I, 211, 216. cruralis, 215. enterocelica, 216. epiplocelica, 217. hypogaſtrica, 215. ab hyſteroptoſi, 217. inguinalis, 214. lumbaris, 217. perinæalis, 215. vaginalis, 216. Cyſtoceles compoſitæ, *ibid.* ſimplices, 214.
Cyſto-enterocele, I, 198.
Cyſto-epiplocele, I, 206.
Cyſto-merocele, I, 215.

D

DÆMONOMANIA, II, 260. à cardiogmo, 264. fanatica; hyſterica, 262. Indica, 263. Polonica, 264. ſagarum; ſimulata, 260. à vermibus, 262. vampiriſmus, 260.
Danſe de S. Guy, I, 590. II, 230.
Dartre, I, 132. *boutonnée*, 134. *encroutée*, 132; II, 574. *farineuſe; miliaire*, I, 132. *noire*, II, 592. *rongeante*, I, 133. *ſèche*, 132. *vérolique*, 133.
Daſymma, II, 60.
Deafnes, I, 757.
Debilitas, I, 801. febrilis, 804. habitualis. 801.
DEBILITATES, I, 711. earum theoria, 699.
Debord, II, 578, 580.
Decolorationes, II, 582.
Decolores morbi, II, 582, 702.
Défaillances, I, 799.
Defluvium capillorum, II, 607.
Defluxio, II, 35, 355.
DEFORMITATES, II, 433. v. *Cachectici morbi.*
Deglutitio difficilis, II, 78. v. *Dyſphagia.*
Dégout, I, 751, 765.
Dejectio cruenta critica, II, 326. mucoſa pro pure habita, 361. ſanguinis periodica, 326. Dejectiones nigræ, 332.
Delachrymatio, II, 372.
Deliquium, I, 808.
Delire, DELIRIA, Delirium, II, 238, 240. febrile, magicum, 245. ex narcoticis, 241. ſenile, 249. ex venenis dementantibus, 241.
Demangeaiſon, II, 42.
Dem-el-muya, I, 484.
Demence, Dementia, II, 248.
Demonomanie, II, 260.
Dendruipleéd, II, 362.
la Dentition, II, 76.
Dentium dolor, II, 73. podagra, I, 532, 533. ſtridor à vermibus, 532, in morbis acutis, 533. ſtupor, II, 77.
Deperditio, II, 312.
Deplacement, I, 171.
Dépot, I, 166, 167. *à la cuiſſe*, II, 142. *dans l'hypogaſtre*, 127. *aux mammelles*, 129. *laiteux ſur le cerveau*, II, 266. *ſur la poitrine*, I, 475. *avec fiévre aiguë*, 482.
Desaſſoſiego, II, 37.
Deſcentes, I, 171. *de la matrice*, 185. *du vagin*, 188.
Deſmayo, I, 809.
Deſmochaunoſis, I, 227.
Deſmophlogia, I, 228.
Deſſéchement, II, 464.
Deſtillatio, II, 35, 376.
Devoyement, II, 355. *des enfans de lait*, 359.
DIABETES, II, 383. Anglicus, 384. arthriticus; artificialis; febricoſus, 385. hyſtericus; legitimus, 384. à vino, 385.
Diacauſis, II, 46.
Diapyeſis, I, 167.
Diaria, I, 289. ex balneo frigido, 292. inflativa, 290. ex mœrore; pluvia frigida; terrore, 292.
Diarrhée, DIARRHOEA, II, 354. acraſia, 357. adipoſa, 359. ab aphthis, 362. aquoſa, 358. arthritica, 357. atrophicorum, 358. bilioſa, 357. carnoſa, 356. cerebralis; Chilienſis, 358. cholerriodes, 359. chymoſa, 360. cœliaca, 357. colliquativa, 358. à toto corpore cum febre, 356. ſine febre, 355. à dentitione, 359. febricoſa, 360. febrilis, 356. ab hypercatharſi; lactentium, 359. lymphatica, 358. à miliari, 356. mucoſa, puriformis & torminoſa, 361. pituitoſa, 356. pleuriticorum, 360. purulenta, 358. rubeolas ſubſequens, 356. ſeroſa, 358. ſtercoroſa; ſtomachalis, 355. ſynthetica, 358. varioloſa, 356. à ventriculo & cibis corruptis, 355. verminoſa, 358. urinoſa, 358, 383. vulgaris, 355.
Diarriea Gilberti Angli, II, 355.
Diarroia ex oure, II, 383.
Diaſtaſe, DIASTASIS; à cauſa externa; violenta; ſymphyſium, I, 230. à cauſa interna; raphica; ſuturarum cranii; harmonica; oſſium naſi; ſynoſteochondrica; cartilaginis narium, 231. epiphyſica, epiphyſium; ſynchondroſica, ſynchondroſeon, 232.
Diaſtrophe, I, 535.
Diatheſis ſoporoſa, I, 833.
Dichomene, I, 295.
Dievaren, II, 31, 554.
Difficultas inteſtinorum, II, 324.
Difficulté d'avaler, II, 78.
Digitium, I, 150.
Dinos, II, 166.
DIPLOPIA, II, 190. ab ancyloblepharo; à catarrho; a contuſione; à debilitate; à paralyſi; pyrectica; remotorum; à ſpaſmo; à temulentia; à terrore, 193.
Dipſacus, II, 383.
Diſnia, I, 656.
Diſſolutio vitrei, I, 167.
Diſtorſio, I, 224, 226.
Doenca de Richo, II, 364.
Dolor, I, 393. ejus theoria mechanica, II, 4. pſychologica, 11. capitis, cephalicus, 49. v. *Cephalalgia.* cardialgicus, ſpaſmodicus à veneno, 133. coxendicus, 141. hypochondrii dextri, 107. iſchiadicus, 141, 144. lateris, I, 682.; II, 111. à flatu, I, 682, 683. nephriti-

phriti-

phriticus, II, 122. & ſpaſmus otalgicus, 71. pleuriticus ex lumbricis, I, 682. de tripas, II, 132.

Dolores, II, 1, 4, 16. ABDOMINIS, 88. CAPITALES, 47. EXTERNI & ARTUUM, 128. hyſterici, 31. PECTORIS, 78. rheumatiſmales, 29. VAGI, 18.

Dolorifici morbi, II, 4.

Dormitatio gravis, I, 837.

Dorſi dolor, I, 682.

Dothien, I, 146.

Double vûe, II, 190.

Douleurs, II, 4. *d'accouchement*, 139. *des cancers des parties*, 9, 148. *des cuiſſes & des jambes*, 142. *du fondement*, 145. *du foye*, 107. *du gland provenant du phimoſis & paraphimoſis*, 148. *des hemorrhoides*, 147. *de hernie*, 148. *des mammelles*, 128. *d'oreille*, 71. *des os*, 26. *des parties genitales*, 147. *de poitrine*, I, 682. *de la rate*, II, 111. *des teſticules retirés, déplacés*, II, 147. *de tête*, 53. *au ventre*, 99.

Dracontium, II, 553.

Dracunculus noſtras, II, 552. Perſarum, 553.

Dragonneau, II, 553.

Dragſinta Suecis, I, 554.

Drapeau, I, 156, 728.

Dureté d'ouïe, I, 751, 757.

Durillon, I, 154.

DYSÆSTHESIÆ, I, 718.

Dyſcatapoſis, II, 80.

DYSCINESIÆ, I, 772.

DYSECOEA, Diſecoia, I, 751. febrilis; à kinkina, 755. malcorum; à meatu obſtructo; monoton, 752. à myringæ atonia; à myringa dura, perforata, 753. ſyphilitica, 755. à tuba obſtructa; à tympani fiſtula, hydrotympano, 754.

DYSENTERIA, Dyſentery, *Dyſſenterie*, II, 324. æquinoctialis; alba, 328. atrabilaria, 327. benigna, 326. carnoſa, 329. caſtrenſis, 327. catamenialis, 326. à catharticis, 328. critica, 326. epidemica, 327. febricoſa, 330. febrilis, 327. gravidarum, 326. hæmatodes, 324. hepatera; hepatica, 321. incruenta, 328. Indica, 327. intermittens; miliaris, 330. Pariſiaca, 326. pecorum, 327. peſtilentialis, *ibid.* Polonica; ſcorbutica, 330. ſimulata, 327. ſplenica, 332. ſpontanea, 326. ſyphilitica, 328. vera Bontii, *ibid.* verminoſa, 329. à vomica meſenterii, 328.

DYSODIA, II, 418. axillarum; hircina; ab ſtirrhœa, 420. ozæna, 418. pedum; pulmonica, 420. à rhinoſtenote; ſtomatica, 419. ſtomachalis; à tinea; urinoſa, 420.

Dyſorexia, I, 766.

DYSPERMATISMUS, II, 404. apractodes, 410. catarrhalis, 408. epilepticus; hypertonicus, 409. mucoſus, 408. nodoſus, 407. phymoſicus; præputialis, *ibid.* refluus, 411. ſeroſus, 410. urethralis, 405.

DYSPHAGIA, II, 78. aneuryſmatica, 82. à calculo palatum obſidente; à callo aortæ adnato, 79. canina, 82. à ſcirrho cardiam obſidente, 79. à datura; à deglutitis, 81. ab excreſcentiis, fungis, verrucis œſophago innatis, 79. hydrophobica, 80. ab hypoſtaphyle, 83. hyſterica, 78. inflammatoria, I, 492. à labario, II, 83. lactentium, 80. nauſeoſa, 81. ab œſophago obſtructo interventu ſcirrhi; ab œſophagi induratione cartilaginea; ab œſophagea glandula; œſophagea, 79. ab oſſiculo retro laryngem nato, *ibid.* paralytica; pharyngea, 79. à ſarcomate, 81. à ſcirrho, 82. à ſiccitate, 83. ſpaſmodica, 78. à thymo incraſſato; à tuberculo cancroſo in œſophago, 79. tuſſiculoſa, 80. Valſalviana, 82.

Dyſphoria, II, 37.

DYSPNOEA, *Dyſpnée*, I, 656. aneuryſmatica, 661. ab auricularum aneuryſmate, 659. ab aortæ anguſtia, 661. à bronchiis oſſificatis, 659. calculoſa; à calculis pulmonum, à carcinomate, 658. à corde; à coſtarum extremis oſſeis; à cartilagine enſiformi oſſea, longa; à flatu in inteſtinis, abdomine, 659. Galenica; à gaſtrocele, 660. à glandulis, 658. à graviditate, 659. ab hydatidibus, 658. à liene, 660. à maſſa carnea crinita in abdomine; ab inſigni meſenterii tumore; ab omento craſſiori, 659. à pericardii ſcirrho, 657. à phiſconia, 659. pituitoſa, 657. plethorica, 661. à pleura oſſificata; à pneumatia, 659. polypoſa, 661. ab emphyſemate pulmonum, 659. à pulmonibus exſiccatis, 657. rachitica, 659. ſcorbutica, 660, 661. à ſteatomatis, 658. à ſterni prava conformatione, 659. à ſtomacho; traumatica, 660. à tuberculis, 657. tympanitica, 659. à vomica, 658.

Dyſpnœici morbi, I, 620.

DYSTOCIA, II, 117. ab anguſtia; à colica; à debilitate, 118. à fœtus culpa; mole, 119. ſitu, morte, 120. ab hyſteroloxia, 119. ex parte matris, 118. à mola, 121. à pathemate, 118. à ſecundinis relapſis, 121.

Dyſtoechiaſis, II, 59.

DYSURIA, *Dyſurie*, II, 388. arſura, 390. atretarum, 393. calculoſa, 391. à caruncula, 389, 390. à cyſtocele, 391. deceptiva à renibus, 389. diabetica, 393. gravidarum, *ibid.* hæmorrhoidalis, 390. herpetica, ab herpete veſicæ; hyſterica, 389. ab hyſteritide; ab hyſteroloxia, 391. ab inſectis, lumbrico, teredinibus, 393. neonympharum, 393. nephralgica, 389. primaria, 390. rachialgica, 391. ſyphilitica, venerea, 389. venerea ſicca, 148, 389. ab ulcere renum, 389. ab urethra per cicatrices gonorrhœæ anguſtata; ab urethræ phlogoſi ſine ulcere, *ibid.*

E

Eaux dans le cerveau, I, 556.

Ebrouement, I, 550.

Ebullition de ſang, I, 136.

Ecartement.

Ecartement des harmonies, I, 231. *des os*, 230. *des ſutures*, 231. *des ſynchondroſes*, 232. *des ſynoſteochondres*, 231.
Ecchymoma, I, 130, 728. à compreſſione; hyponychon; hypopyon; hypoſphagma, 131. ab ictu; melaſma, 130. palpebrarum; ſcorbuticum, 131. vibex, 130.
Ecchymoſe, Ecchymoſis, I, 130.
Ecclactiſma, Ecclactiſmus, I, 569.
Echarde, I, 237.
Echaubouillure, *Echauboulure*, I, 236.
Echauſement, II, 46, 49.
Eclampsia, *Eclampſis*, I, 569. ab achoribus; ab atropa, 573. à cicuta, 574. à coriaria, 575. à dentitione, 572. à doloribus, 571. exanthematica, 573. febricoſa, 576. humoralis, 572. ab hydrocephalo, 576. ab inanitione, 573. ab iſchuria, 571. à miliari, 573. neophytorum, 575. nephritica; ab odontalgia, 571. ab œnanthe, 574. ab otalgia, 572. parturientium, 570. à petechiis retroceſſis, 573. plethorica; à purpura, *ibid.* rachialgica, 572. à rubeola, 573. à ſaburra, 572. traumatica, 573. typhodes, 569. à variolis retroceſſis, 573. verminoſa, 570.
Ecorchure, I, 238.
Ecoulement des eaux, II, 400. *de lait des mammelles*, 412. *des oreilles*, 413. *par le canal de l'urethre cru venerien par le malade*, 395.
Ecpieſmus, I, 173. ex certamine athletico; ex niſu parturititio; ex ſtrangulatu, 176.
Ecplexis, II, 49.
Ecrouelles, II, 542, 543.
Ecſeſmata, I, 136.
Ecstasis, I, 730, 815, 828. cataleptica, 829. catoche, reſoluta, 828.
Ectopiæ, I, 171, II, 704.
Ectreſmos, II, 312.
Ectropium, I, 178; II, 374.
Edematie, *Edeme*. Voiez *Oedematie*, *Oedeme*.
Effemera, Effimera, I, 289.
Efflorescentiæ, I, 131.
Effluxio, II, 312.
Effort des reins, II, 140.
Eileos, II, 344.
Elaphia, I, 545.
Eleoma, II, 69.
Elcosis, II, 609. Ægyptiaca, 614. cancroſa, 611. fiſtuloſa, 609. gangrænoſa, 612. herpetica; hydropum, 610. ſcorbutica, 611. ſcrophuloſa, 610. ſyphilitica, 611. varioloſa, 610.
Elcydria, I, 131; II, 578.
Elcydrion, II, 69.
Elephanti morbus, Elephantia, II, 477, 568.
Elephantiasis, Elephas, II, 567. alba, 600. alopecia, 569. Javanenſis, 570. Indica, 571. legitima, 568. leonina, 569. Orientalis, 568. ſimulata, 571. ſyphilitica, 570. Tyria, 569. oculi, I, 173.
Elevures, I, 131.
Elodes, I, 336.
Emetos, II, 336.
Emoptoys, II, 287.
Emphractici morbi, II, 686.
Emphysema, *Emphyſeme*; ſpontaneum, I, 142. univerſale, II, 468.
Empigo, II, 573.
Empneumatoſis, II, 468.
Emproſthotonus, I, 542.
Emptoë, Emptoica paſſio, II, 287.
Empyema, I, 691. diaphragmatis, 692. intercoſtale, 693. mediaſtini; à peripneumonia; pleuræ; à vomica, 692.
Empyocele, I, 168, 171.
Empyomphale, Empyomphalus, I, 168.
Encanthis, I, 154, 727.
Encauma, II, 69.
Encephalocele, I, 217. hydrocyſtica, 218. Lechelii, 220. ſimplex, 218.
Encephalonoſos, I, 484.
Enchifrenement, II, 376.
Enfance (état d'), II, 249.
Enflure, I, 141. *des extrémités aux femmes groſſes*, II, 475. *œdemateuſe*, 474.
Engelure, I, 139.
Engourdiſſement, II, 41.
Enrouement, I, 786.
Entelipathia, II, 226.
Enteritis, I, 478. colica, 479. enterocelica, 480. flatulenta; iliaca, 479. meſenterica, 480.
Enterobubonocele, I, 190, 193.
Enterocele, I, 189. appendicularis, 194. bubonorixis, 200. completa, 194. cruralis, 195. cyſtocelen inducens; cyſtocelica, 198. epiploico-completa & incompleta, 197. epiploico-cruralis, 198. epiploico-iſchiatica, 199. epiploico-ovalaris, 198. epiploico-vaginalis, -ventralis, -umbilicalis, 199. hydrocelica, 198. hypogaſtrorixis, 201. incompleta, inguinalis, 193. iſchiatica, 196. merorixis; omphalorixis, 200. ovalaris, 196. parorchidialis, 198. partialis, perſtrictoria, 195. vaginalis, 196. ventralis, 197. umbilicalis, 196. labiorum vulvæ, 194. -- epiploica, 198.
Enteroceles inſaccatæ, I, 199. ſaccatæ compoſitæ, 197. ſimplices, 193.
Enterocyſtocele, I, 216.
Enteroepiplocele, I, 201.
Enteromerocele, I, 190, 195.
Enteromphalus, I, 196, 200.
Enterooſcheocele, I, 190, 194.
Enterophlogia, I, 478.
Enthuſiaſmus, II, 230, 259.
Entorſe, I, 224.
Entripado, II, 131, 132.
Entropium, I, 176, 178.
Envie, I, 130; II, 60. *d'aller*, II, 362. *bizarre*, II, 215. *de femme groſſe*, 213. *de vomir*, 334.
Enuresis, II, 386. calculoſa, 388. catamenialis, 387. à fiſtula, 388. gravidarum;

hernioſorum ; infantum ; paralyticorum , 386. puerperarum , 387. à ſparganoſi , 388.

Eparvin , I , 158.

Ephelis ; Celſi ; gravidarum , I , 128. ab igne , 129. lentigo ; 128. lutea ; ſcorbutica , 129. à Sole , 128. vibex , 129.

Ephemera , I , 289. ab amnodchaſia , 292. 293. Anglica peſtilens , 294. anniverſaria , 295. à balneo , 292 , 293. ex cacochylia , 291 , 292. à calore ; cardiacis , 292 , 293. caſu ab alto , 294. cibis calidis , 290. contuſione , 294. ex crapula , cruditate , 291 , 292. dichomene ; 295 à dolore , 294. ab exercitio violento , 292 , 293. à fractura , 294. frigore , 292. furore , 292 , 293 hæmathydrotica , 295. ab hypocauſtis ; ab inſolatione ; ab ira ; à labore immodico , 292 , 293. lactea puerperarum ; nutricum à lactis refluxu ; à lacte repreſſo , 293. à liquoribus ardentibus , 292 , 293. à luxatione , 294. maligna ; medica ; menſtrua , *ibid.* natalitia , 295. nauſeativa , 291 , 292, ex oppilatione ; ex perſpiratione ſuppreſſa , 290. à pervigilio , 292 , 293. à phlogoſi , 294. plethorica , 290. ex ſatietate , 291 , 292. ſudatoria , 294. à ſudorificis ; à thermis , 292 , 293. à vino , 290. à vulnere , ſeu vulneraria , 294.

Ephemeræ praxis , I , 295.

Ephialtes , I , 628. ex hydrocephalo , 630. hypochondriaca , 631. plethorica ; ſtomachica , 629. tertianaria , verminoſa , 630.

Ephidrosis , II , 369. acida ; arenoſa ; cærulea , 372. cruenta , 371. exanthematum , 370. febricoſa , 371. febrilis ; hectica , 370. lactea ; lateralis ; lutea ; mellea ; nigra ; oleaginoſa , 371. à ſaburra , 372. à ſale cryſtalliſato , 372. ſcorbutica ; ſpontanea , 369. ſyncoptica , 370. vinoſa ; viridis ; urinoſa , 371.

Ephimera , I , 289.

Epiala , I , 323.

Epian , II , 554 , 555.

Epibole , I , 628.

Epicauma , II , 69.

Epilepsia , *Epilépſie* , I , 577. ab achoribus & tineis repreſſis ; cachectica , 585. à catameniis retentis ; à crapula , 581. à dolore , 584. ab ebrietate habituali , 581. exanthematica , 585. febricoſa , 584. à fiſtulis reſiccatis , 585. ab hæmorrhoidibus retentis , 581. melancholica & hypochondriaca , 583. nephritica , 571. nocturna , 628 , 629. à pathemate , 583. pediſymptomatica , 582. plethorica , 581. rachialgica , 585. à ſanguine craſſo , polypoſo , 581. ſeroſa ; ſymptomatica à repulſa ſcabie , 585. ſimulata , 582. ſtomachica , 581. ſympathica , 583. ſymptomatica , 581. ſyphilitica ; à lue venerea , 585. traumatica , *ibid.* à ventriculo , 581. uterina , ſeu ab utero , 582.

Epilepticus inſultus , I , 569.

Epine venteuſe , I , 158 , 242 ; II , 26.

Epinyctis ; pruriginoſa ; vulgaris , I , 234.

Epiphora , II , 62 , 372. ex ægilope , 373. ab anchylope , 374. arthritica ; calida , cruenta , 375. ab ectropio , 374. frigida , 375. lactea , 376. ophthalmica , 373. à pathemate ; à rhyade ; *ibid.* ſebacea ; ſeroſa , 375. ex varioliis , 373.

Epiplegia , I , 791.

Epiplobubonocele , I , 201 , 204.

Epiplocele , I , 201. completa ; cruralis , 204. cyſtocelica , 205. hydrocelica , 206. hydrocelico-hydatidoſa , 169. incompleta ; inguinalis , labiorum vulvæ , 204. vaginalis ; ventralis ; umbilicalis , 205. Epiploceles compoſitæ , 205. ſimplices ſaccatæ , 204. ſacco deſtitutæ , 206.

Epiplocyſtocele , I , 217.

Epiploenterocele , I , 197. completa , *ibid.* cruralis , 198. incompleta , ſive inguinalis , 197. iſchiatica , 199. ovalaris , 198. vaginalis , 199.

Epiploitis ; vera , I , 480.

Epiplomerocele , I , 201 , 204.

Epiplomphalus , I , 199 , 200 , 201 , 205.

Epiploon , ejus morbi , II , 708.

Epiplooſcheocele , I , 201 , 204.

Epiſarcidium , II , 470.

Epreinte , II , 362.

Epuiſement , I , 801.

Epulis , I , 153.

Eraillement des paupiéres , I , 176 , 178.

Erethiſmus , II , 620.

l'*Ergot* , II , 623.

Erotomania , II , 252.

Erratica ; decimana ; hebdomadaria ; nonana ; octana ; quintana ; ſeptana ; vaga , I , 359.

Eruption , I , 135. *laiteuſe à la peau* , 440 , 445.

Eruptivi calidi morbi , II , 702. apyreti morbi , *ibid.*

Eryge cniſſodes ; Erygmatodes nouſos , II , 415.

Erysipelas , I , 137. 449. ambuſtio , 451. Chinenſe , 452. commune , 137. contagioſum , 452. perniocioſum , 449. peſtilens , 451. roſa , 449. ſymptomaticum , 452. typhodes , 450. à veneno , 451. à veſpis ; zoſter , 452.

Erythema , I , 137. ambuſtio , 138. gangrænoſum , 140. intertrigo , 139. paratrima , 140. pernio , 139. à punctura , 140. ſpontaneum , 137. volans , 140. volaticum , 139.

Eſcarre , Eschara , I , 241.

Eſclapete , I , 422.

Eſfalfados ; I , 316.

Eſquinancie , I , 487. Vid. *Angina. Cynanche.*

Essera , I , 135 ; 454. Sennerti , 135.

Eſſoufleriens , I , 620 , 655. *convulſifs* , 628.

Eſtomac glaireux , I , 766.

Eſtouriſſes , II , 584.

Eſurigo , II , 217.

Eternuement , I , 631.

Ethiſie , II , 446.

Etourdiſſement , II , 49.

Etranguillon , I , 487.

Evacuatorii morbi , II , 275 , 278. eorum theoria ,

theoria, 279. praxis, 281.
Evanouiſſement, I, 809. *vaporeux*, 842.
Euphlogia, I, 422.
Exania, I, 182. ab alvi fluxu; à calculo; à diſtocia; paralytica, 183. primaria, 182. traumatica, 184.
Exanthematici morbi, II, 646.
Exarthrema, I, 224. à cauſa externa; luxatio; completum ſimplex, 225. ſubluxatio; incompletum ſimplex; diſtorſio; incompletum inſtantaneum à vi externa, 226. complicatum; à cauſa interna; à convulſione, 226. à paraliſi; deſmochaunoſi, 227. à deſmophlogia, 228. paſtaceum, *ibid.* tophaceum; exoſtoſicum, 229.
Exarthroſis, I, 224.
Excoriatio; phlictænodes; viva, I, 238.
Excrescentiæ, I, 153.
Excroiſſances; charnue, I, 153. *du foye*, II, 109.
Exertio linguæ, I, 189, 190, 196.
Exocyste; Noeliana; Solingeniana, I, 184.
Exomphale, Exomphalus, I, 168. aqueus, *ibid.* alter, 201. cruentus; flatulentus, 168. inteſtinalis, 196. omentalis, 205. primus, 190. purulentus, varicoſus, 168.
Exophthalmia, I, 173; II, 64. cancroſa, I, 174. à chemoſi; à conatibus; critica, 176. hydropica, 173. hypopyica, 174. paralytica; à protuberantia, 175. purulenta, 174. à ſtrangulatu; à ſtaphylomate, 176. traumatica, 175.
Exoſtoſe, Exostosis, I, 158. benigna; cancroſa, 159. oſteoſteatoma, 160. rachitica, 159. ſcorbutica, 160. ſcrophuloſa, 159. ſpuria; ſyphilitica; varioloſa, 160.
Expectoration, II, 382.
Exſcreatus, II, 377.
Exſpuition, Exſpuitio frequens, II, 377.
Extinction de voix, I, 780.
Extuberantiæ, II, 359.
Extumeſcentia linguæ, I, 180.
Exulceratio, I, 241, II, 609.

F

Faim canine, II, 215, 216.
Faimvalle, II, 216.
Fames bovilla; bovina; canina; lupina, II, 215, 216.
Fanatiſmus, II, 262.
Farcimen, II, 544. benignum; malignum, 545.
Farcin, II, 544. *benin; bifurqué; chancreux; cordé; interieur; malin*, 545. *des Moluques*, 547. *volant*, 545.
Fatuitas, II, 248.
Favi, II, 578, 580.
Fauſſe ouïe, I, 755.
Faux germe, II, 312, 313.
Febere, I, 240.
Febricoſi morbi, II, 652.
Febricula veſpertina, I, 317.
Febriles morbi, II, 652.
Febris, I, 243, 245, 397. earum theoria, 245, 247. hiſtoria generalis, 246. praxis generalis, 263, 272. regulæ practicæ, 266. therapia Cluttoniana; Lobbiana, 360. Sylviana; Sydenhamiana, 361. Hecquetiana, 362.
Febris alba, I, 318; II, 596. algida, I, 325, 569. amatoria, I, 318; II, 596, 598. anginoſa, I, 488. ardens periodica, 333. bilioſa, 331, 349. bilioſa, putridave paludum, 330. bulloſa, 430. bulloſa cum dyſenteria, 432. carcerum, 309, 445. cardiaca, 324; II, 90. caſtrenſis, I, 327, 331. catarrhalis, 323. catarrhalis epidemica, II, 36. catarrhalis maligna, I, 327, 328. catarrhalis & putrida, 445. cholerica, 298. continens, 281, 298, 301. continens proportionata, 320. continua, 281, 302, 303. continua periodica, 320. continua putrida, 301. febrium continuarum principium, 284. febris continua & maligna, 328. continua tertio quoque die exacerbans, 333. culicaris, 436. depuratoria, 302. diaphoretica, II, 371. diaria, vid. *Ephemera.* dichomene, I, 295. dyſenterica, 304. epanadida, 320. ephemera, vid. *Ephemera.* Epidemica urbevetana, 338. eryſipelatoſa, 449. efferoſa, 435. exacerbans, 320. exacerbans Tymorenſis, 329. exquiſita, 322, 323. hectica maligna nervoſa, 311. hectica lenta, vid. *lenta.* helodes, 441. hepatica, 322. horrida; horrifica, 325. humoroſa, 324. Hungarica, 327. icteriodes, 500. iliaca, 479. iliaca inflammatoria, 478. inflammatoria, catarrhalis & putrida, 445. inflativa, vid. *Ephemera.* intermittens, 343, 349. intermittens dolores partus ſimulans, II, 124. rheumatiſmum ſimulans, 32. inteſtinorum inflammatoria, I, 478. lactea, 338, II, 129. latica, I, 322. lenta, 318. vid. *Hectica.* lenta infantum, 317. lenta nervea, 320. lenticularis, 435, 447. lethargica, 352. leypyria, 338. lymphatica continua, 322, 323. lyngodes, 328. maligna cum ſopore; maligna ſpirituoſa, 312. maligna Ægyptiorum, 313. maligna, 325, 417, 450. maligna cerebralis, 463. malignans, 339, 353. mali moris, vid. *Typhus.* menſtrua duplex, 295. miliaris, 435, 436. miliaris puerperarum, 435. morbilloſa, 432. nautica, 444. nervoſa, 311, 340. vid. *Typhus.* paroxyſmalis, 320. periodica, 322. peſtilens, 414, 417, 447. petechialis, 446, 447. petechizans, 328. peticularis, 447. phlegmatica, 322. pleuritica, 305, 466. pneumonica, 466. proportionata, 320. puncticularis, 435. purpurata, 435, 447. putrida, 301. putrida maligna, 441. querquera, 325. quotidiana, 347. vid. *Quotidiana.* quotidiana continua, exquiſita, 322. recidiva, 331. remittens, 320, 340. repletionalis, 325. rheumatica, II, 32, rubra, I, 453. ſanguinis, 298. ſcarlatina, 453. ſpiri-

ſpirituoſa, 312. ſpirituum, 340. ſtomachica, 476. ſubcontinua; ſubintrans, 348, 349. ſubcruenta, II, 322. ſudatoria, II, 371. ſymptomatica à doloribus orta, I, 300. ſyncopalis, 324, 813. ſyneches, 320, 322. ſynocha, vid. *Synocha.* ſynochus, vid. *Synochus.* tertiana; tertiana carotica, I, 349, tertiana continua duplex, 326. typhodes, 500, 502. ſecunda variolarum confluentium, 331. verminoſa & catarrhalis infantum, 328. veſicularis, 430, 435. veſicularis catarrhalis, 430. virginea, 348. urticata, 453.

Fer chaud, II, 83, 349.

Feu St. Antoine. I, 147, 449, 451; II, 623. *ſacré*, I, 451. *volage*, I, 139; II, 578, 579. *Feux du viſage*, I, 140.

Fic, Ficus; I, 155.

Fiévre continue, I, 281. *de St. Domingue*, 341. *éruptive*, 411. *jaune d'Amerique*, 314. *de lait*, 289. *ſyncopale*, 340, 813.

Fissura, I, 240.

Fistula, I, 241; II, 609. Fiſtula lachrymalis, II, 373. *Fiſtule à l'anus*, 145.

Flamboiſes, II, 47.

Flamma volans, I, 140.

Flammes paſſagéres du viſage, II, 47.

Flatos, II, 415.

Flatulence, Flatulentia, II, 413. accidentalis, 416. acida, 415. convulſiva, 417. hypochondriaca; hyſterica, 415. infantilis; lochialis, 416. nidoroſa, 415.

Flatulenti morbi, II, 675.

Fleurs blanches, II, 397, 398.

Fluctuatio aurium, II, 193, 195.

Fluor albus, muliebris, II, 397.

Fluſſo bianco, II, 399.

Flux hépatique, II, 321. *hémorrhoïdal*; *immoderé*, 323. *de ſang*, 324. *de ventre*, 355. *d'urine*, 386.

Fluxio, II, 35. frigida, I, 845.

Fluxion ſur la dent, II, 75. *la gorge*, I, 677. *la poitrine*, 498.

Fluxus, II, 275, 278. eorum theoria, II, 279, 421. praxis, 281, 430.

Fluxus alvi hepaticus, II, 322. cibalis, 355. colliquativus, 358. à dyſenteria, 321. fulvus, 397. hæmorrhoidalis, 323. hepaticus, 321. niger & fulvus, 399. ſpleneticus, 332. ventris, 315. virulentus, 327. varii meſenterii abſceſſum ſequentes, 322.

Fœdi colores, II, 596. virginum, 597.

Foibleſſe d'eſtomac, II, 91, 93, 97. *des membres*, *des nerfs*, I, 801. *naturelle*, 808. *des ſens*, 718. *de vuë*, 730, 743.

Folette, I, 328. II, 36.

Folie, II, 251, 264.

Fondement, *ſa chute*, I, 182.

Fonte & diſſolution du vitré, I, 722.

Formica, I, 156. ambulatoria Celſi, 132.

Formicatio, II, 41.

Formido, I, 560.

Fortraiture, II, 122.

Foſſula, II, 69.

Fourbure, II, 28, 31.

Fourches, I, 168.

Fourmillement, II, 41.

Fractura; ſcindens; atterens, I, 239. *Fracture; tranchante; avec fracas*, *ibid.*

Frambæsia, II, 554. Americana; Guineenſis, 555.

Frayeur nocturne, II, 223.

Frieſel (des) I, 435.

Frigiditas ſtomachi, I, 768.

Frigus, I, 567. febrile, 274, 567. morboſum, II, 44.

Friſſon, I, 567.

Froid exceſſif; de cauſe exterieure, II, 44. *interieure*, 45.

Froideur, II, 44.

Fulgura, II, 181.

Fulmine icti & enecati, I, 820.

Fureur uterine, II, 226, 227.

Furfuratio, II, 608.

Furfuriſca, II, 581.

Furoncle, I, 146.

Furor, II, 264. uterinus, 226.

Furunculus, I, 146; II, 621. dothien, terminthus, I, 146. phygetlon, 147.

G

Galactirrhoea, II, 411. atra; erronea; lutea; mammarum; purulenta; ſeroſa; viridis; virorum, 412.

Gale; boutonnée, II, 575. *de chien*, 576. *commune*, 575. *critique*, 576. *dartreuſe*, 577. *ſéche*, 576.

Galeanthropia, II, 258.

Gambarot, I, 538.

Ganglion, I, 155.

Gangræna, II, 614. ab ambuſtione, 618. à contuſione, 615. à frigore nimio, gelu, 618. ab infiltratione, 616. ab inflammatione, 617. à putredine, 618. à ſtrangulatione, 616. à veneno, 617.

Gangréne; humide, II, 614. *ſéche*, 623.

Gastritis, I, 476. eryſipelatoſa; exanthematica, 477. hernioſa, 478. legitima, 476. ſterno-coſtalis, 478. traumatica, 476. à veneno, 477.

Gastrocele, I, 206. compoſita; ſimplex, 207.

Gastrodynia, II, 93. adſtringens, 96. Americana, 95. atterens, 97. bilioſa, 94. calculoſa, 96. chlorotica; ab emphraxi ventriculi; febricoſa, 99. flatulenta, 94. à frigore; gaſtrocelica; hypochondriaca, 99. hyſterica, 98. metaſtatica, 99. à peregrinis, 97. periodynia, 96. pulſatilis, 98. ſaburralis, 93. à vaſis cupreis; à veneno; ulceroſa; à viru, 95. à ventriculi, omenti, hepatis, pancreatis vitio, *ibid.* à xiphoide, 97.

Genarum rigiditas, I, 532.

Genitalium communes morbi, II, 705.

Gerontoxon, I, 126, 726; II, 69.
Gerſure, I, 241. *du fondement*, II, 146.
GIBBOSITAS, I, 160. coſtalis; lordoſis, 161. ſcapularis, 161, 232, 233. ſcirrhoſa, 161. ſpinalis, 160. ſternalis, 161.
Gibbus alatus, I, 161.
Glaire des reins, II, 395. *de la veſſie*, 396.
Glande, Glandula, I, 144. *Glandes*, II, 544. Glandulæ induratæ, 450.
Glaucoma, I, 719, 721, 722, 723.
Glaucoſis, I, 719, 726.
Gloſſalgia, II, 77.
Gloſſanthrax, I, 418.
Gloſſocele, I, 180.
Gloſſolyſis, I, 776.
Gloſſomegiſtus, I, 180.
Glus, II, 396.
Goal-fever, I, 455.
Gods, II, 603.
Gonagra, I, 166.
Gonflement hyſterique, I, 142.
Gonorrhée, II, 401. *pure du prépuce*, 404. *ſimple*, 401. *tombée dans les bourſes*, I, 144, 171; II, 149. *virulente*, II, 403.
GONORRHOEA, II, 401. balani, 404. chordata, 403. habitualis; leproſa, 404. libidinoſa, 401. oneirogonos, 402. pura, 401. ſicca, 404. ſimplex, 402. ſpuria, 404. ſyphilitica, 403. in ſcrotum delapſa, I, 144, 171; II, 149, 403.
Gorgoſſet, II, 83.
Goſc, II, 603.
Gouetre, I, 157.
Gout bizarre, II, 211.
Goutte, II, 18. vid. *Arthritis. chaude*, 22. *aux lombes*, *aux reins*, 138. *ordinaire ou réguliére*, 19. *rheumatiſmale*, 21. *ſciatique*, 144. *vague*, 30. *volante*, 23.
Goutte crampe, I, 549.
Goutte-roſe, I, 129.
Goutte-ſereine, I, 745.
Grain de grêle, I, 157; II, 60.
Gramia oculi, II, 375.
Granchio, I, 540.
Grando, I, 157, 722; II, 60.
Granf, II, 42.
Grasfondure, II, 359.
Graſſeyement, I, 781.
Gratelle, II, 576.
Gravedo, II, 376. capitis, 49.
Gravelle, II, 113.
GRAVIDITAS, II, 491. molaris, 492. à falſa mola, 494. ovarii, 495. perennis, 493. ſarcoma, 495. tubalis, 494. vera, 491. veſicularis, 494.
Gravitas, I, 837.
Grepi, II, 41.
Griping of the Guts, II, 328.
la Grippe, I, 328, 688; II, 36.
Groſſeſſe, II, 491.
Gulæ ſpaſmus, II, 78.
Gummata, II, 27.
GUTTA ROSEA; febrilis; herpetica; ſimplex; ſyphilitica, I, 129.
Gutta opaca, I, 719.
Gutta ſerena; amauroſis, I, 745, 746; II, 94.
Gynaicomania, II, 226.

H

Hæmalops, I, 131, 728.
HÆMATEMESIS, II, 296. ex aneuryſmate, 298. ab aorta compreſſa; atra; carnoſocruenta, 299. catamenialis, 298. cholerica; cruenta, 299. hæmorrhoidalis, 298. ab hepate, 300. ab hirudine, 298. à lumbricis, *ibid.* ex pancreate, 299. plethorica, 297. ſcorbutica; ſimulata; ex ſplene, 299. traumatica, 298. à veneno, 300.
Hæmatocele, I, 171.
Hæmatomphalus, I, 168.
HÆMATURIA, II, 300. ex allii eſu, 301. calculoſa, 302. ex caſu, 301. catamenialis, 305. deceptiva, 301. ejaculatoria, 303. ex equitatione, 301. in exanthematicis, 302. ex ficubus opuntiæ, 301. hæmorrhoidalis, 303. lateritia, 304. nigra; à niſu, 305. purulenta, 302. ex rene, 303. ex rubis idæis, 301. ſpontanea, *ibid.* ſpuria; ſtillatitia, 303. à transfuſione, 305. traumatica, 305. varioloſa, 302. à verme, 305. violenta ex vomitu, 301.
Hæmodia, II, 77.
Hæmoptoë, HÆMOPTYSIS, II, 287. accidentalis, 288. aſcitica, 295. calculoſa, 294. à caſu ab alto, 293. catamenialis, 290. catarrhalis, 290, 294. à diapedeſi, 289. à fluxione, 294. habitualis, 289. Helwigiana, 295. ab hirudine; Indica, 294. periodica; à menſtruis ſuppreſſis, 290. à pectore contuſo, percuſſo, 293. periodica; peripneumonica, 290. phthiſica; à pulmonis ſcirrho; ſphacelo, 292. vulnere, 293. ſcorbutica, 290. ſplenetica, 295. traumatica, 293. à tuberculo, 292. varioloſa, 290, vomicæ prodromus, 292.
HÆMORRHAGIA, II, 284. in chronicis; critica; febrilis, 286. ab hirudine, 287. inſalubris, 286. inteſtinorum tenuium, 324. paſſiva, 285. plethorica, *ibid.* ex rene, 303. uterina, 306, 307, 310.
Hæmorrhoides, I, 164. oris, II, 295.
HÆMORRHOIS, II, 323. alba, 360. catamenialis, 323. ab exania, 324. immodica; moderata, 323. polypoſa, 324.
Hæſitatio, I, 781.
Hale, I, 128.
HALLUCINATIONES, II, 164.
Hauſaſin, I, 432.
Haut-mal, I, 578.
Heat, II, 46.
Hebdomadaria, I, 359.
HECTICA, I, 316. cachectarum, 320. à calculis, 318. catarrhalis, II, 450. chlorotica, I, 318. fluxuum, 320. hydropum, 318. infan-

infantilis, 317; II, 463. lymphatica; nervea, 320. noſtalgica, 319. à ſcabie, 320. ſcrophuloſa; ſyphilitica, 318. verminoſa, 319. veſpertina, 317. à vomitu, 320.
Heimwehe, II, 221.
Hemeralopia, I, 723.
HEMICRANIA, II, 55. à calculis, 56. clavus, 57. coryzæ, 56. à febre intermittenti latente, 54. hæmorrhoidalis, 56. ab inſectis, 57. lunatica; nephralgica, 58. ocularis, 55. odontalgica; 56. purulenta, 57. ſinus. 56.
HEMIPLEGIA, *Hemiplegie*, Hemiplexia, I, 791. ex apoplexia, 795 apoſtematodes, 796. arthritica, 794. ex epilepſia, 796. exanthematica; intermittens; purpurea, 795. ſaturnina, 796. ſcrophuloſa, 794. ſeroſa; ſimulata, 796. ſpaſmodica; ſyphilitica, 794. transverſa, 793. traumatica, 796.
Hemitritæus, I, 322, 326. legitimus, 326. major, 342. minor; nothus, 326. peſtilens, 327.
Hemoptyſie, II, 287.
Hémorrhagie du nez, II, 284.
Hémorrhoides, I, 164, II, 147.
HEPATALGIA, II, 107. æruginoſa; apoſtematoſa, 109. calculoſa, 107. deceptiva, 110. infarctus, 108. intercus, 109. Petitiana, 110. ſarcomatoſa, 109. ſcirrhoſa, 107.
Hepaticus fluxus, II, 321, 322, 324.
HEPATIRRHOEA, II, 321. ex abſceſſu hepatis, *ibid.* cruenta; intermittens, 324. inteſtinalis, 321. meſenterica; ſcorbutica, 322. vera; à vulnere, 321.
Hepatis atonia, II, 321. infarctus, 107. inflammatio, I, 500. intemperies, II, 108. morbi, 708. obſtructio, 108. ſcirrhus, 107. tumor ſimplex, 108.
HEPATITIS, I, 500; II, 321. bilioſa; à bile, I, 501. cyſtica, 502. eryſipelatoſa, 501. muſcularis; obſcura, 502. pleuritica, 473, 501. ſpuria, ſuppurans, 502.
HEPATOCELE; ventralis; umbilicalis, I, 208.
Hepiala, I, 323.
HERNIA, *Hernie*, I, 189-201. cerebri, 217, 218, 220. colli emphyſematica, 158. cyſtica uteri vaginæ prolapſui, inverſioni accedens, 217. cyſtico-enterica, 198. cyſtico-epiploica, 205. enterico-cyſtica, 216. epiploico-cyſtica, 217. epiploico-enterica; - cruralis, 198. epiploico-enterica foraminis ovalis, *ibid.* in vagina eveniens, 199. gutturis, 157. hepatis, 208. humoralis; 171. hydrocelico-enterica, 198. hydrocelico-epiploica, 206. inteſtinorum completa; ſcrotalis, vel labiorum vulvæ, 190, 193, 194. rupto peritonæo, 200. incompleta ſeu inguinalis, 190. ſimplex & compoſita; ſaccata & inſaccata, 189, 190. inteſtinalis & epiploica in inguine, 197. completa, 197, 198. inteſtini cruralis, 190. rupto peritonæo, 200. inteſtinalis foraminis ovalaris, 196. ab ilei diverticulo, 194. iſchiatica, 190, 196. ovalaris ſeu foraminis ovalis, 190, 196. parorchido-enterica, 198. partialis, perſtrictoria ab altero inteſtini pariete, 195. in vagina eveniens, 190, 196. ventralis, 190, 196, 197. rupto peritonæo, 201. hernia lienis, 209. omenti completa, ſcrotalis vel labiorum vulvæ, 201, 204. incompleta, *ibid.* omenti cruralis, 201, 204, 205. rupto peritonæo, 200. omenti inguinalis rupto peritonæo, 200. omenti & inteſtini dorſalis, iſchiatica, 199. omenti & inteſtini ventralis; umbilicalis, 109. omenti vaginalis, 201, 205. ventralis, 201, 205. rupto peritonæo, 200. ſanguinea, 171. ſtomachi, ventriculi, 206, 207. veſicæ urinariæ, 211, 214-217. uteri, 209, 210.
Hernie fauſſe, I, 168. *inteſtinale de l'aine*, 193. *de l'échancrure ſciatique*, 196. *du nombril*, *ibid.*
Herpe, HERPES, I, 132. collaris; depaſcens; eſthiomenos; exedens, 133. Indica, II, 577. miliaris, I, 132. periſcelis, 133. puſtuloſus, 134. ſerpigo; ſimplex, 132. ſyphiliticus; venereus, 133. zoſter, 134.
Hiccock, I, 634.
HIDROA; alba; ſudamen, I, 136. ſymptomatica, 137.
Hieranoſos, I, 555.
Hippus, I, 548.
Homa, II, 476.
Hoquet, I, 634. vid. *Singultus*.
HORDEOLUM, I, 157; II, 160. chalazium; grando; hydatidoſum; ſiro; ſteatomatoſum; verrucoſum, I, 157.
Horripilatio, Horror, I, 567.
Hotme, II, 103, 378.
Humiditas aurium; *humidité des oreilles*, II, 413.
HYDARTHRUS; flatulentus; ſynovialis, I, 166.
Hydatide en chapelet, I, 165. Hydatides, I, 430.
Hydatidocele, I, 169.
HYDATIS; celluloſa; corollata; hygroma, I, 165. ſcroti cirſoceli ſuccedens, 169.
Hyderos, II, 468.
Hydrachnis, I, 422.
Hydroa, I, 430.
Hydrocardia, I, 690.
Hydrocele; ab hydatidibus funiculi ſpermatici; omenti prolapſi; Malabarica, I, 168, 169.
Hydrocephale, II, 495. *des tégumens*, 496. *des ventricules*, *ibid.*
HYDROCEPHALUS, II, 495. artificioſus, 497. exterior; interior, 496.
Hydroencephalocele, I, 218. ſpinæ bifidæ mixta, 220.
Hydroenterocele, I, 193.
Hydroepiplocele, I, 206.
HYDROMETRA; aſcitica, II, 510. gravidarum, 511. hydatica, 512. ovarii; puriformis; ſangui-

ſanguinea, 512.
Hydromphalus, I, 168.
Hydronoſus, I, 294; II, 372.
HYDROPHOBIA, *hydrophobie*, II, 232. contagioſa, 233. ſpontanea, 235. vulgaris, 233.
Hydrophthalmia, I, 173, 744; II, 64. ſeroſæ vitrei turgeſcentiæ mixta, I, 173.
Hydropiſie, Hydrops; abdominis, II, 498. aſcites, *ibid.* cerebri; *du cerveau*, I, 834. *enkiſtée*, II, 506. *par infiltration*, 470. *de matrice*, 510. *de matrice des femmes groſſes*, 511. ad matulam, 384. *de l'œil*, I, 173, 690. PARTIALES, II, 495. pectoris, *de poitrine*, pulmonis, I, 686, 688. *du peritoine*, II, 505. ſiccus & flatulentus, II, 513. *du ventre*, II, 498. *de vents*, 513. vera, 470. veſicæ, 520. à viſcerum obſtructione, 500. univerſalis, 470. uteri, 510. uteri veſicoſus, 512.
Hydropneumonia, I, 657.
Hydropyreton, I, 294.
HYDRORACHITIS, I, 798; II, 497.
Hydroſarcocele, I, 169.
HYDROTHORAX, I, 686. chyloſus, 687. febricoſus, 688. hydatidoſus; mediaſtini, 689. ab omento, 687. pericardii, pleuræ, 690. à ſcabie, 691. vulgaris, 687.
Hygroma, I, 165.
Hygrophthalmia, I, 173.
Hyperauxeſis, I, 729.
Hyperemeſis, II, 339.
Hyperoſtoſis, I, 158.
Hyperſarcoſis, I, 154. ulceroſa pedum, II, 477.
Hypnobateſes, Hypnobatæ, II, 205.
Hypochondriaca paſſio, Hypochondriaciſmus, Hypochondriacus morbus, HYPOCHONDRIASIS, *Hypochondrie*, II, 199. algida, 205. aſthmatica, 204. bilioſa, 201. calculoſa, 204. calida & humida, 202. calida & ſicca, 201. frigida & ſicca, 202. hyſterica, 203. melancholica, 202. muliebris, 203. phthiſica, 204. pituitoſa, 203. ſanguinea, 202. tympanitica, 204.
Hypochyma, II, 174.
Hypochyſis, I, 719. hæmatodes, 729.
Hypocophoſis, I, 751. iridis, 738.
Hypogaſtrocele prima, I, 190, 197. epiploico-enterica, 199. inteſtinalis, 197. altera, 201. omentalis, 205.
Hypogaſtrorixis, I, 201.
Hypohæma, I, 729.
Hyponychon, I, 131.
Hypophthalmia, I, 131, 729.
Hypopyon, I, 131, 167, 728. ecchymoma, 131.
Hypoſarca, Hypoſarcidios, II, 470, 478.
Hypoſphagma, I, 131, 728.
HYPOSTAPHYLE, I, 179; II, 83. ab inflammatione; à laxitate, I, 179.
HYSTERALGIA, II, 122. ex abſceſſu, 125. calculoſa, 127. cancroſa, 122. febricoſa, 124. ab hyſterocele; ab hyſteroloxia; ab hyſteroptoſi, 122. imprægnatarum, 125. lactea, 126. lochialis, *ibid.* à menoſtaſia, 122. ab oſſe; pruriginoſa, 124. ab ſparganoſi, 127. vaporoſa, 124. ulceroſa, 123.
HYSTERIA, I, 585. ab acutis morbis; à catharticis repetitis, 588. chlorotica, 587. emphractica, 589. febricoſa, 590. à leucorrhœa, 588. libidinoſa, 589. à menorrhagia, 588. ab obſtructionibus; ab ovariis infarctis, 589. à partu difficili; à phlebotomiis repetitis, 588. à ſemine acri retento, 589. ſtomachica, *ibid.* verminoſa, 587.
Hyſteritis, I, 481.
HYSTEROCELE, I, 209; II, 122. inguinalis; ventralis, I, 210. hyſteroceles nudæ, 185.
Hyſterocyſtocele, I, 217.
HYSTEROLOXIA; anterior, I, 220. citra graviditatem, 222. lateralis, poſterior, 221.
Hyſteromania, II, 226.
HYSTEROPTOSIS, I, 185; II, 122. vaginæ prolapſus, I, 188. uteri inverſio, 187. prolapſus, 185. compoſita, 189, 217.
Hyſtralgia, II, 122.

I

Jail diſtempers, I, 309, 445.
Janon, II, 229, 232.
la Jarretiére, I, 133.
Jaundice, *Jauniſſe*, II, 584. *Jauniſſe critique & ſymptomatique*, 586.
Jekon, II, 553.
Ictère noir, II, 591. *rouge*, 594.
Icteriſmo, I, 586.
ICTERITIÆ, II, 582. Icteritia alba, 596. flava, 584. nigra & viridis, 591.
Icterodes infantum color, I, 129.
Icterus, II, 584. albus, 596. à colica bilioſa, ſpaſmodica, 589. à colica convulſiva, *ibid.* flavus, viridis, 584. niger, 591, 593. à vitio hepatis, 593. niger ſcorbuticus, 593. periodicus, 589. à plethora, 587. à ſpaſmis, 589. à vitio hepatis, 593.
Idroa, I, 136.
Idropiſia minaciante, II, 502. tympanitica, 517.
Ignis S. Antonii, I, 141, 449, 451. Perſicus, 147. ſacer, 449, 451. ſylveſtris, II, 579. volaticus, I, 139; II, 578, 579.
Ileos hæmatites, II, 295, 563.
ILEUS, II, 344, 470. ab anarrhopia humorum, 346. à bubonocele, 347. calculoſus, 349. à calloſa coli ſtructura, *ibid.* à colo pituita infarcto, 347. à cydoniato obturante; à fecibus induratis, 346. hernioſus, 347. icterodes, 584. imperforatorum, 349. Indicus, *ibid.* inflammatorius, 345. ab inteſtino compreſſo, 346. à recti inteſtini coalitu, 349. phyſodes, *ibid.* ſpaſmodicus, 346. à veneno, 350. verminoſus, 350. volvulus, 348.

Iliaca

Iliaca paſſio, II, 344. à vermibus, 350.
Iliſcis, II, 596.
Illachrymatio, II, 372.
Ilug Gabelchoveri, I, 139.
Imantium, I, 179.
Imbécillité, II, 248.
IMPETIGINES, II, 557.
Impetigo excorticativa, II, 572. Americana, 573. Indica, 577. ſcroti, 148.
Impuiſſance virile, I, 770. *d'éjaculation*, II, 404.
Inappetence, Inappetentia, I, 765. à bile, 768.
Incendium virgæ, II, 148.
Incontinence de ventre, II, 357. *d'urine*, 386. *après les couches*, 387.
Incube, Incubus, I, 628. vigilantium, 631.
Infarctus, II, 108, 619.
Infiltration, I, 141; II, 620. *des jambes*, II, 474. *laiteuſe*, I, 142; II, 126, 475. *ſereuſe*, II, 474.
Inflammation du fondement, II, 145.
Inflammationis cauſa, I, 400. theoria, 373. therapia, 408. ſymptomata, 382.
Inflatio, II, 94. linguæ, I, 180. ventriculi, II, 519. uteri, 510, 512.
Infreddatura, II, 35.
Influenza, I, 328.
Ingenii ſtupiditas, ſtupor, tarditas, II, 250.
Inquiétude, Inquietudo, II, 37.
Inſania, II, 264.
Inſomnie, II, 271.
Inſpirationis vitia, I, 655.
Inſultus epilepticus, I, 569. à vermibus, 570.
Intemperiei morbi, II, 702.
Intercus, II, 505, 470.
Intertrigo, I, 139; II, 145.
Inteſtin (pincement de l'), I, 195.
Inteſtini tenuis morbus, II, 344. inteſtinorum inflammatio, I, 478. laxitas, II, 461. morbi, 708. phlogoſis, II, 102.
INTUMESCENTIÆ, II, 465.
Ionthos, I, 131, 136.
Iotaciſmus, I, 783.
Ipochondria, II, 199.
Irk Medini, II, 553.
Iſchiagra, ISCHIAS, II, 141. ex abſceſſu, 143. arthriticum, 144. à carie, 143. à fractura, 144. Gallica, 143. gravidarum; hyſtericum, 142. intermittens, 141. rheumaticum, 144. ſanguineum; à ſparganoſi, 142. à ſubluxatione, 144. ſyphiliticum; verminoſum, 143.
Iſchnophonia, I, 781.
Iſchouria, ISCHURIA, *Iſchurie*, II, 520. aſpadialis ab urethræ clauſura, 538. atretarum, urethro-cyſtica à menſtruis in vagina retentis, 533. carunculoſa, à morbis urethræ, 536. cryptopyica, à penis intra corpus retractione, 537. cyſto-lithica, à veſicæ calculo, 528. cyſto-phlegmatica, à veſicæ muco, 531. cyſto-plegica, à veſicæ paralyſi, 530. cyſto-proctica, à recto turgente, 532. cyſtopyica, veſicalis purulenta, 531. cyſto-ſpaſtica, à veſicæ ſphincteris ſpaſmo, 529. cyſto-thromboides, veſicalis à ſanguinis grumo, 531. cyſtitica, à veſicæ inflammatione, 528. ectopocyſtica, à veſicæ ectopia, 532. hydrocelodes, ab urethræ ruptura in ſcrotum hiante, 537. hyſtero-cyſtica, veſicalis ab utero, 532. nephrelmintica, renalis verminoſa, 524. nephritica, à renum inflammatione, 522. nephrolithica, à renum calculo, 522. nephro-phlegmatica, renalis pituitoſa ſeu mucoſa, 525. nephroplegica, renalis paralytodea, 525. nephroplethorica, renalis à plethora, 523. nephropyica, à renum purulentia; nephroſpaſtica, renalis ſpaſmodica; nephrothromboides, renalis à ſanguine congrumato, 524. notha, 521. paradoxa, 534. perideſmica, à vinculo ſtrictori peni injecto, 538. perinæalis, urethralis à perinæi tumore, 534. phimoſica, urethralis à phimoſi, 538. polyurica, à veſica lotio diutius cohibito diſtenta, 531. renales, 522. renalis lunatica, 523. ſuppleta, renalis ab alia evacuatione ſuppleta, 525. vera, 520. veſicales, 528. uretericæ, 526. ureteritica inflammatoria, 527. ureterolithica, ureterica calculoſa, 527. uretero phlegmatica, ureterica à pituita, 527. ureteropyica; ureterica purulenta, *ibid.* ureteroſtomatica, ab orificii ureterum inferioris clauſura; uretero-thromboides, ureterica à ſanguinis grumo, 527. urethrales, 534. urethrelmintica, urethralis verminoſa, 535. urethritica, ab urethræ inflammatione, 536. urethro-carunculoſa, à morbis urethræ, *ibid.* urethro hydrocelodes, ab urethræ ruptura in ſcrotum hiante, 537. urethro-hymenodes, à membrana in urethram impacta, 535. urethro-lithica, à calculo urethræ impacto, 534. urethrophlegmatica, à muco urethram infarciente; urethropyica à pure urethram obſtruente; urethrothromboides, à ſanguinis grumo urethram opplente, 535.
Itch, II, 575.
Ivaru, II, 553.
Juvenum morbi, II, 709.
Ixia, I, 563.

K

Kæringbad, II, 47.
Kaſmodia, vid. *Chaſmodia.*
Keria, Kerion, II, 580.
Kingcouck, I, 651.
Kings evil, II, 542.
Kinorexia, vid. *Cynorexia.*
Kinos, I, 163.
Kion, I, 179.
Kirſocele, Kirſomphalus, vid. *Cirſocele.*
Kiſtes, I, 162.
Koiaſſi, II, 477.

Koltek,

Kolten, Koltun, II, 603.
Krithe, I, 157; II, 60.
Kryos, II, 44.

L

Labarium, II, 83.
Labii inferioris proptoma, I, 181.
Lacrymæ morboſæ, II, 372. ſanguineæ, 375.
Lactei morbi, II, 671.
Lactis concretio, II, 129. effluxus, 412. redundantia, 129, 411.
Lactucimen, I, 455.
Lactumina, II, 579.
Ladrerie, II, 546, 567.
Lagophthalmie, Lagophthalmus, I, 176, 177, 529; II, 68.
Lagoſtoma, I, 783.
Lait répandu, I, 142. *grumelé*, II, 129.
Lallatio, Lambdaciſmus, I, 781.
Langue, vid. *Lingua.*
Languor virium, I, 801. Pannonicus, 802. ſcorbuticus, 803.
Lapſus palpebræ ſuperioris, I, 177. vaginæ, 188. uteri, 185.
Larmes de ſang, II, 375.
Larmoyement, II, 372.
Laſſitude, LASSITUDO, II, 39. cachectica, 41. à calore; febrilis; à fluxu, 40. à labore, 39. oſtocopos; à pathemate; à plethora; ſcorbutica; ulceroſa, 40.
Laſſitudines ſpontaneæ, I, 804.
Lateris dolor, II, 111. à flatu, I, 683. laterum dolor, 682.
Latica febris, I, 322.
Latyphroſyne, II, 269.
Laxitas inteſtinorum, II, 361.
Lebendig, II, 563.
Leberflecte Solenandri, I, 128.
Leienteria, II, 361.
LEIPOPSYCHIÆ, I, 799, 809.
LEIPOTHYMIA; à pathemate; ſtomachica, I, 808.
Leipyria, I, 338.
Lemæ, Lemia, II, 375.
Lentigo, *Lentille*, I, 128.
LEONTIASIS, II, 549, 567. corniculata, 550. hyſtrix; vitulina, *ibid.*
LEPRA, *Lepre*, II, 572. allopicia, 569. Arabum, 567, 568. Aſturienſis, 573. Elephantia, 568. Græcorum, 572. herpetica, 574. *humide*, *ibid.* ichthyoſis, 572. Indica, 573. *des Juifs*, I, 127. leonina, II, 569. malum mortuum, 574. *ordinaire*, 572. Tyria, 569.
Lethargie, LETHARGUS, I, 822, 831, 832, 834, 835. apoſtematodes; arthriticus; cephaliticus, 834. à febre, 833. à frigore; ingens, 834. litteratorum, 835. à narcoticis, 833. periodicus, 834. pulmonicus, 833. traumaticus; typhodes, 834.
Leuca, Leuce, I, 127; II, 600.
LEUCOMA, I, 125, 726. albugo; cicatrix; gerontoxon, 126. nephelium, 125.
Leucomoria, II, 256.
Leucophlegma, Leucophlegmatica, II, 470, 474.
Leucophlegmatie hyſtérique, II, 473. *urineuſe*, 474.
LEUCORRHOEA, II, 397. Americana; cancroſa, 399. fungoſa, 398. gravidarum, 400. Indica, 399. Nabothi, 400. ſcirrhodes, 399. ſyphilitica, 398. ulceroſa, 397.
Lichen, II, 578, 579.
Lien ingens, II, 112. lienis inflammatio, I, 503. morbi, II, 708. obſtructio, 111.
LIENTERIA, *lienterie*, II, 361. aphthoſa, 362. primaria, 361. ſcorbutica; ſecundaria, 362. ſpontanea; ex ſtomachi irritatione; ex ulcere ventriculi, 361.
Linguæ contractio, I, 181. exertio, extruſio, 180, 181. extumeſcentia; hernia; inflatio; intumeſcentia; magnitudo; voratæ reſolutio in fauces, 180. retractio, 180, 181. tumor, 180.
Liparocele, I, 171.
Lipoma, I, 166.
LIPOTHYMIA, I, 808.
Lippitudo, II, 375. Celſi, II, 58. ſanguinea, 373. ſeroſa, 372.
Lipyria febris, I, 326.
Livor Sennerti, I, 130. totius corporis periodice recurrens, II, 592.
Lochia, II, 311. catharſis, *ibid.* immodica, 306.
Loimos, I, 414.
Longue abſtinence, I, 769.
LORDOSIS, I, 161. compernium, 162. gibboſitas, 161. valgorum, varorum, 162.
Lorum, I, 179.
Louche, I, 742.
Loupe, I, 144, 165. *graiſſeuſe*, 166.
LOXARTHRUS, I, 232. aniſotonicus; gibboſus, intrarticularis; perverſivus, 233.
Ludibria Fauni, I, 628.
Lues Indica, II, 552. vaccarum Tubingenſis, 327. venerea, 559.
Luette baſſe; ſa chute; inflammation; paralyſie; relâchement, I, 179. *luette tombée*, I, 179; II, 183.
LUMBAGO, II, 138. ab aneuryſmate; apoſtematoſa, 140. arthritica, 138. ab arthrocace, 141. catamenialis; febrilis; à fluore albo; hæmorrhoidalis, 138. ab hydrothorace, 141. miliaris; à niſu, 140. partûs, 139. plethorica, 138. pſeudo-iſchuria, 141. pſoadica, 139. rheumatica, 114, 138. à ſaburra, 139. à ſatyriaſi, 141. ſcorbutica, 139. ſympathica, 140. à tubò intra muſculos effuſo, 138. varioloſa, 138.
LUPIA, I, 144, 165, 727. cancroſa, 148. meliceris, 165. ſteatoma, 166. lupiæ ſpecies, II, 497.

Lupus, cancer, I, 148.
Luſcioſitas, I, 742.
Luſcitas, I, 527, 742.
Luxatio, I, 171, 224. à capitum oſſis & acetabulorum intumeſcentia, 229. à cauſâ externa, 225. interna, 226. completa, 225. complicata, 226. incompleta, 225. inſtantanea à vi externa, 226. à feroſa ligamentorum laxitate, 227. à phlogodea ligamentorum intumeſcentia, 228. à muſculorum convulſione, 226. paralyſi, 227. ſimplex, 225. ſymphyſium, 230. à ſynoviæ lenteſcentis concretione, copia, 228.
Luxationes, *luxations*, I, 171.
Lycanke, I, 680; II, 235.
Lycanthropia, Lycaon, II, 258.
Lycorexis, II, 215.
Lygmon, Lyngon, I, 634.
Lypiria, I, 326, 338.

M

Machoire de travers, I, 233.
MACIES, II, 445.
Maclet, II, 138.
MACULÆ, I, 124. hepaticæ, 128. volaticæ, 139.
Maculoſi morbi, II, 703.
Mal des ardens, I, 147, 418, 451; II, 623. *caduc*, I, 577. *de cerf*, 545. *au cœur*, II, 88. *aux dents*, 73. *d'eſtomac*, 473. *de gorge*, I, 489, 677. *S. Jean*, I, 577. de la Luna, 561. *de mer*, II, 343. *de mére*, I, 586, 841; II, 122. *mort*, II, 574. *de Paris*, 326. di punta, I, 466. *des reins*, II, 138. de la roſa, 573. *de Siam*, I, 418. *ſubtil*, II, 451. *de la terre*, I, 577. *à la tête*, II, 49. *des femmes enceintes*, 51. *aux yeux*, 58.
Malacia, II, 211, 213.
Maladie de geole, *d'hopital*, I, 309. *particuliére des glandes*, II, 36. *imaginaire*, 254. *noire*, 332, 333. *du pays*, 221. *pediculaire*, 602. *des priſons*, I, 309. *ſacrée*, 555. *des ſomnambules*, II, 205.
Malhundo, II, 146.
MALIS, II, 550. acridophagorum, 552. Americana; cornipedum, 551. à crinonibus, 552. dracunculus, 553. furialis, 554. humida, 327. hypodermatitis, 550. pratenſis, 553. Tranſſylvanica, 554. verminoſa, 551. Weſtphalienſis, 554.
Malvat, I, 148.
Malum bilioſum, II, 131. hyſterico-hypochondriacum, I, 585. iſchiadicum, II, 141, 144. mortuum, 574.
Mammarum abſceſſus, II, 134. cancer, 129. proptoma, I, 181.
MANIA, *Manie*, II, 251, 264. ab amore, 265. à belladonnæ baccis; à daturæ ſemine, 267. à graviditate, ab hemicrania; ab herpete repreſſo; hyſteralgica, 267. lactea, 266. ſine materia; à melancholia, 265. à menſtruis retentis; metaſtatica, 267. à pathemate, 265. periodica, 267. à plica reſecta; à ſcabie repreſſa; à ſemine retento, 267. à terrore, 265. à venenis; ab ulcere ſiccato; vulgaris, 267.
Manquement de ſoif, I, 770.
Maranſis, II, 462.
Maraſme, II, 460. Maraſmus ſenilis, II, 462.
Marcor, I, 830, 837.
Margarita, I, 126, 726.
MARISCA, I, 164.
Marmaryges, II, 181.
Maſclous, II, 552.
MASTODYNIA, I, 144; II, 128. apoſtematoſa; butyroſa, II, 130. cancroſa, 129. emphyſematoſa, 130. phlegmonodes, 128. pilaris; polygala, 129. portentoſa, 131. puberum, 128.
Mater puerorum, I, 577.
Matrice, vid. *Uterus*.
Maxillæ ſpaſmus à vulnere; à luxato ſeſamoide pedis, I, 531. tetanus in infantibus, 530. inferioris tortura, 233.
Meſete, I, 819.
Megaloſplachna, Megaloſplachnos, II, 487.
Megaloſplenia, I, 144.
MELÆNA, II, 332. atrabilis, 333. febricoſa, 334. hæmorrhagica, 333. hepatirrhoica; prima Hippocratis, 334. ſcorbutica, 333. ſplenetica, 332.
Melaina-nouſos, II, 332.
Melanchlorus, II, 591.
MELANCHOLIA, II, 251. amatoria, 252. Anglica, 258. Argantis, 254. attonita, 256. enthuſiaſtica, 259. errabunda, 256. hippantropica, 257. hypochondriaca, 199. imaginaria, 254. moria, 255. nervea, I, 585. phrontis, II, 259. religioſa, 253. ſaltans, Scytharum, 257. ſuperſtitioſa, 253. uterina, 226. vulgaris, 252. zoanthropia, 258.
Melas, I, 127; II, 592.
MELASICTERUS, II, 591. alphus; diverſicolor; 592. hepaticus, 593. Indicus, 594. periodicus, 592. ſcorbuticus; ſpleneticus, 593. à veneno, 592.
Melaſma, I, 130.
Meliceris, I, 165; II, 580.
Mellifavium, I, 165.
Melon, I, 728.
Membres bots, I, 232.
MENORRHAGIA, II, 306. decolor, 311. difficilis, 306. erronea, 308. gravidarum, 310. ab hyſteroptoſi, 309. immodica, 307. lochialis; ex mariſcis, 311. ſtillatitia, 306. ulceroſa, 312.
Menſes antevertentes, inordinati, II, 307. cum moleſtia fluentes, 306. vitioſi, 311. menſium per aliena loca excretio, 308. fluxus nimius, 307. ſtillicidium, 306.
Menſtruatio difficilis, II, 306.
Mentagra, II, 579.

Mentis

Mentis alienatio, II, 240.
Merdechi, II, 354.
la Mére, I, 586.
Merocele, I, 190, 195. altera, 201. epiploica, 204. epiploico-enterica, 198.
Merorixis, I, 200.
Meſenterii abſceſſus, II, 328. phlegmone, inflammatio, I, 480.
Metaſtatici morbi, II, 650.
Meteoriſme, METEORISMUS, I, 478, 479, 670; II, 518. abdominis, II, 519. hyſtericus, *ibid.* à manzanilla, 520. ventriculi, 519.
Methemerina, I, 322.
Methodi Jonſtoni & Sennerti conſpectus, I, 14.
Methodus anatomica morborum, II, 702.
Metoſis, I, 747.
METRITIS, I, 481. lactea, 482. puerperarum; typhodes, 481.
Metromania, II, 226.
Meurtriſſure, I, 130, 238.
Mia, II, 562.
Miarola, I, 435.
Miaſmatici morbi, II, 654.
Mictus cruentus, ſanguineus, II, 300. ex calculo renum; menſtruus; in morbillis, 302. ex renum ulcere, *ibid.* ſimplex; ſpontaneus, 301. in variolis, 302. ex veſica ejuſque ſphinctere, 303. vermiformis, 301. ex veſicæ hæmorrhoidibus, 303. violentus, 301. ex urethra, 303. lumbricorum, 301.
la Miliaire, MILIARIS, Miliarium morbus, *Millet*, *Millot*, I, 435. acutior, 437. benigna, 336. Boia, 439. Britannica, 445. critica, 439. diuturnior, 437. Germanica, 442. lactea, 440. maligna, 437. nautica, 444. puerperarum; purpurata, 445. recidivans, 437. ſcorbutica, 444, 446.
Mill-reech, II, 133.
Mill-reeck, I, 558.
Mirachia, II, 199.
Miſerere, II, 344.
Modorra, Modorrilla, I, 830.
Mogilalia, I, 782.
Mola veſicularis, II, 494.
Mollium partium morbi, II, 704.
Molten greaſe, II, 359.
Monotes, I. 752.
Morales morbi, II, 698.
Morbilli, I, 432. vid. *Rubeola.* confluentes, vid. *Scarlatina.*
Morbus arquatus flavus; II, 584. Braſilienſis, II, 146. caducus, I, 577. carcerum, 444, 445. comitialis, 577. coſtalis, 466. coxarius, II, 141. curæ gravis, 259. Deliorum, 600. diſſolutus, 324. divinus, I, 577. frigidus, II, 462. Herculeus, I, 577. Hungaricus, 802. hypochondriacus, II, 199. S. Lazari, II, 568, 609. major, I, 577. niger, II, 332, 341. pilaris, II, 552. pœnalis Gerhamenſium, I, 182. polymorphos, polyrizzos, II, 563. regius, 584. ſacer, I, 577. ſolſtitialis, 485. ſonticus, 577. virgineus, II, 596.
Morbi detegendi methodus, I, 81.
Morbi dyſpnœici, vid. *Anhelationes.* febriles, I, 245. inflammatorii, 366. vid. *Phlegmaſiæ.*
Morborum claſſes ætiologicæ, II, 629. praxis generalis, I, 268. principia, 70. methodus anatomica, II, 702.
Mordetchin, Mordexin, II, 349.
Morfoudure, II, 376.
Moria, II, 255.
Moroſis, II, 250.
MOROSITATES, II, 208.
Morphæa; *Morphée*; alba, I, 127; nigra, I, 127; II, 592.
Mors apparens, I, 815. ſubita, ſubitanea, 815, 837.
Morſus ventriculi, II, 88.
Morve, II, 376.
Morus, I. 727.
Mouvemens convulſifs, I. 569.
Mue de la voix, I, 784. *des oiſeaux*, II, 607.
Mule aux talons, I, 189.
Mulierum morbi, II, 705.
Mure, I, 154, 727.
Muſcæ, II, 176.
Muſomania, II, 231.
Mutaciſmus, I, 782.
MUTITAS, *Mutité*, I, 775, 777. elinguium, 777. à gloſſolyſi, 776. hyſterica; à narcoticis; proæretica; à ſiccitate; ſilentium; ſpaſmodica; ſurdorum, 777. traumatica, 776.
Mydriaſis, I, 744.
Myocephalum, I, 728.
Myopia, *Myopie*, Myopiſmus, I, 735.
Myoſis, I, 730, 747.
Myrmecia, I, 148.

N

NÆVUS; lenticularis; maternus; ſigillum, I, 130.
Nakir Albucaſis, II, 32.
Napta dorſi, I, 153.
Narium morbi, II, 706.
Narke, II, 41.
Naſitas, I. 781.
Natta, I, 153.
NAUSEA, *Nauſée*, Nauſeoſis, Nautia, II, 334. ab apoſtemate circa cardiam, 336. bilioſa, 335. ex cacochylia; ex gaſtritide; 336. ex gaſtrocele; gravidarum, 335. marina, 336. nephritica; à pancreate; ab enormi renis abſceſſu ventriculum comprimente, 335. à ſemine corrupto, 336. à tænia, 335.
Nebula, I, 125, 726.
NECROSIS, II, 623. epidemica, 626. febrilis, 625. infantilis, 627. ſcorbutica, 626. à viru, 625. uſtilaginea, 623.
Nephelium, I, 125, 726.
NEPHRALGIA, II, 112. arenoſa, 113. arthritica, 114. calculoſa, 112. à carie, 116. febricoſa;

bricoſa ; gravidarum ; hæmaturia, *ibid.* hæmorrhoidalis ; hyſterica, 114. à lienis luxatione, 116. meſenterica, 115. miliaris, 116. monſtroſa ; à pancreate, 115. plethorica, 114. purulenta, 115. rheumatica, 114. ſcirrhoſa ; ſcorbutica, 116. verminoſa, 115.
Nephriticus dolor, II, 112.
NEPHRITIS, I, 503. arthritica, 505. calculoſa, 504. ſpuria, II, 114. vera, I, 504.
Nervus Medinenſis, II, 553.
Niaiſerie, II, 248.
Nigredo à Sole, I, 128.
Nigror, I, 130.
Noctambulatio, Noctegerſia, Noctiſurgium, II, 205.
Nodus, I, 158.
Noma tibiarum, II, 611.
Nomenclatura Noſologica, I, 26.
Noſologiæ hiſtoricæ, I, 11. Philoſophicæ fundamenta, I, 34.
Noſologica methodus, I, 12. nomenclatura, 26.
NOSTALGIA, II, 221. complicata, 222. ſimplex, 221. ſimulata, 222.
Noſtomania, Noſtraſſia, II, 221.
Nouage, II, 539. *Noueure ſcrophuleuſe*, 541.
Nuage, I, 125.
Nyctalopia, *Nyctalopie*, I, 732, 734.
Nyctobaſis, Nyctobatæ, II, 205.
Nylsbred, I, 845.
Nymphocluia, NYMPHOMANIA, II, 226. fervor uteri, 228. furibunda, 227. pruriginoſa, 228. ſalacitas, 227.
Nymphotomia, II, 226.
NYSTAGMUS, I, 548, 844. bulbi ; catarrhalis ; epilepticus, 548.

O

Obauditio, I, 755, II, 197.
Obdormitio, II, 41.
Obeſitas, II, 467.
Oblivio morboſa, II, 269.
Obſcurciſſement de la vuë, I, 724.
OBSTIPITAS ; annuens catarrhalis, I, 536. gibboſa, lateralis, 537. renuens, 536. ſpaſmodica, 537.
Obſtructiones viſcerum naturalium, I, 807. *du foye*, II, 108. *de la rate*, 111.
Oculi elephantiaſis ; expreſſio ; magnitudo nimia ; prolapſus, I, 173.
Oculi lacrymoſi, II, 372. gramioſi, 375. Oculorum dolor, inflammatio, II, 58. morbi externi, 706. interni, 705. vid. *Oeil.*
Odeur de bouc, II, 420.
Odontagra, II, 73.
ODONTALGIA, II, 73. arthritica, 77. carioſa, 74. catarrhalis, 75. dentitionis, 76. gravidarum, 74. hæmodia ; hyſterica, 77. ſcorbutica, 75. ſtomachica, 77.
OEDEMA, I, 141 ; II, 505. cryſtallinum ; flaccidum, I, 141. hyſtericum ; lacteum, 142. perioſtei, 141. purulentum, 142. ſerpentina ; 141. varioloſum, urinoſum, 142. uvulæ, 179.
Oedematie, I, 141, II, 474. *des femmes groſſes*, II, 475.
Oedeme ; commun, I, 141. *du poumon*, 657.
Oeil ; cancer ; chute, I, 173, 174. *fondu*, 167. *ſa groſſeur contre nature ; hydropiſie*, 173, 174. *de liévre*, 177 ; II, 68. *poché*, I, 728.
Oeſtro di ballare, II, 229.
Offuſcatio, I, 745.
Olfactus amiſſio, I, 750.
Ombrage, I, 125.
Omenti inflammatio, I, 480.
Omphalocele prima, I, 190, 196. rupto peritonæo, 200. altera, 201, 205.
Omphalorixis, I, 200.
Oneirogmos, Oneirogonos, II, 402.
Onglée, II, 41.
Onglet, I, 156, 728.
Onyx, I, 167, 728 ; II, 69.
Ophiaſis, II, 606.
OPHTHALMIA, *Ophthalmie*, II, 58. ab acrimonia ſanguinis, 61. angularis, 67. angulos oculi afficiens, 61. *bourgeonnée*, 62. cancroſa, 67. catarrhalis, 59. chemoſis, 65. choroideæ, 66. à corneæ fiſtula, 70. ab elcomate, 69. eryſipelatoſa, 62. febricoſa, 71. Gallica, 64. herpetica ; humida, 62, 373. interna, I, 144. *interne de la retine ou de la choroide*, II, 66. à lagophthalmo, II, 68. metaſtatica, 71. notha, 59. phlyctænodes, 70. puſtuloſa, 62. ſcrophuloſa, 63. ſicca, 61. à ſynechia, 68. ſyphilitica, 64. taraxis, 59. tenebricoſa, 64. trachoma, 60. traumatica, 65. trichiaſis, 59. tuberculoſa, 60. venerea, 64. vera, 62. ab ungue, 69. uveæ, 70.
Ophthalmoponia, II, 58.
Ophthalmoptoſis, I, 173.
Opiſthotonos, I, 542.
Oppreſſions de poitrine, I, 655.
Orcheocele, I, 168.
Ordinum ſynopſis, I, 92.
Oreillon, I, 146, 193.
Orexis, II, 83.
Organici morbi, II, 682.
Orgeolet, *Orgueil*, I, 157 ; II. 60.
Orina di ſangue, II, 300.
Oris hæmorrhoides, II, 295. tortura paralytica, I, 535. affectio ſcorbutica, II, 295. morbi, 706.
Orthopnée, ORTHOPNOEA, I, 666, 670. ab aneuryſmate, 672. ab antipathia, 673. à bronchocele, *ibid.* cardiaca, 671. à deglutitis, 672. ab empyemate, 673. febricoſa, 674. à gaſtrocele, 673. ab hydrocephalo, 676. ab hydropneumonia, 673. ab hydrothorace, 671. hyſterica, 671. ab inanitione ; à lipomate, 674. peripneumonica, 670. à pinguedine, 672. polypoſa, 677. pſeudo-peripneumonica, 675. ſcorbutica, 676. ſicca, ſpaſmodica ; à terrore, 671. traumatica, 673. à vaporibus, 674. varioloſa ; 676. à vermibus, 674. à vomica, 672.

Oscedo, I, 632. febrilis; hyſterica, partûs, ſtomachica, 633,
Oscheocele, I, 168, 194, 204. adipoſa; ab algedine, 171. altera, 201. aquoſa, 169. cruenta, 171. epiploico-enterica, 198. flatulenta; hydatidoſa, 169. inteſtinalis, 194. Malabarica, 169. omentalis, 204. prima, 190. purulenta, 171. ſeminalis; varioloſa, 170.
Oſcheo-hydrocele, I, 169.
Oſcitatio, I, 632.
Oſphialgia Hippocratis, II, 138.
Oſſium dolor, II, 26. receſſus, I, 230.
Oſteoſarcoſis, I, 804; II, 28, 137.
Oſteoſteatoma, I, 180.
Ostocopus, II, 26. ab arthrocace, *ibid.* cancroſus; à gummatibus, 27. ab oſteoſarcoſi, 28. à pædarthrocace, 26. ſcorbuticus, 28. à ſpina ventoſa, 26. ſyphiliticus, 27.
Otalgia, II, 71. catarrhalis, 72. inflammatoria, 71. ab inſectis; ab intruſis, 73. notha, 72. verminoſa, *ibid.*
Otorrhoea; menſtrua; purulenta; ſeroſa, II, 413.
l'Oubli, II, 269.
Ouïe double, I, 756. *engourdie*, 757. *fauſſe*, 755. *tendre*, 756.
Oule, I, 126, 726.
Ourles, I, 493.
Oxycoia, I, 756: II. 198.
Oxyregmia, II, 416.
Ozæna, I, 750: II, 376, 418.

P

Pacheoblepharoſis, I, 726.
Pachu, II, 498.
Pachytes, I, 726.
Pædarthrocace, I, 158, 159: II, 26, 477.
Pales couleurs, II, 212, 596. *des filles*, 597. *des femmes*, 598.
Palette démiſe, II, 343.
Pallores, II, 600.
Palmos, I, 559, 560.
Palpebræ ſuperioris caſus, lapſus, retractio, I, 176, 177. palpebrarum extroverſio, introverſio, 176.
Palpitatio, I, 560. ab aneuryſmate cordis, 561. ex aortæ aneuryſmate, anguſtia, 563. apoſtematoſa, 562. arthritica, 564. calculoſa, 561. chlorotica, 564. à corde oſſificato, 561, febricoſa, 565. hyſterica, 564. melancholica; à pancreate, *ibid.* à pericardii abſceſſu; à polypo; polypoſa, 562. tremula, 561.
Palulimos, II, 215.
Pamoiſon, I, 809.
Panaris; cutané, I, 149.
Pandiculatio, I, 549. febricoſa; hyſterica; torpidorum, 550.
Panicophobos, II, 223.
Panis, Panus, I, 247.
Pannus, I, 156, 728.
Panophobia; hyſterica, II, 223. infantum, *ibid.* phrontis; à rabie, 224. verminoſa, 223.
Pantophobia, II, 223, 233.
Papulæ, I, 131.
Paracoë, Paracusis, I, 755; II, 197. barycoia, I, 755. duplicata; oxycoia, 756. Williſiana, 757.
Paracynanche, I, 677.
Paracyſma, I, 755.
Paraglosse; deglutitoria, I, 180. excretoria, 181. gloſſomegiſtus, 180. retractoria, 180.
Paralampſis, I, 126, 726.
Paralyſie, Paralysis, I, 788. bilioſa; à colica biliari, 790. corporis inferioris, 797. febrilis, 790. *de la langue*, 776. *de la luette*, 179. metallariorum, 790. nervea, 791. plethorica, 789. Polonica, 790. rachialgica, 789, 790, 791. rheumatica, 790. ſcorbutica; ſcrophuloſa; ſeroſa, *ibid.* ſpuria, 798. traumatica, 790. *du ventricule*, II, 91. univerſalis, I, 797. à vomica, 791.
Paralytodei morbi, I, 699, 711.
Paranoia, I, 152. II, 248.
Paraphonia, I, 783. catharralis, 786. gutturalis, 787. naſalis, 786. à polypo, 788. puberum, 783. ſibilans, 788. ſtertens; ulceroſa, 787.
Paraphreneſis, Paraphrenitis, I, 463. diaphragmatica, 464. hepatica, 465. pleuritica, 464.
Paraphrosyne, I, 463, II, 240. ab atropa belladonna, 243. calentura, 247. à conio, 244. à coriaria, 242. critica, 247. à datura methel, 241, à datura ſtramonium, 242. febricoſa, 247. febrilis, 245. ab hyoſciamo nigro, 242. hyſterica, 247. magica, 245. ab opio, 243. à pathemate, 246. puerperarum, 247. à ſolano hortenſe, 242. temulenta, 241. à venenis, *ibid.*
Parapleuritis, I, 686.
Paraplexia, *Paraplexie*, I, 797. equina, 799. intermittens, 798. rachialgica, *ibid.* rheumatica; ſanguinea; ſcorbutica, 797. à ſpina bifida, 798. ſyphilitica, 799. traumatica, 798.
Parapoplexia, I, 338, 797.
Pararthrema, I, 224. pararthremata, 171.
Paraſynanche, I, 492, 677.
Paratrima, I, 140.
Pareſis, I, 791; II, 386.
Paronychia, I, 149. arctura, 150. artificialis, 151. cutanea, 149. digitium; perioſtei; preſſura; tendinis, 150.
Parorchidium, I, 222. ab intropreſſione; à retractione, 223. à ſero deſcenſu, 222.
Parorchido-enterocele, I, 198.
Parotide, Parotis; benigna; febrilis, I, 146. peſtilens, 147. *ſimple*, 146,
Paroulis, Parulis, I, 167.
Partus difficilis, II, 117. vid. *Dyſtocia.*
Paſme, I, 543.

Paſſio bovina, II, 550. Paſſio cœliaca, *Paſſion cœliaque*, 360. Paſſio hydrolcos, 256. Paſſio hyſterica, *Paſſion hiſtérique*, I, 585, 586. Paſſio iliaca, II, 344. pleuritica, I, 466.
Pavor nocturnus, in ſomno, II, 223.
Paupiéres, leur éraillement, I, 176. *ſuperieure, ſa chute, ſa relaxation*, 176, 177.
Peau de poule, I, 137.
Pectoris dolor, I, 682. morbi, II, 707. externi; interni; *ibid.*
Pein de S. Thoma, II, 477.
Peinnk, II, 553.
Pelade, II, 606.
Pelidne, Græcis, I, 130.
Pelo, II, 129.
Pemphigos puretos, Pemphigos, PEMPHIGUS, I, 430. Braſilienſis, 432. caſtrenſis, 430. Helveticus, 431. Indicus, 432. major, 430.
Pemphingodes Galeni, I, 455.
Pendeloques, I, 155.
Penis nodus, II, 407.
Perculſio, I, 897.
Percupino-man, II, 550.
Perforation de la veſſie, II, 387.
Perical, II, 477.
Periodynia ſtomachi, II, 96, 97.
Periphimoſis, I, 152.
Peripleumonia, I, 495.
PEPIPNEUMONIA, *Peripneumonie*, I, 472, 495. ardens, 496. arthritica, 498. bilioſa, 496. catarrhalis, 498, 675. epidemica, 472. eryſipelatoſa, 497. exanthematica, 499. *fauſſe*, 675. gaſtrica, 500. hydrophobica, 500. hyemalis, 675. maligna, 497. à miliari, 499. notha, 498, 675, peſtileus, 497. phthiſicorum; pituitoſa, 498. pura, 495. putrida, 496. rachialgica, 500. à rubeola, 499. typhodes, 497. à variola, 499, vera, 495.
Peripneumonitis, I, 496.
Peripneumopleuritis, I, 466.
Perirrhœa, II, 386.
Periſcelis, I, 133, 134.
Perle, I, 126.
Pernio, I, 139.
Peroſiæ, I, 722.
Perſe, II, 362.
Pertes d'appetit, I, 765. *d'odorat*, 750. *de ſentiment*, 718. *de voix*, 779. *rouges des femmes*, II, 306. *des femmes groſſes*, 310. *de ſang*, *ibid.*
Pertuſſis, I, 651.
Perverſio oſſium capitis ac muſculorum appenſorum, I, 232, 233.
Pervigilium, II, 271. febrile, 272.
Pes febricitans, II, 477.
Peſanteur d'eſtomac, II, 93. *de tête*, 49.
Peſtilentia, PESTIS, I, 414. Ægyptiaca, 421. Aleſienſis, 416. anticardia, 418. benigna, 416. bovilla, II, 327. carbunculoſa, I, 417, 421. gloſſanthrax, 418. Indica, 417, 421. interna, 416. Londinenſis, 414. Maſſilienſis, 416. remittens, 419. retrocedens, 416. ſcorbutica, 420. Siamæa, 418. ſporadica, 417. vulgaris, 414.
Petechiæ, Peticulæ, Petechialis febris, vera, I, 144. Petechiæ benignæ, 417. *petechies accidentelles*, 443.
Petite-verole, I, 422.
Phagædena cancer, I, 148.
Phagedena Cælii Aureliani, II, 215.
Philopatridomania, II, 221.
PHIMOSIS, I, 151. circumligata, 152. hydrocelica, 151. infantum, 152. ſyphilitica, 151. vaginæ, 152. vera; *verolique*, 151.
PHLEGMASIÆ, I, 364, 410. theoria, 366. therapeia, 408. EXANTHEMATICÆ, 411. MEMBRANOSÆ, 457. PARENCHYMATOSÆ, 483 &c.
PHLEGMATIA, Phlegmatites, II, 470, 474. cruralis; Delienſis, 478. elephantina, 477. exanthematica, 478. gravidarum; hyſterica; lactea, 475. Malabarica, 477. à menoſtaſia; ulceroſa, 476. vulgaris, 474.
Phlegmatica, I, 322.
Phlegmatorrhagia, II, 576.
Phlegmon, PHLEGMONE, I, 144. axillaris, 145. membranæ coſtas ſuccingentis, 466. mammarum; muſculorum, oculi, 144. teſtis, 144, 145.
Phlogiſtici morbi, II, 659.
Phlogoſis, II, 102.
Phlyctænæ, *Phlyctenes*, Phlyctides, I, 131; II, 70. corneæ, II, 70.
Phobos, II, 223.
PHOENIGMUS, II, 594. Indicus, 595. petechialis, 594. plethoricus, 596. à venenis; à vernice, 595.
Phreneſis, I, 459.
Phrenitiaſis, PHRENITIS, I, 458. aphrodiſiaca; apureta, 461. à calentura, 462. comatoſa, 832 à dolore, 462. eſſentialis, 459. hectica, 485. hydrophobica, 463. idiopathica, 459. inanitorum, 463. Indica, 462. latrans, II, 233. miliaris, I, 460. morbilloſa; à plica, 461. ſymptomatica, 459, 460. ſynochi pleuriticæ, 459. ſynochi ſanguineæ, 460. à tarantiſmo, 462. varioloſa, 460. vera, 459. verminoſa, 461.
Phricaſmus, Phrice, Phriciaſis, I, 567.
Phricodes, I, 325.
Phrontis nouſos Chalepe, II, 259.
PHTHIRIASIS, II, 602, 608. funeſta; inguinalis; interna, 603. pedicularis, 602.
Phthiſie, PHTHISIS, Phthoë, II, 451. aſthmatica; calculoſa, 456. cellularis, 460. chlorotica, 457. chyloſa; exanthematica, 459. à febribus, 458. hæmoptoïca, 456. hepatica, 459. humida, 454. hypochondriaca; icteritia; impetiginoſa, 459. incipiens, 453. à metaſtaſi puris, 457. nephritike, 447. nervoſa, 460. notias, 447. à peripneumonia, 458. à plica, 460. primariæ, 452. pulmonalis, 451. pupillæ, I, 740, 747. rheumatico-arthritica, II, 458. à ſcirrhis pulmonum, 453. ſcorbutica;

ca ; ſcrophuloſa ; ſecundariæ , 455. ſenilis , 456. ſicca , 453. ſyphilitica , *vérolique* , 457. à vomica , 460.
Phthora , II , 312.
Phygetlon , I , 147.
PHYMATA , I , 137 ; II , 703.
PHYSCONIA , II , 478. ab adipe ſubcutaneo , 486 , 490. calculoſa , 478 , 480. concreto-glomerata , 484. emphractica , 480. ab excreſcentia , 491. externa hydatidoſa , 489. externa lupialis , 488. externa ſcirrhodea , 489. fungoſa , 482. hepatica , 478. hydatidoſa , 478 , 481 , 486. inteſtinalis , 484. lupialis externa , 488. megaloſphlachna , 487. meſenterica , 481 , omentalis , 485. ab ovario , 481. polyſplachna , 486. renalis , 480. ſarcomatico-cyſtica , 480 , 481 , 484 , 486. ſcirrhodæa , 478 , 480 , 481 , 486. ſimplex , 490. ſplenica , 480. ſteatomatoſa ; ſtrumoſa , 481. ſyphilitica , 490. viſceralis , 487. uterina , 481.
PHYSOCEPHALUS ; artificialis , II , 497.
PHYSOMETRA , II , 512. humida ; ſicca , 513.
le Pian , II , 25 , 554 , 555.
PICA ; Picaceus appetitus , Picatio , II , 211. antiſcorbuticorum , 214. chloroſiantium ; infantilis , 212. malacia , 213. ſimulata , 215. voluntaria , 214.
la Picote , I , 422.
Picottin , I , 343.
la Piéce , I , 500.
Pieds bots , I , 232 , 233. *enflés* , II , 474.
Pikal , II , 477.
Pincement de l'inteſtin , I , 195.
Piquure , I , 236. *venimeuſe* , 237. *de guêpes , couſins* , &c. 135.
Piſſement de pus , II , 394. *de ſang* , 300.
Pithyriaſe , Pityriaſis , II , 581 , 608.
Pitta , II , 211.
Pituita , Horatii , II , 58. alba , 470.
Pituitoſi morbi , II , 668.
Pladarotes , I , 727.
PLAGÆ , I , 234. II , 704.
Plateiaſma , I , 782.
Playe ſimple , I , 235.
Pleura furens , I , 466.
Pleureſie venteuſe , I , 684.
Pleureſis , Pleuritica febris , PLEURITIS , I , 466. bilioſa , 470 , 472 , 473. catarrhalis , 472. convulſiva , 473. dorſalis , 469. eryſipelatoſa , 472 , 473. cum febre ardenti , *ibid.* febricoſa , 473. flammoſa , 467. hepatica , 473. hydrothoracica , 474. impura , ingluvioſa , 471. intermittens , 351. lactea , 475. mediaſtini , 469. miliaris , 476. pericardii , 470. periodica , 473. peſtilens , 474. phthiſica , 684. Polonica , 475. pulmonis , 468. pura , 467. putrida , 471. ſanguinea , 467. ſecundaria , 471. ſicca , 473. ſplenica , 476. ſpuria , 682. ſtomachalis , 471. ſympathica , 472. ſymptomatica , 471. traumatica , 470. vera , 467. verminoſa , 471.
PLEURODYNE , I , 682. ex abſceſſu , 685. ex aneuryſmate , 684. arthritica , 685. à cacochylia , 684. catarrhalis ; febricoſa , 685. flatulenta , 683. hypochondriaca , hyſterica , 684. miliaris , 685. à rupto œſophago , 686. ab oſſiculo , 685. parapleuritis , 686. phthiſica , 684. plethorica , 682. rachitica , 685. rheumatica , 683. ſcorbutica ; à ſpaſmate , 684. venerea , 683. verminoſa , 682. à vomica , 686.
Pleuroperipneumonia , I , 468 , 470 , 471 , 495 , 497.
Pleurototonos , I , 556.
Plica , II , 605. Belgarum , 603. femina , 605. major , 604. Polonica , 603.
Plie , *Plique* , II , 603. *en cordons* , 604. *femelle* , 605. *mâle* , 604.
le Plomb , I , 819 , 820.
Pneumatia , I , 659.
Pneumatocele , I , 169.
Pneumatomphale , Pneumatomphalus , I , 168.
PNEUMATOSIS , II , 468. febrilis ; hyſterica , 469. à veneno ; à vulnere , 468.
Pneumonia , Pneumonitis , Pneumopleuritis , I , 495.
Pnigalion , Pnigamon , I , 628.
Pnix hyſterica , I , 671 , 841.
Podalgia , Podagra , II , 19. capitis , 54. dentium , I , 532 , 533.
Pœnalis morbus Gerhamenſium , I , 182.
le Poil , I , 293 ; II , 129.
Point de côté , I , 468 , 682.
Poireau , I , 455.
Poitrine ailée , I , 232 , 233.
Pollution involontaire , II , 402.
POLYDIPSIA ; febrilis , II , 218. fluxuum ; hydropica , 219. à morſu dipſadis ; à veneno , 220.
Polype du nez , Polypus narium , I , 153. uteri , *ibid.*
POLYSARCIA ; adipoſa , II , 467.
la Porcelaine , Porcellana , I , 135 , 454.
le Porc épy , II , 550.
Porphyra , I , 446.
Porrigo , II , 578 , 581 , 608.
Porrum , *Porreau* , I , 155 , 156.
Poſthia , II , 60.
Pothopatridomania , II , 221.
Poulain , I , 145.
Pourpre , I , 446. *blanc* , 435.
Pouſſe , I , 661 , 667.
Præfocatio uterina , I , 671.
Præputii prolapſus , proptoma , I , 181 , 182.
Præputiolum , II , 60.
Pragmon , II , 344.
Presbyopia , Presbytia , I , 740.
Preſſura , I , 150 , 837.
PRIAPISMUS , I , 540 ; II , 224. à cantharidibus , 541. dyſuricus ; à frigore ; gonorrhoicus , 540.
PROCTALGIA , II , 145. Braſilienſis , 146. cancroſa , 145. diarrhoica ; equina , 147 , exania , 146. fiſtuloſa ; inflammatoria ; intertrigi-

noſa

noſa, 145. ex mariſcis, 147. ex rhagadibus, 146. teneſmodes, 147.
Proctocele, I, 182.
Productio uvulæ à pituita, I, 179.
Prolapſus, I, 171. vid. *Proptoma.*
Prolegomena, I, 1.
Propendentia uvulæ paralyticæ, I, 179.
PROPTOMA, I, 181. auricularum, 182. labii inferioris; mammarum, 181. præputii, 182. ſcroti, 181.
Proſphyſis, I, 725.
Pruna, I, 147.
Prunella, I, 487, 493.
Prurit, PRURITUS, II, 42. arthriticus; exanthematicus; fugax, 43. gravidarum, 44. ictericus; infantum, 43. ex meduſa; ex opio, 44. *des parties naturelles*, 148. pedicularis, 43. ſyphiliticus, 44. uteri, 124, 228.
PSELLISMUS, I, 780, 782. balbuties, 782. iotaciſmus, 783. iſchnophonia, 781. lagoſtamatum, 783. lambdaciſmus, 781. metallicus, 783. mogilalia, 782. naſitas, 781, à ranula, 783. rottaciſmus, 781. traulotes, 782.
Pſeudo-aſthma, I, 656.
Pſeudo-pleuritis, I, 682. *bis.*
Pſora, II, 575.
Pſychos, II, 44.
PSYDRACIA, I, 135; II, 578. ab acaris, I, 135. acne; diurna, 136. porcellana; à veſpis; urticata, 135.
PTERYGIUM, I, 156, 728. pannus; ungula, I, 156.
Ptiloſis, I, 726.
Ptoſes, Ptoſis, I, 171.
Ptueliſmus, PTYALISMUS, II, 377. aphthoſus, 381. arthriticus, 380. artificialis, 378, à calculo, 382. à carie; catarrhalis, 381. febrilis, 382. gravidarum, 381. hypochondriacus; hyſtericus, 380. Lapponicus; à laxitate, 378. melancholicus, 380. mercurialis, 378. nauſeoſus, 377. ab oris ulcuſculis, 378. phthiſicus, 380. purulentus, 381. à pyroſi, 378. à ſaburra nidoroſa, 377. ſcorbuticus, 379. ſymptomaticus, 378. ſyphiliticus, 382. varioloſus, 379. viridis, 380. urinoſus, 382.
Puanteur, *Punaiſie*, II, 418. *des aiſſelles*, 420. *de bouche*, 419. *des camards*, *ibid.* *d'eſtomac; des oreilles; des pieds; de la tête*, 420.
PUDENDAGRA, II, 147. arſura, 148. ab aſcaridibus, 149. cancroſa; à gonorrhœa; hernioſa, 148. à parorchidio, 147. ex phimoſi; pruriens, 148. teſtium, 149. ulcuſculoſa, 148.
Pudendi nova diſtorſio, II, 407.
Puerperia, II, 311.
Pulmonaria, I, 495, 669.
Pulmonia, *Pulmonie*, I, 495; II, 451. lethargica, I, 833.
Pulſatio, I, 388.
de Pulſûs frequentia, I, 259.
PUNCTURA; à cuſpide fracta; ſimplex, I, 236. venenata, 237.
la Punta, I, 457.
Puris profluvium, II, 360.
PURPURA, I, 446. accidentalis, 448. alba, 435. apyreta, II, 594. benigna, I, 447. maligna, 435, 447. miliaris, 435. puerperarum, 435, 445. rubra, 436. ſcorbutica, 446. ſymptomatica, 448. verminoſa, 449. urticata, 453.
Purulenti morbi, I, 677.
Puſtulæ, *puſtules*, I, 131; II, 70. oris, I, 455.
Pyreta dialeira, I, 343. epanadida, 320. ſyncchonta, 281.
PYROSIS, II, 83. bilioſa, 84. à conceptione, 85. à phlogoſi; Suecica; à viſceribus inflammatis; ulceroſa, 84. vulgaris, 83.
PYURIA, II, 394. arthritica; chyloſa, 396. à corde, 395. lactea, 396. à meſenterio, 397. mucoſa, 396. nigra, 397. renalis, 394. à thorace, 395. veſicalis, 394. vireſcens, 397. viſcida, 395.

Q

QUARTANA, *Quarte*, *Quartaine*, I, 355. amens, 357. arthritica; cataleptica, 357. comatoſa, 358. duplex, duplicata, 356. epileptica; hyſterica, 357. infantum, 358. legitima, 355. maligna, 342. metaſtatica, 359. nephralgica, 357. ſcorbutica, 358. ſplenetica, 356. ſyphilitica, 357. triplex, 356. triplicata, 358.
Querquera febris, I, 325.
Quintes, I, 651; II, 36.
QUOTIDIANA, I, 347. catarrhalis, 349. cephalalgica, 348. continua, 322. deceptiva; epileptica; hyſterica; iſchiatica, 348. legitima, 347. nephralgica; partialis, 349. ſimplex, 347. ſoporoſa; ſtrangurioſa, 349.

R

Rabies canina, II, 233.
Rache, II, 578. *farineuſe*, 581. *humide*, 580. *ſéche*, 581. *vérolique*, 582.
RACHIALGIA, II, 131. ab adiapneuſtia, 136. arthritica, 135. febricoſa, 132. metallica, 133. oſteoſarcoſis, 137. Pictonum, 131. Saturnina, 134. Saturnina, 136. traumatica, 137.
RACHITIS, II, 539. Britannica, 540. Calmucana, 541. à caſtratione; elephantiaca, 542. incipiens, nodoſa, 539. Polonica; à ſcabie, 542. ſtrumoſa, 541, 545.
Racoſis, I, 181.
Radoterie, II, 249.
Raffreddatura, I, 686.
Rage, II, 232, 260. *de l'Hamack*, 263.
Râle, *Ralement*, I, 656, 787.
Ramex varicoſus, I, 154.

Raphania, I, 554, 569.
Rapport, II, 413. *d'œufs couvés*, 415.
Raptus poſterganeus, I, 542.
Raſcatio, I, 650.
Raſque, II, 578.
Rattling, I, 656.
Ravaglio, I, 422.
Raucedo, I, 786.
Refrigeratio, II, 44. flatuoſa, I, 841.
Refroidiſſement, I, 567.
Reins entr'ouverts, II, 140.
Renchos, Renxis, I, 656.
Renum inflammatio, phlegmone, I, 503. ulcus, II, 394. morbi, 708.
Reſpirandi difficultas, I, 656. reſpirationis læſiones, 655.
Reſtleneſs, II, 37.
Retention d'urine, II, 520.
RHAGAS, I, 241.
RHEUMA, I, 686. catarrhale, 687. epidemicum, 688. gaſtros, II, 354. ophthalmon, 372.
RHEUMATISMUS, *Rhumatiſme*, II, 28, 30, 354. acutus, 28, 33. arthriticus, 30. calidus; *chaud*, 28, 31. *ſimple chronique*, 29. convulſivus, 34. cruralis, 30. dorſalis, 34. equinus, 31. febricoſus; flatuoſus, 32. fugax, 34. *goutteux*, 30. hyſtericus, 31. à lympha ſpiſſa & acri, 31. metallicus, 33. miliaris; necroſeos, 34. odontalgicus, 73. ſaltatorius, 32. ſcorbuticus, 30. verminoſus, 32. cum ulcere, 324. uteri, 397. vulgaris, 29.
Rhigos, I, 567.
Rhoodes, II, 315.
Rhume de cerveau, II, 370. *d'eſtomac*, 354, 381. *de poitrine*, I, 686.
Rhytidoſis, I, 729.
Rickets, II, 539. 540.
Riedtkuchen, II, 108.
RIGOR, I, 567. catarrhalis, 568. febricoſus, 569. febrilis, 567. à frigore, 568. à pathemate; à purulentia, 568. tertianarius, 569.
Riptaſmos, II, 37.
Riſus caninus, I, 535.
Rogne, II, 575.
Romadizo, I, 686; II, 35.
Ronchos, Ronchus, *Ronflement*, I, 656, 787.
Roſa ſaltans, I, 135. Roſa Sennerti, 449.
Roſeola, I, 432.
Rothlauff, I, 439.
Rots, II, 413. *aigres; pourris*, 415.
Rottaciſmus, I, 781.
Rougeole, I, 432. *boutonnée*, 435.
Rougeur, I, 129.
Rouſſeur, I, 128.
Rubedo, I, 387.
RUBEOLA, I, 432. anginoſa, 435. anomala; confluens; epidemica & maligna, 433. regularis, 432. variolodes, 435. vulgaris, 432.
RUPTURA, *Rupture*, I, 240.
Ruptures, I, 199, 200, 201, 206. vid. *Hernia*.

S

Saburrales morbi, II, 665.
Sahafati, Arabum, II, 578, 579. humidum, 578, 580. ſiccum, 578.
Salacitas, II, 227.
Salivatio, *ſalivation*, II, 377. anginoſa, 381. ab hydrargyroſi, 378. mercurialis, *ibid.* *de la petite vérole confluente*, 379.
Saltus Valentini; Viti, II, 230.
Sanglot, I, 634.
SANGUIFLUXUS, II, 282.
Sanguiluvio, II, 399.
Sanguinei morbi, II, 661.
Sanguinis poſt partum effluxus nimius, II, 311. profluvium, 284. ſputum, 287. ſtillicidium, 284. ab utero, 306.
Sanguiſugum, I, 656.
Sarcites flatuoſus, II, 468.
Sarcocele, I, 154.
SARCOMA, *Sarcome*, I, 153, 727. bicephalium, 154. bronchocele, 155. cercoſis, 153. encanthis, 154. epulis, 153. fungoſum, 154. narium; natta; oculorum, 153. ſcroti, 154. varicocele, *ibid.* uteri, II, 495. vulgare, I, 153.
Sardiaſis, I, 535.
Sarrette, I, 530.
Satyriaſe, SATYRIASIS; acuta, II, 224. chronica, 225. hydrophobica, 226. muliebris, 227. neogamorum, 226. *très ſingulier*, 401. venerea, 226.
Satyriaſme, Satyriaſmus, II, 141, 567.
SCABIES; benigna, II, 575. canina, 576. capitis venerea, 562. catamenialis, 577. critica, 576, 578. felina, 578. herpetica, 577. humida, 575. Indica, 577. neogamorum, 578. ſcorbutica, 577. venerea, 559. vermicularis, 578.
SCARLATINA febris, I, 453. anginoſa; intermittens; porriginoſa; variolodes, 454. urticata, 453.
Sceletyrbe, SCELOTYRBE, I, 590; II, 563. chorea Viti, I, 590. feſtinans, 591. inſtabilis, *ibid.* intermittens, 592. pituitoſa, 590. verminoſa, 592.
Scharboek, Scheurbeck, Scheurbuyk, Schoerbuck, Schorbuck, II, 563.
Sciatica, *Sciatique*, II, 141.
Scirrhe, Scirrhoſis, SCIRRHUS, I, 143. *au foye*, hepatis, I, 143, II, 107. *à la rate*, lienis, I, 143; II, 111. lupia, I, 144. *de la matrice*, II, 123.
Sclerophthalmia, II, 60.
Scleryſma, I, 143.
Scolioſis, I, 161.
Scorboks, II, 563.
Scorbutica oris affectio, II, 295.
Scorbut, SCORBUTUS, I, 805; II, 563. calidus, 567. creſcens, 564. incipiens, 563.

inveteratus, 564. lividus; pallidus; petechialis, 566. ruber, 567.
Scordinema, Scordiniſmos, I, 549.
Scotodinos, Scotoma, II, 166. Scotoma Heurnii, 174, 176.
SCROPHULA, Scrophulæ, II, 542. Americana; chalaſis, 546. farcimen; fugax, 544. leproſa, 546. meſenterica, 545. Moluccana, 547. periodica, 546. vulgaris, 543.
Scroti proptoma; *Scrotum ſa relaxation*, I, 181. Scroti impetigo, II, 148.
Scurvy, Seaſcurvy, II, 553.
Seaſoning, I, 320.
Sechereſſe de la gorge, I, 647, 655. *de poitrine*, 647.
Sein, I, 130.
Seminis tarda emiſſio à corporum cavernoſorum nodis, II, 407. ab epilepſia ſpaſmodica in coitu adveniente, 409. à genitalium ignavia, 410. à validiori penis erectione, 409. ab anguſtiori præputii orificio, 407. à morbis urethræ, 405. à muco urethram infarciente, 408. Seminis in actu venereo retentio, 409.
Semitertiana, I, 326.
Senium, II, 462.
Senſuum morbi, II, 705.
Senum morbi, II, 710.
Senteur du pied de muletier, II, 420.
Separation des épiphyſes, I, 232.
Septimanaria, I, 297.
SERIFLUXUS, II, 365.
Seroſi morbi, II, 672.
Serpentine, I, 141.
Serpigo, I, 132.
Setæ, II, 552.
Sexuum morbi, II, 705.
Le Siam, I, 314, 418.
Sibilus, I, 788; II, 195.
Sideratio, I, 484, 820, 845.
Sifflement, I, 788. *d'oreille*, II, 195.
Sigillum, I, 130.
Silentium, I, 777.
Singhiozzo, I, 634.
the Singles, I, 134, 452.
SINGULTUS, I, 328. 634. accidentalis, ab acrimonia alimentorum, 634. ab adiapneuſtia, 644. ab alimentis, 634. ab alvi fluxu, 641. ab aphthis, 644. arthriticus, 640. cachecticus, 646. à cacochylia, 635. à cerebro, 645. criticus, 640. à dolore, 642. epilepticomaniacus, 647. exanthematicus, 640. ab excoriatione œſophagi, ventriculi, 644. febrilis, 638. à flatibus, 636. à gangræna, 643. à gula, 634. ab hernia, 642. hypochondriacus, 646. ab inanitione, 637. ab inflammatione, 639. ab iſchuria, 641. mechanicus, 646. à medicamentis, 636. à menoſtaſi, 641. à metaſtaſi, 640. nervoſus, 646. periodicus, 638. à preſſione, 646. purulentus, 643. tranſitorius, 634. typhodes, 638. à venenis, 637. à vermibus, 636. virulentus, 645. à vulnere, 642.
Sinuoſitas, II. 612.
SINUS, I, 241.
Siriaſis, I, 484, 486.
Siro, I, 157. Sirones, I, 135.
Sirſen, I, 458.
Sitis febrilis; morboſa, II, 218.
Small-pox, I, 422.
Soda, den Sodt, II, 83.
Soif exceſſive; des febricitans, II, 218.
Somnambule, SOMNAMBULISMUS, II, 205. catalepticus, 207. vulgaris, 206.
Somnolence, Somnolentia continua, I, 835.
Sonitus aurium, II, 193. à plethora, 195.
Sopor, I, 837.
Soporoſi morbi, I, 822.
Soubreſaut des tendons, I, 549, 559.
Souci, II, 224, 259.
la Souette, I, 294.
Soufles convulſifs, I, 628.
Sourdité, I, 757.
la Souris, I, 548.
Sparganoſis, II, 127, 129, 142, 411.
SPASMI, I, 506, 525, 547. eorum theoria, 508, 510. GENERALES CLONICI, 567. PARTIALES CLONICI, 547. GENERALES TONICI, 541. PARTIALES TONICI, 526.
Spaſmodici morbi, II, 692.
Spaſmos, I, 550.
Spaſmus, I, 543. cynicus, 534, 535. flatulentus, 540; II, 32. gulæ, II, 78. maxillæ à luxato ſeſamoide pedis; à vulnere, I, 541. Sardonicus, 535.
Spermatocele, I, 170. ſyphilitica, 171.
Sphaceliſmus cerebri, I, 484.
Sphacele, Sphacelus, Sphacerus, I, 484.
Sphygmocephalus, II, 51.
Spina bifida, II, 497.
Spina ventoſa, I, 168; II, 26, 497.
Spinola, II, 95, 497.
a Spittle of unuſual colour, II, 382.
Spleen, I, 585.
SPLENALGIA; infarctus, II, 111. ſarcomatoſa, 112. ſcirrhoſa, 111. ſuppuratoria, 112.
Splendores, II, 181.
Splenes magni, II, 563.
SPLENITIS; phlegmonodea, I, 503.
SPLENOCELE; inguinalis; ventralis, I, 209.
Sputatio arthritica, II, 380.
Squinantia, I, 487.
Squirre; au foye; à la rate, I, 143.
Staphyle, I, 179.
STAPHYLOMA, I, 165, 176, 228. II, 69.
Steatoma lupia, I, 166.
STERNUTATIO; catarrhalis, I, 631. critica; epidemica; periodica, 632. à ptarmicis; rubeoloſa, 631. ſpontanea, 632. à vermibus, 631.
Sterteur, STERTOR, I, 656. apoplecticus; aſthmaticus, I, 656, 787.
Stillicidium ardens, II, 388. urinæ, 386.
STOMACACE, II, 295, 563. ab hæmorrhoo; purulenta, 296. ſcorbutica, 295. univerſalis, 296.

Stomachi adſtrictio, II, 96. attritio, periodynia, 97. dolor, 93. morbi interni, 708.
Stomalgia, II, 77.
Strabiſme, STRABISMUS, I, 527. æquinoctialis, 529. Buffonii, 528. caligantium, 529. catarrhalis, 528. à cryſtallino, 530. lagophthalmos, 529. à luſcitate, 527. myopum; orantium, 529. à paralyſi; ſpaſmodicus, 528. ſymptomaticus, 529. vulgaris, 527.
Stracchezza, II, 39.
Strangulatio ſuſpenſorum, I, 679. uterina, I, 671, 841.
Strangulationis metus in ſcorbuto, I, 676.
Stranguria, *Strangurie*, II, 388. colicum popularem concomitans, 391.
Strepitus aurium, II, 193.
Stridor dentium in morbis acutis, I, 533. à vermibus, 532.
Strophus Celſi, II, 101.
Strumæ, II, 542, 544.
Stupiditas, *Stupidité*, II, 250.
Stupeur, STUPOR, I, 764, 837; II, 41. formicans; à gelu, II, 41. miliaris; à necroſi, 42. à preſſione, 41. rachialgicus; ſaburralis; à torpedine, 42.
Svanimento, I, 809.
Subeth aſarim, I, 835. ſahara, 830, 835.
Subluxatio, I, 224, 225, 226.
Subſtillum urinæ, II, 388.
Subſultus tendinum, I, 549, 559.
Subunguium, I, 131.
Succubus, I, 628.
Sudamen, Sudamina, I, 136.
Sudatio morboſa, II, 369.
Sudor criticus, I, 294. apyretos ſponte perſeverans, II, 369. criticus, 370. diaphoreticus, febrilis, 370. morboſus, 369. ſyncopticus, 370.
Sudoriferus morbus, I, 294.
la Suette, I, 294, 301, 435, 441; II, 372. *miliaire*, I, 441. *pes Picards*, 336.
la Sueur, II, 369.
Suffocatio, *Suffocation*, I, 670. *hyſterique*, mulierum; uterina, 841, 818, 671.
Suffuſio, I, 719; II, 174. colorans, II, 186. coruſcans, 183. Danaës, 185. dimidians, 185. objecta fulgurans, 183. metamorphoſis, 188. multiplicans, 190. myodes, 176. nutans, 190. radians, 181. reticularis, 180. ſcintillans, 181, 185.
Sugillatio, I, 130, 131, 178.
Superficiarii affectus, v. *Vitia.*
Suppreſſion, II, 508.
Suppuration lymphatique du poumon, II, 383.
Surdaſtri, I, 751.
Surditas, I, 757. ab atonia, 761. congenita, 762.
Suſpirium, I, 661. irruptum, 501.
Suſurrus, II, 195.
Swealing ſickneſs, I, 294.
Sycoſis, I, 155; II, 60.
Symblepharoſis, I, 725.
Synanche, I, 487.
Synchyſis, I, 167, 722, 747. apoſtema, 167.
SYNCOPE, I, 809. ab antipathia, 812. ab apoſtematis, *ibid.* arthritica, 813. cardiaca, 671. à cardiogmo, 812. à dolore, 810. epileptica, 811. exanthematica, 814. febricoſa, 813. febrilis, 811. ab hydrocardia, 812. hyſterica, 811. ab inanitione, 810. Lanzoni; metaſtatica; pathetica, 814. à phlebotomia; plethorica, 811. à polypo, 812. ſcorbutica; à ſphacelo; ſtomachica, 813. à veneno, 812. verminoſa, 813.
Syneches, I, 322. vomitum ſimulans, 351.
Synechia, II, 68.
Syniſeſis, I, 730.
SYNOCHA, vel continens febris, I, 297. ardens, 298. catarrhalis, 299. cauſodes; cauſonides, 298. cephalalgica, 300. dolorum, 300. inflata, 298. miliaris, 301. plethorica, 298. putrida, 299. ſanguinea, 298. ſcorbutica, 300. ſimplex, 298. tragœda, 299.
Synochoi, I, 281.
SYNOCHUS, I, 301. anniverſaria, 307. ardens; bilioſa, 305. cardiaca, 494. catarrhalis, 306. dyſenteriodes, 304. hiemalis, 306. imputris, 297. miliaris, 308. noſtalgica, 319. pleuritica, 305. putris, 301. rheumatiſans, 306. ſanguinea, 302. à ſcabie, 308. ſcorbutica, 307. ſimplex, 297. ſoporoſa, 307. ſpermatica, *ibid.* ſudatoria, 303. tarantata, 307. variolodes, varioloſa, 304.
Synthexis, II, 358.
SYPHILIS, II, 558. Indica, 562. Polonica, *ibid.* Venerea, 558.
Syrigma, I, 788.
SYRIGMUS, I, 782; II, 193. bombus, II, 199. catarrhalis; cephalalgicus, 197. criticus; à debilitate, 194. à cauſa frigida; à frigiditate; ab hypochondriaſi, 197. ab oxycœa, 198. à perſpiratione ſuppreſſa, 197. plethoricus; ſibilus; ſuſurrus, 195. à ventriculo, 197. vertiginoſus, 198.

T

Tabardillo, I, 447.
TABES, II, 446. apoſtematodes, 448. catarrhalis, 450. à diarrhœa, 461. dorſalis, 447, 451. à dyſenteria, 461. à fluore albo, 461. gallica, 450. glandularis, 449, 450. à gonorrhœa, 461. hepatica, 449. ab hepatis ſcirrho, *ibid.* ab hydrope, 448. à lienteria, 461. meſenterica, 449. nervea, 460. nutricum, 448. ab oneirogmo, 461. pectorea, 462. à pericardio, 449. rachialgica, 451. renalis, 447. ſcrophuloſa, 450. à ſtomacho, 451. ſudatoria, 448. ſyphilitica, 450. à veneno, 451. ulceroſa, 448, 450. à vomica, 451.
Tabidi morbi, II, 702.
Tache blanche, I, 126. *de brulure*, 129. *de la cornée*, 726. *hépatiques*, 129. *de rouſſeur*, 128.

Tædium vitæ, II, 258.
Tarantiſme, TARANTISMUS; Apulus, II, 229. enteneaſmus, 230. muſomania, 231. à ſcorpio Apulo; ſimulatus; à Tarantula alba, ſtellata, uvea, 230. Tingitanus, 232.
Taraxis, II, 59.
Tarbo Ægyptiorum, II, 614.
Tarfen, I, 728.
Taye, I, 125, 726.
Teico araiba, II, 364.
Teigne, II, 578. *crouteuſe*, *écailleuſe*, *farineuſe*, 581. *figueuſe*; *humide à rayon de miel*; *humide ſimple*, 580, *lupineuſe*; *de ſon*, 581.
Teineſmos, II, 362.
Telum, I, 466.
Temulentia, I, 847; II, 240, 241.
Tenaſmo, II, 362.
Tendineo-oſſearum partium morbi, II, 705.
Teneſme, TENESMUS, II, 362. ab aſcaridibus, 363. bilioſus; calculoſus, 362. à carcinomate; dyſentericus, 363. à dyſuria, 362. hæmorrhoidalis, 363. Indicus, 362. legitimus, 363. Orientalis, 364. à pituita acida, ſalſa, 362. à ſcybalis, 363. ſpontaneus, 362. à veſicularum ſeminalium phlegmone, 362. ulceroſus, 363.
Tenſio, I, 391.
Tentigo, II, 226.
Teredon, II, 26.
Terminthus, I, 134, 146.
Terreur panique; *de vapeurs*, II, 223, 224.
TERTIANA, I, 349. accidentalis, 352. apoplectica, *ibid.* arthritica; aſthmatica, 351. cardialgica, 354. carotica, 352. cholerica, 354; II, 353. continua, I, 333. continua duplex, 326. Danica, 352. diaphoretica, 354. duplex; duplicata, 353. dyſenterica, 354. emetica, 351. epileptica, 353. erratica, 352. extenſa, 350. hemiplegica, 354. hypochondriaca; hyſterica, 352. intermittens, 349. legitima, *ibid.* lethargica, 338. lipyria, 354. maligna, 333. malignans; 353. miliaris, 354. pernicioſa, 333. petechialis, 350. pleuritica, 351. à ſcabie, 352. ſcorbutica, *ibid.* ſoporoſa, 338. ſpuria, 350. ſubcontinua, 350, 353. ſyphilitica, 353. triplex; verminoſa, *ibid.* urticata, 354.
Teſticulorum ſerior deſcenſus, I, 222. in inguen intruſio, 223. retractio, 222, 223.
TETANUS, I, 541. anticus; dorſalis; emproſthotonicus, 542. febricoſus; hemiplegicus, 544. holotonicus, 543. hyſtericus, 545. Indicus; lateralis, 543. metallicus, 538. mirandus, 545. opiſthotonicus, 542. rheumatiſmalis mirandus, 546. ſyphiliticus, 544. tonicus, 541. traumaticus; verminoſus, 544.
Tetartaios, I, 355.
TETARTOPHIA; carotica; hepatalgica; maligna; ſemitertiana; ſimplex; ſplenalgica, I, 342.
Theligonia, II, 226.
Thorybos, II, 223.
Thymus, I, 155.
Tic, I, 530, 532, 533; II, 251. *douloureux*, I, 533. *de l'œil*, 548.
Tierce, I, 349.
Tigne, II, 578, 579.
Timor, I, 837.
TINEA, II, 578. cruſtacea, 581. favoſa; ficoſa, 580. furfuracea, 581. humida, 580. lactea, 579. lupina; porriginoſa, 581. ſyphilitica, 582. volatica, 579.
Tineſmus, II, 362.
Tintoin, II, 193.
Tiraillement, I, 549.
Tiſe, Tiſichezza, II, 451.
Tophus, I, 722.
Tormentum, II, 349. acutum, 344.
Tormina, II, 324. recens natorum, 106.
Torpor, I, 837.
Torticolis, I, 536.
Toſſe, I, 647.
Tournoyement de tête, II, 166.
Toux, I, 647. *de renard*, 653.
Trachoma, II, 60.
Tracophonia, I, 783.
Tranchées des enfans, II, 106. *naturelles des accouchées*, 126.
Tranſport au cerveau, I, 458; II, 240.
Traulotes, I, 782.
Traumatici morbi, II, 684.
Tremblement, TREMOR, I, 557. Aſturienſis, 559. coactus, 558. à coffea, 557. cordis, 561. à debilitate, 557. ab humiditate; ab hydrocephalo; metallurgorum, 558. palpitans; paralytodes; à pathemate; à plethora, 559. rheumatiſmalis, 560. à ſaburra; ſcorbuticus, 559. ſenilis; à ſiccitate; temulentus, 557. tendinum, 559. traumaticus; typhodes, 560. vertiginoſus, 558.
Trichiaiſe, Trichiaſis, II, 59, 129. *avec introverſion des tarſes*, II, 176, 177, 178.
TRICHOMA, II, 603. cirroſum, 604. Polonicum; villoſum, 605.
TRISMUS, I, 530. arthriticus, 532. 533. Balearicus, 530. cacoëthes, 532. capiſtratus, 533. catarrhalis, 534. crepitans, 532. cynicus, 534. cynogelos; diaſtrophe, 535. dolorificus, 533. equinus, 532. febrilis, 533. hypochondriacus; inflammatorius, 532. maxillaris, 533. naſcentium, 530. occipitalis, 533. ſardonicus, 535. ſcorbuticus, 532. traumaticus, 531. verminoſus, 532.
TRITÆOPHYA, I, 333. Americana, 341. aſſodes, 337. carotica, 337, 338. cauſus, 333. comatoſa, 337, 338. deceptiva, 339. diaphoretica, 335. elodes, 336; II, 371. lactea; leipyria, I, 338. ſubcontinua malignans, 339. ſyncopalis, 333. typhodes, 335, 340. Uratiſlavienſis. 334.
Tritæus, I, 347.
Tritaiophyes puretos, I, 333.
Tritaios, I, 349. ſyneches, 333.
Tromboſis, II, 129.

Tromos, I, 557.
Trouſſe-galant, I, 487. bis; II, 350.
TUBERA, II, 539.
Tuberculum crudum, II, 453. pulmonum I, 686; II, 453.
Tumeur blanche, I, 166. bis; *chancreuſe*, 148. *ſcrophuleuſe*; *ſquirreuſe*, 144.
Tumidi morbi, II, 702.
Tumor, I, 395. genu loco puris ventum emittens, 166. phlegmonodes, 144.
Tumores capſulati, I, 162. hæmorrhoïdales, 164.
Turpitudinis ſymptomata, II, 226.
TUSSIS, I, 647. accidentalis, 648. arthritica, 654. calculoſa, 655. catarrhalis, 647. clangoſa, 651. convulſiva, 651, 653. à deutitione, 651. exanthematica, 654. ferina, 651. gravidarum, 652. gutturalis, 650. hæmoptoica, 653. hepatica, 650. humida, II, 382. hypochondriaca, I, 650. hyſterica, 648. metallicolarum, 652. mucoſa, 647. phthiſica, 653. à polypo, *ibid.* purulenta, II, 383. rheumatica, I, 654. à ſcabie repulſa, *ibid.* ſeroſa, 647. ſicca; ſimulata, 648. ſtomachalis ſicca, 650. verminoſa, 654. xeropharyngea, 655.
Tyloma, Tylus, I, 154.
Tyloſis, II, 60.
Tympania, Tympanias, Tympanita, *Tympanite*, TYMPANITES, II, 513. abdominalis, 515. aſciticus, 517. enterophyſodes, 516. fugax, 417. inteſtinalis, 514. *de la matrice*, 512, 513. ſpaſmodicus, 517. Stwartii; verminoſus, 518. univerſalis, 468. uteri, 512. 513.
Typhodes, I, 308, 335, 340.
Typhomanie, TYPHOMANIA, I, 830. agrypnocoma, 832. continua, 831. febricoſa, 830. Martinicana; verminoſa, 832.
Typhos quartus, II, 513.
TYPHUS, I, 308. ejus therapia Hecquetiana, 313, Typhus Ægyptiaca, *ibid.* carcerum, 309, 486. caſtrenſis, 313. comatoſus, 312. exhauſtorum, 316. hyſterico-verminoſus, 312. ictcrodes, 314. à manipuera, 316. nervoſus; 311.

V

Vaginæ inverſio; lapſus; prolapſus; relaxatio, I, 188. prolapſus completus veſicam deorſum abripiens, 189. vid. *Uterus.*
Vaiola, Vaiolo, I, 422.
Valgi, I, 162, 233.
Vampiriſmus, II, 260.
Vapeurs, I, 586. *épileptiques*, 578. *hypochondriaques*, 842.
Vapor moletrinæ, II, 133,
Vapours, I, 585.
Vari, I, 131, 136., 162, 232, 233.
Varice, I, 163.
Varicocele, I, 154, 170.
Varicomphale, Varicomphalus, I, 164, 168. *bis.*
VARIOLA, Variolæ, I, 422. anomala, 425. aquoſa, 422. aurea, 423. confluens, 427. confluens cohærens, 428. confluens corymboſa, *ibid.* confluens cryſtallina, 427. confluens hæmatodes, 428. confluens Japonica, 427. confluens nigra, 428. confluens maligna; regularis, 427. confluens ſanguinea; ſcorbutica, 428. diſcreta, 422. diſcreta benigna, 423. diſcreta complicata, dyſenteriodes, 425. diſcreta miliaris; ſicca; ſiliquoſa; verrucoſa; veſicularis, 426. halituoſa, 422. hermaphroditica, 435. inſititia, 424. lymphatica, 422. regularis, 423. volatica, 422.
VARIX, I, 163.
Varus, I, 131, 136.
Vecordia, II, 248.
Weiſſe-Ruhr, II, 328.
Vena Medeni, vena Medina, II, 553.
Venenati morbi, II, 638.
Venter propendulus, I, 220.
Ventoſité, II, 415.
Ventriculi ardor, II, 83. debilitas, I, 769. dolor, 476; II, 93. inflammatio, I, 476. inflatio, II, 519. languor, I, 769. morſus, II, 88. morbus rarus, 91.
Ventriculoſa paſſio, II, 360.
Ventris fluxus, II, 315. profluvium, 355. dolor ob apoſtema pancreatis, 104.
Ver de Guinée, II, 553.
Vercoquin, I, 461.
Vermine interne, II, 603.
Verminoſi morbi, II, 688.
Vermis cerebri, I, 327. Vermis morbus dictus Braſilienſibus, II, 146. Vermes malum hyſtericum mentientes, I, 587.
Verole, II, 558. *commune*, 559.
Verole (petite), *Verolette*, *Verrette*, I, 422. vid. *Variola.*
VERRUCA, *Verrue*, I, 155. cancroſa, 148. gregalis, 156. *des paupiéres*, 157. ſimplex, 155. ſyphilitica, 156.
Vertige, VERTIGO, II, 166. accidentalis, 173. à cereviſia; à coriariæ foliis, 174. ab ebrietate, 172. fugax, 173. à fumo lithantracis & calcis, 174. hypochondriaca; hyſterica, 173. ab ictu, 174. idiopathica, 171. ab ingluvie, 172. à lolio; ab opio; ovilla, 174. plethorica, 171. ſtomachica; ſympathica, 172. ſyphilitica; ex tabaco; à venenis; à vino, 174.
VESANIÆ, II, 150, 152, 181. earum theoria, 153. praxis, 158. VESANIÆ ANOMALÆ, 268. HALLUCINATIONES, 164. MOROSITATES, 208.
Veſicæ urinariæ inflammatio, I, 483. catarrhus, II, 396. hydrops, 508. inverſio, prolapſus; ejus colli inverſio; ejus tunicæ interioris inverſio, prolapſus, I, 184. morbi, II, 708. morbus rarus, 396. ulcus, 394.
Veſiculæ Divæ Barbaræ, I, 427. gingi-

varum, 455.
Veſpertina acies, I, 734.
Veternus, I, 820.
Vibex, I, 129. Vibices, 130.
Vigiliæ immodicæ; vigilium morboſum, II, 271.
Virgæ caruncula; incendium, II, 390.
Virginum obſtructiones, II, 596.
de Viribus animatis, I, 49. inanimatis, 60.
Viridellus, I, 577.
Virium debilitas ab animi affectu, I, 803.
Virorum morbi, II, 705.
Virulenti morbi, II, 643.
Viſus confuſus, I, 743. debilis, 730. diurnus, 732. duplicatus, II, 190. hebetudo, I, 730. juvenum, 735. nocturnus, 734. obtuſus, 743. ſenilis, 740.
VITIA, I, 96, 124. eorum theoria, 100.
VITILIGO, I, 127; II, 579. alphus, I, 127. hepatica, 128. leuce; melas, 127.
Vitré (extenſion non naturelle du corps) I, 173.
Vitrei diſſolutio, I, 167. turgeſcentia ſeroſa, 173.
Ulcére, ULCUS, I, 240; II, 609. *baveux*, 610. *de la bouche ſcorbutique*, I, 457. *cancereux, ou chancreux*, II, 547, 610. *carcinomateux de la matrice*, 399. cerebrum depaſcens, I, 484. *dartreux*, II, 610. *fongueux à la matrice*, 398. *au goſier vérolique*, I, 680. gutturis, 787. hydropum, II, 610. laryngis, I, 787. *de matrice*, II, 123, 397. *du nez*, 418. *œdemateux*, 610. *aux reins*, II, 394. *ſcorbutique*, 611. *ſcrophuleux*, 610. ſerpiginoſum, *ibid.* tracheæ, I, 787. *vérolique*, II, 611. *vérolique à l'uterus*, II, 398. *à la veſſie*, 394. ureterum, 394. uteri; uteri ſimplex, 397.
Ulcuſcula oris, I, 455, 457.
Ullem, II, 103, 378.
Umbilici vitium, I, 196.
Unguis, I, 728; II, 69.
Ungula, I, 156, 728.
Volvulus, II, 344.
Vomica, *Vomique*, I, 168; II, 383, 460. pulmonum latens, I, 658, 686.
Vomiſſement, II, 336. *de ſang*, 296.
Vomiting of blood, II, 296.
Vomito prieto, II, 341.
Vomituritio, II, 334.
VOMITUS, II, 336. atrabilarius; bezoarticus, 341. à calculo; à carbunculo peſtilenti, 342. cephalalgicus, 343. à crapula, 337. cruentus, 296. cruentus à plethora, 297. à dentitione, 338. febricoſus, 340, 344. gaſtricus; gaſtrocelicus, 342. gravidarum, 340. hæmorrhagicus, 344. ſanguinis ab hæmorrhoidibus, 298. ab hepate, 342. ab hernia, 343. hypochondriacus, 340. iliacus, 343. lacteus, 337. marinus, 343. ſanguinis à menſibus ſuppreſſis, 298. ſanguinis menſtruus, *ibid.* nephriticus; ab œſophago obſtructo; à pancreate, 342. pituitoſus, 344. cruentus à plethora, 297. à puſtulis rubris lividis, 342. à pyloro calloſo, 340. rabioſus, 341. ruminatio, 339. à ſaburra, 337. ſanguinis, 296. à veneno, 339. à ventriculi herpete, 342. ſteatomate; ulcere, 340. verminoſus, 338. urinoſus, 344. à cartilagine xiphoidea, 343.
Voracité, II, 217.
Ureterum ulcus, II, 394.
Urethræ ædopſophia, II, 417.
Urina cretacea, II, 396. nigra, 305. rubra, 303, 304. ejus ardor, 388. incontinentia, 386. profluvium, 384. retentio, 520. ſtillicidium, 386, 388. ſubſtillum, 388. ſuppreſſio, 520.
Urines blanchâtres & troubles, II, 396. *briquetées, rouges*, 304.
Uteri vel vaginæ depreſſio, I, 187. uteri dolor, II, 122. hæmorrhoides, II, 311. inclinatio, I, 220, 221, 222. inflammatio, I, 481. inflatio, II, 510, 512. intemperies humida, 311. inverſio, I, 187. inverſio completa veſicam deorſum abripiens, 189. uteri vel vaginæ inverſio, 185. lapſus, *ibid.* uteri obliquitas, 220, 221, 227. perverſio, 187. procidentia completa veſicam deorſum abripiens, 189. uteri vel vaginæ procidentia, prolapſus, 185. uteri pruritus, II, 124, 228. reclinatio, I, 220, 221, 222. uteri vel vaginæ relaxatio, 185. uteri rheumatiſmus, II, 397. ſarcoma, 495. ulcus, 397.
Uva, I, 179.
Vuë baſſe, I, 743. *de chat*, 734. *confuſe*, 730, 743. *courte*, 735. *double*, II, 190. *françoiſe*, I, 729. *de hibou*, 734. *de liévre*, 529. *longue*, 740. *louche*, 742. *à la Montmorenci*, 527.
Vuidanges, II, 311.
Vulnerarii morbi, II, 684.
VULNUS, I, 235. ſclopetorum, 236. ſimplex, 235. virulentum, 236.
Vulvæ ſtrangulatus, I, 841.
Uvulæ caſus; catarrhus; inflammatio; œdema; paralyſis; productio à pituita; prolapſus; propendentia, I, 179.
Wampiriſmus, II, 260.
Water-galle, II, 343.
Water pocken, I, 422.
Wearineſſ, II, 39.
Weiſſe-Ruhr, II, 328.
Wichtelzoppe, II, 603.
Worm, II, 146.
Wurmshadem, II, 609.

X

Xerophalmia, II, 61.

Y

Yaw, II, 554, 555.

Ydros, II, 369.
Yvreſſe apoplectique, I, 847.

Z

Zerzera, I, 325.
Zoanthropia, II, 258.
Zona, I, 133, 134, 452. ignea, 134.
Zoſter, I, 133, 134, 452.